PHILIPPI MELANTHONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN XII.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1844.

PHILIPPI MELANTHONIS

EPISTOLAE, PRAEFATIONES, CONSILIA, IUDICIA, SCHEDAE ACADEMICAE.

VOLUMEN XII.

DECLAMATIONES AB ANNO 1553 USQUE AD ANNUM 1560.
PROPOSITIONES ET DISPUTATIONES.

SCRIPTA PHIL. MELANTHONIS

AD HISTORIAM PROFANAM ET PHILOSOPHIAM SPECTANTIA.

I. CHRONICON CARIONIS.

ORATIONES PHILIPPI MELANTHONIS.

III. *Declamationes*, sive orationes prolixiores, quas Melanthon vel ipse publice recitavit, vel aliis hominibus doctis recitandas tradidit.

(PRIORES PHILIPPI MELANTHONIS DECLAMATIONES IN VOL. XI. PRELO MANDATAE SUNT.)

III.

DECLAMATIONES PHILIPPI MELANTHONIS.

No. 132. an. 1553.

De calumnia Osiandri.

In select. Decl. T. III. p. 737 sqq., Servest. T. III. p. 696. et Richard. T. III. p. 564. Etiam separatim edita. Cf. Strobelii bibl. Mel. Nr. 396.

Oratio, in qua refutatur calumnia Osiandri, reprehendentis promissionem eorum, quibus tribuitur testimonium doctrinae.

Initio tibi omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum et aliarum creaturarum, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, verax, bone, iuste, caste, iudex, misericors et liberrime, gratias ago, quod hactenus inter nos tibi colligis Ecclesiam, et non sinis extingui lucem tuae doctrinae, teque toto pectore oro, ut propter filium, et per eum deinceps quoque, inter nos Ecclesiam colligas, et doctrinae studia gubernes. Haec mecum ardentibus votis et veris gemitibus omnes petite.

Semper autem Deus voluit Ecclesiis adiunctos esse docentium et discentium coetus, qui maiore assiduitate colerent doctrinae studia, quam reliqua multitudo aliis occupata negociis, vult enim conservari libros propheticos et apostolicos, literas, linguas, artes quae Ecclesiae utiles sunt, et sunt lumen vitae humanae. Hi coetus bene merentes de toto genere humano, omnibus officiis fovendi sunt, sed Ate Homerica multos incendit, ut ne quidem fideliter servientibus in hac militia parcant, quos utinam Litae nostrae, quarum moestitia non ignota est, placare possent, res quidem ipsa calumnias refutat. Cum autem Deo qui est καρδιογνώστης, voluntates nostrae notae sint, oramus ipsum, ut et regat nostros labores, nosque faciat vasa misericordiae, ac organa salutaria nobis et aliis, et leniat aerumnas publicas ac privatas.

Nunc vero de venenata quadam Osiandri calumnia dicam, non tam defensionis nostrae causa, qua in re manifesta non opus est, quam ut iuniores vetera honesta exempla audiant et considerent, quomodo vetustas obligaverit accessuros ad munus docendi.

Vociferatur enim Osiander scelus esse, quod in renunciatione publici testimonii petimus, ut hi, quibus tribuimus testimonium, adfirment se amplecti incorruptam Evangelii doctrinam, et eam sic intelligere, ut in symbolis Apostolico, Niceno et Athanasiano commemoratur, et ut in Confessione, quam Ecclesiae nostrae exhibuerunt Carolo imperatori in conventu Augustano, anno 1530. recitatur, et promittant in ea sententia, se Deo iuvante, constanter perseveraturos esse, et fideliter facturos officium in Ecclesia.

Item si incident controversiae novae, de quibus non extant perspicua iudicia, ut deliberent cum aliis senioribus in nostra Ecclesia et coniunctis

Hanc nostram consuetudinem reprehendit Osiander, extenuat symbola, postea inquit constitui tyrannidem et seditiosas coniurationes, cum nolumus docentes a confessione nostra dissentire, item cum non concedimus singulis ἰδιοβουλεύειν, et pronunciare suo iudicio de novis controversiis.

Haec sunt capita atrocissimae criminationis, in qua non ut Pericles tonat et fulminat, sed ut Cleon aut Hyperbolus, arroganter et impudenter convicia et calumnias coacervat. Gloriatur se libertatem retinuisse, nec admisisse haec vincula. Hi clamores in tanta licentia et *ἀναρχία* huius temporis plausibiles sunt apud multos, qui infinitam licentiam sibi sumunt fingendi opiniones, et Pyrrhonio more labefactandi omnia recte tradita. Sed pii et prudentes non sine magno dolore vident, quid moliatur haec furiosa reprehensio, videlicet, ut ne admoneantur quidem iuniores et saniores de modestia. Nam homines feri, petulantes, inflati admiratione sui, *καὶ τετυφωμένοι,* nec his promissionibus, nec aliis vinculis coherceri possunt.

Primum autem de autoribus nostrae consuetudinis et de eorum consilio dicam. Non recens a nobis excogitata est haec promissio, sed instituta ab hoc collegio ante annos fere viginti, videlicet, a Luthero, Iona, et pastore huius Ecclesiae Doctore Pomerano. Hos integerrimos viros magna iniuria adficit Osiander, cum serit suspicionem, quod voluerint tyrannidem constituere, cum honestissima causa consilii in conspectu sit. Et tunc vagabantur multi fanatici homines, qui subinde nova deliramenta spargebant, Anabaptistae, Servetus, Campanus, Stenckfeldius et alii. Et non desunt tales furiae ullo tempore. Quantum igitur humana diligentia cavere potuit, voluit hic Senatus bona ingenia de modestia commonefacere, et metas ostendere, extra quas non temere erumpendum esset, voluit et frenare, quantum posset, minus quietos. Hic mos fuit et Ecclesiae veteris, in qua nondum tyranni dominabantur, et adhuc fontes doctrinae puri erant. Petebatur subscriptio in Synodis piis. In Nicena Synodo non Episcopi tantum, sed etiam Constantinus imperator, sua manu decretis eius Synodi subscripsit.

Nec ad ministerium Evangelii admittebantur ulli, nisi praecessissent *δοκιμασία,* seu examen, et expressa professio, in qua vocati ad docendum adfirmabant se amplecti incorruptam Evangelii doctrinam, et promittebant se eam non abiecturos esse. Extant adhuc capita examinis in Decretis ex Augustino descripta, dist. vicesima tertia, ubi post commemorationem Symboli petitur etiam expressa condemnatio errorum, qui eo tempore a fanaticis hominibus, Manichaeis, Arianis, Novatianis et Pelagianis passim circumferebantur, ac nominatim praecipitur inquisitio, an is, qui ad Ministerium vocatus est, prohibeat Nuptias, an improbet secundum coniugium priore coniuge mortua, et esum carnium. An post lapsum redeuntes ad poenitentiam recipiat. An originale malum indicet esse peccatum. An ulli homines extra Ecclesiam sint haeredes vitae aeternae. De tam multis rebus expressae asseverationes postulatae sunt. Et Graecus Canon usus est verbo *ἀνακρινέσθωσαν*, quod significat severam inquisitionem.

Haec diligentia et tunc Ecclesiae necessaria fuit, et semper necessaria est, non est tyrannis, quanquam deinde aliquot saeculis Romani Episcopi et alii addiderunt iniusta onera et corruptelas. Sed nos abiectis impiis oneribus, tantum petimus verae doctrinae adseverationem, sicut vetus Ecclesia petivit, necessariam ad veram Dei agnitionem et invocationem, ad Ecclesiae concordiam, ad frenandam audaciam fingendi nova dogmata: hac ipsa adseveratione etiam propter Osiandrum opus fuit, qui aliquoties monstrosas opiniones genuit, quae tamen sapientia et pietate Senatus Noribergensis, cum a collegio nostro indicatae essent, repressae sunt. Unde et has odii flammas ortas esse existimamus. Sed haec omitto.

Quid est autem aliud haec nostra promissio, nisi confessionis repetitio, quam extare oportet, ut vera Ecclesia ab aliis gentibus discernatur. Denique non differt hic ritus ab exemplo Iosuae, qui vocavit populum in Sichem, et promissionem postulavit, ut verum Deum agnoscerent et recte colerent.

Non adferam huc aliarum politiarum exempla, etsi notum est, in omni honesta societate aliqua esse foedera, quibus ad certorum officiorum communicationem homines obligati sunt, ut apud Xenophontem dicitur: *πανταχοῦ ἐν τῇ ἑλλάδι νόμος κεῖται, τοὺς πολίτας ὀμνύναι ὁμονοήσειν.* Haec primum dixi de autoribus nostrae consuetudinis, et de eorum consilio, nunc videte singula capita. Rabiosissime exagitat, quod in controversiis difficilioribus iubemus, ut deliberent cum senioribus in hac Academia et coniunctis Ecclesiis. Hic tantum deliberationis mentionem facimus, non praecipimus ut quisquam adsentiatur, praesertim si dissentiendi causam habet.

Utrunque periculosissimum est, praecipitanter iudicare, et *ἰδιοβουλεύειν.* Nota sunt enim dicta: Ad poenitendum properat, cito qui iudicat.

Et unus vir non videt omnia. Minus severe de nostris cogitationibus iudicamus, et nobis ipsis blandimur. Quare melius est nos diffidentes nostris iudiciis, aliorum peritorum consilia quoque audire. Traduntur ergo haec praecepta in Syracide cap. 6.: Si libenter audies, accipies sapientiam. In multitudine Seniorum consistito, et si quis est sapiens, ei te adiungito. Si videris virum intelligentem, mane festines ad eum, et fiant attriti gradus ianuae eius tuis vestigiis. Ac Paulus manifeste inquit: Si fuerit sedenti revelatum, taceat prior. Et vult Episcopum non esse *αὐθάδη*. Haec omnia verissime congruunt cum hac nostra commonefactione, quae deliberare cum aliis iubet, non iubet esse *κωφὸν πρόσωπον,* et pedibus ire in alienam sententiam, ut haec accumulat homo et *αὐθάδης* et amans calumniarum iste Cleon.

Iubent, inquit, deliberare cum aliis, ergo cogunt aliis adsentiri. Hoc attexit calumniose *παρὰ τὸ ἑπόμενον,* ut alia multa. Nec cogitemus nobis adsentiri quenquam, nec his adversamur, qui testimonia Spiritus sancti habent, sed in iudicando diligentiam, contationem, modestiam, addo etiam consociationem flagitamus. Nolumus audacia et *αὐθαδείᾳ* iuniorum deleri Ecclesiae iudicia, in qua etiam cum uni alicui fit revelatio, tamen accedunt testimonia, quibus flectuntur aliqui ad agnitionem veritatis, ne desint suffragatores.

An talem vult esse Ecclesiam iste Cleon, ut describit Silenus Cyclopas interrogatus, qualis sit gubernatio, cum ait:

νομάδες, ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός.

Si quis talem confusionem amat, cogitet scriptum esse, Deus non est autor *ἀκαταστασίας.* Item omnia decore et ordine fiant. Quam multa dici possent de vitanda praecipitantia in iudicando, et de utilitate deliberationum cum aliis, si opus esset longiore oratione. Sed in re manifesta non ero prolixior. Tantum hoc peto, ut hunc praestigiatorem propius consideretis, ac perversitatem detestemini, qua contra conscientiam suam sophistice depravat morem pio et utili consilio institutum, et multis viris optimis probatum, quorum salutaris est gubernatio passim in Ecclesiis et Academiis. Si voluit esse tot Ecclesiarum censor, candidiorem animum ad alios docendos adferre debuit, sed naturam suam pingit, cum adeo saepe ea quae a nobis recte dicta aut acta sunt, suspicionibus et calumniis flectit in deterius, malevolentiae suae morem gerens.

Astute autem Osiander de obligatione et de servitute initio quaestus est, quia hanc orationem scit multis gratam esse, sed ipse haec parerga et prooemia alterius pugnae esse voluit. Dissensit a nostris Ecclesiis non modo de Iusticia, sed etiam de Sacrificio, ut in sermonibus suis saepe significavit. Et habuit alia quaedam somnia, quae nondum proferre ausus est. Ideo Confessionem Augustanam evertere conatus est. De summa doctrinae bellum movit, non tantum de parergis. Ut autem Demosthenes respondit Aeschini, tunc cum Respub. ante bellum petivit consilium, debuisse eum sententiam dicere, post id tempus perinde eum facere, ut facit medicus accersitus ad aegrotum, cum nihil dedit consilii, deinde sequens funus, ait: Si iste homo hoc et hoc fecisset, non esset mortuus.

Ita Osiander tunc cum de confessione deliberationes essent, non proposuit suas sententias, nec formam aliquam scripsit, nec scribentes adiuvit. Tantum ut alii quidam ebrii in conviviis, moderatius dicta taxavit.

Tunc in articulo tantae deliberationis, non debuit Ecclesiae deesse, cum quidem sententiam dicere iussus esset. Ne postea quidem se aperuit annis viginti. Nunc tandem ex longo intervallo velut ex antro Trophonii prodiens nova oracula adfert, et exorditur hanc suam *μυσταγωγίαν* a criminatione Ecclesiarum nostrarum, a venenatis conviciis et calumniis. Et tamen si explicate diceret quid sentiat, audiendus esset. Sed talis est obscuritas in illis oraculis, ut illi etiam qui eum amant, desiderent explicationes. Possem multa sciscitari, sed ne saucientur verae mentes, *ταῦτα μοι εὔστομα κείσθω,* ut Herodotus dicere solet.

Iactitat se velut Promethea ignem de coelo attulisse, novam iusticiae definitionem. Iusticia est, quae efficit ut iusta faciamus. Et eius *δευτεραγωνίστης* iam deducit nos ad Iurisconsultos, monstrat veterem Simonidis definitionem: Iusticia est constans et perpetua voluntas suum cuique tribuens. His dictis suus locus sane tribuatur, cum de novitate seu de obedientia dicitur. Sed non pertinent ad dictum: Iustificati fide pacem habemus. In vero agone et sensu irae Dei non hoc disputatur, an iusta faciamus, sed fatemur nos miseram et pollutam massam esse, et quaerit mens quomodo accipiat remissionem peccatorum, ac reconciliationem. In hac lucta Mediator ostenditur,

de quo dictum est: Noticia servi mei iusti iustificabit multos.

Etsi autem cum hac consolatione filius Dei ipse corda erigit et vivificat, ac Spiritum sanctum in hunc qui fide sustentatur, effundit, iam domicilium et templum Dei est homo renatus, tamen anteferenda est obedientia filii Dei, his ipsis divinis actionibus quanquam excellentibus, quales in Elia aut Eliseo fiunt, et retinenda consolatio, propter Mediatorem Deum et hominem, tibi credenti imputari iusticiam. Omitto autem disputationem, praesertim cum et multa miscuerit Osiander aliena a proposito, et consulto quaedam involuta tanquam aenigmata lectoribus tradiderit, quae essent *μῆλον ἔριδος.*

Hic vero cum genera doctrinarum confero, vicem Ecclesiarum nostrarum doleo, in quas propter duas causas facillime incurrunt homines curiosi, *φιλόνεικοι,* et contentionum avidi, quia et totum doctrinae corpus ediderunt, ac velut integrum aedificium spectandum ostendunt, et simplicitatem quaesiverunt, ut quasi nudae, non possint se ambigue dictis involvere, cum membra aliqua cavillationibus concutiuntur.

Facile est autem integrum aedificium intuentes invenire aliquid quod reprehendi possit. Et facilius est cum omnia evoluta et quasi nuda spectantur. At illi Critici astute cavent, ne totum corpus doctrinae edant, ne de ipsis iudicari possit, deinde etiam si quid dicunt, miscent ambigua et figuras, ut habeant receptus et *κρησφύγετα.* Nos miseri plectimur, quia tales latebras non habemus.

Ut autem facilius et tutius est unum aut alterum versum in Vergilii Aeneïde reprehendere, quam integram Aeneïdem scribere, ita facile et sine periculo arripiunt alii alia membra ex nostra doctrina, et ea cavillantur, ac saepe horribilia dissidia multarum gentium oriuntur initio a levissimis calumniis, ut haec mala in versu Empedoclis describuntur:

φοιτᾷ δὴ βροτόλοιγος ἔρις κενεὸν λελακῆα.

Edidit ante triennium Osiander scriptum seditiosum, ubi suo more, ut Gorgias aut Hippias initio preco est suae sapientiae, et alios vituperat, inquiens, se legentem aliorum scripta de politico ordine et Magistratibus, vidisse eos nihil intelligere.

Sed se mysteria haec patefacturum esse. Postea inquit, solius Dei esse imperia, et tantisper homines tolerandos esse in gubernatione, donec sunt organa Dei. Cum non sunt organa Dei, armis eos excutiendos esse. Etsi subtiliter hoc dici videtur, tamen periculosa est oratio: sed si quis contradiceret, propter ambiguitatem non deessent latebrae et *κρησφύγετα.*

Cum igitur Osiander nec integrum doctrinae corpus recitaverit, nec se evolverit, et in sermonibus suis significaverit se in multis rebus a nobis dissentire, non moveamur eius censura, ut hoc simplex et perspicuum doctrinae genus, quod multarum Ecclesiarum testimonia habet, quae sunt vox Spiritus sancti, abiiciamus.

Sed piis mentibus hoc doctrinae corpus tueamur, et filium Dei oremus, qui protulit Evangelium ex sinu aeterni patris, et est doctor et custos Ecclesiae suae, ut ipse nos doceat et gubernet, et Spiritu suo sancto copulet animos docentium, ut in ipso unum simus, nec dissidiis ledatur gloria Dei, nec turbetur invocatio, sed semper inter nos colligat Ecclesiam, cui in omni aeternitate suam sapientiam, iusticiam et laeticiam communicet, et quae vicissim eum vera gratitudine laeta celebret, Amen. Dixi.

No. 133. an. 1553.

De reverentia legum.

In select. Declam. T. IV. p. 101 sqq., Servest. T. IV. p. 92. et Richard. T. II. p. 467.

Oratio de D. Hier. Schurphio Sangallensi habita in promotione D. Ioannis a Borcken, Bremensis.

Vero pectore et firma fide adfirmo homines non casu vivere, sed Deum aeternum, qui se patefecit misso filio, Domino nostro Iesu Christo, conditorem generis humani, vere esse fontem et datorem vitae, sicut scriptum est: Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum.

Huic Deo conditori gratias ago, quod et tantum vitae spacium mihi tribuit, et me vocavit ad agnitionem filii sui Domini nostri Iesu Christi, et ad labores, honestae gubernationi hominum salutares.

Etsi autem multa mea peccata agnosco, et vero dolore deploro, tamen fide Domini nostri Iesu Christi me sustento, et Deum invoco, ac oro, ut hanc senectam meam regat, et faciat, ut mei labo-

res communi vitae et posteritati prosint, et ut illi, qui mea voce eruditi sunt, fiant organa salutaria Ecclesiae et Reipublicae. Cum autem iam Dei beneficio agam annum tertium et septuagesimum, et magnos labores in consiliis et in docendo sustineam, et doloribus magnis propter Ecclesiae et imperiorum confusiones excrucier, aequum erat mihi parci in hac tanta senecta, et in hac mea moestitia, et aliqua mihi onera demi. Nec tam languida et moesta senectus idonea est ad dicendum in talibus congressibus, qui postulant et vocem et orationem hilariorem. Sed tamen cum vir doctissimus, et qui mecum annos circiter decem et septem, ut filius vixit, et quem propter ingenium, studia, optimos mores, semper tanquam filium dilexi, Ioannes a Borcken, natus in inclyta urbe Brema, ex patricii ordinis honestissima, clarissima et antiquissima familia, existimaret ad suum honorem hoc in primis pertinere, ut mea voce publicum testimonium sibi decerneretur, meque oraret, ut quanquam me non libenter oneraret labore, tamen cum me tanquam patrem vera pietate coleret. non deessem eius honori tali ipsius tempore, et diceret non solum in testimonio de sese, plus fore autoritatis, si mea voce renunciatio fieret, sed etiam adhortationem ad amandam hanc doctrinam apud multos plus valituram esse, si ipse dicerem, motus sum paterno animo, ut hoc officium reverenter petenti tribuerem. Libentius etiam ideo hanc testimonii renunciationem facio, quod scio eum et recte nosse fontes huius amplissimae sapientiae legum, et amare iustitiam et integritatem in omni officio, et spero eum huius doctrinae propagatorem fore utilem posteritati. Et quod cum patre eius Meimero a Borcken, Consulari, viro optimo ac integerrimo, ante annos plus minus triginta, vetus mihi noticia et amicitia intercessit. Qui quidem una cum aequalibus et collegis suis, Daniele a Benren, Martino ab Heienburg et Ioanne Trupen, viris clarissimis, et eximia prudentia, omnique genere virtutis praestantissimis in Republica Bremensi, honoribus et dignitate Consulari tunc maxime floruit, et longo tempore ad annos quadraginta, et amplius in consulatu patriae suae singulari fide ac diligentia ita praefuit, ut merito suo pater patriae habitus vocatusque sit. Quorum temporum, et virorum optimorum, mihique charissimorum, quotienscumque recordor, (recordor autem saepissime) totiens, huius aerumnosi, semperque in peius degenerantis seculi mores, miseriasque apud animum meum deploro, ac eiusmodi Rerumpublicarum administratores ac moderatores (quales illi, quos modo nominavi, fuerunt) nobis quoque iterum quamplurimos divinitus dari, ex animo opto, totoque pectore precor.

Huc accedit recens affinitas, quae ut ipsi sponso et sponsae, quam etiam tanquam filiam diligo, fausta et foelix sit, et mihi et meis iucunda, opto.

Postquam autem exposui causas, quare hanc renunciationem testimonii faciam, nunc iuniores alloquar, quos primum adhortor omnes, non solum auditores nostros, sed etiam caeteros, ut se magna cura adsuefaciant ad reverentiam legum, et totius politici ordinis, et veras causas hac de re cogitent, ac furores istorum execrentur, qui leges, et hanc sapientiam, quae Iurisconsultorum libris continetur, contemnunt. Quae mea sit aetas, videtis. Et cum tot annis, non solum in hoc studio versatus sim, sed etiam deliberationibus maximarum rerum in Republica interfuerim, necesse fuit me intueri hominum vitam, considerare multorum iudicia, videre exitus consiliorum memorabiles, et testimonia legum et iudicii divini. Sic igitur audite hanc meam orationem, non ut iuvenilem declamationem, sed ut veram commonefactionem, quam et nos senes vult Deus sonare in genere humano, ut ipse agnoscatur, et saluti hominum consulatur, et iuniores vult reverenter audire, et propter gloriam Dei et salutem publicam et privatam ei obedire.

Totus hic ordo politicus, leges, discrimen honestorum et turpium, magistratus, coniugia, dominiorum distinctio, contractus, iudicia, poenae, Dei opus est, et ingens beneficium, et illustria de Deo testimonia plurima ostendit. Ideo dicit sapientia divina apud Salomonem: Per me reges regnant, et iudices iusta decernunt. Ipsa Dei sapientia, leges et totum ordinem politicum in genere humano instituit, et non penitus deleri sinit, etiamsi diaboli, et omnia organa diabolorum multas horrendas confusiones efficiunt.

Scio in hac caligine humana, praesertim iuniores minus considerare, quantae res sint, sapientia et iusticia Dei, leges, quae sunt radii sapientiae divinae. Et multi furores impediunt hanc considerationem. Ideo vult Deus senes aliquos esse monitores. Etsi autem non omnes obtemperant, tamen aliquorum pectora Deus ad obedien-

tiam flectit, qui Deo ipsos trahenti non petulanter repugnant.

Vos igitur ut debeo coactus mandato divino, et paterno animo obtestor, ut agnoscatis et timeatis Deum et leges, cogitetis esse sapientiam Dei congruentem cum decalogo, in quo Deus ostendit, qualis ipse sit. Et ex his initiis extructa est reliqua legum doctrina. Firmissime etiam statuatis, horribiles poenas sequi contemptum legum, sicut ipse filius Dei adfirmat: Qui gladium acceperit, gladio peribit, et alibi inquit vox divina: Vae qui spolias, quia spoliaberis. Item: Scortatores et Adulteros iudicabit Deus. Item: Avari, maledici, ebriosi, (qui bono iure porci vocantur, cum vere porci sint,) regnum Dei non possidebunt. Item: Non habebit Deus insontem, qui vane nomen eius usurpat.

Haec divina fulmina non sunt inania terriculamenta, sed Deus iustus, iudex et vindex adest in genere humano, et sceleratorum poenis ostendit iudicium et praesentiam suam. Ac in omnibus gentibus quotidie aliqua exempla huius divini iudicii conspiciuntur. Sed his proximis annis quam multa insignia exempla vidimus, de quibus non sine magno dolore cogitare possum.

Vult Deus aspici haec exempla, et vult nos de sua sapientia, iustitia et iudicio, de legum et poenarum causis assidue cogitare. Et eos qui hac se consideratione ad iustitiam exuscitant, adiuvat, gubernat et protegit.

Has igitur pias commonefactiones vobis proponite, et earum cogitatione vos ad agnitionem Dei, et ad legum reverentiam exuscitate, et frenate errantes impetus legum voce, et simul petite, ut Deus vos gubernet et protegat. Hanc diligentiam sentietis non esse irritam, quia vox divina inquit: Si queres sapientiam, invenies eam, quia Deus dat sapientiam. Item: Sapientia occurrit his, qui eam expetunt.

Haec oratio de legum reverentia ad omnes pertinet, non tantum ad nostros auditores. Nunc praecipue alloquar nostros auditores, qui in forum et in curiam venient, ubi legum voce deliberationes regere debent. Hic proh dolor aliqui peccant inscitia et audacia, aliqui metu, aliqui adsentatione, scelere et perfidia, aliqui cupiditate nocendi.

Ex his fontibus quanta mala oriantur in imperiis, ostendunt multa exempla horum temporum. Rex Persicus Cambyses, ducturus sororem, interrogabat suarum legum custodes, liceret ne sororem ducere uxorem. Illi, quia norant regis truculentiam, respondent: Utramque esse Persicam legem, alteram, prohibentem coniugium cum sorore, alteram, quae concedat regi facere, quicquid libet. Ili non inscitia, sed metu peccarunt. Etsi tales non sunt excusandi, tamen plus peccant, qui de rebus maximis responsuri, cum nec leges norint, nec controversias intelligant, audacissime tamen pronunciant, sed ita, ut arte alludant ad adfectus eorum, quorum ambiunt favorem. Et plerunque quo quisque est indoctior, ita est audacior, ut sanctus Hieronymus inquit. Et qui sciunt se non posse tueri locum eruditione et virtute, confugiunt ad alias artes, ad adsentationes, ad calumnias, ad praestigias qualescunque, ut studia hominum retineant. Maxime vero peccant illi, qui scientes perfidiose corrumpunt et obruunt veritatem, similes Iudae proditori, qui spe, aut pactione magnae mercedis, veritatem contra conscientiam oppugnant.

De his sceleribus omnibus saepe vox divina concionatur, ut in cap. quinto Esaiae: Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum, qui iustificatis impium pro muneribus. Et mox de poena additur: Propter hoc sicut devorat stipulam, ignis et paleam flamma, sic radix eorum favilla erit, et germen eorum ut pulvis dissipabitur. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium sancti Israël contempserunt.

Has tristissimas poenas minatur Deus his qui talia scelera faciunt. Postea totis gentibus minatur vastationes propter tales praestigiatores, quia istorum sophistica multorum scelera confirmat, falso iuris praetextu, et fax est discordiarum et bellorum civilium, et aliorum ingentium malorum. Addit igitur Propheta de populi poena. Ideo exarsit furor Domini super populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum: Et quassati sunt montes, et facta sunt cadavera eorum sicut stercus in medio platearum.

Videtis imaginem Germaniae in hac descriptione, Ecclesiae dilacerantur sine fine novis opinionibus, et principum odia inter sese armantur praetextu iuris. Ardet igitur Germania bellis iam aliquot annos, et velut stipula absumitur, et montes, id est, principes duriter concutiuntur, ac vidimus his annis principum, et aliorum fortium virorum cruenta cadavera humi strata.

Haec tristia spectacula, et eorum causas, et conciones divinas cogitate, vos praesertim qui principum consiliis affuturi estis, et timete iram Dei, et vestras et publicas poenas.

Ut autem sint foelicia consilia vobis et Reipublicae, has duas virtutes in curiam adferri oportet. Primum doctrinam integram legum divinarum et humanarum, non tantum umbram doctrinae et garrulitatem, deinde et agnitionem ac verum timorem Dei, qui pectus confirmet contra metum potentum, contra adsentationes, contra avaritiam, contra ambitionem, et erigat animum, ut iusta velit constanter et dicere, et propugnare, sicut Ieremias nullis terroribus et suppliciis frangi potest, ut bellum Sedechiae regi suadeat, aut motum approbet, cum quidem species iuris tanta praetexeretur, ut multi sapientes et docti ea moverentur, et quasi classicum canerent, seu ut Ioannem nulli terrores frangebant, quo minus diceret Herodi: Non licet tibi habere fratris uxorem. Nec desunt exempla inter Ethnicos.

Papinianus iussus ab Imperatore Bassiano, ut defenderet parricidium, quod ipse Bassianus fecerat, interfecto fratre, quanquam sciebat sibi pereundum esse, recusavit tamen sceleris defensionem suscipere, ac postea magno animo supplicium pertulit. Cassio Longino Nero effodit oculos. Meminimus et nostra aetate, paucos quidem quorum similis fuit constantia. Sed duos tamen nominare possum, quorum alter charissimo patri meo amicus fuit, Gregorius Lamparter, alter notus est in historiis, Thomas Morus.

Nec inusitatum est a tyrannis devorari fideles monitores, ut leo in fabulis devorat equum et asinum ignaros adsentationis. Obruit ingentes ista procella viros, ut virum optimum Abel, et deinceps Prophetas, et inter Ethnicos Palameden, Themistoclem, Theramenem, Demaden, Demosthenem, Aratum, Ciceronem, et innumerabiles alios. Ad haec pericula parati simus, et sciamus diabolum praecipue insidiari gubernatoribus consiliorum, et petamus a filio Dei, qui est magni consilii angelus, sapientiam et protectionem.

Has commonefactiones saepe nos repetere necesse est, quia Deus immensa bonitate vult in genere humano sonare suae sapientiae vocem, sive multi, sive pauci fiant meliores. Et tamen semper aliquam Ecclesiam filius Dei in genere humano servat. Erunt igitur aliqui, qui Deo obtemperabunt.

Dixi autem de commonefactione multo brevius, quam vellem. Sed vobis quoque notae sunt hae conciones divinae, quas saepe repetimus propter voluntatem Dei, et nunc propter angustiam temporis brevior sum. Scitis autem vetus dictum: Labores congruere iunioribus, mediae aetati consilia, preces vero senibus, quae tamen omnibus temporibus et cuilibet aetati necessariae sunt, ut Dominus inquit: Semper orate, et sine me nihil potestis facere. In tantis furoribus diaboli et in tanta imbecillitate humani generis manifestum est, non posse servari Ecclesiam, nisi Deo iuvante. Et filius Dei clementissime promittit, se eam semper servaturum esse, sicut inquit: Ego semper ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Hac me dulcissima consolatione in hac senecta in tantis confusionibus sustento, et crebris gemitibus conservationem Ecclesiae peto.

Oro igitur toto pectore Deum aeternum, patrem Domini nostri Iesu Christi, crucifixi pro nobis et resuscitati, fontem sapientiae et custodem Ecclesiae suae, ut deinceps quoque semper in his regionibus colligat sibi Ecclesiam aeternam, et servet in ea hospitia Ecclesiae, et doctrinam suam, et hanc ipsam legum sapientiam, et honestam disciplinam, et nostras familias protegat, ipse, cum quidem res ostendat, nos non habere humana praesidia. Quare tanquam orphani petimus et expectamus auxilium a Deo patre orphanorum, sicut scriptum est: Orphano tueris adiutor.

Nunc te charissime fili Ioannes alloquor, ac primum Deo gratias ago, quod hactenus ingenium et studia tua gubernavit. Scio enim te fontes doctrinae iuris recte didicisse, et te vere agnoscere et invocare Deum, et amare iusticiam. Quare cum sperem tuos labores ad conservationem et propagationem doctrinae, et ad Reipublicae gubernationem profuturos esse, gaudeo, ac opto, ut multi sint ad posteritatem custodes verae doctrinae fideles: teque adhortor, ut in omnibus consiliis tuis ornare gloriam Dei, et iuvare communem salutem hominum studeas, et Deum oro, fontem sapientiae, ut totum vitae tuae cursum gubernet. Coniugio etiam tuo precor, ut Deus castitatis amans, te et sponsam regat, et faciat, ut coniugium vestrum sit faustum et foelix. Cogitabis etiam intuens honestam sponsam tuam, filiam meam charissimam, hunc vestrum amorem, imaginem esse amoris in filio Dei erga humanam naturam, quam adsumpsit, et erga Ecclesiam. Hoc

amore filii Dei erga Ecclesiam laeteris, et vicissim ipsum et Ecclesiam amato. Volo etiam te memorem esse meae erga te paternae benevolentiae. Dixi.

No. 134. an. 1553.

De dignitate legum etc.

Prodiit: „Oratio de dignitate doctrinae legum et Iurisconsultorum, recit. a Ioach. a Beust. Witeb. 1553. 8. 2 pl." — Recusa in sel. Declam. T. IV. p. 26 sqq., in Servest. T. IV. p. 24., apud Richard. II. p. 429.

Oratio de dignitate doctrinae legum et Iurisconsultorum.

Gravissimo consilio institutum est, ut publice et in quadam eruditorum frequentia tribuantur doctrinae testimonia. Nec vero aliud magis decet in talibus congressibus, quam et celebrare Dei dona, et petere eorum conservationem, et dicere aliquid de doctrina divinitus monstrata generi humano, ad erudiendos iuniores, aut excitandos ad amorem doctrinae et virtutum. Hos honestissimos ritus aspernari, tetra barbaries est, et disciplinae ac moribus perniciosa. Quare vos auditores primum cogitate, quare conveneritis, et pectora exuscitate, ut grati mecum celebretis Deum, legum et doctrinarum fontem, et petatis, ne haec sua dona in his regionibus deleri sinat.

Duae sunt autem summae virtutes comprehensae in ea, quae nominatur Gratitudo, videlicet Veritas et Iusticia. Veritas agnoscit, unde profectum sit beneficium, et autorem celebrat. Iusticia obligat ad mutua officia. Grati igitur adfirmamus, leges vere esse sapientiam Dei, cuius radii in hominum mentes transfusi sunt, et pro hoc optimo munere fateamur nos Deo debere gratam ipsius celebrationem et reverentiam, et obedientiam, iuxta has ipsas leges, quas nobis tradidit. Deinde eum ardentibus votis oramus, ut et Ecclesiam et eius hospitia servet, et accendat pectora nostra, ut semper eum vera invocatione colamus, et tribuat Politiis pacem, et in ea tueatur leges, iudicia, disciplinam et doctrinarum studia. Haec precatio hoc tempore sit ardentior, quia magna pars Germaniae bello ardet, et fiunt vastationes, quas sequuntur literarum et legum interitus, laxatio disciplinae, prophanitas opinionum et morum, contemptus Religionis et Iudiciorum, vita similis beluinae, haec tanta mala ut clementer avertat Deus, assiduis gemitibus et votis orandus est.

Nunc pauca dicam de legum dignitate ad commonefaciendos iuniores, ut adversus malas opiniones praemuniantur. Hippias apud Platonem nominat legem tyrannum, quia natura obnoxia vagabundis cupiditatibus, aegre patitur frenos, et leges tanquam vincula et carcerem odit, et multi furenter hos frenos excutiunt. Talis cum sit in natura hominum contumacia, ut manifestum est, quam quidem et mala exempla, et multi *μωρόκακοι*, tribunitiis sermonibus confirmant, difficile est mentes ad reverentiam legum flectere. Multi etiam hanc nostram doctrinam traditam in libris Iurisconsultorum, tantum cogitant esse, aut non necessariam subtilitatem, aut etiam sophismata excogitata ad illaque laudandos aut eludendos litigatores. Et sunt multi fascinati fanaticis erroribus, qui discrimen ignorant legis et Evangelii, et aeternae iusticiae et politicae gubernationis, qui dicunt nova iura ex Evangelio cudenda esse. Sed nos a Deo in hanc stationem collocati sumus, ut ostendamus veram de dignitate legum sententiam, et deliria contraria refutemus, quod quidem Dei beneficio in hac ipsa Academia, fideliter factum esse, manifestum est.

Cum autem multa sint de Deo illustria testimonia in hac visibili natura, tum vero praecipuum est, discrimen honestorum et turpium, quod nominatur Lex naturae, et expressum est in voce Decalogi, et assidue repetitum in concionibus divinis in Ecclesia, inde usque ab initio generis humani. Haec ipsa lex naturae non est tyrannus, ut Hippias dixit, nec est imaginatio, hominum astutia excogitata, ut multi somniant, sed est aeterna et immota sapientia in Deo, et norma iusticiae seu rectitudinis, cuius sapientiae radios transfudit Deus in homines in creatione, ut ostendant esse Deum, et doceant qualis sit Deus, et quod sit vindex scelerum, ac obligant omnes homines, ut sint conformes Deo, et doceant omnes de iudicio Dei, quod vere et horribiliter irascatur omnibus contumaciter violantibus hunc ipsius ordinem, et sit ignis consumens ac destruens contumaces. Hic legum nostrarum fons est, et hac vera descriptione et laudatione legum, nihil dici maius aut melius potest. Quid enim cogitare maius aut melius potest, quam sapientia Dei? Deinde

quid gloriosius de homine dici potest, quam esse mentes nostras specula, in quae sparsit Deus radios huius suae sapientiae, monstrantis ipsum Deum, et summa in eo bona, scilicet sapientiam et iusticiam? Quid sunt caetera bona, qualia sunt in pecudibus, vita, sanitas corporum, et agilitas, voluptates in pabulo, potu, concubitu? Fateri necesse est, maius bonum esse sapientiam et inter omnes gradus sapientiae summum esse, discrimen honestorum et turpium, quod ostendit et esse Deum, et qualis sit, et esse vindicem scelerum. Oportebat autem nos intuentes in nobis hos radios sapientiae Dei, agnoscere conditorem, et amare ordinem ab ipso sancitum et nos reverenter ei subiicere, et intra metas, quas nobis circumdedit, nos cohercere. Sed proh dolor triste dissidium est cupiditatum et huius lucis in mente humana, et unde sit ortum hoc dissidium, et quale sit, ostendit doctrina Ecclesiae. Sed tamen reliqua est in natura humana haec facultas, ut mens frenare membra possit, ut externa obedientia ad legem congruat.

Cum autem velit Deus et notam esse in genere humano hanc suam sapientiam et iusticiae ordinem, et homines ei obedire, condidit Ecclesiam, in qua semper vocem legum conservavit, et addidit politicam gubernationem et Magistratus, quos instruxit autoritate et armis, ut leges in populo sonent et tueantur, et puniant contumaces. Et quia lex sine executione et sine poenis adversus contumaces, inanis sonitus est, non solum commendavit poenas Magistratibus, sed ipse Deus praesens in imperiis, sua vigilantia et iusticia retrahit sontes ad horrenda supplicia, immo et nostris corporibus indidit inevitabilem carnificem, dolores conscientiae, qui omnes sontes excruciant, ut conspiciatur discrimen inter recte facta et turpia. His doloribus convincimur, ut fateamur esse Deum sapientem et iustum, et velle, ut simus ipsi conformes, et iuste punire contumaces. Illis vero, qui sunt ei conformes, communicaturum esse sese et sua bona: Vitam, sapientiam, iusticiam et laeticiam. Attribuit autem Magistratui hos quatuor gradus officiorum.

Primum, ut sonet vocem legis divinae, id est Decalogi, seu ut nominamus, Legis naturae in genere humano. Vult conspici sese Deus in sua lege. Hanc igitur vult proponi et normam esse omnium consiliorum, non vult nos nostris imaginationibus regi, aut comminisci leges, quae malarum cupiditatum sint ministrae, ut Lycurgus concessit adulteria, si adulter paciscens cum marito, permittente eo, frueretur aliena coniuge.

Secundum officium est, ut Magistratus sit executor legum divinarum, ac severe puniat contumaces.

Tertium, ut suas quasdam leges addat, non pugnantes cum divinis, sed quae circumstantias aliquas legum generalium determinent, probabili ratione, et sint adminicula legum divinarum, ut cum gradus suppliciorum ordinat.

Quartum, ut sit executor suarum legum, et puniat contumaces.

Itaque cum Deus ipse fons sit legum et sit autor et conservator politici ordinis, sicut sapientia Dei apud Salomonem inquit: Per me reges regnant, et iudices iusta decernunt, agnoscamus et ipsam legum sapientiam et Magistratuum gradus beneficia Dei esse, et reverenter nos sapientiae Dei et legitimis Magistratibus subiiciamus, et sciamus, sine ulla dubitatione contumaciam puniri, sicut Salomon inquit: Time Dominum, fili mi, et regem, et cum seditiosis ne facias foedera, quia subito veniet interitus eorum.

Haec vera oratio de legum et politici ordinis dignitate saepe repetenda est, ut cum cogitamus leges non esse vincula humano consilio excogitata, nec imperita tantum humana violentia constituta esse, sed leges vere esse sapientiam Dei, et totum ordinem politicum: Magistratus, praesidia, contractus, iudicia, poenas, a Deo institutum esse et conservari, reverentia in animis excitetur et confirmetur.

Sed dicat aliquis: Quid haec oratio de Decalogo facit ad haec scripta Iurisconsultorum Ulpiani aut Bartoli, cur misces divina humanis, et cur non anteferuntur leges Moisi? Hanc obiectionem refutari necesse est. Ut caeterae artes partim demonstrationibus, partim probabilibus rationibus ex divinis noticiis extructae sunt, ut Arithmetica ex cognitione proportionum sumpta est: ita Romanae leges ex noticiis naturalibus, quae sunt radii sapientiae divinae, in Decalogo breviter comprehensi, bona consequentia ductae sunt. Et semper fuit ars Iurisconsultorum, causas ostendere suarum sententiarum in illis fontibus. Praeterea hac autoritate armavit Deus Magistratum, ut etiam cum demonstratio deest, et in decernendo probabilem rationem sequitur, non pugnantem cum iure divino: tamen lex firma sit. Idque

agunt nostri interpretes Bartolus, Baldus et similes, ut leges conferant, et vel demonstrationes ostendant, vel probabilem rationem. Ac vituperanda est multorum inscitia, qui dicunt, ideo varios legum intellectus fingendos esse, quia leges conditae sint mutabilibus hominum arbitriis, quorum cum nulla sit constantia, possint leges varie flecti ad diversas interpretationes. Hic perniciosus error animis eximendus est. Nam et falsa opinio est, et contumeliosa contra Deum, et labefactat Magistratuum autoritatem.

Manifestum est autem Decalogum, et deinde multas naturales noticias, quae sunt legum semina, esse aeternam et immotam sapientiam et normam iusticiae in Deo, nobis patefactam. Ex hac immota sapientia ortae sunt plurimae in ipsis legibus nostris, et in responsis veterum et recentium Iurisconsultorum, firmae demonstrationes. Nec imaginandum est, omnia decreta mutabilia esse, seu ut Aristoteles nominat Regulas Lesbias, sicut mutabile fuit institutum Laconicum de nummo ferreo, aut Thebanum, ut obaeratus imponeretur in calathum et perfunderetur aqua.

Ideoque semper fuerunt in imperiis scholae docentium et discentium iuris doctrinam, ut interpretatio firma ostenderetur, ex demonstrationibus et ex legum collatione. Nam et Athenis erant νομοφύλακες, publica autoritate constituti, qui et custodes erant legum et interpretes. Romae scholae frequentiores fuerunt, Scevolarum, Sulpitiorum, Trebatii et aliorum, nec interrupta vel extincta est Constantinopoli consuetudo docendi et discendi legum interpretationem, donec tristi fato sedes illa et doctrinarum, et imperii Christianis erepta est, et Turcica barbaries ante annos centum in ea dominari coepit.

In Italia vero cum Longobardi, et deinde Franci regnarent, et in curia ac in foro peregrinae leges dominarentur, quarum adhuc aliqui libri extant, mox post Iustinianum studia docendi et discendi leges Romanas conticuerunt, annos fere quingentos, quae tamen Constantinopoli non sunt omissa.

Sed Imperatoris Lotharii Saxonici tempore senex in Italia fuit, sapientia, virtute et autoritate antecellens, cuius consiliis diu Principes, qui Imperatorum nomine rexerunt Italiam, gubernati fuerant. Cum autem Lotharius pacata Italia deliberaret de forma iudiciorum constituenda et legum emendatione, Irnerius ostendit, quantum sit boni in toto imperio, eandem esse legum vocem, congruentem rationi et iustam. Diu autem in Italia fuisse magnam dissimilitudinem legum, et multas barbaricas consuetudines, et iudiciorum diversitatem, gignere varios motus, hortatur ut Imperator mandet suis iudicibus, ut res iudicent ex veteri Romano iure, idque ut rursus notum fiat plurimis, praecipiat, ut Bononiae veteri more fiat legum enarratio. Ibi enim Theodosius lectores Iuris olim collocaverat. Commemorat qualia adhuc sint Constantinopoli studia eius doctrinae. Mores etiam hominum ait fore mitiores, si adsuefiant homines ad leges, in quibus iusticiae forma rectius conspicitur, et verae causae ostenduntur, quid cur sit honestum Placuit sapienti Imperatori Lothario consilium Irnerii, sed lector deerat, qui eruditione et autoritate invitare hominum studia in re nova posset. Quare Imperator petit, ut Irnerius ipse (existimo autem eum Constantinopoli didicisse) redeat ad scholam, et tantae rei initia gubernet et ostendat, quomodo haec doctrina restituenda sit. Etsi erat inusitatum, senem ex curia et ex gubernatione summorum consiliorum, redire ad scholam: tamen Irnerius hunc docendi laborem suscipit, prospiciens, quantum posteritati profutura esset restitutio huius doctrinae. Legerat etiam in his ipsis libris Pandectarum Romae quondam consulares viros, Scevolam, Crassum, Sulpitium et alios, domi suae, multos docuisse. Ac si vere iudicare volumus, senectus addit aliquid autoritatis expositioni rerum maximarum. Et ipsis senibus maxime congruit, tradere iunioribus iusticiae et aliarum virtutum doctrinam. Cum igitur docere Irnerius coepisset, multorum nobilium hominum studia accensa sunt, et paulatim in caeteras Italiae urbes et in Galliam, postremo et in Germaniam haec doctrina propagata est.

Quanquam autem in hac vita multae confusiones et vitia manent: tamen negari non potest, melius esse habere certas leges et doctrinae formam, quam iudicare res ex potentum arbitriis, aut ex opinionibus et ineradita Rhetorica ardelionum, qui impudentius vociferarentur in foro, si legum et doctiorum autoritatem non metuerent. Deinde multum et aliis literarum et historiarum studiis profuerunt hi libri, adiuverunt restitutionem Latinae linguae, illustrant historias. In naturis non monstrosis profecto etiam moribus prodest, considerare causas legum, et propius in ea aspicere iusticiam, quod cum fit, ipsa pulchri-

tudo virtutis accendit animos ad eam amandam. Deinde leges cognoscere, est intueri totam formam Reipublicae. Cum Atticae civitatis aut Romanae leges cogitamus, videmur quasi cives in illis ipsis urbibus vivere, intuemur ordinem Magistratuum, exempla disciplinae, severissimas scelerum poenas, Appii libidinosi, Decemviri necem, Saturnini, Catilinae et coniuratorum supplicia, consilia moderatissima in sedandis bellis civilibus, ἀμνηστίαν sancitam a Thrasybulo Athenis, et Romae a Senatu, post interfectum Iulium Caesarem, ut publicae causa singuli de suo cederent, modum usurarum.

Harum rerum omnium consideratio, quae sine legum collatione fieri non potest, de multis magnis rebus nos commonefacit in tota vita, nosque ad iusticiam et modestiam flectit.

Sed indocti multi et Iudaicis opinionibus fascinati, dicunt potius Moisi leges in forum revocandas esse: alii indoctiores dicunt novum ius ex Evangelio cudendum esse.

Hos fanaticos furores scitis saepe iam firmissimis et perspicuis argumentis refutatos esse. Sed quia non praemoniti facile turbantur et novitate et superstitione, iuniores interdum de his disputationibus commonefaciendi sunt. Videmus hoc accidere, ut hi, qui non sunt a teneris recte instituti de discrimine vitae politicae et iusticiae aeternae, ne possint quidem sanari. Fontes igitur harum refutationum tenendi sunt, qui amplissimam doctrinam continent, utilem et ad agnitionem Dei et ad reverentiam politici ordinis. Evangelium de reconciliatione Dei, et de aeterna iusticia in nostris cordibus concionatur, quae filius Dei retrahit ex aeternis poenis, cum fide ad eum confugimus, et donat nova luce et Spiritu sancto accendente veram Dei invocationem et alios motus legi Dei congruentes. Interea in vita civili sinit nos uti legibus imperiorum, in quibus vivimus. Colligitur enim haec aeterna Ecclesia in variis imperiorum locis, quorum ne potest quidem eadem forensis consuetudo in omnibus negociis esse. Satis est leges politicas ubicunque congruere ad hanc regulam, ut sint honori bono operi, et terrori malo, ut Paulus inquit, hoc est, congruere ad Decalogum. In caeteris rebus de quibus Magistratus condere leges potest, similitudinem legum esse, nequaquam necessarium est. Lex Mosaica primo genito duas partes haereditatis attribuebat. Nostrae leges servant aequalitatem arithmeticam, tantundem singulis attribuunt, gradus etiam faciunt in praediis militaribus et aliis rebus. Haec dissimilitudo non impedit iusticiam aeternam et motus divinos in corde, imo vult Deus ostendere suo quemque loco in his rebus obedientiam erga patrias leges seu duriores seu leniores.

Multae magnae causae fuerunt, cur et constituta sit politia Mosaica et postea deleta. Nunc rudera et cineres et ἐρείπια in illis locis annos mille quadringentos octoginta, testimonium dicunt, aliis gentibus non necessariam esse formam eius politiae. Imo ne tunc quidem Ecclesia illi politiae tantum inclusa erat. Ioseph in Aegypto res iudicabat Aegyptiis legibus. Daniel in Persia Persicis. Nabugdonosor in Babylone Babylonicis. Nahamam in Syria Syriacis. Cornelius Centurio Romanis legibus praesidia rexit.

Sed haec tota quaestio alibi saepe luculenter explicata est, quo magis detestanda est multorum non solum inscitia, sed etiam perversitas, qui quanquam perspicue refutati: tamen furere non desinunt, cumque nec Evangelium, nec sui iuris fontes intelligant, stulte et impie in unum chaos utrumque confundunt, et fingunt deliramenta prorsus, ut dicitur, οὔτε γῆς, οὔτε οὐρανοῦ ἁπτόμενα. Sapienter discernamus genera doctrinarum, et ut Paulus praecipit, recte partiamur sermonem divinum, consideremus discrimen aeternae iusticiae et politicae, luceat in corde sol iusticiae, filius Dei, et ardeant pectora vera agnitione et invocatione Dei, et aliarum virtutum flammis. Et in externa ac civili consuetudine ostendantur invocatio, fortitudo, diligentia societatis tuendae. Non Titanum more, bellum coelo aut legibus inferatur. Ut autem Titanes fulminibus coelestibus dissipati et interfecti sunt: ita tandem fanatici illi hostes legum horrendis exemplis a Deo dolentur. Vos igitur iuniores adhortor primum, ut grati agnoscatis beneficium Dei, quod incorruptam doctrinam et de Deo, et de hac civili vita audiatis, deinde ut studiose fontes doctrinarum discatis, et vestrae salutis causa, et propter communem utilitatem. Nam haec militia docentium et discentium ad multos pertinet. Vult Deus hunc ordinem custodem esse verae doctrinae in genere humano, quae, etiamsi multi magni furores grassantur in vita, tamen multis hominibus salutaris est. Ac ut semper Deus aliquam Ecclesiam colligit, ita servat aliqua Ecclesiae hospitia, quae honestis legibus et iudiciis reguntur. Cumque in utraque

gubernatione opus sit eruditione, instruite pectora vera doctrina, et quanquam in tantis ruinis imperiorum videntur hi labores parum profuturi: tamen hac vera consolatione vos confirmate, quam Paulus nobis tradidit, inquiens: Non erit labor vester inanis in Domino, quem toto pectore oro, ut faciat me et vos vasa misericordiae, et organa salutaria nobis et patriae, et moestis Ecclesiis clementer poenas leniat. Dixi.

No. 135. an. 1553.

De anatomia.

In select. Declamat. T. IV. p. 280 sqq., Richard. T. II. p. 152. Servest. T. IV. p. 255. — Mylius in chronol. scriptorum Mel. hanc orationem retulit ad an. 1553. — Aliam eiusdem argumenti vide an. 1550.

Oratio de studio doctrinae anatomicae, a Sebastiano Theodoro Winshemio recitata.

Cum doctrinae studia colenda sint, non tantum ut sint usui vitae, ac ornamento tranquillis temporibus. Sed etiam ut in magnis doloribus ostendant veras consolationes divinitus propositas, et erigant animos, non omisimus has scholasticas operas, quanquam magno in luctu sumus. Ac tali tempore maxime salutare est, et de causis humanarum calamitatum, et de Remediis cogitare, et conferre doctrinas, quas causas, quae remedia monstrent Philosophia, et altera maior Sapientia, quam filius Dei ex sinu aeterni patris protulit, quae vere est sacra ancora, qua inter tam saevas tempestates, animi firmitas et constantia retinetur. Ac de causis horribilium confusionum in imperiis omnino verum est, quod inquit Demosthenes, *οὐ παρὰ ἓν οὐδὲ δύο τὰ πράγματα εἰς τοῦτο ἀφῖκται.* Philosophi quaerunt fatales causas, et disputant periodos esse constitutas et gentibus et urbibus.

Sed Ecclesiae doctrina adfirmat hominum sceleribus attrahi poenas. Et tamen has mitigari a filio Dei propter Ecclesiam, et hanc inter imperiorum ruinas servari, ac iubet nos hac erectos consolatione, non abiicere labores Ecclesiae et communi societati necessarios. Promittit etiam his, qui veris gemitibus Deum invocant, et modeste gubernant mores, mitigationem publicarum calamitatum; imo, in hoc ipso coetu moesto et aerumnoso, invocante ipsum, velut in templo suo habitaturem esse Deum, inquit. Quid ad consolationem dulcius dici potest? Te igitur aeterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae et hominum, veris gemitibus oramus, ut nos gubernes, et in nobis habites, et haec studia et discentium coetus protegas.

Cum autem in hoc publico congressu aliquid dicendum esset, et hoc ipso tempore vir doctissimus Paulus Eberus anatomicam doctrinam proponere ceperit, de qua me deditum arti Medicae, cogitare saepe necesse est, omissis aliis argumentis, censui adhortationem instituendam esse, ut in pluribus accenderem doctrinae anatomicae studium, utile non solum ad valetudinem tuendam, et ad morbos depellendos, sed etiam ad regendos mores, ad agnitionem Dei, et ad intelligendam Ecclesiae doctrinam. Rudis aetas ne potest quidem harum utilitatum magnitudinem cernere, sed a nobis bonae mentes commonefaciendae et exuscitandae sunt, ut eas adspiciant, et hanc doctrinam discant. Ac speramus has nostras paternas et fidelissimas admonitiones et profuisse multis, et adhuc prodesse. Quare eas saepe repetimus, etiamsi qui adeo feri sunt, ut hanc dulcissimam doctrinam ne gustare quidem velint. Alloquor autem non monstrosas naturas, sed tales, in quibus aliqua sunt virtutum semina, et in quibus lucet scintilla monstrans discrimen honestarum rerum et turpium. Vos igitur honesti adolescentes omnes adhortor et obtestor, ut initia doctrinae anatomicae, quae vobis non sordide traduntur, studiose discatis.

Quod enim aliqui putant, hunc laborem ad solos Medicos pertinere, hunc errorum taxari necesse est. Medico opus est perfectiore cognitione, quam aliis hominibus. Interea necesse est omnes homines aliquo modo corporis sui aedificium nosse. Quas ob causas?

Multum valet mediocris diligentia in victu et moderandis voluptatibus, ad tuendam valetudinem, et ad depellenda initia saevissimorum morborum. Ad hanc diligentiam necesse est singulos aliquo modo nosse sua membra, humores, *κρᾶσιν,* membrorum positum, et humorum canales. Eligenda sunt convenientia, fugienda contraria.

Quoties accidit ut laborent homines insomnia propter cruditatem, his dare frigida soporifera, perniciosum est. Quoties subitae obstructiones

mediocri exercitio, aut tersione laxari possunt, si quis meatus non ignoret. Denique multi magni morbi initio mediocri observatione depelli possunt, qui confirmati, postea non possunt ope medica tolli.

Gravis igitur causa est tuendae cura valetudinis: cur haec initia anatomica discenda sint. Et praecipit Deus, non solum tueri corporis incolumitatem, sed etiam honorem habere corpori, quia et ars in fabricatione testimonium est de Deo opifice, et nostra membra sunt organa multarum divinarum actionum.

Sed considerate et alias causas: Necesse est in gubernatione morum, scire discrimen noticiarum et motuum voluntatis et cordis. Item instrumenta motus localis. Harum rerum nihil intelligi potest, si non sint nota membra humani corporis. Noticiae quas vult Deus esse rectrices vitae, sunt in cerebro, quod vibratum et illustratum a spiritibus format imagines. Ex hac sede sapientiae nascuntur Nervi, qui et sensuum organa sunt, et motus localis, ac imperio cogitantis partis libere reguntur organa motus localis. Hanc libertatem vult Deus in nobis reliquam esse, ut sit in natura hominum delectus, et externae actiones ad legem divinam congruere, et ad utilitatem mutuam accommodari possint. Denique ut sit in nobis intellectus libertatis, et sciamus Deum esse agens liberrimum.

In corde, quod fons est vitae, sunt motus mirifici, qui nominantur adfectus, qui aut sunt vitae salutares, ut laeticia, aut sunt supplicia, ut moerores. Ac debebat talis esse concordia cerebri et cordis, ut semper cum noticiis honestis congruerent motus cordis. Sed hic cernimus triste dissidium. Nam mala incendia cordis non semper extinguere noticiae possunt. Non enim sic dominantur noticiae cordi, sicut nervis cientibus motum localem. Haec discrimina non intelligi possunt, sine doctrina anatomica. Prodest autem moribus scire quae pars quomodo gubernari et frenari possit. Deinde illustrior fit lectio in scriptis divinis et aliis, cum loca et membra singularum actionum distinguere possumus.

Tristis quaerela est apud Paulum, cum ait: Talem esse naturae humanae pravitatem, ut veritatem Dei, id est, noticiam Dei et legum, teneant homines captivam in iniusticia. Hic quid intelligi potest, nisi distinguas noticias et adfectus, et fit illustris distinctio cum loca monstrantur. Noticia legis est in cerebro, sed in corde sunt incendia contraria ante delictum, ut Alexander iratus Clytum interficit, etsi scit scelus esse interficere innocentum, et quidem amicum, et bene meritum.

Rursus autem congruunt noticia et cor post perpetratum scelus. Nam Alexander in summo moerore est, postquam fecit caedem. Hic attente considerandum est consilium Dei, quare hunc ordinem ita sanxerit Deus.

Causa haec est: Leges omnes obligant, vel ad obedientiam vel ad poenam. Postquam igitur corda humana non praestant obedientiam noticiis divinis in facto, post scelus poenam sustinent, et ut lex rata sit, et ut nos intelligamus has noticias esse divinas.

Quam multa passim leguntur, quorum enãrrationi magnam lucem addit doctrina anatomica.

Discite a me, inquit Dominus, quia mitis sum et humilis corde. In ea parte hominis quae nominatur θυμικὴ, videlicet in corde, duo sunt turbulentissimi et saevissimi adfectus, *Ira* et *Ambitio*. Hi et facile accenduntur in magnis viris, et accensi late turbant imperia et vitam communem.

Saul uritur ambitione, et dolet sibi et filio suo viro fortissimo anteferri tyronem suum, et ardens cupiditate vindictae, simul irascitur multis aliis, interficit Sacerdotes et totas eorum familias.

Bella civilia mota a Sylla, Mario, Pompeio, Iulio, orta sunt ab ambitione et a domesticis odiis. Denique nulla aetas caret exemplis. Ac similia fiunt in Ecclesia omnibus temporibus.

Arium aiunt dolore repulsae, cum non esset factus Episcopus, motum esse, ut novo dogmate sparso, Episcopi autoritatem labefactaret.

Monetarium hae furiae incitabant adversus Lutherum, quia eius gloria urebatur, et similem celebritatem in populo adpetebat.

Haec ita fieri manifestum est, et vetera poëmata narrant, ut inquit poëta:

Patriam tamen obruit olim.
Gloria paucorum, laudis titulique cupido.

Has igitur pestes, iniustam iracundiam, ambitionem, cupiditatem vindictae, vult abesse filius Dei, cum a caeteris omnibus, tum vero praecipue a gubernatoribus Ecclesiae, et sese proponit nobis

intuendum. In ipso mansuetudo summa est: Nemini iniuste irascitur. Et iis, quibus iustissime fuit iratus, cum petunt veniam, et dolent se lapsos esse, parcit et eos clementer recipit, et servat, ac poenas praesentes mitigat.

Nec sibi ipsi dissimilis est, sine προσωποληψία omnium sceleribus irascitur. Rursus omnibus confugientibus ad ipsum fit propitius. Ita et iustus est, et misericors. A superbia vero sic abest, ut cum missus sit, ut fiat victima pro genere humano, non erumpat extra vocationem suam, non adpetat imperia, potentiam, splendorem, non depellat iniurias, cum id facillime facere posset, sed perferat eas, quia scit se non esse armatum imperiis, sed missum esse, ut sit λύτρον pro genere humano. In hoc suo munere reverenter obtemperat aeterno patri, ac ita se abiicit infra omnes homines, ut iram in sese derivet adversus singulorum scelera. Meo et tuo loco poenam sustinet, ut mihi et tibi parcatur, ut abiicit se ancilla infra Dominam, offerens se supplicio pro ea. Ac fuit harum virtutum perfectio in corde filii Dei, hoc est, flagrabat Spiritus sanctus in toto corde, permixtus massae et halitibus cordis, quod sine labe et sine contumacia erat.

Ac in aliis hominibus, etiam si qui frenant iniustam iram, tamen in corde sunt incendia iniusta. Sed alius est additus nobis custos, cogitatio quae in cerebro est, imperare potest nervis, seu potentiae quae regit motus locales, ut externa membra coherceat. Ut Achillem retrahit Pallas, id est, cogitatio, ne manus gladium stringant. Interea tamen cor eius ingenti ira adversus Agamemnonem ardet, et aestuantem sanguinem incendit ac spargit.

In his descriptionibus, cum nota sunt membrorum discrimina, fit illustrior enarratio, et discimus quae partes, quomodo et possint, et debeant regi. Sunt enim duae formae gubernationis. Altera πολιτικὴ quae suadendo flectit voluntates, altera δεσποτικὴ, quae cogit etiam invitos et repugnantes. Hac forma δεσποτικῇ, utcunque regit cogitatio nervos, etiamsi cordis aestus nondum suadendo sedavit.

Hanc veram et vetustissimam doctrinam de diversis membrorum naturis, Ecclesiae et communi vitae necessariam esse, omnes fateri coguntur.

Iam et haec considera. Indidit Deus homini simulacra quaedam, quae nos de ipso commonefacerent, et vocabulis nostris utitur, cum sese nominat. Filius dicitur λόγος aeterni patris, et a patre et filio procedit Spiritus sanctus. His vocabulis cum utitur vox divina, sumenda est interpretatio ex membrorum nostrorum consideratione.

In cerebro formantur imagines cogitando. Ita aeternus pater sese intuens, et cogitans, gignit imaginem in qua fulget, quae est λόγος. Et hic ipse λόγος postea nos alloquens patrem ostendit.

Sunt autem in homine spiritus flammulae natae et accensae in corde, quibus et calefiunt omnia membra, et cientur adfectus et motus. Inde vocabulum Spiritus, utcunque declaretur in Ecclesia λόγος accendit noticiam, Spiritus sanctus flamma est divina in cordibus exuscitans laeticiam, amorem Dei, fortitudinem in faciendis omnibus et perferendis, quae Deus vult fieri aut tolerari.

Hic ipse Spiritus divinus permiscet se flammis in tuo corde natis, et addit eis vivificum calorem et salutares motus.

Haec beneficia Dei agnoscenda sunt, et gratissimis pectoribus celebranda, et summa cura retinenda, de quibus cum cogitamus, certe adspici nostra membra oportet. Et multa nos docet haec qualiscunque consideratio.

Sunt et aliae utilitates doctrinae anatomicae. Ordo in tota natura rerum, coeli et terrae forma, et positus, vices motuum et temporum, foecunditas terrae, ostendunt hunc mundum non casu ex Democriti atomis confluxisse, sed esse mentem architectatricem, quae consulto et arte formavit omnia opera. Manifestum est autem plurimum esse artis in aedificio humani corporis. Deinde haec sunt maxime perspicua testimonia de Deo, quod in cerebro noticiae sunt numerorum et ordinis, et aeterna distinctio honestorum et turpium, et in corde immutabilis vindex et carnifex, dolor puniens scelera. Haec non sunt casu orta, nec possibile est naturas intelligentes a bruta ortas esse. Necesse est igitur fateri et esse Deum mentem conditricem rerum, et esse talem, veracem, beneficum, iustum, castum, qualem transfusis in nos virtutum noticiis, esse se ostendit. Cogitate quaeso de quantis rebus insitae sint nobis illustres commonefactiones, quae se offerunt oculis nostris, cum membra et eorum officia contemplamur.

Postremo in hac consideratione vulnera etiam nostra deploremus, doleamus nostris peccatis hanc pulcherrimam humani corporis machinam, ita languefactam esse, ut morti sit obnoxia. Doleamus quotidianis sceleribus multos sibi ipsis et aliis vim adferre, et lacerare corpora arte divina condita. Doleamus nos amisisse lucem et cordis rectitudinem, quae initio nobis attributa fuit, et quaeramus Medicum civem illum Samaritanum, qui vino lavat saucii viatoris vulnera, et deinde in ea balsamum infundit, et gestat aegrum suis humeris, et petamus ut hic filius Dei, quem in Samariae campo vidit Iacob stantem in scala, opem nobis ferat, et nos gestet suis humeris, cum ideo massam nostri corporis sibi copularit, ne reliqua massa funditus deleretur, iamque nos gestat, sicut ipse inquit, velut pastor agnos recens editos in campo, collocat in gremium, donec in ovile ventum est.

Huic Medico nostro etiam hunc honorem tribuamus, ut cum corpus simile nostro adsumpserit, artem corporis humani, quod singulare Dei domicilium est, diligentius contemplemur. Has causas discendae doctrinae anatomicae saepe cogitate, nec partem hanc Physicae utilissimam et dulcissimam negligite. Saepe etiam haec ipsa testimonia de Deo nobis impressa, et commonefactiones divinas in ipsa arte corporum pictas adspicite, et simul cogitate velle Deum in corporibus vestris, tanquam in domicilio et templo suo habitare.

Quare membris omnibus reverenter et pie utamini, et grata praedicatione Deum conditorem celebretis: et petatis, ut protegat et gubernet corpora vestra, et in vobis habitet, ut λόγος ostendat vobis aeternum patrem, et Spiritus sanctus permisceatur vestris halitibus et corda renovet, et praebeat vobis salutares motus. Haec vota nequaquam irrita esse putate.

Te igitur, fili Dei, Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, qui induisti corpus humanum, et te nobis ostendisti, ut sciremus quomodo alloqui Deum possimus, oro, ut hanc Ecclesiam et Academiam protegas et gubernes, et nos omnes facias vasa misericordiae, et organa salutaria nobis et aliis: et semper in his regionibus colligas Ecclesias, et tribuas eis salutarem gubernationem. Dixi.

No. 136. an. 1553.

De Misnia.

In select. Declam. T. IV. p. 329. Servest. T. IV. p. 293. Richard. T. I. p. 643.

Oratio de regione et gente Mysorum; recitata a Doctore Ioanne Homilio.

Cum hunc honestissimum coetum intuens, anni superioris terribiles et panicos motus recordor, toto pectore gratias ago filio Dei, domino nostro Iesu Christo, qui est custos et umbraculum Ecclesiae, quod clementer his regionibus pacem tribuit, et Academiam et haec doctrinae studia non deleri sinit, ac ardentibus votis eum oro, ut deinceps quoque nos protegat et gubernet. Honestissima vero consuetudo est, in his congressibus aliquid dicere, quod discentium studiis et moribus prosit. Ac optarim has partes dicendi attributas esse homini facundo et erudito, qui plus et facultatis et autoritatis in hunc locum adferret. Scitis enim me hominem Geometram, in alio doctrinae genere versari.

Sed quia gravi consilio pluribus hic dicendi locus tribuitur, et me iustum est legibus obtemperare, peto ut sicut consuevistis, pro vestra comitate, me patienter audiatis. Ego etiam conscius mihi infirmitatis meae, argumentum elegi, cuius cogitationem sciebam vobis voluptati fore, etiamsi a me pro dignitate ornari non possit.

Cum hoc triennio hanc regionem Mysorum, sic enim recte nominari existimo, ut postea dicam, pervagatus sim, et studiose situm, urbes, hominum ingenia, mores, doctrinam, Ecclesias, civitatum disciplinam, artes, venas metallicas, agros, gubernationis formam contemplatus sim, decrevi mecum picturam aliquando huius regionis aedere, ac doleo non multo ante ab Apiano aeditam esse, qui et patriae hoc officium debuit, et hortatorem ad hoc opus habuit Principem, cuius autoritas erat gravissima, Ducem Saxoniae Georgium. Nam ego quidem non dum latus meridianum totum vidi. Sed tamen multae causae meam cupiditatem accenderunt. Delectatus sum naturae varietate in his locis, civitatum disciplina, hominum moderatione et mundicie, frequentia eruditorum. Deinde et gratitudinem me huic genti debere statuo, quae mihi inter honestissimos et eruditissimos viros, post longas et molestas peregrinationes, non modo domicilium, sed etiam

locum in Academia has dulcissimas artes, quae pacis ornamenta sunt, docendi praebet.

In hac cogitatione cum hoc tempore versarer, et iam primas lineas huius Chorographiae ducere cepissem, nec intendere animum in aliud argumentum possem, scripsi etiam aliquid de hac regione, quod hoc loco recito, et ut hic quoque significationem gratitudinis meae ostendam, et ut ab auditoribus peritis admonear, sicubi a situ regionis descriptio mea aberrat.

Iudico autem hoc argumentum et iunioribus utile esse. Est enim pars eruditionis, nosse vetustas gentes et honesta exempla. Et magna virtus est, amare patriam, et eius tranquillitatem omni officio tueri. Hanc virtutem accendit consideratio pulcherrimorum ornamentorum, propter quae patria quam natura diligimus, bonis mentibus fit multo charior. Ac praecipue ad hunc finem refero hanc orationem, ut in iunioribus erga patriam pietas alatur et confirmetur.

Primum autem ut exteri situm scire possint, figuram et metas regionis indicabimus. Mysia quae in Germania iam annis amplius octingentis sic nominatur, trianguli figura est, cuius ad Meridiem basis est longa, iuga montium qui Sudetes a Ptolemaeo nominantur, quibus Bohemia dirimitur a Mysia. Suntque in extremis oris basis duo insignia oppida, Birna et Plawen. Latus a Birna orientale sine ulla dubitatione est Albis. Latus vero ad occasum a Plawen est fluvius Pica, a quo graecum nomen est urbi Cittae, unde Pica Lypsiam praeterfluens, non procul a veteri Imperatorum arce Mersburg in Salam infunditur, ut sit non procul inde trianguli cacumen, ubi Sala in Albim infunditur, constituamus enim historico more tanquam limites conspicuos et durabiles. Cum autem celebratissimum flumen sit Albis, qua in parte orbis terrarum sit haec regio Mysorum, exteri etiam scire possunt.

Sed ut propius adspici situs possit, haec quoque addo: Lypsia quae non procul abest a trianguli vertice, gradus habet longitudinis 30, m. 58. Latitudinis vero unum et quinquaginta m. 44. Haec spacia et doctis indicant, in qua parte mundi haec regio sita sit.

In hoc autem triangulo ad basin et ad Albim Hermunduros magnam partem tenuisse, ex historiis intelligi potest, quos fuisse Germanicam nationem appellatio indicat, cuius etymologia non obscura est. Et scribit Cornelius Tacitus in Hermunduris plus fuisse disciplinae civilis et artium, quam apud caeteros Germanos, et cum Romanis societatem eos et foedera fecisse. Ad occasum Tubanti fuerunt, fortassis propter subterraneos ignes et copiosas ferri venas a Typhoeo dicti. Ad trianguli κορυφὴν Calucones fuerunt. Ac ut metae agnosci melius possint, addo de vicinis, post cacumen trianguli ad Albim duae celebratissimae gentes, sedes tenuerunt. In ripa occidentali fuerunt Longobardi a Salinis ad Parthenopen et fere ad Brunsvigam usque, in ripa orientali Senones fuerunt, ubi nunc vetus Marchia est.

Postquam autem Romanae monarchiae fatalis periodus circumacta est, et multae gentes aliae aliis de causis progressae novas sedes quaesierunt: Franci et Burgundi in Galliam transierunt, Gothi in Pannoniam et Italiam, Heneti a Vistula et Carpatho in Germaniam, certissimum et Henetos occupasse Bohemiam et Elysiam, quae nunc Silesia est, et alia vicina loca.

Eo tempore et Mysos, seu vicinos Henetorum, seu partem consedisse, in hoc amoenissimo triangulo consentaneum est. Usitatum est enim coniecturam facere de originibus gentium ex lingua et nomine. Venisse autem in Bohemiam et in haec loca peregrinam gentem lingua ostendit. Cumque fuerint Mysi gens magna et in Asia littus ad Hellespontum, et in Europa magnam oram, quae nunc est Muldavia, Bosna, Rascia et Servia tenuerint, et res magnas gesserint, fuit eorum nomen clarissimum. Quare non facile deleri potuit. Cumque nusquam alibi reliquum sit, nisi in hoc triangulo, credibile est novos illos hospites Germanis permixtos, et fuisse Mysos, et vetustam appellationem retinere voluisse. Ac ut antea vicini eis Tyrigetae fuerunt, et ultra hos Sacae, ita eodem tempore gentes illae unde sunt Turingi et Saxones, in vicinia ad Salam et ad Albim consederunt.

Cum autem fuerit excellens virtus illius vetustae gentis Mysorum, decus aliquod est, ab hac stirpe ortos esse. Tribuit enim veteribus Mysis Homerus tres virtutes, quae sunt praecipue in hac hominum societate, et fontes sunt aliarum. Ait enim esse Mysos hominum iustissimos. Scitis autem primam esse virtutem iusticiam, quae quidem magnam sapientiam et multas alias virtutes complectitur. Necesse est enim iustos intelligere discrimen honestorum et turpium, quod cum considerant, fontem esse Deum agnoscunt, et in-

telligunt Deum hunc radium sapientiae suae in homines transfudisse, et vindicem esse scelerum, intelligunt igitur ei obediendum esse, iuxta hoc discrimen honestorum et turpium. Iam haec sapientia multarum magnarum rerum doctrinam continet. Hinc igitur orta iusticia est, Deum recte agnoscere, et ei obedire iuxta discrimen honestorum et turpium, et propter Deum fovere communem consociationem, neminem laedere, vitare et punire scelera. Ex hoc fonte oriuntur veritas, fides in pactis, beneficentia, gratitudo, gradus in imperiis, et ordinis conservatio.

Deinde inquit Homerus, Mysos praeliatores esse, Videtis sapienter fortitudinem adiunctam esse iusticiae. Quia gubernationem iustam necesse est arma tenere, et vi cohercere ac punire domi contumaces cives, et foris depellere latrocinia. Propter has causas scitis imperia divinitus et instituta et armata esse.

Tertia virtus est temperantia, quae multarum aliarum nutrix est, modestiae et castitatis. Inquit enim Homerus lac fuisse potum illius antiquae gentis, cum Thraces vicini vituperentur propter temulentiam. Et Strabo recitat Posidonii testimonia de castitate Mysorum et Getarum, ac nominatim inquit, apud Menandrum vituperari ab eis polygamiam.

In argonautico carmine scribitur amanter exceptos esse in Mysia graecos duces, et rursus navim ibi instructam frumento, carnibus, vino.

Fuit igitur in illa gente intellectus honestorum officiorum et disciplina, quare et ipsam a generosa stirpe, quae virtutem intellexit et coluit, ortam esse consentaneum est. Narrat autem Arianus in Bithynicis, duos fuisse filios Phinei Mysum et Thynum, et ab altero Mysos, ab altero Bithynos procreatos esse. Ac fuisse in littore Hellesponti senem vatem Phinea manifestum est ex argonautico carmine, qui etiamsi non fuit pater illarum gentium, tamen sapientiam de motibus coelestibus, de physicis causis mutationum in corporibus, de remediis morborum, de Deo et de iusticia, ex Phoenicia seu ex Tyro et Sidone in illam Asiae oram intulit. Natum enim esse Phinea in Tyro aut Sidone omnes affirmant, et aliqui fratrem fuisse Cephei scribunt, a quo quia doctrinam de motibus coelestibus propagavit, sidus quoddam appellatum est. Scitis autem vetustissimam sapientiae possessionem, de Deo, de iusticia, de motibus coelestibus, et de natura rerum fuisse apud Phoenices, Sidonios et Tyrios, et horum vicinos, acceptam a primis patribus, a Noha et eius filiis et nepotibus, quibus Deus certo consilio illam opportunam sedem attribuit, ut eorum doctrina late ad ortum et ad occasum propagari posset. Sive igitur a Phineo accepta est sapientia, sive a vicinis Ionibus, qui doctrina et omnibus artibus excelluerunt, cum essent haeredes sapientiae Iaphet, vetustae res Mysorum ostendunt eos disciplina vicinis antecelluisse.

Cum veterum Mysorum talis fuerit virtus, et nomen et lingua conveniat cum hac gente, quae ad Albim consedit, cognationem non aspernandam esse existimo. Si cui autem hae coniecturae non placent, quae tamen ingeniosissimo et doctissimo viro Philoni Dresdensi placebant, non pugnamus de hac nostra opinione, et ostendi nobis certiorem originem petimus. Exempla virtutum tamen sumere hanc gentem a veteribus Mysis, et delectari eam societate nominis honestae nationis sinant.

Nunc de hac vestra patria dicendum est. Sunt autem in regionum et gentium laudibus gradus. Non contemnenda est loci natura seu ubertas. Est enim Dei donum, et hoc genus humanum conditum est, ut multis rebus indigeat, quia vult Deus multa esse providentiae testimonia, et diversis officiis et artibus, tanquam vinculis hominum societatem astrictam esse. Deinde ornamenta sunt regionis urbes, et aedificiorum ars et elegantia, quae etiam hominum ingenia, et vitae consuetudinem aliqua ex parte ostendunt. Tertia et vera laus est pia Ecclesiarum constitutio, iusta forma gubernationis et politica disciplina. Vult enim Deus Ecclesiam, cui in tota aeternitate communicabit suam sapientiam, iusticiam et laeticiam, hoc modo et non aliter colligere, Videlicet voce Evangelii, qua vult hominum mentes in hac imbecilli et mortali vita ad agnitionem Mediatoris flecti, et haurire initia vitae aeternae. Nec vero sine literis et sine linguarum et artium cognitione propagari doctrina potest. Sunt igitur haec summa opera in gubernatione hominum, vocem Evangelii incorruptam proponere, et conservare doctrinae studia, ad hoc summum bonum alii labores in vita referantur, et sint imperia politica Dei hospitia et muri Ecclesiarum. Hos gradus bonorum in consideratione regionum et gentium intelligamus et recte discernamus. Sic enim vita hominum a Deo ordinata est, ut nutricatio, oeco-

nomia, et gubernatio politica referantur ad hoc summum bonum, videlicet, ad piam Ecclesiarum constitutionem.

Redeo autem ad eum gradum, quem initio nominavi. Dei beneficio montes ad basin trianguli, aliquot miliaribus venas habent, gignentes cum alia metalla ferrum, plumbum, stannum, tum vero plurimum argenti. Multa sunt autem naturae miracula, ubicunque sunt venae metallicae, et sine magna varietate artium, et machinarum ex terra erui et percoqui non possunt. Quare facile intelligi potest, multos in iis locis esse ingeniosos artifices, multos etiam qui regunt opificum manus, cognitione Arithmetices et Geometriae, multos item qui naturam rerum in terra nascentium diligenter contemplantur, ut eas ad usum in medicatione transferant.

Fuerunt in Macedonia venae celebres, in eo loco ubi urbs fuit Philippi, olim nuncupata Dathos, item Crenae. Harum venarum proventus annuus fuit sexies centum millia coronatorum, ut nostro more loquar. Fuisse autem aliquando uberiores venas Fribergenses et Snebergenses, manifesta testimonia extant.

Iam hic dicendum esset de causis metallorum et generatione variarum specierum, et de natura hydrargyri, quod sentio singularem speciem esse, a Deo sic conditam, ut sit metallorum semen, et hallucinari eos, qui non certa lege, sed casu confluere illam massam existimant, ut fulmina seu alia mixta imperfecta. Sed tota Philosophia de metallorum origine, generatione, coctione, differentiis, ne quidem magnis voluminibus exponi potest, et gratia habenda est viro doctissimo Georgio Agricolae, cuius extant libri de metallis copiose scripti, quibus et patriam ornat, et universam posteritatem de his mirandis naturae operibus, ita docet, ut in hoc genere tam luculenta scripta nulla fuisse existimem.

Reliqua Mysia cum paululum versus septentrionem progredimur, tota ferax est tritici et olyrae et aliorum frumentorum, et in multis locis gignit vinum et crocum. Est et distincta agris, pratis, fluminibus, sylvis, ac rerum quae ad victum homini convenientem necessariae sunt, copia tanta est, ut etiam delectus et mundicies servari possit. Haec de terrae natura primum commemoravi, ut grati munera divina agnoscamus, et cogitemus sine hac, ut ita dicam, nutricatione, caetera bona haberi non potuisse.

Cum igitur terra foecunda sit, et frumento et metallis abundet, magna est in ea multitudo hominum, urbes multae, aliae aliis maiores et ornatiores, arces et pagi plurimi. Elegantia vero aedificiorum tanta, ut plerasque Germaniae partes hac laude superet. Hoc decus multas virtutes complectitur: nam ubi cura est recte aedificandi, ibi necesse est et multarum artium artifices esse, et naturas hominum dociles. Deinde per sese virtus est intelligere et amare ordinem et elegantiam in aedificando. Non enim iam de luxu aut immodico splendore loquor, qui non potest esse multorum, sed de communi mediocrium hominum consuetudine, qui in omnibus oppidis in hac regione plus adhibent artis in aedificando, quam in plaerisque aliis Germaniae partibus. Est autem iusticia quaedam valetudini servire, quam ad rem opus est distincta esse habitacula puerperarum, aegrotorum, turbae domesticae, deinde prudentia est distinguere loca suppellectili et caeteris rebus. Non in iisdem habitaculis, panni, vestes, frumentum, vina servari possunt, aut si quis nauticam vitam probat, aut Amaxobiorum consuetudinem, qui totam rem familiarem in plaustris vehunt, ubi distingui non possunt, stabula, focus, cubicula, is Gryllo similis est, qui a Circe in porcum mutatus, recipere hominis figuram noluit.

Tertia pars orationis est de naturis, ingeniis et moribus hominum, haec enim praecipue consideranda sunt, sicut et Homerus monuit, qui Ulyssem ait non tantum urbes multas vidisse, sed etiam iudicia et mores cognovisse. Prosunt enim exempla ad commonefactionem de multis magnis rebus. Figurae corporum non deformes, non horridae sunt, et ingenia sunt ad disciplinam, ad virtutem ad doctrinas, et ad alias honestas artes idonea. Summum autem bonum est in societate hominum, vera Dei agnitio, quae ut in hac regione luceat, Dei beneficio Ecclesiae recte constitutae sunt, et sonant Evangelii vocem sine corruptelis et sine dissidiis, et in congressibus publicis magna frequentia est hominum modeste convenientium ad conciones et ad communem precationem.

Ac ubique in oppidis adiunctae sunt Ecclesiis scholae literarum, in quibus adolescentia discit summam doctrinae Christianae, latinam et graecam linguam, et iuniores recitant *κατήχεσιν* ad verbum, ut assuefiant ad agnitionem et invoca-

tionem Dei, et ad honestos et pios mores. Sunt et iudicia ecclesiastica constituta, ut pastores regantur et defendantur, et ut doctrinae puritas et sanctitas coniugiorum conserventur. Et quia Ecclesiis et gubernationi civili opus est multarum linguarum, et artium scientia, et lumen vitae est vera doctrina de Deo et de natura rerum. Lipsica Academia ita constituta est, ut lingua latina, graeca et ebraea recte et fideliter hic doceantur. Praeterea ordine libri prophetici et apostolici enarrantur, et assidue repetitur integra doctrina Ecclesiae Dei, comprehensa in libris Prophetarum et Apostolorum, et in Symbolis apostolico, Niceno et Athanasiano, et in confessione Lutheri. Hunc perpetuum consensum catholicae Ecclesiae Dei, Academia universa pie amplectitur, et fideliter tuetur, ut libri qui hic eduntur ostendunt.

Sunt hic et legum civilium interpretes, eruditione et sapientia excellentes, quorum consiliis et sententiis iudicia in multis gentibus reguntur. Sunt et artis medicae Doctores viri eruditissimi, quorum et in medendo et in docendo celebratur eruditio et fides. Traduntur et iunioribus partes Philosophiae omnes, fueruntque olim studia Mathematum hic tanta, ut inde in alias regiones propagata sint, didicerunt hic initia Mathematum Regiomontanus, Hasfurdus, Schonerus, quorum nomina nota sunt: et docuit hic Alexander, qui et edidit enarrationem demonstrationum geometricarum, ex quibus magnam partem Dialectices et Physices Aristoteles extruxit. Ac peperit ipsa Mysia duos in hoc genere doctrinae excellentes, Petrum Apianum, et Iohannem Pfeil, quem nominant amici Philonem, quia propter amplissimam eruditionem, conferunt eum ad veterem Philonem, de quo dictum fuit, *ἢ φίλων πλατωνίζει, ἢ πλάτων φιλωνίζει.* Id ad hunc nostrum non minus congruit, quam ad illum.

Etsi enim non est meum de summis viris iudicare, tamen existimo eum antecelluisse eruditione in tota Philosophia omnibus, quorum eruditio hoc seculo celebratur.

Non volui hoc loco catalogum instituere clarorum virorum, qui in hac Academia floruerunt, et qui consiliis suis patriam rexerunt. Nam forma gubernationis iusta et moderata, et iudiciorum constitutio ostendunt fuisse et esse, non solum ingeniosos et usu peritos gubernatores, sed etiam eruditos. Tantum de iis dicam, qui primi cum aliqua celebritate linguas docuerunt Ecclesiae necessarias, et eas late propagaverunt. Bernardus Ciglerus natus in familia equestri huius gentis, cum linguae hebraeae magnum usum haberet, non solum huius aetatis studiis in ea lingua, sed etiam posteritati profuit. Graecam linguam ante annos triginta sex Crocus Britannus, qui Aleandrum Luteciae audierat, hic frequenti auditorio docuit, hunc secutus est Petrus Mosellanus, cuius oratio Xenophonteam suavitatem referebat. Nunc Ioachimus Camerarius, qui Croci auditor fuit, graecae linguae studia hic regit, qui cum omni genere virtutum excellit, tum vero cognitionem et usum graecae linguae tantum habet, ut non Athenae veteres tam sint Atticae, quam sunt ipsius scripta.

Magnum decus est autem et gentis huius et Academiae, quod in nulla regioni viri plures sunt et fuerunt, in ordine equestri nati excellenter docti et eloquentes, quam in hac regione. Schonbergii, qui fuit Cardinalis et Episcopus Capuanus, eloquentiam, etiam ipsa Italia admirata est, qui quidem Legatus fuit ad tres summos in Europa reges, ad imperatorem Carolum, ad regem Gallorum Franciscum, et ad regem Angliae Henricum. Nunc quoque ut audio doctos iudicare, nullius oratio latina, omnium qui nunc quidem scripta edunt in Italia aut alibi melior est, quam Iulii Pflugii et Christophori Carolovicii. Sunt et alii multi, qui nobilitatem generis eruditione ornant.

Dixi brevissime de Ecclesiis et de luce doctrinarum. Nunc pauca addam de forma gubernationis politicae. Dei beneficio iam annos quadringentos huius trianguli gubernatio mansit eadem, qua in re et Dei beneficium agnoscendum est, et ipsorum Principum laudanda iusticia et moderatio. Accesserunt Turingia et pars Saxoniae, et Electorum dignitas, quae accessio etiam testimonium est virtutis, et autoritatis horum Principum. Sed omnia complecti nunc non possum. Familia Principum vetus est, orta ab eadem stirpe, quae procreavit laudatissimos imperatores Saxonicos Othones. Cumque vicinam regionem ad Salam, Muldam et Plisiam diu tenuissent, postea Fridericus Barbarossa, Conrado totam Mysiam gubernandam tradidit, eumque Marchionem Mysiae nominavit, sive id nomen est a *νομαρχία*, ut Sabinus vir ingeniosissimus existimat, sive a limite custodiendo. Inde propagati Principes tenuerunt totum hunc triangulum, quorum semper summa

fuit autoritas, quam nequaquam voluerunt esse infinitam aut tyrannicam, sed honestissimis legibus et iudiciis regi. Ac notum est honestissimos consessus esse iudicum, qui ex ordine equestri, et ex Doctoribus delecti, quotannis quater ad cognitionem controversiarum totius ditionis conveniunt.

Quanta in pace et in bellis virtus Principum fuerit, multa ostendunt. Fridericus qui habuit admorsam genam patriam defendit adversus Bohemos, Adolphum Nassaviensem, et Albertum Austriacum. Cumque a Marchione Brandeburgensi captus esset, virtute et fide nobilitatis in hac regione liberatus est. Albertus avus inclyti Principis Ducis Electoris Mauricii, duobus potentissimis et ferocissimis regibus oppositus est, Carolo Gibboso regi Gallico et Matthiae regi Pannoniae, ac longo bello Gallos ex Flandria eiecit, postea et Mathiam depulit ab obsidione urbis Austriacae, cui nomen est Neapolis, et hac pugna repressus Mathias, longius in Germaniam non progressus est. Cumque Albertum domestico bello implicare conaretur, ac misisset in hanc viciniam exercitum, virtute Alberti et agnatorum patria foeliciter defensa est, et hostes pulsi et dissipati sunt, et non solum haec vicinia, sed etiam reliqua Germania magno periculo liberata est. Fuitque Albertus quoad vixit praecipuus dux in hoc imperio, et maxime formidatus externis Regibus, et turbulentis Principibus, sicut Achilles in Graeco exercitu nominatur vallum Achivorum.

Possem multa sapienter, iuste, moderate facta Principum huius familiae recitare. Sed hae breves commemorationes non habent lumen, nisi integrae temporum historiae notae sint, et consideretur, qualis fuerit in ipsis Principibus natura et perpetua voluntas erga Rempub. Hoc tamen affirmari potest, hos Principes pro excellenti sua sapientia magis adiunxisse se ad Imperatores, et autoritate sua et opibus magis defendisse communem Germaniae salutem, quam fecerunt caeteri. Fuit igitur singularis benevolentia erga eos Friderici Imperatoris Barbarossae, Friderici Imperatoris Secundi, ex cuius filia natus est Fridericus, qui habuit admorsam genam, ac deinde Rodolphi, Henrici Lucelbergensis, Caroli Quarti, Sigismundi, Friderici Austriaci, et Maximiliani. Horum praestantissimorum regum amicitiam, illustre testimonium esse de sapientia et virtute horum Principum, satis intelligi potest. Nec vero fieri potest, quin boni Principes habeant adiunctos viros sapientes et bonos in consiliis, et quin vita eorum censura sit multorum in populo, ut dicitur:

Sic agitur censura, et sic exempla parantur,
Cum iudex alios quod monet ipse facit.

Cumque in toto genere humano semper immota gubernationis norma esse debeat, Decalogus recte intellectus, et Deus Magistratum velit esse vocem, et custodem huius suae aeternae legis, sequuntur hanc veram normam et in hac tota regione. Magistratus praecipiunt ut populi mores congruant ad praecepta Dei, et puniunt contumaces. Pie defendunt Ecclesias, ne vera Dei invocatio extinguatur, et pellunt homines qui aut idola defendunt, aut cyclopicis sermonibus Deum contumelia adficiunt, aut falsis opinionibus Ecclesiarum consensum turbant. Puniuntur latrocinia et seditiones. Defenduntur legitima coniugia, ac severe puniuntur adulteri, et contaminati incestis libidinibus. Nec toleratur publice consuetudo cum ulla, cum qua non est foedus coniugale Ecclesiae testimonio factum. Puniuntur et fures, et alii qui fidem pactorum in contractibus non servant. Quia vero naturae hominum placidae sunt, et ad agnitionem et invocationem Dei, et ad bonos mores voce Ecclesiae, et disciplina domestica, et exemplis poenarum publicarum adsuefiunt, minus et contumaciae et scelerum. Est autem disciplina domestica in urbibus eo melior, quia plurimi cives ut nusquam alibi, norunt utcunque literas, et domi sacros libros legunt, et filios ac filias doceri literas curant, et magno studio suos ad reverentiam publici ministerii evangelici, et ad pias precationes adsuefaciunt. Ubique in singulorum mediocrium civium aedibus, inter ornamenta praecipua conspiciuntur libri sacri, historiae monarchiarum, picturae continentes argumenta utilia ad commonefactionem sumpta ex historiis. Ubique recitant pueri mane, et ad mensam preces et pias sententias, et admonentur, singulas familias debere esse Ecclesias et templa Dei, in quibus velit Deus habitare, et sic fieri eas domicilia Dei et Ecclesias, in quibus certo habitet Deus, quas servet, protegat, et gubernet, cum discunt familiae Evangelii doctrinam; et recte Deum invocant fiducia Mediatoris, et mores regunt iuxta divinam doctrinam, seque ad communem verae Ecclesiae societatem adiungunt, et conservationem publici ministerii evangelici adiuvant. In tali coetu adesse Deum protectorem et

gubernatorem, adfirmat filius Dei, cum ait: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

Manifestum est et mundicie hanc gentem antecellere aliis Germanis, quae et ipsa per sese est virtus, posita in delectu rerum naturae convenientium, et ordinis conservatione, et nutrix est multarum aliarum virtutum, sedulitatis et frugalitatis. Excitat enim curam res naturae convenientes eligendi et tuendi, et praebet assiduas operas cum ornantur domus, lecti, vestes, et reliqua suppellex. Ingens vero decus in hac domestica consuetudine est, matronarum modestia, quae oeconomiam praecipue gubernant, et earum exempla filiae intuentes, et ad agnitionem Dei, ad bonos mores et ad scientiam oeconomicam adsuefiunt.

Signum et hoc est in hac natione, et diligentiae in tuenda vita civium, et amoris erga honestas artes, quod in singulis urbibus maioribus publica stipendia Physicis Medicis dantur, quorum excellens est eruditio in Graeca et Latina lingua, et tota Philosophia, ut res ostendit, quia multi aeditis monumentis studia doctrinarum iuvant, et patriam ornant. Notissimi sunt enim libri Georgii Agricolae, et Iani Cornarii etiam exteris nationibus.

Haec de patria vestra Auditores bono studio dixi, non solum ut me hospitem gratum esse intelligatis, sed multo magis ut vos adhorter, ut considerantes ornamenta patriae, Deum ardentioribus votis oretis, ut ea conservet. Vera est enim vox: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Deinde ut singuli suo loco pareant patriae tanquam dulcissimae matri, a qua victum, leges, disciplinae, religionis, literarum et artium intellectum acceperunt, et hoc foedere obligati sunt ei, ut eadem bona posteris tradant. Accedat et diligentia in cavendis occasionibus dissensionum et civilium motuum. Nemo turbet patriae tranquillitatem privatis cupiditatibus, ambitione, odiis, curiositate, ne tam multis Dei donis ornata regio fiat *μυσῶν λεία*, ut olim dicebatur. Quare et piis precibus apud Deum, et omnibus honestis officiis iuvare patriam studeatis, et unusquisque tali sit animo erga eam, ut vere de se praedicare possit idem quod Erechthei coniunx inquit, cum patitur filiam fieri victimam pro civitatis Atticae salute, ut tunc putabatur:

ὡς πατρὶς εἴθε πάντες οἱ ναίουσι σε
οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγώ, καί γε ῥαδίως
οἰκοῖμεν ἄν σε, κ' οὐδὲν ἂν πάσχοις κακόν.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem Ecclesiae suae, et ut semper in hac regione sibi colligat aeternam Ecclesiam, nec extingui in ea lucem Evangelii et honestarum artium, nec deleri disciplinam sinat, et ut totius regionis Principes, gubernatores, populum et urbes, et caetera hospitia clementer gubernet et protegat. Dixi.

No. 137. an. 1553.

De Orione.

In select. Declam. T. IV. p. 351. Servest. IV. p. 319. Richard. I. p. 411.

Oratio de Orione, continens commendationem studiorum Astronomiae, et refutationem eorum, qui et insectantur ac vituperant, et calumniis iniustis praegravant haec studia; recitata a Matthaeo Blochingero.

Etsi multa sunt testimonia tradita, quae ostendunt Ecclesiam colligi, servari, protegi a filio Dei, etiam cum nulla humana praesidia habet, tamen maxime illustre exemplum est praesentia filii Dei in flammis fornacis Babylonicae, ubi rex adfirmat se videre praeter tres viros in ignem coniectos, quartum specie magis veneranda, quem quidem et nominat filium Dei. Ut autem tunc in incendio tres illos servavit, sic universam Ecclesiam, etiam cum pericula non omnes cernunt, semper defendit contra grassantes diabolos et eorum organa. Ac nos quidem manifesta exempla diu iam videmus.

Primum igitur ago gratias filio Dei Domino nostro Iesu Christo, qui in his confusionibus imperiorum in hac regione Ecclesiam colligit, et in ea nos quoque in variis aerumnis tegit, nec lucem doctrinae extingui sinit, eumque ardentibus votis oro, ut semper inter nos docentium et discentium agmina servet et gubernet, ut ipse vere celebretur. Videmus in his ruinis imperiorum duriter quassari Ecclesias, et passim efferri homines. Haec publica mala consideremus, ut et doctrinae studia maiore cura tueamur, et precatio sit ardentior.

Cum autem in his congressibus aut historiae recitentur, aut aliquid ex artibus adferatur, quod iuventuti prodesse videtur, delegi argumentum, in quo ad historiam adiuncta est commonefactio utilis iuventuti: et ut alii de aliis principibus dixerunt, ita et ego de vetusto principe Orione dicam. Etsi autem vetustate argumenti calumnias effugere me posse cogitabam, tamen reprehensiones quorundam metuo. Sed ut ille fortissimus dux Pausanias inquit: Satis est me Spartanis placentem iusta dicere et facere, ita nos eruditorum et sanorum iudicia intueamur et sequamur. Ideo autem de Orione dico, ut iunioribus sim monitor et hortator, primum ut et hoc sidus et alia in coelo contemplentur, quod ut libenter et saepe faciant, invitare ipsa stellarum pulchritudo eos debebat. Deinde ut intuentes haec pulcherrima lumina, cogitent de toto anni ordine, et de causis propter quas et temporum et annorum discrimina Deus conditor fecit. Denique ut in hac consideratione agnoscant Deum conditorem, et celebrent eius sapientiam et bonitatem, quae conspicitur in varietate beneficiorum infinita, quibus ostendit sibi curae esse genus humanum. Agnoscant et transfudisse in nos hunc sapientem et iustum conditorem suae lucis radios, noticias videlicet discernentes honestia et turpia, quas vult esse vitae normas, et benefacere eum obtemperantibus, contra vero contumaces horribiliter delere. Hanc naturae adspectionem, et sapientiae, bonitatis ac iusticiae divinae considerationem scitis in primo capite ad Romanos laudatam esse. Nec vero dubium est hanc ipsam ob causam, tam pulchris luminibus coelum ornatum esse, et tam concinnum esse ordinem motuum, ut ad aspectionem ipsa pulchritudine et ordine invitaremur. Dicam igitur quaedam de Orione, videlicet et de ipso sidere, et de appellatione ac fabulis, quae de ipso leguntur apud Poëtas.

Homerus non subtiliter, sed tamen ut rudiores erudiret, duo coeli latera distinxit, arctoum et meridianum. In arctoo, in quo et fastigium coeli seu polum, ut nominamus, collocat, esse dicit Ursum, in contrario latere Orionem, inter Taurum et Geminos. Quae totius sideris figura sit, discendum est, sublatis in coelum oculis. Sed quia stellarum situs repraesentat viri armati figuram, Poëtae virum ibi collocatum esse inter sidera finxerunt, et in nomine et historia aliquid de ortu et occasu sideris, et de natura eius significarunt. Nec incredibile est nomen huic sideri a principe inditum esse, qui Graecis annum ordinavit, et doctrinae coelestis semina sparsit, sicut et aliis multis stellis nomina ducum et docentium attributa sunt, qui anni metas ostenderunt. Ut collocantur in coelo Perseus, Atlantis filiae, Astrea Icari filia, Chiron Centaurus, Orphei Lyra, Hercules, Castor, Pollux, Cepheus, quem arbitror esse Kithim. Sic ait Pausanias fuisse Orionem Boeotiae principem, et in Tanagra sedem monstratam esse, in qua Atlas erudiit Orionem de legibus motuum coelestium. Eius doctrinae, quia studiosus fuit, dicitur amasse seu Auroram, seu Dianam, id est, Lunam. Ac fieri potest, ut posteritas nomen bene meriti principis, ad pulcherrimum sidus transtulerit, ut monstratoris memoriam traderet multis gentibus. Sed Poëtae accommodant appellationem ad naturam sideris. Aiunt Oriona natum esse ex urina Iovis, Neptuni et Mercurii. Quia cum ventos cieat et pluvias adferat, nomen congruit *οὖρον*, id est, urina. Imbres autem adsumunt a Neptuno, id est, a mari vapores, qui in aëre densati, quem significat Iupiter, fundunt pluviam. Ventos autem et ciet et impellit Mercurius. Hinc sunt descriptiones apud Philosophos et apud Poëtas. Apud Virgilium in primo Aeneïdos:

> Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.

Et in septimo:

> Sinus ubi hibernis Orion conditur undis.

Et Aristoteles inquit: *χαλεπὸς δὲ λέγεται καὶ δύνων καὶ ἀνατέλλων ὁ ὠρίων.* Harum effectionum testis est experientia omnium seculorum consentiens, ac proximo anno vidimus, cum propter Iovis et Martis coniunctionem in Leone, magna inde usque a Iulio ad Novembrem siccitas fuisset, et sicci flatus, magna subito facta est aëris mutatio, et largi imbres fuerunt cum Orion occideret. Nec dubito mensi Novembri nomen factum esse apud Ebreos Kisleu, quod extat in Zacharia et libris Maccabeorum ab Orione, quem ipsi nominant Kesil ab instabilitate, ut existimo, tempestatum. Saepe mihi in mentem venit hoc quoque dictum esse *ὠρίωνα*, quia discernit quatuor anni tempora, quae nominantur *ὧραι*. Veris initium est occasus heliacus Orionis.

Aestatis initium heliacus ortus. Hyemis initium occasus cosmicus. Haec et vulgus oculis tunc notabat, quia metas anni constituebat accessum Solis ad certas stellas seu sidera, quae no-

tissima erant, ac simul discebant variari tempestates ortu et occasu diversorum siderum. Ad occasum etiam pertinet quod finxit vetustas Orionem a Scorpio necatum esse. Incipit enim occidere Orion e regione ascendente Scorpio. Quid prodest ista considerare inquiunt aliqui? et Pindaricum hoc recitant: *ἄκαρπον σοφίαν δρέπειν τοὺς φυσικούς*. Non ignoramus multorum barbaricas opiniones. Sed primum opponimus vocem divinam quae inquit de Sole, Luna et de Stellis. Erunt in signa tempora, dies et annos. Vult Deus sciri anni metas, intervalla, et seriem propter multas gravissimas causas, videlicet, ut sciamus solum Deum retro in omni aeternitate fuisse, haec vero corpora mundi ab ipso libere tunc condita esse, cum ipsi placuit. Ac ut initia cogitare mentibus possemus, annorum distinctio facta quae metitur tempus. Deinde vult hoc etiam sciri, hanc generationem humanam non fore aeternam, sed constitutam esse metam, quae non procul abest, cum mortuis restituetur vita, et Ecclesia ornabitur pepetua gloria, et impii abiicientur in perpetuos cruciatus, et quanquam nescimus quo anno, et quo die tubae angelicae canent illius triumphi initium, tamen hoc Deus praedixit, non longum fore intervallum a Christi resurrectione ad nostram. Et non contemnenda est sententia, quae Eliae tribuitur: Sex millia annorum Mundus, et postea conflagratio.

Duo millia, Inane
Duo millia, Lex.
Duo millia dies Messiae.

Et si qui anni deerunt, deerunt propter nostra peccata quae multa sunt. Cum autem nunc a condito mundo transierint quinque millia annorum, anni quingenti et quindecim, certum est nos non procul abesse ab illius triumphi die, in quo se filius Dei rursus ostendet universo generi humano, et Ecclesiae suae coram ostendet patrem. Praeterea notam esse seriem annorum eo necessarium est, ut sciamus quae sit vetustissima doctrina in genere humano, quando, quibus testibus, traditae sint promissiones, quo tempore filius Dei adsumpturus erat humanam naturam, quae fuerit futura series monarchiarum. Postremo quantae tenebrae essent in communi vita, in historiis, contractibus, iudiciis, si nulla esset annorum distinctio. Propter tam multas causas Deus annorum distinctionem et instituit, et observari voluit. Quae etsi propter utilitates, quae sunt plurimae, cognoscenda est, tamen et eo amanda est, quia miranda ars est in ipsis motibus, quae est singulare de Deo testimonium. Haec cum ita sint, cogitate quantum scelus sit hanc pulcherrimam Dei sapientiam contemnere, et a consideratione eius abducere homines. Hanc maliciam poenis publicis magistratus punire debebant. Sed arguti quidam respondent se non improbare motuum cognitionem, sed divinationes. Hic praetextus tantum est *σχῆμα πολιτικὸν τοῦ λόγου*. Aliud agitur ab illis. Sciunt enim quas divinationes probemus. Norunt nos diserte discernere causas physicas, a Deo, a liberis humanae voluntatis electionibus, a diabolicis impulsionibus. An scelus est dicere Solis lumine calefieri aërem, et radium rectiorem in aestate maiorem vim calefaciendi habere, Lunam frigidam esse. Hae qualitates luminum, cum in anni circuitu considerantur, magis aspicitur ars et sapientia Dei. Tale iter est Solis per caeteras stellas, ut in singulis spaciis qualitates accommodatae sint ad rerum nascentium utilitatem. Aries est siccior, ut terra hiberno frigore et pluviis madefacta minus sit coenosa, et fiat idonea seminibus. Postea cum seges iam prodit, et rursus indiget rigatione, cum Sol accessit ad Pleiadas et Hyadas, stellae humidae fundunt pluvias, Inde procedit Sol per temperatum sidus Geminorum, et dulci calore omnia nascentia fovet.

Cum ad Cancrum et ad Praesepe accessit, rursus opus est rigatione, cum iam grana in spicis gignuntur. Rursus ad messem siccitate opus est.

Aestus igitur sunt maiores cum accessit Sol ad Sirium. Haec autem magis aut minus regulariter fiunt propter planetarum itinera. Et totam hanc machinam liberrima voluntate Deus gubernat. Adest causis secundis in toto suo opificio, et propter hominum scelera minus adiuvat bonas effectiones, saepe et propter Ecclesiam impedit malas. Et tamen ars in fabricatione causarum agnoscenda est. Non sine certo consilio vices aestatis et hyemis institutae sunt. Vult Deus intervallum esse, quo terra accepto semine quiescat et madefiat. Discedit igitur Sol, ut radii nos feriant minus recti. Nec tamen discedit a suo opificio Deus. Sed servat Solem et terram, et genus humanum, et effectiones Solis suo liberrimo consilio vel adiuvat, vel impedit. Ac totis pectoribus fatemur veras esse sententias. In Deo vivimus, sumus, et movemur. Item ipse est vita

tua et longitudo dierum. Item non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Sed non dicam nunc de hac controversia prolixius, qualis sit effectio astrorum, et quae divinationes probandae sint, quae sint fugiendae. Alibi haec mediocriter exposita. Et haec vera divinatio semper in conspectu sit, quod certissimus ordo motuum Solis et Lunae institutus ad animantium utilitatem, illustre testimonium est de Deo, ostendens hunc mundum non casu ex Democriti atomis confluxisse, sed a mente architectatrice optima conditum esse et conservari. Agnoscere Deum opificem ex motuum et totius opificii ordine vera et utilis divinatio est, propter quam et aspici opera sua Deus voluit. Amemus igitur doctrinam, quae motuum ordinem et anni descriptionem ostendit, nec deterreamur pravis iudiciis, ut semper aliqui seu insticia, seu malicia Philosophiam oderunt. Ac fortassis hi qui finxerunt Orionem a Scorpio necatum esse, non tantum significarunt ortum et occasum, ascendente Scorpio occidere Orionem, sed simul hoc monuerunt insidiis et calumniis, malorum oppressos esse homines doctrinarum studiosos, ut ab Anyto et Melito Socrates oppressus est. Usitata sunt haec in hominum vita, et sapienter ferenda sunt.

Nec dicam quid aliud significet Orion, nisi tempestates iuxta Virgilii versum antea recitatum: Saevus ubi Orion hibernis conditur undis. Manilius ait labores hominibus et peregrinationes significari, cum inquit: Instar erit populi, totoque habitabit in orbe. Sed de hac significatione nihil adfirmo. Simus contenti physica admonitione de tempestatibus, nec eius generis doctrinam contemnendam esse putemus. Scimus etiam non regi Ecclesiam stellarum imperio, sed salutaris gubernatio fit a filio Dei custode Ecclesiae, sicut inquit: Ego sum vitis, vos palmites. Turbant autem eam diaboli et hi utuntur organis, quorum sunt ingenia et temperamenta venenata. Sed tamen pinxit in coelo Deus similitudines aliquarum rerum in Ecclesia. Ut Luna a Sole lucem accipit, ita in Ecclesiam transfunduntur a filio Dei lux et calor. Agnitio Dei accensa per vocem Evangelii, et Spiritus sanctus accendens amorem Dei et alios salutares motus. Ac picturas multarum rerum in coelo esse credibile est. Ut Orion sequitur Pleiades tanquam praehensurus eas, ita mundi imperia imbellem Ecclesiam persequuntur. Et cum filius Dei in cruce pependit, Sol obscuratus est inter Pleïadas et Orionem. Ita ultimis temporibus et imperiorum saevicia maior erit, et in Ecclesia tenebrae tristiores erunt. Sed de his rebus habemus admonitiones alias expressa voce filii Dei traditas, quarum cogitatione moveamur, ut simus ardentiores in doctrinae studiis et invocatione Dei, sicut ipse filius Dei in agone suo Apostolis praecipit: Orate ne intretis in tentationem. Pauci amant doctrinae studia, et inter eos qui discunt magna dissimilitudo est, multi fanatici homines horribili furore gignunt impia dogmata, ita crescent tenebrae. Haec mala intelligamus, et maiore cura veritatem quaeramus, et amplectamur, et tueamur. Qua in re ut ipse filius Dei nos gubernet et adiuvet, toto eum pectore oro. Oro etiam, ut leniat poenas, et Ecclesiam sibi in his regionibus perpetuo colligat, gubernet et servet. Dixi.

No. 138. an. 1554.

De Friderico Landgr. Thur.

In select. Declam. T. III. p. 125 sqq., Servest. T. III. p. 119., apud Richard. T. II. p. 744. Etiam separatim prodiit. Cf. Strobel. bibl. Mel. No. 417.

Oratio de Friderico Landgravio Thuringiae et Marchione Misniae, cuius fuit a matre admorsa gena; recitata a Casp. Peucero, Decano in renunciatione gradus magisterii philosophici, anno **1554.**

Ideo filius Dei massam humani generis induit, ut nos tanquam surculos massae suae insertos gestet, et colligat Ecclesiam, quae fruetur luce, sapientia, iusticia et laeticia Dei in omni aeternitate. Colligit autem voce Evangelii et non aliter, eamque ob causam servat aliqua docentium et discentium agmina. Quod igitur nos hactenus clementer texit filius Dei, cum utrinque vicinia arderet bellis, gratias ei toto pectore ago, et eum oro, ut deinceps quoque nos gubernet et protegat, nec sinat inter nos extingui verae doctrinae studia. Rectissime autem institutum est, ut in his congressibus ad pia vota adiungatur commonefactio iuventuti utilis sive de artibus, sive de moribus.

Cum vero de artibus quotidie necessaria praecepta audiatis, et nunc in his motibus saepe fiat

mentio de veterum principum rebus gestis in hac regione, historiam recitare decrevi iusti et magnanimi principis Friderici, cuius fuit a matre admorsa gena, qui vixit ante annos fere trecentos, et tenuit primum cum fratre Mysorum regionem et Lusatiam inferiorem, deinde solus Turingiam et Mysorum regionem. Magna enim varietas est causarum et eventuum in hac historia, et multa illustria testimonia sunt providentiae divinae punientis libidines et alia scelera, et mirabiliter protegentis gubernatores iusticiam et pacem amantes, sicut scriptum est: Iusticia stabilit thronum. Etsi autem omnes historiae talium exemplorum plenae sunt, et nosse plurimas ad confirmandam adsensionem de providentia utile est, tamen diligentia praecipue digna est studiosis, nosse res patrias et domesticas.

Extat autem alia oratio viri doctissimi Homilii amici mei, in qua descripti sunt fines regionis Mysorum inclusi triangulo, et pene Scaleni figurae inter Albim et flumen Picam, quorum laterum basis est iuga montium Sudetum. In ea regione Principes sunt iam fere quingentos annos titulo Marchionum Mysiae, orti a Widekindo, qui belli Saxonici adversus Carolum Francum Dux fuit, et agnati clarissimorum Imperatorum Henrici Aucupis et trium Ottonum.

Ex ea stirpe natus est ante annos trecentos Henricus, iustus et potens Princeps, qui Mysorum regionem, Lusatiam inferiorem et Turingiam tenuit. Hunc tanti fecit Imperator Fridericus Secundus, ut eius filio Alberto Landgravio Turingiae dederit filiam Margaritam. Sed Albertus non est imitatus paternam virtutem. Quanquam enim Alberto ex nobilissima coniuge duo filii nati erant, Fridericus et Dietmannus, tamen spreta coniuge pudica et matre pulcherrimorum filiorum, exarsit amore tanto pellicis, ut etiam odisset coniugem, et eius vitae insidias strueret. Ac tandem adortus Mulionem, qui mularum custos erat vehentium aquam in arcem Isennacensem, petit ab eo ut interficiat coniugem filiam Imperatoris. Nondum enim Germanis venena erant nota. Mulio metuens ne si recusaret, interficeretur ipse, ne huius consilii fama spargeretur, simulat se Principi obtemperaturum esse.

Deinde re sapienter cogitata venit ad Dominam, ac petivit si audiri ab ipsa, et paucis praecipue nobilitatis viris, quorum fides Dominae probaretur. Exponit pacta cum Domino, ac narrat se eo promisisse facturum hanc caedem, ut et Dominae et suae vitae consuleret, quia si recusasset, quaesitus esset alius parricidii minister, et ipse necatus esset. Narrat et alia quae fidem orationi faciunt, ac iubet deliberare Dominam cum suis, quomodo suae vitae consulendum sit, se iam fuga facile evasurum esse periculum.

Re deliberata prudentes et fideles amici, qui Principem furere odio et scelere videbant, suadent ut Domina fugiat, adiunctis paucis matronis et ancillis. Etsi diu refragabatur Domina, quae in complexu filiorum mori malebat, quam desertis ipsis diutius esse superstes, tamen fidelibus consiliis tandem obtemperat. Locus adhuc ostenditur in arce Isennacensi, ubi non est magna altitudo a scopulo extra arcem ad fenestram, ex qua funibus Domina cum quinque comitibus demissa est. Nocte autem cum iam migratura esset, priusquam a filiis discederet, adsidens ad lectulos filiorum, et calamitatem suam deplorans, cum Consiliarius senex et matronae comitaturae eam, hortarentur, ut properaret, tandem valedictura filiis, Fridericum natu maiorem, lachrymis et eiulatu, materni doloris magnitudinem ostendens, complectitur, saepe figens oscula in genis et in pectore filii. Postremo mirabili animi motu dentibus mordet genam filii.

Puer vulnere facto eiulare incipit. Accurrunt igitur matronae, et puerum matri ex manibus eripiunt, metuentes ne dolor eam impellat ad sobolem interficiendam, et quoquo modo possunt, e cubiculo eam abducunt. Illa non ignara quid fecisset, inquit: Me ne adeo ferream putatis, ut a pulcherrimis et carissimis filiis sine ingenti dolore in exilium abire possim. Nullum vitae periculum est meo filio ex hoc vulnere, sed ipsi notam mei summi doloris impressi, ut in omni vita memor sit et mei erga ipsum amoris, et calamitatis meae. Discedens autem precor Deum in hoc summo dolore, qui et has *στοργὰς* honestis parentibus indidit, et adfirmat se gemitus et lachrymas iustorum exaudire, et custos est orphanorum, ut hos meos orphanos servet incolumes, et gubernet, quorum pericula cogito non fore leviora meis. Malueram itaque hic ad lectulos eorum trucidari, quam ab eis viva discedere. Haec vociferantem, vi abstrahunt matronae comites, et ex fenestra demittunt.

Ea nocte iter faciunt longius quam pro viribus, praesertim cum moesticia omnium corpora debilitasset, ac mane veniunt ad oppidum Hersfeld, ubi cum Abbati iter et causam exposuissent Comites, Abbas reverenter Dominam filiam Imperatoris, honestissimam matronam excipit, et consolatione et omnibus officiis lenire moesticiam omnium studet, et cito currus apparari iubet, et addit ex nobilitate praecipuos viros, qui Dominam ducant Francofordiam. Ubi commorata in monasterio virginum, ne longissime a filiis abesset, cum vitam in luctu et precatione egisset, post paucos annos mortua est.

Mariti licentiam fuga coniugis auxit. Audierat autem Deus preces discessurae matris, et filios vere orphanos protexit, quos aliquanto post matris fugam, Alberti Landgravii frater Marchio Mysorum, iustus et sapiens Princeps Dietricus, ex Turingia ad suam aulam vocavit, et ne spectatores essent paternorum scelerum, et ut extra periculum essent. Cumque eos paterno animo ad agnitionem et invocationem Dei et ad virtutem institueret, Fridericum etiam cuius erat admorsa gena, tyronem secum in castra et in aciem duxit, ubi specimen egregium virtutis edidit in praelio Anhaltino. Filium autem hic Marchio unicum habuit, quem adolescentem amisit, quo mortuo, quia nolebat fratrem succedere, metuens ne pelleret filios, cum iam videret eum his anteferre nothum ex pellice natum, et quia mores fratris improbabat, testamentum condidit, in quo fratris filios adoptat, et haeredes regionis Mysorum instituit. Cumque delectis praecipuis viris ex tota regione, testamentum et causas sui consilii honestas exposuisset, ac petivisset horum haeredum defensionem, hi laudata principis pietate, adfirmant se non alium Dominum recepturos esse.

Aliquanto post mortuo Dietrico, ut in testamento scriptum erat, succedunt in totius Mysiae possessionem hi duo, Fridericus cuius fuit admorsa gena, et Dietmannus, et iusticia ac caeteris virtutibus omnium honestorum benevolentiam erga se augent. Sed pater Albertus scribit ad omnes ordines ditionis, ac petit sibi tradi possessionem regionis Mysorum, exclusis filiis, ac iuris praetextu pugnat, quia ipse sit fratris proximus haeres. Nec esse iustam causam cur haereditas sibi erepta sit.

Conveniunt igitur delecti ex omnibus ordinibus praecipui viri in urbe Friberga, et communi consensu respondent se et probasse antea pietatem Dietrici, et testamenti causas, et non recepturos esse alium Dominum desertis his, quibus iam defensionem promiserint.

Albertum fata trahebant ad poenas. Ideo iratus movet bellum anno a natali Christi 1281. Sic enim invenio numeros annotatos esse. Gens Mysorum petit ab Imperatore Rodolpho, cuius iusticia, sapientia et fortitudo fuit excellens, ne sinat opprimi adolescentes Principes, et simul armis reprimit Albertum. Sed haec prima belli σύῤῥαξις non fuit laeta adolescenti Friderico, quanquam causam iustam tuenti. Sed statim in hoc tyrocinio eum Deus docere voluit, ne humanis viribus confideret, sed disceret victorias Dei beneficia esse, et ab eo petendas esse. Captus est enim Fridericus a patre, et toto anno retentus in arce Isennacensi. Unde postea divinitus liberatus est, cum odio tyranni custodes aliqui misericordia adolescentis affecti, fugae consilia adiuvarent. Interea et Rodolphus Imperator mandata mittit, ut arma utrinque deponant, et promittit se venturum in Turingiam, ac fore disceptatorem causae.

Venit in Turingiam Rodolphus, et cum alios tumultus sedavit, eversis latrunculorum arcibus aliquot, et captis in Ilmena novem et viginti latronum ducibus, de quibus Erphordiae supplicium sumpsit, tum vero severissime mandavit pacem Alberto et filiis. Non multo post mortuo Rodolpho successit Adolphus Nassaviensis, quem variis artibus trahit in societatem belli Albertus Landgravius, et quod res postea ostendit, adparet avarum senem cupiditate uberrimae regionis Mysorum et venarum metallicarum illectum, hanc occasionem occupandae regionis Mysorum, non voluisse negligere. Narrant etiam historiae Albertum Landgravium vendidisse Turingicam ditionem Adolpho, ne recipere eam filii unquam possent. Longa est iniuria, longae ambages, nec omnia recitare libet.

Ita post mortem Imperatoris Rodolphi bellum atrocius motum est, et Adolphus in Turingiam et Mysorum regionem attractus est. Et Marchio Brandeburgensis se cum Adolpho Imperatore et Alberto Landgravio coniunxit, spe occupandae inferioris Lusatiae. Quanta moles belli deinde fuerit, inde aestimari potest, quod eodem tempore cum diversis exercitibus praeliari fratres oportuit, et quod in iis locis, ubi summa est ubertas, magnae vastationes factae sunt, cum hostiles

exercitus amplius annis duodecim in Mysia vagarentur, et variae essent vices victoriae. Nam Adolphus sexennio, deinde Albertus Austriacus etiam sexennio imperium tenuit, ac non multo ante Alberti Austriaci mortem exercitus imperatorii prorsus ex Mysia et Turingia pulsi sunt, cum Deus tandem restituit his gentibus tranquillitatem, et ostendit se defensorem esse iustae causae. Sed redeo ad historiam.

Marchio Brandeburgensis exercitum duxit ad urbem nobis vicinam Luccam. Inde eum repulit Dietmannus, cui adiunctus erat Iacobus Schonbergius, trucidatis tribus millibus hostium. Interea alibi frater Fridericus exercitum collegit adversus Adolphum Nassaviensem. Sed Marchio Brandeburgensis, accepta clade petivit auxilium ab Ebrarto Anhaltino, qui magno exercitu obsedit arcem Iuliam. Unde eum Fridericus repulit tempestive monitus ab Electore Saxonico ex oppido Witeberga, qui etiamsi abstinebat a bello, tamen Friderici causae aequior erat. Postea saepe dimicatum est varia fortuna cum Adolphi exercitu, qui occupaverat Bornam, et tenebat Aldenburgum, Cygneam, et Kennicium. Reliquerat enim Adolphus in hac regione exercitum Svevicum, cui praefecerat fratris filium Philippum Nassaviensem virum acrem. Rediit autem Adolphus ad obsidionem urbis Fribergae continuatam integro anno, et mensibus quatuor. Tandem ne fame quidem cogi potuit ad faciendam deditionem, sed proditione capta est.

Cum hac urbe potitus esset Adolphus, quae velut arx totius regionis erat, et habet venas quarum tunc ubertas magna fuit, elatus hoc successu non dubitavit iam facile se tota regione potiturum esse. Sed Adrastia insolentiam prope comitatur. Eligitur Imperator Albertus Austriacus, huic ut occurrat, Moguntiam redit Adolphus, ubi fratris consilio et opibus se armat adversus Austriacum, cum quo aliquanto post dimicans in acie, interficitur. Interea et Dux Bornae relictus, Philippus Nassaviensis capitur, ac dimissus ea conditione, ut cedat ex oppidis quae occupaverat, non facit promissa, sed cum audivisset Imperatorem factum esse Albertum Austriacum, huic promittit se oppida omnia traditurum esse quae tenebat.

Austriacus etsi Friderico spem fecerat pacis, tamen quia videbat Mysorum regionem opportunam esse gerenti bellum cum Boëmis, fefellit Fridericum, et venit in has regiones instructus magno exercitu collecto ex Suevis, Bavaris et Boëmis, ut satis appareret eum sperare se et Mysia et Turingia potiturum esse. Narrant etiam Fridericum Aldeburgum vocatum esse simulatione colloquii, ubi cum in convivium ab Imperatore accersitus esset, irrupit miles, qui stricto gladio petebat Fridericum. Sed civis Fribergensis suo corpore dominum texit, et vultus accepit, ut Fridericus et ictum declinare et fugere posset. Quanquam autem Austriacus se purgabat, tamen suspicio erat, sicarium ab ipso subornatum esse. Cum igitur spes nulla pacis esset, et exercitus ingens Imperatoris Austriaci oppidum Luccam situm non procul ab urbe Citta oppugnaret, fratres coniunctis copiis accedunt ad exercitum Imperatoris, et magna multitudine hostium trucidata, victores ingrediuntur oppidum. Inde proverbium hodie fertur de clade superbi alicuius. Accidit ei quod Suevis accidit ad Luccam.

Post eam victoriam magna inclinatio facta est. Recepta sunt oppida, Borna, Friberga, et alia. Sed statim alia calamitas sequuta est. Dietmannus fraude vulneratus est Lipsiae in templo, in feriis natalitiis, et ex eo vulnere biduo post mortuus est. Ac fuit opinio subornatum esse sicarium a Philippo Nassaviensi. Ita existimasse Fridericum non multo post intellectum est, qui cum in acie videret Philippum Nassaviensem, iratus milites incitavit ac dixit, se Deo iuvante iam poenas sumpturum esse de perfido ductore Nassaviensi, a quo frater ipsius interfectus esset. Et adiuvit Deus iusta arma. Nam in eo prelio Philippus Nassaviensis interfectus est manu Friderici, et deletae sunt reliquiae hostium. Aliquanto post Albertus Austriacus Imperator non procul a Rheno in vicinia oppidi Rheinfeld a fratris filio Ioanne interfectus est anno 1308.

Extinctis duobus Imperatoribus et deletis tot exercitibus et eorum ducibus, liberata iam Mysorum regione, Fridericus exercitum ducit in Turingiam, ubi fractis multorum animis cum manifeste viderent, divinitus protectum et adiutum esse Fridericum, Albertus pater qui sese tanti et tam diuturni belli causam et facem esse agnoscebat, et retineri patriam non posse cernebat, in urbem Erphordiam fugit. Nec ibi tamen furiae quiescere eum sinebant. Sed quanquam pleraeque urbes et familiae nobiles honestiores deditio-

nem facerent, et libenter iusti et foelicis principis imperium acciperent, tamen Erfordiensibus et comiti Wimariensi et aliis quibusdam factionibus, incitator fuit ut Friderico adversarentur. Ilorum tumultus etiam brevi tempore Fridericus compescuit.

Interea tamen Boëmi qui sequuti fuerant Albertum Austriacum, occupant inferiorem Lusaciam. Hanc partem ditionis eo tempore solam amisit Fridericus. Sed post victoriam urbes quae antea fuerant imperii, Aldeburgum, Cygneam et Kemnicium Fridericus occupavit, de Lusatia non voluit Bohemos irritare.

Considerate autem fortunae vices, florentem iam Fridericum Marchio Voldemarus nescio quomodo cepit, et captivum abduxit, ac λύτρα poposcit oppida aliquot, de quibus cum literas adferret ad nobilitatem Mysnicam, negant Nobiles se literis credituros esse, ac iubent certo die ipsum Principem adduci in locum certum, ubi coram eius voluntatem audiant. Interea ita se parant Mysnici, ut cum veniret dominus, vi eum liberarent. Hoc consilio foeliciter liberatus est, et Mysnici Marchionem Voldemarum captivum duxerunt ad oppidum Aldenburg. Ita accidit quod dicitur, ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται, αἷσπερ ὑπῆρξεν. Haec invenio acta esse anno 1313. Reliquam vitam existimo tranquillam fuisse. Mortuus est autem anno 1326 et Isennaci sepultus in templo Catharinae, ubi sepulcro hi versus inscripti sunt:

Ecce Fridericus cultor virtutis, amicus
Pacis, conditur hic, stirps imperialis, et illic
Fulgeat iste pius Marchio Landgravius.

Scitis autem praecipue ob hanc causam velle Deum notas esse historias, ut confirmetur adsensio de providentia, et statuamus esse Deum mentem aeternam, sapientem, veracem, beneficam, iustam, castam et vindicem scelerum, et poenas metuamus, et mandatis divinis obtemperemus, denique eadem vox est omnium historiarum:

Discite iusticiam moniti, et non temnere divos.

Hic quoque videmus exempla iudicii divini. Violator coniugii, crudelis in coniugem et filios, sibi et patriae exitium furenter attrahit. Sunt et tragici exitus Imperatorum, quos avaricia impulit ut iniusta arma adiuvarent. Non enim ut initio Rodolphus consultum voluerunt haeredibus aut paci publicae, sed ut per eam occasionem ipsi potirentur his regionibus tota stirpe haeredum deleta. Ita iuris umbram et ut Plato nominat σκιογραφίαν ostendentes, Archilochi vulpeculam tamen secum traxerunt. Commonefacti igitur tot principum et exercituum poenis reprimamus iniustos impetus et gubernari nos a Deo petamus. Cogitantes etiam de periculis harum regionum, ardentibus votis Deum oremus, ut regat principum mentes, et faciat eos σκεύη ἐλέους et organa salutaria sibi et patriae. Nam et Friderici defensio in causa iusta adversus tantam potentiam, manifeste ostendit eum divinitus protectum esse. Haec et similia cogitanda sunt in consideratione huius historiae et aliarum, et invocatio Dei cogitationibus miscenda est.

De morte Friderici haec narratio legitur. Isennaci spectaculum exhibitum est de decem virginibus, in quo taxata est invocatio hominum piorum, qui ex hac vita discesserunt. Ut fatuae virgines frustra petunt oleum a prudentibus, ita inanem esse fiduciam petentium auxilium ab hominibus, quanquam in coelesti consuetudine magna sit eorum virtus et gloria. Ita semper aliqui fuerunt saniores, qui doctrinam Ecclesiae rectius intellexerunt, quam alii fascinati malis opinionibus. Huius comoediae princeps senex cum spectator fuisset, redit in arcem consternatus hac reprehensione consuetudinis, quam antea piam esse putaverat, ac tanta fuit animi perturbatio, ut in morbum inciderit, quo toto biennio conflictatus est, quo tempore credibile est eum iam admonitum plura cogitasse de Ecclesiae doctrina, quam antea cogitaverat. Non enim fuit mens prophana, sed ante omnia prelia fecit precationem ad Deum, et Coena Domini sese confirmavit, ut ardentior esset invocatio.

Caeterum in gubernatione iustus, verax, et beneficus fuit, et in vita interiore modestus et castus, et amans suae coniugis, quae fuit socia multorum periculorum. Puerpera enim in arce Isennacensi fuit, cum arx obsideretur et deesset victus coniugi et praesidio, quo in periculo, magno consilio victum in arcem advexit, et puerperam, filiam et praesidium servavit, et tandem duce hostium capto et interfecto hostes depulit.

Hanc historiam volui iunioribus notam esse, et eos adhortor ut exempla iudicii divini intueantur, et animos ad timorem Dei, et ad veram invocationem exuscitent, et considerent quam ad militiam ipsos Deus vocaverit, videlicet ut sint custodes verae doctrinae, et in hac militia fidem

et diligentiam praestent, et sic regant mores, ne dolore afficiant Spiritum sanctum, sed ut Deus faveat discentibus et augeat dona, sicut scriptum est: Habenti dabitur. Te autem, fili Dei domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, oro, ut nos gubernes et serves. Dixi.

No. 139. an. 1554.

De Sibylla, Principe.

Separatim prodiit: Oratio de Principe Sibylla, coniuge Elect. Sax. Ioh. Friderici, recit. a Io. Forstero. Witeb. 1554. 8. 2½ pl. — Recusa in select. Declamat. T. III. p. 141 sqq., Servest. T. III. p. 154. et Richard. T. II. p. 756.

Oratio de Principe Sibylla, coniuge Ioannis Friderici Electoris; recitata a Io. Forstero, Doct. Theol. in renunciatione publici testimonii etc.

Non casu, non ex Democriti atomis haec pulcherrima mundi corpora, et animantium et hominum formae confluxerunt, sed vere esse mentem aeternam architectatricem, quae mirando consilio omnia fabricavit, undique ostendit ars opificii.

Sed maxime illustria testimonia sunt de Deo conditore, cum noticiae numerorum atque ordinis, et aliae insitae humanis mentibus, tum vero noticiae illae regentes vitam, discernentes honesta et turpia, et vindicem Deum monstrantes, quum horribili cruciatu conscientiae scelera puniunt. Hunc ordinem in nobis ipsis, et hoc discrimen bonarum rerum et malarum, et horrendam lacerationem nostri cordis, quam scelerum conscientia adfert, vult Deus aspici, ut sint commonefactiones de ipso. Sed cum languida sit assensio inter tam multa testimonia, prodiit ipse conditor ex arcana sede, et sese novis et evidentibus testimoniis patefecit extra naturae ordinem, ac initio filium misit, per quem docuit nos vere se in genere humano colligere Ecclesiam, cui in omni aeternitate sese lucem suam, sapientiam, iusticiam et laeticiam communicaturus sit, ac simul docuit, quomodo Ecclesiam aeternam ex hac fragili et mortali massa collecturus sit. Hanc sapientiam universam, et haec decreta, cum filius, qui est angelus magni consilii ex sinu aeterni patris statim initio protulerit, λόγος nominatur, qui et affirmat sic ex horribili confusione opinionum et sectarum excerpi hoc agmen, quod fruetur illa dulcissima Dei societate in tota aeternitate, cum hanc doctrinam divinitus traditam audit, discit, fide amplectitur et retinet incorruptam.

Hoc vult signum esse agminis sui, quod discernendum est a reliqua multitudine generis humani. In hoc agmine vult Deus conspici praesentiam suam, et tribuit ei proprie beneficia, quae sunt exordia illius aeternae societatis. Vult igitur nos circumspicere quae et ubi sit Ecclesia, qualis fuerit eius gubernatio, inde usque ab initio, quam ad rem necesse est nosse historiam Ecclesiae omnium temporum, et considerare in quo coetu fuerit vox doctrinae incorrupta. Deinde quae ibi testimonia fuerint praesentiae Dei, quae certamina, de quibus materiis, quae confessio, qui consensus piorum, quae virtus, qui exitus, quae indicia saniorum, quae liberationes, ac tota series temporum in conspectu sit. Haec consideratio de multis magnis rebus nos docet, ostendit quid sit probandum, et confirmat adsensionem, et invitat ad virtutum officia.

Cum autem et his proximis annis orta sint magna certamina de multis doctrinae partibus, nunc praecipue necesse est inquiri doctrinam incorruptam, quae cum adduxerit nos ad veram Ecclesiam, videndum est etiam in hac, quae sint testimonia praesentiae Dei, quae pia exempla. Non est Ecclesia Centaurorum aut Cyclopum agmen, aut Bacchi exercitus, sed est, ut in Sophonia dicitur, populus humilis et pauper, confidens Deo, et eum invocans. Fulget in Ecclesia agnitio Dei, et est in ea consideratio sapientiae Dei, doctrina et intellectus ac amor virtutum et honestae consociationis, ideo historiae aliquot recitatae sunt, et Principum et aliorum, ut sciant exteri et posteri, multos sapientes et virtute excellentes homines amplexos esse doctrinam, quam profitentur Ecclesiae nostrae, ut plures ipsum doctrinae genus cognoscant, et cognitis fontibus confirmentur consensu talium hominum, in quibus non fallacia signa sunt verae pietatis, et invitentur eorum exemplis ad multarum virtutum exercitia.

Nunc igitur pauca dicam de illustrissima Principe Sibylla, coniuge illustrissimi Ducis Saxoniae Iohannis Friderici, Electoris, nuper ex hac mortali vita ad coelestem Ecclesiam evocati, cuius historia et propter honesta exempla prodest, et quia manifestum testimonium est praesentiae

Dei, qui eam tot annos in tanto luctu, quanquam natura fuit imbecilli corpore, et inde usque ab adolescentia similis contabescenti, erexit Spiritu sancto, et tam longa ei vitae spacia dedit, ut maritum ex longo exilio reducem laeta videret, quod ipsa unum a Deo fide petiverat, et spe constanter expectaverat, ut ante mortem reditum Domini cerneret.

Etsi autem alii, ac praecipue vir clarissimus Stigelius, ingenio et virtute excellens, quo nemo scribit hoc tempore carmen melius, transmittent de ipsa ad posteros splendidiora scripta, tamen honesta exempla saepe et multos repetere utile est, ac nostri officii est iunioribus commemorare res dignas memoria, et hortatores esse, ut posteris tradant res dignas cognitione: certe bono studio historias utiles recitamus.

Usitatum est autem cum de Principibus dicitur, stirpis mentionem facere, et maiorum egregia facta narrare, quia cum verissimum sit divinitus hominum gradus distinctos esse, laus est magna nobilitatis, quia a Deo caeteris hominibus familiae excellentes praelatae sunt, et ornatae eximiis virtutibus. Quanquam autem Physici dicunt, semina virtutum propagari, quod non reprehendo, tamen haec potior causa est, propter quam in familiis heroicis aliqui posteri excellunt, quia Deus ipse aliquantisper servat excellentes familias, et aliquos subinde ex posteris ornat excellentibus donis.

Nata est Domina Sibylla ex patre Principe Clevensi, et matre Principe Iuliacensi. Hae familiae et cognatione et foederibus antiquis coniunctae sunt, et quae sit earum potentia, hoc tempore notissimum est. Ortae sunt autem a stirpe Godefridi Bilionei et Balduini fratris, quorum cum fuerit excellens virtus, ut postea dicam, magnum decus est tales habuisse maiores, cum quidem hoc verum esse iudicem, in familiis illustribus nasci, initium aliquod esse virtutis, quia Deus tales familias excellentibus virtutibus ornat.

Est autem hodie in vicinia Traiecti in Belgico arx Bilion, et vicina regio ab arce nomen habens. Ibi nati sunt Godefridus et Balduinus fratres, ex parentibus quorum vetus fuit nobilitas, propter quam et Godefridus ex patria ditione accersitus est in vicinam Lotharingiam, et factus est ab Imperatore Henrico IIII. Dux Lotharingiae. Incidit eius aetas in bellum civile Henrici IIII. apud quem duxit exercitum in Italia, et in ipsius urbis Romae expugnatione vulneratus, cum fortassis et genus belli non probaret, votum Deo fecit, se deinceps relicto hoc bello, militaturum esse Deo pro defensione Christianorum populorum adversus Saracenos et Turcos. Postea igitur cum reversus esset in Belgicum, hortator fuit aliis Ducibus, ut suo exemplo hanc militiam susciperent. Credibile est bonos Principes ut vitarent bellum civile, aliam honestiorem militiam praetulisse, et eodem tempore auxilium Graeci Imperatores a Romano Pontifice petiverunt, cum iam Saraceni et Turci pene totam minorem Asiam occupassent.

Cum igitur in Synodo deliberatio esset, de mittendis auxiliis in Asiam, Godefridus Lotharingiae dux, et eius frater Balduinus, et Robertus Flandriae comes, et Robertus Normanniae dux, filius regis Anglici, et Boemundus Tarentinus Princeps, et Guelfus, et alii nobilissimi et fortissimi viri sese coniunxerunt, ac promiserunt, se suis sumptibus ducturos esse exercitum in Asiam. Ostendit etiam Pontifex, se indicturum esse tributa ad alendos exercitus. Haec consilia hoc tempore vix credibilia sunt, cum nec tanta est Principum inter sese coniunctio, ut multi sine uno Imperatore diu concordes esse possint, nec tanta virtus, ut privatis facultatibus Reipublicae opitulari velint. Denique multa sunt hoc tempore dissimilia illi heroicae aetati. Ac mihi quidem videtur similis esse haec expeditio argonauticae. Ut nobilissimi Principes in Graecia cum Iasone in Colchicam navigarunt, Aeacidae, Peleus, Telamon, Tiphys et alii multi sine regio imperio concordes. Ita hi nostri Argonautae in causa iustissima, summa concordia multis annis simul militaverunt.

Nec fuit inutilis expeditio, ut nunc ignavi disputant, cum enim in Asia dominarentur Saraceni et Turci, et graecus Imperator vix defendere Europam posset, hi latini Principes, ut nominabantur, Asiam recuperarunt, eamque Imperatori graeco restituerunt, postea progressi Syriam et Palaestinam occuparunt, ac regnum in ea regione usque ad Charras constituerunt, restitutis Ecclesiis in Asia, Syria et Palaestina, idque regnum tenuerunt annos amplius octoginta. Nec ipsi accusandi sunt, quod posteri non diutius retinuerunt, qui fuerunt maiorum dissimiles. Nam priorum Ducum sapientia et magnitudo animi tanta fuit, ut communem salutem et concordiam

anteferrent omnibus privatis affectibus, non certabant inter se ambitione, cedebant de propriis commodis, ne turbaretur concordia, iuste imperabant: non indulgebant libidinibus. Postea Episcopi primum semina discordiarum sparserunt, propter avaritiam et dominandi cupiditatem. Et Principes ambitione inter sese certarunt: aliqui etiam libidinibus alienarunt voluntates honestorum, ita regnum propter vitia posterorum amissum est. Sed graeco imperio tamen postea etiam longo tempore profuerunt victoriae Godefridi, et aliquot Regum, qui postea sequuti sunt.

Inchoata est autem expeditio anno millesimo nonagesimo sexto. Anno millesimo nonagesimo septimo capta est in Asia Nicea, deinde Iconium, trucidatis maximis exercitibus hostium. Deinde in Syria captae sunt Antiochia, Edessa, et aliae multae urbes. Ierosolyma capta est anno millesimo nonagesimo nono, die decima quinta mensis Iulii, anno quadringentesimo et nonagesimo, postquam ab Heraclio recuperata fuerat. Postquam autem Godefrido Duce capta est Ierosolyma, rursus amissa est post annos octo et octoginta.

Sed non institui hic integram narrationem rerum gestarum a Godefrido, aut a fratre et posteris deinceps, tantum hoc volo scire iuniores, fuisse excellentem virtutem illorum Ducum, ac de Godefrido inde sumi coniectura potest. Cum capta Ierosolyma Duces omnes decrevissent Regem eligendum esse, et ibi tot Principes essent nati in summis familiis, frater Regis Gallici, filius Regis Anglici, et Dux Tarentinus, qui consilio videtur inter caeteros antecelluisse, ut inter Argonautas Peleus, et in electione ratio haberetur solius virtutis, re deliberata omnium suffragiis, electus est Rex Godefridus Bilioneus. Hoc iudicium tot Principum de eo, gloriosius fuit ipso regno.

Ritus etiam coronationis singularis fuit, quem propter illustres significationes meminisse utile est: ita flexis genibus procumbebat ad sepulchrum Domini, is, qui coronandus erat, ut caput in saxo sepulchri collocaret, et corona ei ex spinis facta imponebatur: noluit enim Godefridus eo loco auream coronam gestare, in quo filius Dei Rhamnis coronatus fuerat. Hic ritus commonefactio fuit de Regum officiis: caput collocare in margine sepulchri, est summa cura adfici de Ecclesia Christi, et ei caput ac vitam donare. Deinde et spinis coronari, est perferre ingentes dolores, sed propter confessionem cum Christo, qui deinde alia corona ornabit eos, qui in hac mortali vita propter ipsum aculeis Rhamni confossi sunt.

Haec de stirpis Bilioneae nobilitate satis sit dixisse. Inde cum orta sit Princeps Sibylla, satis intelligi potest, magnum decus esse in eius genere.

Nunc de propriis virtutibus Principis Sibyllae dicendum est, quae congruunt ad regulam Pauli: Salvabitur mulier per filiorum generationem, si manserit in fide, dilectione, castitate et modestia. Testimonia fidei in ea fuerunt illustria, quae quidem praecipue ostenderunt ei Deum adesse: Recte didicit universam Ecclesiae doctrinam, et lectione ac audiendis concionibus aluit doctrinae cognitionem, et fidem confirmavit et accendit invocationem. Ac fuisse in ea ardentes fidei motus, robur animi ostendit, quod retinuit in tanta imbecillitate corporis et in tantis doloribus, quos sustinuit propter exitium Domini, quem sincere dilexit. Etsi enim erat languefacto corpore, et moesticiam assiduam circumferebat, nec ulla cernebat auxilia humana, tamen fiducia solius Dei erigebatur, et a Deo petebat et expectabat Domini reditum, ac saepe dixit, se non dulcedine vitae longius vivendi spacium optare, sed tamen optare se et sperare tam longum vitae spacium, ut videre Domini reditum possit. His votis respondit eventus. Iubet autem Psalmus intueri nos talia exempla, cum ait: Accedite ad Deum, iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum.

Utrunque igitur exemplum multis proderit, tulit non levem calamitatem, et vere spinis coronata est, nec tamen animo fracta est, inde alii quoque discent suas aerumnas aequabilius ferre. Et quia preces eius Deus exaudivit, ex hoc eventu alii quoque discent non esse irritas piorum preces. Credibile est eam in bello victoriam a Deo petivisse. Sed res ipsa ostendit plus postea profuisse domini constantiam in confessione, quam ulla victoria in armis profutura fuerat, denique fidem etiam in hoc extremo actu fortitudo animi et assidua invocatio ostenderunt.

Nunc de caeteris virtutibus pauca adiiciam: Scitis esse dilectionis gradus, quos ordine servavit. Maritum, filios, fratrem, sorores, vera στοργῇ dilexit, deinde inferioribus benefecit, ubicunque potuit, praesertim orbis virginibus. Naturae nulla prorsus acerbitas erat. Non accende-

bat, sed ubi poterat extinguebat odia. Magna virtus est castitas, ut scitis, et Deo praecipue grata, quod cum sciret, ipsa quoque castitatem valde amavit, et prorsus sine ulla labe praestitit, quod fuit ei facilius, quia tunc quoque cum essent tempora laetiora, nullas delicias in cibo et potu, nullos ludos ineptos expetivit. Excelluit igitur in ea et haec virtus, quam hic Paulus addidit, modestia videlicet, cuius etiam multae partes sunt. Non erat superba, etsi enim sciebat gradus hominum divinitus ordinatos non turbandos esse, tamen non contemnebat inferiores, sed virtutem in singulis amabat et venerabatur, et in bonorum calamitate dolebat.

Gestus etiam erant modestissimi. Sermo omnis de mandatis et promissionibus divinis, de beneficiis filii Dei, de spe vitae aeternae, nullum ei verbum excidit unquam parum conveniens sanctae matronae. Horas etiam distribuerat precationum, lectionum et operarum, quae honestas matronas et virgines decent. Hoc toto virtutum ornata choro coniunx fuit optimi Principis, et mater quatuor filiorum, quorum tres Dei beneficio sunt superstites. Hos cum aliàs saepe in vita, tum vero recens ante mortem gravissimis orationibus hortata est, ut Deum recte colant et invocent, et paternas virtutes imitentur, ne iusticiam in gubernatione violent, ne irae aut aliis pravis cupiditatibus laxent frenos. Subinde etiam repetivit adhortationem, ut concordiam inter sese fratres tueantur. Haec cum aliquanto ante mortem filiis dixisset, et aliquoties Domino significasset se propter ipsius morbum magis dolere quam metuere propriam mortem, ad quam beneficio filii Dei parata esset, ac scire hanc mortem iter esse ad coelestem Ecclesiam, his sermonibus subinde admiscuit invocationem Dei, et cum se Deo fiducia Mediatoris assidue commendasset, natura corporis iam superata morbo anima ex hac mortali vita ad laetissimam societatem coelestis Ecclesiae evocata est.

Huius universae historiae cogitatio bonis mentibus utilis est. Nam et virtutes et multi eventus ostendunt Dei praesentiam in ipsa, et exempla nos de multis magnis rebus docent, et ad pietatem invitant. Cernimus etiam hic testimonia de Ecclesiis nostris, et de doctrina, quae sonat in nostris Ecclesiis.

Cogitationi autem harum historiarum misceamus precationem veris gemitibus, ut filius Dei Dominus noster Iesus Christus clementer protegat et gubernet harum regionum Ecclesias, Principes et politias, quia salutaris gubernatio sine ulla dubitatione opus Dei est, quod quidem et iussit a se peti. Quare et hoc toto pectore eum oro, ut propter filii intercessionem hanc Ecclesiam, et nos protegat et regat.

No. 140. an. 1554.

De Georgio Princ. Anhalt.

Prodiit: „Oratio de reverendissimo et illustriss. Principe Georgio, Principe in Anhalt et Ascania etc., a Georgio Maiore Doct. Theol. recitata in renunciatione publici testimonii de Rev. viro Henrico Sthenio Mundero Theologiae Doctore. Witeb. an. 1554. 8. 2 pl." — Recusa in select. Decl. T. III. p. 193 sqq., Servest. T. III. p. 185. et Richard. T. II. p. 699.

Oratio de vita Georgii, Principis Anhaltini; recitata a Georgio Maiore.

Luceat lux vestra, inquit filius Dei, coram hominibus, ut glorificetur pater vester coelestis. Vult multos ostendere Deus confessionem verae doctrinae, et erudiri et confirmari alios aliorum testimoniis, sicut ad Petrum dicitur: Et tu conversus confirma fratres tuos, vult etiam conspici Ecclesiam, quae quanquam dissimilis est imperiis, exigua, aerumnosa, orba, sine praesidiis, sine tyrannica potentia, tamen vult eam agnosci Deus, et cerni non esse agmen Cyclopum aut Centaurorum, aut Bacchi exercitum, sed navim in qua vehitur multitudo imbecilla discentium veram doctrinam de Deo, ut in Psalmo dicitur: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, in qua navi tamen ad clavum adsidet filius Dei, et multi sunt remiges unius voci omnes obtemperantes, modesti, concordes, periti, singuli suo loco fideliter facientes officium. Et horum remigum consessus similis est gravissimo Senatui. Quem enim cogitare possumus Senatum pulchriorem, quam fuit horum senum consessus, qui eodem tempore non procul a Iordane in oppidis vicinis habitarunt, et saepe ad collationem de doctrina convenerunt, Sem, Abraham, Loth, Isaac, Rex Abimelech.

Omnibus igitur temporibus circumspiciant oculi atque mentes, et considerent, ubi et quae sit Ecclesia, ubi sonet incorrupta doctrina et confessio, quales sint Doctores, quales adiuncti eis gubernatores, ut piorum voce et exemplis confirme-

mur. Manifestum est autem illustrissimum Principem Anhaltinum, qui non solum generis nobilitate, sed etiam eruditione, sapientia et omnibus virtutibus excelluit, gravissimo iudicio doctrinam sonantem in Ecclesiis nostris amplexum esse, nec postea abiecisse unquam, tametsi propter confessionem magnis iniuriis et contumeliis adficiebatur. Ut igitur et multi apud exteros et posteri sciant, qualis vir hic doctrinae testis fuerit, historiam eius recitabo.

Nec alienum est hoc argumentum ab hac renunciatione. Nam et huic ipsi cui gradus decernitur, et nobis omnibus utile est hoc exemplum intueri, quia semper prodest Ecclesiae historiam et doctrinae genera considerare, et piorum testimoniis confirmari. Deinde et praesentia Dei in Ecclesia agnoscenda est, et gratiae agendae sunt, quod dat aliquos salutares Doctores et gubernatores, et accendenda est invocatio, ut deinceps et nobis adsit, et regat docentium et discentium pectora. Denique commonefieri nos prodest, ut suo quisque loco imitetur huius Principis diligentiam in inquisitione veritatis, in invocatione, in castitate et omnium virtutum officiis.

Propter has causas scio bonis omnibus et utilem et gratam fore hanc commemorationem, quae tamen multo erit brevior et tenuior, quam postulat magnitudo rerum, de quibus dicendum erat. Sed scitis nulla ullius creaturae oratione satis exponi posse miranda Dei opera, Ecclesiae gubernationem, doctrinae amplitudinem, virtutum decus. Quae enim eloquentia sapientiam Dei satis illustrare potest? Qualescunque breves commonefactiones proponimus, ut ad piam cogitationem rerum maximarum invitentur aliqui, et cum celebramus dona Dei in viris magnis, Deum ipsum aspici volumus et eius sapientiam, bonitatem et praesentiam in genere humano cogitari, ut ei gratiae agantur: Sicut pie et erudite scripsit hic Henricus Sthenius:

Quos ego cum laudo, laus ea tota Dei est.

Ut autem exteri et posteri sciant, qua in familia natus sit Princeps Georgius, pauca de vetustate et celebritate familiae modestissime dicam, et non fingam fabulosam originem, sed recitabo quaedam historica, nota omnibus, qui non sunt ignari Germanicarum historiarum. Cum Lotharius Saxo, Imperator sapiens et magnanimus, exercitum in Italiam mitteret, ad intestinas seditiones opprimendas et ad expellendos Saracenos, praefecit exercitui Albertum cognomento Ursum, natum in familia Comitum de Ballenstet et Ascania, scitis autem Ascaniam arcem et oppidum esse non procul ab Halberstadio. Huius Alberti Ascanii tanta fuit sapientia et virtus, ut in Italia partim consilio, partim praeliando et domesticos tumultus sedaverit, et Saracenos represserit. Postea secutus Lotharius in Italia expulsis Saracenis, pacem legibus, iudiciis et praesidiis sapienter munivit. Cum autem tunc vetus familia Marchionum Brandenburgensium Electorum extincta esset, Lotharius Imperator tantum tribuit virtuti Alberti Ascanii, ut ei Marchiam et pulcherrimum ἀξίωμα Electorum traderet. Nec aliud honorificentius indicium de Alberto ab Imperatore, cuius fuit excellens sapientia, fieri potuit, quam quod auxit eius potentiam ditione tanta, et ornavit dignitate, qua non alia pulchrior est in genere humano.

Huic Alberto Ascanio filii fuerunt cum alii, tum et Bernardus qui duxit exercitum Friderici Barbarossae in Italia. Cum autem Henricus Guelfus cognomento Superbus, Dux Saxoniae et Bavariae, Imperatorem in Italia seditioso consilio deseruisset, et Dux Henricus postea proscriptus in Angliam fugisset, in tanto Germaniae periculo, prudentiam, virtutem et fidem tantam esse in Bernardo Ascanio Fridericus iudicavit, ut ei et ditionem Saxonicam ad Albim, et quarum summa est dignitas et autoritas Ascaniae et Anhaltinae familiae, quas quidem amplius ducentis annis magna cum gloria retinuit, ac posteri Alberti et Bernardi magna virtute defenderunt hanc Germaniae oram adversus Henetos, Bohemos, Polonos et Tartaros. Aliqui etiam in Syriam duxerunt Friderici Secundi exercitus.

Certum est autem continua serie ab Alberto Ascanio, et a Bernardo Duce Saxoniae Alberti filio ortos esse principes Anhaltinos, qui veterem patriam Dei beneficio adhuc possident. Fuitque nostra memoria praecipue clarus natus in ea familia Rodolphus Anhaltinus, qui Imperatoris Maximiliani exercitus in Italia duxit, et saepe foeliciter cum Venetis et Iulii Pontificis copiis dimicavit.

Vetustam nobilitatem, et nomen vetustissimae arcis et familiae Ascaniae indicat. Tuiscones enim ab Ascane dictos, multorum scriptorum opinio est, qui vocabuli vicinitate moventur, ac delector nomine Ascanis, quia videtur a religione

indita esse appellatio illi nepoti Iaphet. Nam Esch Cohon significat sacerdotem ignis. Fuit igitur ille nepos Iaphet custos sacri ignis, videlicet religionis et doctrinae. Sed haec vetera omitto. Extat autem in historiis non solum continua series Principum Anhaltinorum seu Ascaniorum, sed etiam rerum honestissimaram commemoratio quas gesserunt, quam hoc loco recitare nimis longum esset.

In hac nobilissima familia natus est Patre Principe Ernesto et matre nata in familia Ducum Munsterbergensium, Princeps Georgius. Erant autem in parentibus cum aliae virtutes, tum vero studium magnum cognoscendae doctrinae de Deo, et vera invocatio Dei. Quare et filios ipsi domi ad agnitionem Dei et ad omnia honesta officia adsuefecerunt, et Doctores eis idoneos quaesiverunt. Evat tunc in inclyta Academia Lypsica Georgius Heltus Forchemius, cuius fuit in formandis ingeniis fides et foelicitas eximia, et laudabatur integritas et gravitas in moribus. Hic enim initio erudiit Ioachimum Camerarium, Casparum Crucigerum, et alios qui postea propter eruditionem in Ecclesia et in gubernatione utiliter vitae communi servierunt. Huic Georgio Forchemio commendatus est adolescens Princeps Georgius Anhaltinus, apud quem cum natura esset doctrinae avida et capax, celeriter Grammaticen, linguam Latinam, Dialecticen et Catechesin doctrinae Christianae didicit, et ad exercitia invocationis studiose adsuefactus est.

Postea de consilio gravissimi senis Episcopi Mersburgensis, Adolphi Principis Anhaltini iussus est initia doctrinae Iurisconsultorum discere, quo in genere tantam praestitit adsiduitatem, ut fontes recte cognosceret, qua in re adiuvabatur non solum a Doctoribus, sed etiam naturae generositate, quae amabat veritatem, et erat fugitans cavillationum. Videbat, ut in arte, exordia, progressiones et metas, et intelligebat veritatem lucem divinam esse, monstratam generi humano, ut teneatur discrimen inter honesta et turpia, inter bona et mala, et agnoscatur Deus, et sciatur qualis sit, videlicet sapiens, verax, bonus, iustus, beneficus, castus, vindex scelerum. Dicebat Deum velle nos sibi adsentiri agnita veritate, praestigias cavillationum et sophismatum illudere Deo. Et saepe illud Salomonis repetebat. Non decet Principem labium mendax. Fontes igitur iuris et usum quaerebat, ac praecipue Panormitanum legebat.

In hoc tyrocinio cum annos aliquot praeparasset ingenium, et iam egressus esset annum vicesimum secundum, Cardinalis Albertus Elector Moguntinus, et Episcopus Magdeburgensis, natus in familia Marchionum Brandenburgensium, adiungit eum consiliariis in aula, ubi iam non in umbra, ut in Academia, sed in iudiciis et in deliberationibus gubernationis usum doctrinae iuris consideravit. Et cum natura facundus esset, saepe iussit eius voce Cardinalis exponi causas, quae erant in deliberatione aut iudiciis proponendae. Ita et industria augebatur et confirmabatur iudicium. Iam autem certamina de doctrina Ecclesiae mota erant, et Tecelius, qui scurrili impudentia venales indulgentias pontificias circumtulerat, et eius satellites Eccius et alii Lutherum assiduis scriptis et fulminibus pontificiis cogebant, de fontibus doctrinae Christianae multa dicere.

Et extabant iam Lutheri explicationes, de discrimine legis et Evangelii, de vera poenitentia, de gratia, de fide, de vera invocatione, de usu Sacramentorum, de discrimine legum divinarum et humanarum, de discrimine ministerii evangelici et politicae potestatis. Haec scripta erant in manibus doctorum et indoctorum, ac studia accendebantur, quia superstitiosi Canones diu fuerant conscientiarum carnificina, et Pontifices et Monachi regno suo immoderate abusi fuerant. Desiderabatur etiam Theologia pura et perspicua, quia labyrinthi Scotistarum et similium erant inextricabiles. Multi igitur docti et pii adsentiebantur Luthero, et gratulabantur Ecclesiae illuscentem veritatem, alii prophani laetabantur laxatione vinculorum quorundam, ut fieri solet.

Etsi autem legebat et Princeps Georgius haec scripta, quia Deum recte colere cupiebat, et multis piis sententiis adsentiebatur, tamen quia verebatur, ne aetatis infirmitate alicubi laberetur, non statim de toto genere doctrinae pronunciavit. Interea vero simul ardentibus ac adsiduis votis a Deo petivit, flecti pectus suum ad veritatem, ac lachrymans saepe haec verba repetivit: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me, et studiose legit scripta prophetica et apostolica, et his adiunxit historiam veteris Ecclesiae, scripta Augustini, Hieronymi et Petri Longobardi, ac laboris huius hortatorem et socium habebat Georgium Forchemium. Et quia fontes in scriptis propheticis et apostolicis cognoscere cupiebat, addidit linguae Graecae et

Ebreae studium, tantumque in Ebrea profecit, ut par esset in ea doctis interpretibus. Saepe etiam de omnibus controversiis cum eruditis et sapientibus disserebat.

Tandem igitur diu cogitatis omnium sententiis, cum iudicaret Ecclesiarum nostrarum confessionem, consensum esse veteris Ecclesiae catholicae Dei, traditum in scriptis propheticis et apostolicis, etsi odia et pericula prospiciebat, tamen ostendit palam se amplecti nostrarum Ecclesiarum confessionem, et ab adversariorum consiliis et sacrificiis discessit, seque totum dedidit precationi et lectioni, et fratres optimos Principes, cum quibus in tota vita sic vixit, ut nulla res unquam eorum concordiam labefactaverit, in laboribus gubernationis sedulo adiuvit. Ac primum communi consilio cum fratribus instauravit Ecclesias in patria, praefecit idoneos pastores, iussit recte doceri populum, abolevit ritus viciosos, constituit scholas, attribuit stipendia. Ita facta est emendatio sine dissensionibus et sine ullo tumultu. Et iudiciis ac exemplis piorum Principum multi ad agnitionem veritatis invitati sunt, multi confirmati. Postea et in aliis partibus gubernationis fideliter et utiliter patriae servivit.

Deinde vocatus ad Ecclesias regendas in Mersburgensi diocesi, ibi quoque recte doceri populum curavit, et praefuit Ecclesiis universae regionis Mysorum, fuitque hic et vitae cursus annos fere viginti, donec ex hac mortali vita ad coelestis Ecclesiae societatem vocatus est, vixit caste in vita celibe, sine ulla contaminatione, cubiculum eius erat templum, academia et curia. Nam ibi haec fiebant quotidie, precatio, lectio, scriptio, et deliberationes de gubernatione. Ac ut Esdras, utraque in re patriae profuit, docuit et confirmavit multos concionibus et editis scriptis, et rexit consilia gubernationis. Neminem sciens unquam laesit, benefecit privatim et publice multis, fuit suasor pacis inter Principes, mulorum diremit controversias, abhorruit ab omnibus seditiosis, turbulentis, Alcibiadeis consiliis, ab ambitione alienissimus fuit. Nunquam ira, vel odium, vel vindictae cupiditas eum impulit, ut contra iusticiam faceret, aut tranquillitatem communem turbaret. Iniurias etiam multas et magnas excelso animo condonavit tranquillitati publicae, dolores etiam alios ea animi moderatione tulit, ut satis intelligi posset, eum sustentari invocatione Dei, et acquiescere in Deo. Norat ut vir doctus, discrimina consolationum humanarum et divinarum, et saepe haec dicta repetebat: Subditus esto Deo, et ora eum; Prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.

Studia, dolores, adsiduitas in gubernatione, precatio abducebant eum ab omnibus voluptatibus corporis. Ac post consolationes, quas ei cogitatio divinarum promissionum et invocatio adferebant, dicebat se non habere aliam levationem moesticiae, nisi colloquia optimorum fratrum et aliorum honestorum ac doctorum virorum, ac delectabatur hoc versu:

ἡδύ γε φίλον λόγος ἐστὶ τοῖς λυπουμένοις.

De forensibus controversiis disserebat cum viris clarissimis Iurisconsultis, sapientia et virtute praestantibus, Hieronymo Schurffio et Ludovico Fachsio, de corporis humani natura, de morborum causis et remediis, cum peritissimis Medicis, Sebastiano Aurbachio, Augustino Schurfio et Iacobo Milichio.

De doctrina Ecclesiae cum Luthero, Iona et Iohanne Bugenhagio Pomerano, ac multas eorum disputationes, plenas eruditionis et pietatis meminimus.

Adsedimus cum interrogaret Lutherum, quomodo invocatio in Ecclesia discernenda sit ab ethnica invocatione, cum et Ethnici non furiosi cogitarunt unam esse mentem architectatricem mundi? Ibi Lutherus respondit, semper in invocatione cogitandum esse, quid alloquamur, et seiungendam esse nostram invocationem ab ethnica, ac praecipua esse duo discrimina, alterum de essentia Dei, alterum de voluntate, ac de utroque discrimine, mente intuendas esse patefactiones divinas in baptismo filii et alias, ac promissiones divinitus traditas. Hanc ipsam ob causam prodiisse Deum ex arcana sede, ut in his patefactionibus agnoscatur, et a commenticiis numinibus procul seiungatur. Ac in cogitatione essentiae hunc Deum, qui pater est aeternus Domini nostri Iesu Christi, et cum filio et Spiritu sancto omnia condidit, et promissionem reconciliationis tradidit, eamque sanguine et resurrectione filii obsignavit, compellandum esse, sicut inquit Christus: Qui me videt, videt patrem. De voluntate etiam cogitari oportere mediatorem et promissiones.

Huic verae invocationi dissimillima est ethnica seu turcica, quae negat hunc vere Deum, conditorem rerum esse, qui est pater Domini no-

stri Iesu Christi. Et ignorat mediatorem et promissiones, sed dubitat, an et cur nos indignos Deus exaudiat.

Taxabat et doctrinam Monachorum, quae iubet adferre dubitationem ad Deum, sicut adferunt Ethnici. Iubebat saepe recitare, et semper in invocatione cogitare promissiones, quia earum cogitatione fides accendenda sit, et damnabat Enthusiastarum furores, qui abducunt homines a cogitatione scriptae promissionis, dicebat autem hanc doctrinam quotidie in ardenti invocatione exercendam esse.

Hic cum rursus interrogaret Ascanius de discrimine Personarum, cur filius λόγος nominetur, tertia persona Spiritus, graviter ingemiscens Lutherus deplorare calamitates Ecclesiae coepit, veteres controversias repetivit, et execratus est diabolicos furores Samosateni, Arii et similium, ex quibus orta est deinde blasphemia Mahometica, deinde et querelam addidit de negligentia scriptorum recentium, in quorum disputationibus vere hoc accidit, ut plura sint πάρεργα quam ἔργα. Est, inquit filius, integra imago aeterni patris καὶ ὑφισταμένη, Λόγος autem dicitur non solum, quia patris sese intuentis cogitatione genitus est, sed etiam, quia per eum decretum, de toto ordine creationis et restitutionis humani generis dictum est: Hic est angelus magni consilii, proferens admirandum et arcanum decretum, de humana salute, ex sinu aeterni patris, sonat vocem Evangelii ad Adam et Hevam, servat nunc quoque ministerium Evangelii, et voce Evangelii dicit consolationem in cordibus, monstrat patrem, reddit nobis vitam, et dat Spiritum sanctum, qui in cordibus laeticiam, invocationem, et accendit alios tales motus, qualis est ipse, unde et Spiritus appellatio est, quia tertia persona sic nobis patefacta est, quod divinos motus in corde accendit.

In hanc commemorationem ingressus Lutherus multa dicta enarrabat, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Et in Salomone de sapientia: Fui cum eo artifex, ludens in orbe terrae suae, et delectationes meae cum filiis hominum. Quid dulcius est, inquit, hac sententia, de filio enim dicitur, in quo fulget idea opificii mundi, et qui se patefecit generi humano edita voce, ludit mirandis operibus in creatione et in colligenda Ecclesia. Quale enim spectaculum est hominis formatio, qualia spectacula sunt adsumptio naturae humanae, liberatio Nohae in diluvio, populi in Aegypto, resurrectiones mortuorum, et alia miranda facta? Iam hoc dulcissimum est, quod ait se hominum consuetudine delectari: Nobiscum adest, colligit et servat Ecclesiam voce Evangelii.

Talia erant argumenta familiarium sermonum, quoties hi viri conveniebant, quorum erat Ascanius tanquam ἀγωνοθέτης, nec erat κωφὸν πρόσωπον, sed suum iudicium erudite de controversiis et de enarrationibus addebat, miscebat et pia vota, ac Deo gratias agebat cum pro aliis beneficiis, tum etiam pro hoc ingenti munere, quod depulsis tenebris papisticis, quae sunt ethnicarum similes, reddidit nobis Evangelii lucem.

Ionae viro erudito in doctrina Ecclesiae et in Iure dixerat, videri sibi ταυτολογίαν esse in latina interpretatione inconcinnam et obscuram, in prima epistola Iohannis, in capite tertio: Peccatum est iniquitas. Respondit Ionas interpretis negligentia eruditissimam definitionem obscuratam esse. Ut enim privationes definiuntur collatione, ut cum dicimus tenebras esse privationem lucis, ita Iohannem rectissime definire, peccatum esse, quicquid est contrarium legi, ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Norma est iusticiae, lex Dei, quae est sapientia in Deo aeterna et immota, cuius radii transfusi sunt in rationales creaturas, et quae in promulgatione Decalogi repetita est. Contraria huic normae et sapientiae suae Deus damnat et peccata nominat, ac propter ea fontibus irascitur, et eos destruit. Ac adparet Ioannem motum esse licentia eorum, qui ex gentibus ad Ecclesiam conversi erant, quibus ostendenda fuit norma unde iudicarent, quae mala sint a Deo damnata, deducit igitur nos ad legem, quam recte vult intelligi.

Delectabatur et similitudine quam recitabat D. Pomeranus. Ut annulus magno aestimatur, et amatur propter gemmam, Adamantem, aut Smaragdum, non propter aurum, sic dicitur: Fide iustificari homines propter gemmam, filium Dei, hanc autem gemmam fide amplectimur.

Cum Ioachimo Camerario disserebat de omnium aetatum historiis, de imperiorum mutationibus et periodis, et earum causis, de motibus coelestibus et de syderum effectione. Multa et de phrasi in libris apostolicis sciscitabatur. Ac ut aiunt Platonem sic amasse γνωμολογικὸν scriptum, cui titulus fuit Sophron, ut sub culcitram collocarit, ut in lecto etiam ad manum esset, sic Ascanius amabat Solomonem et Siraciden, et saepe dicebat gnomas esse eximium ἐφόδιον in vita,

et utiles commonefactiones in multis deliberationibus. Quia vero Siracidae lectio passim corrupta est, fuit hortator Ioachimo, ut ederet emendatam. Saepe et de sententiis obscuris cum eo disputabat, ut cum in capite quadragesimo primo dicitur: *φύλαξον ἀπὸ σκορακισμοῦ λήψεως καὶ δόσεως,* aenigmata inquit lego, et petebat enarrationem. Hic Ioachimus ait factum esse verbum ab Adagio *ἐς κόρακας,* et iubere cavendam esse expulsionem seu deletionem dati et accepti, id est, iustae compensationis in contractibus et in referenda gratia, velle Deum hanc compensationem non aboleri, quae et ordo est sapientiae et iusticiae in Deo, et nervus humanae consociationis, et significat Deo nos gratitudinem debere. Etsi alii alias interpretationes quaerebant, tamen Ascanius amans iusticiam et gratitudinem, hanc Ioachimi interpretationem anteferebat.

Sed omitto longiorem narrationem talium colloquiorum. Extant enim ipsius scripta, quae et eruditionem ipsius et confessionem ostendunt, quae cum communi Ecclesiarum Saxonicarum confessione congruit, quam pio et gravissimo iudicio amplexus nunquam ab ea discessit, et fanaticis dogmatibus pugnantibus cum ea confessione acerrime adversatus est.

Laudanda est et haec eius prudentia et diligentia, quod genere sermonis proprio et perspicuo usus est, ne ambiguitas, ut saepe fit, gigneret diversas opiniones et dissidia. Erat autem constantia vitae et morum talis, ut vere de eo dici possit, quod de integerrimo Imperatore Marco Antonino scripsit Dion: *ὅμοιος διὰ πάντων ἐγένετο καὶ ἐν οὐδενὶ ἠλλοιώθει, ἀγαθὸς δὲ ἦν καὶ οὐδὲν προσποίκτον εἶχεν.* Haec quanta bona sint et in Principibus et in privatis hominibus, omnes sani intelligunt.

Postremus etiam actus vitae Principis Georgii, pietatem eius et Dei praesentiam ostendit. Cum toto semestri conflictaretur cum morbo molestissimo, tamen quotidie piis precibus sese, Ecclesiam, optimum fratrem, et caeteros Principes Anhaltinos, patriam et Germaniam Deo commendavit, deinde lectionem audiebat ex propheticis et apostolicis libris, quantum potuit etiam consilia gubernationis adhuc rexit. Testamentum pie condidit, in quo et confessionem suam repetivit, et Ecclesiarum defensionem fratri commendavit. Addidit etiam singulis pastoribus Ecclesiarum suae ditionis ad annuos redditus frumenti medimnos duodenos.

Tandem vero languefactam naturam superante morbo mense Octobri, anima eius ex hac mortali vita ad coelestis Ecclesiae societatem evocata est, cum quidem sese vivens, quotidie filio Dei commendasset, et adsidue commemorasset divinas promissiones: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat. Item: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Item: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos, et tantum animi robur fuit, ut satis adpareret in eo lucere fidem ac fiduciam filii Dei divinitus accensam, quotidie enim cum fratre et aliis de beneficiis filii Dei, de spe vitae aeternae, de miranda collectione Ecclesiae ex genere humano, dulcissime collocutus est.

Etsi autem orbitas fratris, Ecclesiae, patriae, nostrae dolorem nobis adfert, tamen ipsi quidem Principi Georgio migratio ad consuetudinem coelestis Ecclesiae gratulanda est, et retinenda est memoria confessionis et virtutum ipsius, primum ut Deo gratias agamus de donis, quae ipsi et per eum aliis tribuit. Verum est enim hanc in eo lucem veritatis, et flammas amoris erga Deum, et caeteras virtutes dona Dei esse, transfusa in eum, ut et ipsi et aliis salutaria essent, et in hac gratiarum actione consideremus duo hominum genera. Vasa irae et vasa misericordiae, ut Paulus nominat. Quid tristius est, quam esse pestem generis humani seu *ἀλάστορα*? ut fuerunt Alcibiades, Catilina, Nero et similes. Rursus quantum bonum est esse organum Deo placens, et utile Ecclesiae, ut fuerunt Ioseph, Samuel, Ezechias, et alii, quibus et Principem Georgium annumeramus, in quo praesentia Dei, tum in ipsius confessione et virtutibus, tum vero in gubernatione conspecta est, quam Deus sic adiuvit, ut patria tranquilla fuerit tot iam annos, quibus vicinia bellis undique arsit.

Haec Dei beneficia undique agnoscenda sunt, et gratis mentibus celebranda, deinde singuli ardentibus votis petamus, ut filius Dei nos sibi palmites faciat, sicut inquit: Ego sum vitis, vos palmites, ac faciat nos organa misericordiae, gubernet consilia et labores nostros, ut prosint Ecclesiae.

Deinde et confessione Principis Georgii confirmemur, et exemplis eius excitemur ad invoca-

tionem Dei, et ad diligentiam retinendi dona divina. Nam et fatendum est virtutes esse dona Dei, et simul consideranda est eius diligentia, quod ea adsidua invocatione petivit, et cavit, ne petulanter effunderet. Habenti enim dabitur, ut inquit filius Dei, qui quidem vult nos intuentes in talia exempla, scire se aequalem esse, et nobis quoque petentibus opitulaturum esse. Sicut Psalmus docet accendendam esse invocationem talium exemplorum consideratione, cum inquit: Accedite ad eum, et accurrite. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum. Intuentes igitur Principis Georgii cursum, et grati Deum celebremus, et petamus nos quoque gubernari, et studia, sedulitatem et diligentiam eius, in retinendis Dei donis pie imitemur. Dixi.

No. 141. an. 1554.

De dignitate Princip. Elect.

Prodiit separatim: „Oratio de dignitate Principum, quibus electio Imperatoris in Germania commendata est. Recitata Vitebergae, cum decerneretur gradus Doctori Paulo Gusebelio Longicampiano. Excusa in officina haeredum Georgii Rhaw. MDLIIII. $1^{1}/_{3}$ pl. 8." — Recusa in select. Decl. T. III. p. 239 sqq. Servest. T. III. p. 227. Richard. T. II. p. 536.

Oratio de dignitate Principum, quibus Electio Imperatoris in Germania commendata est.

Sapienter institutum est, ut in renunciatione publici testimonii, singuli qui hoc loco dicunt, adferant commonefactionem aliquam convenientem suae arti. Cum autem alias saepe de legum fontibus et dignitate gravissime dictum sit, et refutati sint furores hominum fanaticorum, qui leges et totum politicum ordinem damnant, ego nunc de dignitate Principum, quibus electio Imperatoris in Germania commendata est, quaedam dicam. Quanquam enim eius rei cogitatio proprie ad summos Principes pertinet, tamen populus docendus est de reverentia, quae tanto fastigio debetur, et de voluntate Dei servante genus humanum regnorum distinctione et ordine, ut et obedientia confirmetur debita imperiis, et multi homines moveantur, ut ardentioribus votis a Deo salutarem gubernationem petant, qua de re saepius repetendae sunt piae commonefactiones, quia paucissimi in populo considerant voluntatem Dei in constitutione regnorum, ac plurimi cum vident toties mutata esse regna in mundo, et in singulis plurimum fuisse, et esse confusionum et scelerum, imaginantur casu regna transferri, aut tantum rapi hominum audacia, et oderunt omnem gubernationem tanquam tyrannidem, et non solum precationem omittunt, sed etiam seditiosis sermonibus alienant hominum voluntates a gubernatoribus, et communem tranquillitatem turbant, obliti saeverissimae vocis divinae, quae in Exodo scripta est: Principi populi tui non maledices.

Quare saepe multumque commonefaciendi sunt homines, ut considerent in gubernatione, bona et mala, et discernant causas. Ipse ordo politicus, leges, magistratus, iudicia, legitimae poenae, contractus, conservatio societatis humanae sunt illustria testimonia de Deo et de providentia. In his ipsis testimoniis agnoscimus et esse Deum, et sapientem, bonum, beneficum, iustum, veracem, castum, et vindicem scelerum esse. Saepe igitur hunc pulcherrimum ordinem aspiciamus, et sciamus eum vere Dei opus esse, et mirabiliter ab ipso conservari inter varias confusiones, quae accedunt, nec oriuntur a Deo, sed a furoribus diabolorum et hominum. Harum causarum diversitatem menti proponito, tanquam in hac imagine pictam: Si gregem ovium in florido prato pastor custodiat, et lupi aliquot irrumpentes rapiant ac dilanient oves aliquas, tamen vigilans pastor incitatis canibus depellit lupos, et maiorem partem gregis servat. Sic verissime adest Deus generi humano, et est beneficus et vigilans Pastor, non sinit deleri totum genus humanum, et reprimit grassantes diabolos et turbulentos homines.

Considerata autem harum causarum diversitate, et nostra imbecillitate, ardentioribus votis a Deo petamus, ut nos protegat, et libentius a nobis lupos depellat. Simus ipsi quoque circumspectiores, ne velut oves longius vagantes, incidamus in lupos, et nostra stulticia ordinem turbemus. Utinam haec saepe cogitarent homines summi et infimi. Utinam Principes agnoscerent se divinitus in hanc stationem collocatos esse, ut gregem a Deo commendatum, tanquam mapalia custodiant, et sint summi Pastoris fideles ministri, non ut suis cupiditatibus ipsi in grege lanienam exerceant. Hae commonefactiones saepe repetuntur hoc loco, et Deus praecepit, ut saepe repetantur, Ideo nunc quoque initio orationis haec dixi.

Utile est autem omnibus, saepe multumque considerare successionem imperiorum, quomodo Deus custodierit genus humanum, et rexerit legibus, et compescuerit tyrannos et latrones per quatuor monarchias, sapientia, virtute et potentia excellentes in genere humano, quarum picturas Deus esse nobis proposuit in Daniele, quae picturae distinguunt etiam virtutem et fortunam singulorum imperiorum. Simul autem ibi significatum est, in hac senecta mundi plus fore confusionum, quam fuit antea, et tamen, donec est genus humanum, regna aliqua Deum servaturum esse, quae quo propior erit finis mundi, erunt languidiora. Interea maximam fore potentiam barbaricae cuiusdam gentis, quae in divinis vaticiniis nominatur Gog et Magog, quam esse Turcicam gentem nihil dubitemus, quae manifestis miraculis a Deo reiecta et damnata est. Voluit enim Deus nos praemonere, ne moti potentia eius gentis, deficiamus ab ea doctrina, quae voce filii Dei nobis tradita est.

Simul autem significatum est, Turcos non habituros esse monarchiam parem prioribus, sed alia quaedam regna mansura esse, quorum nullum potentiam habebit parem prioribus monarchiis. Sed tamen ut aliquo modo leges et disciplina conserventur, subinde Deus excitat Regem antecellentem virtute et potentia caeteris: talis Rex fuit Carolus primus, qui dilacerata veteri monarchia Romana, caeteris Regibus in Europa antecelluit, tenuit enim Galliam, Germaniam et bonam Italiae partem, et compescere caeteros poterat. Quare cum prioris monarchiae quasi reliquias teneret, nomen etiam ei Romani Imperatoris attributum est, et religionis Christianae, quae in imperio Romano iam propagata erat, et legum Romanarum praecipuus custos fuit.

Grata et utilis fuit tunc universae Europae coniunctio Italiae, Galliae et Germaniae. Et ipse Carolus voluit hanc coniunctionem durare ad posteros, ac Ludovico filio tuendam tradidit. Postea cum Galliae pars avulsa est, tamen Italiae et Germaniae coniunctionem retinuerunt viri sapientes et magnanimi Saxonici Principes Henricus, Otho primus, Otho secundus et Otho tertius. Et quia reipsa iam compertum erat hoc qualecunque imperium iam salutare fuisse Europae, depulsos esse barbaros Saracenos ab Italia, a Germania Hungaros et Henetos, et in his ipsis gentibus religionem Christianam horum Principum virtute propagatam esse, Otho tertius qui adeo excelluit sapientia, ut nomen ei attributum sit, mirabilia mundi, hanc coniunctionem novo consilio munivit.

Adsentiente Romano Pontifice constituit, ut deinceps semper coniunctae essent Italia et Germania, et ut in Germania septem essent Principes Electores, qui eligerent Regem Germanicum Principem natum in familia Germanica, dominaturum Italiae et Germaniae, et cui tribueretur titulus Romani Imperatoris. Hoc decretum quo anno factum sit, non certo traditur, sed non multo ante mortem Othonis tertii factum esse narratur. Scribit autem Urspergensis dignus fide, mortuum esse Othonem tertium anno millesimo primo, quinto Calendas Februarii. Blondus decretum de Electoribus factum esse scribit biennio ante. Et consentaneum est fuisse deliberationem non subitam. Voluerunt autem autores huius pulcherrimi consilii hunc Imperatorem non solum esse Italiae et Germaniae defensorem, sed etiam praecipuum inter Reges publici consilii Principem, et Regum aliorum Ducem in tuendo pio consensu doctrinae religionis, et in reprimendis Barbarorum irruptionibus in vicina regna. Ad haec summa officia hunc Imperatorem velut in speculam summam in genere humano collocarunt. Ac sapienter institutum est collegium Electorum, ut septem essent Principes, sive exemplo Persarum, sive Laconico. Nam et apud Persas consilium summum fuit post regem septem nobilissimorum Principum. Et apud Lacedaemonios Ephori fuerunt quinque. Noster Saxo sapienter viros doctos et bellatores miscuit, tribus Episcopis, Moguntino, Treverensi et Coloniensi adiunxit ex bellicosissimis gentibus tres Duces, Bohemicum, Saxonicum et Marchicum, et adiunctus est Palatinus Rheni, vel quia e stirpe Caroli fuit, vel ut Rheni ripam continuam quasi limitem Electores quatuor custodirent, ut alibi limitem orientalem tenuerunt caeteri. In hoc Senatu aequalitas est Arithmetica, tantum hoc munus habet proprium Moguntinus, ut caeteros convocet.

Hic Senatus et eligit Imperatorem, et si fit tyrannus, aut hostis verae doctrinae traditae in symbolis, Apostolico et Niceno, eripit ei imperium. Nec fiunt decreta a solo Imperatore, sine adprobatione plurium ex hoc Senatu, qui etiam in conventibus facit *προβούλευμα,* de quo deinde deliberant caeteri Principes, cum quibus postea communis fit suffragatio. Sicut Athenis Senatus

faciebat προβούλευμα, de quo postea in concione deliberabatur: ita regnum in Germania temperatum est honestissima aristocratia. Cum igitur rerum maximarum custodia, religionis Christianae, legum, iudiciorum, disciplinae, in hac parte generis humani praecipue commendata sit huic Imperatori, et Electorum Senatui, agnoscamus hoc ingens decus, et reverenter de Imperatore et de hoc praecipuo Senatu generis humani sentiamus.

Nec ideo quia maior est Turcica potentia, maiorem dignitatem esse Turcici Imperatoris existimemus, quia dignitas non est in illa barbarica tyrannide. Tantum apud eas gentes est, apud quas verae religionis doctrina colitur. Ubi leges divinae, et ex his extructae aliae leges honestae conservantur, ubi sunt legitima iudicia, et scelerum poenae, et ubi honesti hominum coetus iustis armis proteguntur. Haec cum non fiant a Turcis, etiamsi est magna potentia, tamen honore imperii non ornetur, ideoque voce divina ante multa secula, tyrannis illa damnata est. Et qualis sit gubernatio, nomen et eventus ostendunt. Turca enim vastatorem significat, et res ostendit eam partem terrae quae urbes habuit plenas artium, Ecclesiarum et aliorum ornamentorum ita vastatam esse a Turcis, ut nunc barbarica solitudo sit, sine luce doctrinae, sine legibus, sine iudiciis, sine ordine vitae. Intueamur ergo alteram generis humani partem, et ibi vere agnoscamus imperium esse, idque veneremur omnes, praecipue vero Principes, quos magis intelligere suam dignitatem decet. Veneremur autem primum propter Deum, quia certum est legitima imperia Dei opera esse, ut Paulus inquit. Deinde et sapientia in ipsa constitutione, et utilitates quae secutae sunt, et duratio ostendunt hoc imperium divinitus constitutum et servatum esse. Sapientiam, leges, doctrina, iudiciorum ordo ostendunt. Utilitatem non agnoscere ingratitudo est, multos enim excellentes Principes huic imperio Deus tribuit. Carolum primum, Ludovicum Pium, Henricum Aucupem, qui doctrinam Evangelii propagavit in Cymbrica Chersoneso, et repressit Henetos et Hungaros. Othonem primum qui infusos in Germaniam Hungaros profligavit, et multis seditionibus oppressis Italiae, Germaniae et Galliae pacem restituit. Sed dicam de eorum meritis, qui Electorum suffragiis post Othonem tertium Imperatores electi sunt, ut hunc Senatum etiam profuisse Europae consideretis. Nisi fuisset excellens virtus in Henrico Bombergensi, qui primus Electorum suffragiis factus est Imperator, non tribuisset ei posteritas nomen Sancti. Hic Saracenos grassantes in Italia delevit, pacavit Belgicum, propagavit doctrinam Evangelii in hanc vicinam Elysiam, quae nunc partim Silesia est, partim Lusatia. Hungaros repressit, et cum Regi dedisset sororem Giselam, flexit animum eius ad agnitionem verae religionis. Cunradus Francus repressit Hungaros et Burgundos. Lotharius Saxo rursus grassantes in Italia Saracenos delevit, protulit ex bibliotheca in iudicia libros Romani Iuris, restituit pacem et leges in Germania, quam graviter adflixerant bella civilia. Postea cum rursus Pontifices accendissent bella civilia in Germania, Rodolphi consiliis et virtute pax restituta est. Multa sapienter, honeste, et utiliter in toga et in armis acta sunt a Carolo quarto et ab eius filio Sigismundo, qui cum esset Marchio Brandeburgensis et Moraviae, accersitus est ad regnum Hungaricum. Etsi autem aliquoties Sigismundus a Turcis victus est, tamen eorum vires his praeliis diminutae sunt, ne cito postea longius progredi potuerint. Magno labore etiam dissidia inter Pontifices diremit, quae si non dirempta essent, maiores distractiones in Europa factae essent. Sed obiiciunt aliqui, non semper fuisse foelicem Electionem, fuisse Imperatores quosdam ignavos, quosdam etiam perniciosos patriae et Italiae. Fatendum est, non semper fuisse similem foelicitatem aut electionis aut ipsorum Imperatorum, et deploranda est communis humanarum rerum infirmitas. Neque illa vetera imperia aurea et argentea sine magnis calamitatibus fuerunt. Vagantur poenae per genus humanum, et ostendit Deus exempla iudicii sui et irae adversus peccata in summis et infimis, et magis conspiciuntur Regum poenae. Interea tamen Deus sicut inquit: Non faciam furorem irae meae, non prorsus sinit homines deleri, sed propter Ecclesiam servat aliquas reliquias. Ideo subinde tribuit aliquos salutares Principes. Et quanquam eventus interdum non fuit foelix in electione, tamen res ostendit consilia Electorum plerunque honesta fuisse. Viros honestos elegerunt, ac plerunque concordes fuerunt. Exemplum etiam posteritati memorabile reliquit proxima electio, in qua priusquam fieret suffragatio, iurarunt Electores, se non facturos esse solennem electionem, nisi prius communi

consensu statuissent se electuros esse eundum, ne Germania distraheretur Electorum dissensione. Nec peregrini Reges accersiti sunt, nisi semel, cum alii Alfonsum Hispanum, alii Ricardum Anglum attraxerunt.

De Alfonso non dubium est accersitum esse propter excellentem sapientiam et virtutem, qui tamen cum esset Philosophus, et dimicare de imperio non vellet, quanquam Basileam venit, tamen volens cessit relicto hoc certamine. Anglus cito mortuus est.

Interdum etiam furiae pontificiae fuerunt causae dissidiorum inter Electores. Et non multo ante Pontifex Romanus conatus est hunc nervum imperii, videlicet ius electionis, insigni astutia abolere. Nam Episcopum Moguntinum Comitem Isenbergium obligare voluit Aeneas Sylvius, ne unquam nisi adsentiente Romano Pontifice Moguntinus Electores convocaret. Qua in re cum non assentiretur Moguntinus, sensit fulmen pontificium, sed a Friderico Palatino fortiter et foeliciter defensus est. Postremo ostendit duratio divinitus hanc imperii formam et institutam et conservatam esse, quia annos amplius quingentos mansit haec forma, atque utinam diutius eam Deus conservet. Sed plurimorum regnorum fatales periodi fuerunt anni quingenti. Ab exitu Israëlitarum ex Aegypto sunt ad Salomonem anni circiter quingenti. Inde ad exilium Babylonicum rursus quingenti. A reditu quingenti ad ultimum excidium. Ac significatur hic numerus in Daniele cum fit mentio septuaginta hebdomadum, quae sunt anni quadringenti et nonaginta. Ac nunc postrema mundi senectus est. Quare valde metuenda est huius formae mutatio, praesertim cum etiam Turcos progressuros esse multi praedixerint. Et Iohannes Hilten Franciscanus Isenacensis scripsit anno millesimo sexcentesimo Turcos in Germania et Italia dominaturos esse. Narravit etiam optimus Princeps Dux Saxoniae Elector Iohannes, fratrem et se adolescentes comitatos esse patrem ad Maximiliani electionem, ibique Iudaeum vaticinatum esse, tunc eligi postremum Germanicum Imperatorem. Tanta cum autoritate haec praedictio sparsa est, ut Electores vatem illum ad se accerserent, et longiorem explicationem flagitarent. Hic respondit alium potentem Imperatorem post Maximilianum secuturum esse, qui regna externa etiam possessurus esset, sed ortum a Maximiliano, qui futurus esset autor novae formae imperii. Sed quicquid erit, oremus Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, qui condidit genus humanum, et propter Ecclesiam servat aliquas politias, ut clementer mitiget impendentes mutationes, et protegat in his regionibus Ecclesias et earum hospitia. Et diutius servet in Germania legitimi imperii decus, regat etiam Principum animos, ne aut odiis aut ambitione incensi patriam dilacerent: sed ut sunt cognati, ita sint inter se vere Germani, non fucata benevolentia sese mutuo complectentes, et saluti communi Germaniae et vicinarum gentium consulant. Dixi.

No. 142. an. 1554.

De Hieron. Schurff.

In select. Declam. T. III. p. 341 sqq., Richard. II. p. 616., Servest. T. III. p. 324. Etiam separatim edita. Cf. Strob. bibl. Mel. No. 414.

Oratio de vita Hieronymi Schurffii, Iuris utriusque Doctoris, recitata a D. Michaële Teubero.

Mirum est, cum legum et totius ordinis politici manifesta sit utilitas et pulchritudo, tamen omnibus temporibus fuisse multos, qui non tantum licentiae cupiditate oderunt disciplinae vincula, sed etiam alios, quorum nonnulli praetextu sapientiae, multi praetextu religionis vociferati sunt, totum hunc ordinem honestae et civilis vitae iniustam tyrannidem esse, sicut apud Platonem quidam legem nominat tyrannum. Et quod magis mirum est, cum vox divina in Ecclesia maxime ornet leges et imperia, tamen fere omnibus aetatibus vagati sunt fanatici spiritus, qui omnes nervos honestae societatis inciderunt, sustulerunt iura coniugii, et distinctionem Dominiorum, damnaverunt Magistratus, Leges, Iudicia.

Tales furores circumtulerunt statim post Apostolos tempore Adriani Imperatoris, Haeretici in multis Asiae et Africae locis, Carpocrates, Martion et deinde Manes, qui, quia homines facile capiuntur opinione et spe divini consortii, simulabant in suis congressibus subitas consternationes, suspiria, lachrymas et alios gestus arte fictos, ut persuaderent aliis, se cum Deo colloqui, et invitarent stultos, ut sperarent, se

quoque gustaturos esse illud divinum nectar. Itaque et definitionem iusticiae acceptam alicunde ex sermonibus non indoctorum hominum, detorserunt ad has suas imposturas: Iusticia est societas cum Deo, cum aequalitate. Societatem cum Deo interpretabantur esse illos adflatus, et aequalitatem deinde intelligebant, non ordinatam lege divina aequalitatem, sed confusiones coniugiorum, Platonicam communicationem facultatum, seditiones contra Magistratus etc.

Tantos furores extitisse illis foelicioribus temporibus, cum adhuc viverent, qui Apostolos audiverant (nam Polycarpus auditor Ioannis Apostoli vidit Martionem) vix credibile esset, nisi has historias recitarent scriptores digni fide, Clemens, Iustinus, Epiphanius et alii. Sed proh dolor multa similia exempla vidit nostra aetas. Aliquoties a talibus impostoribus falso praetextu religionis motae sunt seditiones, et fuerunt multorum tragici exitus. Necesse est igitur saepe moneri iuniores de suis et publicis periculis.

Primum igitur agnoscant naturae humanae imbecillitatem, deinde et diabolorum insidias et rabiem. Natura hominum per sese impatiens est freni, ut mollissime dicam, et singuli nos ipsos amamus, nobis blandimur, non duriter repugnamus nostris cupiditatibus, et aegre ferimus eas coherceri. Hic naturae morbus cum non reprimitur disciplina, et cum fit contumacia, diaboli occupant talium hominum impiorum et petulantium pectora, reverentiam omnium legum eis excutiunt, et confirmant ordinis contemptum et licentiae amorem, et odio Dei et Ecclesiae impellunt alios ad seditiones movendas, alios ad absurda et perniciosa dogmata spargenda, ut fiant maiores dilacerationes generis humani, caedes et vastationes, et ut Deus contumeliis adficiatur.

Cum igitur certissimum sit, hos tantos furores in haereticis et seditiosis hominibus a diabolo oriri, primum vera doctrina divinitus tradita de politico ordine et cogitatione de fontibus legum, muniendi sunt animi, et discendum est, legem esse Dei sapientiam, et in ipso Decalogo expressam, et saepe repetitam illustribus testimoniis in Ecclesia, et insitam a Deo humanis mentibus, ut testetur esse Deum, ac ostendat qualis sit, videlicet sapiens, verax, beneficus, iustus, castus, vindex scelerum. Nec aliud est in tota mundi natura illustrius testimonium de Deo, quam hi radii sapientiae divinae in mentibus humanis, monstrantes Deum, et discernentes honesta et turpia, et in cordibus dolor, executor scelerum, tanquam carnifex ream naturam destruens. Haec non esse casu ita nata manifestum est.

Cum igitur in ipsis legibus Deum cernamus, veneremur autorem, et legibus propter Deum obtemperare studeamus. Deinde et precemur Deum, ut confirmet animos nostros, ut hanc lucem intuentes, agnoscamus eius sapientiam et iusticiam, et ipsi obediamus et eum celebremus, nec sinat nos furiis diabolicis impelli contra leges et honestum ordinem ab ipso conditum. Moveamur et poenis, quae ordine divinitus sancito sequuntur contumaciam, ut filius Dei inquit: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et de incestis libidinibus inquit vox divina: Omnis anima quae fecerit has abominationes, peribit de populo suo. Cum igitur certissimum sit, omnia atrocia scelera comitari poenas, manifestum est, hunc ordinem divino consilio regi et conservari. Sic perpetua experientia etiam iudicare coëgit, et ostendit vetus dictum: Cernit Deus omnia vindex.

Has admonitiones saepe repetimus, quia Deus vult nos hanc suam doctrinam sonare, et vobis utilissimum est, de rebus tantis recte erudiri. Ac Deum precamur, ut in multorum pectoribus accendat lucem, qua ipse recte agnoscatur, et sapientia eius monstrata in legibus consideretur.

Semper autem in imperiis mediocriter constitutis certi fuerunt legum custodes, ut Athenis erant *Νομοφύλακες*, ita hoc tempore in Europa sunt Iuris Doctores, qui profecto magnum onus in Republica sustinent. Hi controversias difficilimas in foro diiudicant, hi regunt gravissimas deliberationes in curia, de bello et de pace, ac plurimum refert Reipublicae, in hoc ordine gubernatores consiliorum esse viros recte doctos, iustos, timentes Deum, sapientes et pacis amantes, et quorum sententias certum sit ex veris legum fontibus sumptas esse. Tales habuimus recens in hac regione duos viros excellentes eruditione, virtute, sapientia, Doctorem Hieronymum Schurffium et Doctorem Ludovicum Fachsium, qui et oracula fuerunt in difficilimis controversiis, et docendo legum doctrinam ad posteritatem propagaverunt.

Talibus viris cum orbata sit Respublica, et cum nos ipsi praeceptoribus tantis orbati simus, gravem causam doloris habemus. Sed quia Deo

obtemperandum est, et ipsi cum ad hanc Iuris civilis doctrinam adiunxissent aliam sapientiam maiorem, scilicet veri Dei agnitionem et invocationem, alacres ex huius vitae aerumnis ad coelestis Ecclesiae societatem discesserunt, dolor moderandus est, memoria tamen cum significatione perpetuae gratitudinis retinenda est. Ideo nunc breviter historiam viri clarissimi Doctoris Hieronymi Schurffii recitabo, quae multa exempla continet, quorum consideratio et excitare ad virtutem aliquos poterit, et multa de studiis monere. Hoc officium nos quidem praecipue ei debemus, qui fuimus ipsius auditores, et vere hoc praedicare possumus, plurimum nobis formam doctrinae, qua usus est, et eius in iudicando prudentiam et rectitudinem profuisse.

Ordiar autem a patria. In Helvetiis vetus familia est Schurffiorum, et cum alia sunt vetustatis testimonia, tum hoc quoque, quod in Synodo Constantiensi fuit Doctor Schurffius inter delectos Germanicae nationis ad praecipuas deliberationes ut catalogus praestantium virorum, qui in ea Synodo fuerunt, ostendit. Pater medicus vixit in urbe, cui nomen est a Sancto Gallo. Mater honesta matrona fuit Bibracensis, cognata viro excellenti sapientia et virtute Gregorio Lamparter, cancellario Ducis Wirtebergensis. Hic Gregorius Doctorem Hieronymum propter memoriam paternae amicitiae et cognationis familiarissime complexus est in conventu Wormaciensi, cum ibi Gregorius esset inter consiliarios Caroli Imperatoris praecipuos, anno millesimo, quingentesimo, vicesimo primo, ubi cum aliis Principum negotiis, tum vero etiam de controversiis Ecclesiae saepe cum eo Doctor Hieronymus collocutus est, et commemoravit ei, motas esse controversias a Luthero, non privata ulla cupiditate, sed ut doctrina necessaria illustraretur, et exposuit seni doctrinam de poenitentia et gratuita reconciliatione, quam ille commemorationem confessus est, sibi gratam fuisse. Et erat is tunc Mercurino cancellario Imperatoris familiarissimus.

Natus patre Ioanne Schurffio medico, et matre Bibracensi in oppido S. Galli, cum Grammaticen in patria didicisset, Basileam missus est, ubi Dialecticen, quia excellens in eo ingenii rectitudo erat, celeriter percepit, et motus admiratione sapientiae, et virtutis Doctoris Crafſti Ulmensis, omissa paterna arte, Iuris doctrinae se dedidit. Multi enim adhuc Basileae et Ulmae meminerunt, eximiam fuisse sapientiam et gravitatem in Crafſto, qui cum Ulmam vocatus esset, Hieronymum pater in Academiam Tubingensem misit, in qua et ipse diu vixerat, et cum Nauclero et Summenhardo Theologo dulcissima amicitia coniunctus erat. Ibi Iurisconsultos audivit Ebingerum, qui diu postea vixit, et lector Iuris fuit annos tres et quinquaginta, quem et ipse Doctor Hieronymus narrabat minimum labyrinthorum in docendo adferre solitum, et fontes Iuris rectissime ostendisse. Ibi et Doctorem Lupffdich audivit, cuius perspicuitatem in docendo etiam probabat. Simul autem Theologum Summenhardum audivit, quem et alii Iuris studiosi audiebant, quia doctrinam Ecclesiae evolvere ex praestigiis inutilium disputationum et ex superstitiosa interpretatione traditionum humanarum conabatur, et Gersonis imitator erat.

Cum autem illustrissimus Dux Saxoniae Elector Fridericus decrevisset Academiam in hoc oppido constituere, et laudarentur studia Academiae Tubingensis, voluit hanc suam scholam Coloniam esse harum duarum, Lipsicae et Tubingensis. Ac mandata dedit Staupicio, ut ex Tubinga lectores aliquot Iuris et doctrinae ecclesiasticae et philosophiae adduceret. Hic igitur Iurisconsultos duos Wolffgangum et Vollandum ingeniosum virum, qui et cancellarius postea fuit Ducis Wirtebergensis, adduxit.

Vollandi ingenium magnifaciebat Hieronymus, ideo invitatus ab eo comes fuit huius longinque profectionis. Adducti sunt et alii lectores philosophici, Sigismundus et Dionysius, qui postea consenuit in monasterio Hirsaugiensi. Sed de his nunc non dicam.

Dux Fridericus, quia sciebat in gubernatione opus esse cognitione Iuris, eius doctrinae studia maxime excitare cupiebat, et cum essent lectores eruditi, et auditorum mediocris frequentia, ipse cum fratre interdum lectiones audiebat. Erant igitur hic ea studia ardentiora, et Hieronymus, quanquam auditor erat, tamen quia ingenio et cognitione Iuris caeteris auditoribus antecellebat, non tantum a lectoribus, sed etiam ab iis viris, quorum in aula praecipua erat autoritas, diligebatur. Itaque cum non amplius anno hic fuisset, ornatus est gradu Doctoris, et amico Vollando redeunti in patriam in munere legendi successit. Et cum in lectionibus lucerent vis ingenii et eruditio, aliquanto post Dux Fridericus eum delibe-

rationibus adhibuit, et locum ei tribuit in supremo iudicio Ducum Saxoniae, quod semper Principes voluerunt esse arcem iusticiae in his terris, eamque ob causam ex Nobilitate et ex Doctoribus lecti sunt iudices, quorum maxime probata est sapientia et integritas.

Habebat hic collegas non vulgares, initio Wolffgangum, deinde et Henningum. Et consulebatur haec Academia a multis gentibus de gravissimis controversiis. Itaque Hieronymum et collegae, et negotiorum varietas ac magnitudo quotidie acuebant. Et ipse intuens Henningum, et attente considerans fontes sententiarum, quas in deliberationibus dicebat, ita processit, ut postea ipsi nemo praelatus sit. Magnum decus est et praesidium Reipublicae talis Iurisconsultus, cuius sententiis tuto credi potest. Sic apud tres Electores Saxonicos vixit annos quadraginta duos, ut et studia doctrinae Iuris et iudicia praecipue rexerit, et plurimis consiliis adhibitus sit, in quibus vox eius salutaris fuit Reipublicae.

Erudiit et scriptis posteritatem. Extant enim eius consilia, quae ostendunt non solum eruditionem ipsius et iudicii rectitudinem, sed etiam veritatis et iusticiae amorem in ipso perpetuum.

Quanquam autem magna est negociorum in illis Centuriis, quae extant, varietas, tamen lectio in primis utilis est ad iudicandas emptionum naturas, et ad discernendas emptiones ab usurarum pactionibus. Nullius enim extant scripta magis perspicua de contractuum distinctione. Et non solum haec scripta, sed etiam vita eius ostendit, fuisse eum acerrimum usurarum hostem.

Postquam autem ex hac Academia propter bellum discessit, ab inclyto Principe Marchione Electore in Academiam Francofordianam accersitus est, ubi annos septem magna sedulitate, et in magna auditorum frequentia propagavit Iuris doctrinam. Accersitus autem ab Imperatore Carolo quinto, ut inter iudices summi iudicii in hoc Germanico imperio locum haberet, excusatione senectae usus est.

Hactenus de eo studio dixi, quod professus est. Nunc de aliis eius virtutibus dicam. Cum adolescens ad agnitionem et invocationem Dei a patre adsuefactus esset, diligenter et quidem hortante patre, in Academiis Ecclesiae doctrinam audivit. Et quia sciebat in doctrina usitata multum esse inextricabilium disputationum, postquam Lutherus concionari in hoc oppido coepit, studiose cum audivit, deinde et scripta legit, et cognitis incorruptae doctrinae fontibus, eam pie amplexus est, et de omnibus controversiis saepe cum Luthero, cum Amsdorffio, quos ut fratres diligebat, et cum aliis amicis eruditissime disseruit, quia serio statuebat aliquam esse Dei Ecclesiam, et hanc solam esse, quae amplectitur scripta prophetica et apostolica sine corruptelis. Legit igitur avide omnium temporum Ecclesiae certamina, contulit antiquitatis iudicia ad recentium seculorum et huius temporis doctrinam. Ac valde laetabatur, videns reipsa congruere harum Ecclesiarum doctrinam cum veteri Ecclesia puriore, cum scriptis Augustini et aliis postea, in quibus signa eruditionis et pietatis conspiciuntur, quia singulis aetatibus aliqui fuerunt Evangelii testes.

Meminimus mirifice delectatum esse dicto Bernhardi, in quo dicitur: Necesse est primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per misericordiam Dei. Sed adde, ut credas et hoc, quod per ipsum peccata tibi quoque donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Remissa sunt tibi peccata tua. Sic enim ait Apostolus: Gratis iustificari hominem per fidem. Talia dicta multa legens et audiens confirmabat in pectore fidem, et animi pietatem vera invocatione Dei et honestissima morum gubernatione ostendebat.

De doctrina saepe cum Duce Saxoniae Friderico Electore gravissime collocutus est. Ad Ducem Saxoniae Ioannem scripsit confessionem, in qua diserte explicat propositionem: Sola fide iustificamur, et his verbis usus est, non intelligendam esse hanc propositionem, fide nos iustos esse, sicut multi imaginabantur. Novitate homines iustos esse, sed propter filium Dei mediatorem, quem fide agnosci et cuius promissionem fide accipi oportet. Erant igitur verba in eius scripto: Non propter nostrum credere, sed propter filium Dei mediatorem. Certamina etiam de doctrina cum principibus viris ei saepe fuerunt, et aliquos flexit ad doctrinae studium, aliquos ad moderationem. Nihil fingo. Sunt haec nota praestantissimis viris, qui adhuc vivunt, Doctori Gregorio Pontano et Nicolao Amsfordio, et aliis, cum quibus amanter et placide studio veritatis de tota Ecclesiae doctrina saepissime colloquebatur.

Doctrinae summam probabat, quanquam volebat quaedam dici minus horride, quaedam etiam fieri moderatius et a populo et ab aliis, ut erat gravis, constans et disciplinae amans. Sed nunquam discessit a doctrinae puritate, et vere imago erat morum ipsius dictum Sophoclis: Talis est vir bonus, semper est sibi similis.

In conventu Wormatiensi, cum Lutherum audirent Imperator Carolus et Senatus imperii, ipse dicenti aderat, et palam cum eo deliberabat, et ostendebat, se eius doctrinam amplecti. Postea fuit gubernator inspectionis Ecclesiarum in ripa Salae. Cum enim Monetarius et Pelargus turbassent Ecclesias, et misera plebs alicubi seditiones movisset, sedatis tumultibus Princeps optimus Ioannes voluit inspici Ecclesias. Eam rem necessariam commendavit primum Doctori Hieronymo. Id consilium honestum et pium profuisse Ecclesiis, foelix eventus ostendit, ut multi norunt. Abhorrebat enim a fanaticis et seditiosis opinionibus, et volebat Ecclesias recte doceri, et pastoribus honestas mercedes constitui, qua de re Dux Ioannes et liberaliter mandata dederat. Meminimus etiam cum donationum confirmatio peteretur, citata hac sententia Esaiae: Et reges erunt nutritores tui. Cum princeps valde delectatus esset ea sententia, statim impetratam esse confirmationem.

Coniugem habuit honestissimam, cum qua summa concordia et caste vixit annos amplius quadraginta. Ex hac nati vivunt adhuc filius et filia matrona honestissima, qae vidui patris oeconomiam vidua gubernavit. Erga pauperes beneficentiam liberaliter exercebat. In tolerandis iniuriis dolorem et cupiditatem vindictae propter publicam tranquillitatem et propter Deum reprimebat. Denique mores eius exemplum esse viri honesti, pii et officiosi poterant. Talis cum fuerit, et cum praeclare meritus sit de nobis et de Republica, decet nos eius cum significatione gratitudinis recordari. Et exemplum multis utile est. Debetur gratitudo singulis, qui suo loco benefaciunt generi humano. Ducibus, qui armis repellunt hostes, et pacem tuentur. Senatoribus, qui regunt civitates et hominum commercia, et iuvant homines aedificiis. Sed cogitemus maiora esse beneficia, propagationem verae doctrinae de Deo et de legibus, iustam gubernationem iudiciorum, et consilia salutaria in Republica. Ac posteritati non solum proderunt scripta, quae reliquit Doctor Hieronymus, sed multo magis auditores, qui voce ipsius eruditi, accepta doctrinae semina aliis tradent, et quorum nunc aliquo Deo iuvante, magnos labores in Reipublicae gubernatione fideliter sustinent.

Domestica consuetudo multis annis fuit clarissimo viro D. Ulrico Mordisen cum eo, quem quidem ut filium dilexit, et qui vicissim praeceptorem amavit tanquam patrem. Vixit apud eum et vir clarissimus Doctor Melchior Kling, qui ambo in hac vicinia, quos labores diu iam sustineant, non ignoratis.

In Academia ad Viadrum Iuris lector et interpres est vir clarissimus, Doctor Ioannes a Borck, Bremensis, quo multis annis nemo fuit Doctori familiarior. Sed longum esset enarrare omnes.

In extremo agone etiam, ingressus annum quartum et septuagesimum, fidei robur ostendit, ardentissimis votis Ecclesiam et sese et suos Deo commendavit, saepe repetens et symbolum et precationem, ac diserte testatus est, se hunc verum Deum invocare, qui se patefecit misso filio, et se toto pectore adfirmare, hanc unam de Deo doctrinam veram esse, quae in libris propheticis et apostolicis et symbolis scripta est, ac saepe expressa personarum mentione dixit: Omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, creator coeli et terrae, angelorum et hominum, et aliarum creaturarum omnium, cum filio tuo coaeterno et Spiritu sancto oro, miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, sanctifica me Spiritu tuo sancto. In manus tuas commendo spiritum meum. Inter talia vota cum fiducia filii Dei et spe mens erecta non obscure ostenderit, se desiderio consuetudinis Christi et coelestis Ecclesiae adfici, anima eius hoc mortali carcere placide liberata est. Nos memoriam et virtutem ipsius et doctrinae retineamus, et honestissimos mores eius imitemur, et sequamur in studio iudicium eius, quaeramus doctrinae fontes, nec stulta curiositate adplaudamus ineptis illis, qui nunc iactitant, se novam formam doctrinae Iuris monstraturos esse, quorum insulsitatem et stulticiam ipse omnium maxime detestabatur.

Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut semper in his regionibus Ecclesiam sibi colligat et eam gubernet, et protegat eius hospitia, et non sinat deleri honesta doctrinae studia et disciplinam. Dixi.

No. 143. an. 1554.

De lege Placuit.

In select. Declam. T. IV. p. 150 sqq., Servest. T. IV. p. 137. et Richard. T. II. p. 556.

Oratio de lege Placuit, Cod. de Iudiciis. 1554.

Multa sunt illustria testimonia de Deo, impressa naturae: ut ordo corporum mundi, leges motuum coelestium, annua terrae foecunditas, vices temporum, remediorum varietas. Sed omnium testimoniorum de Deo maxime perspicuum est, lux illa in mentibus, quae est noticia immota, discernens honesta et turpia, iusta et iniusta: quae cum nobiscum nascatur, et sit immutabilis, necesse est nos agnoscere, ab immenso opifice eam singulari consilio hominibus insitam esse: et radium esse sapientiae divinae, ostendentem et quid sit Deus, et qualis sit: videlicet quod sit sapiens, verax, beneficus, iustus, et iusta volens, castus, volens nos ipsi conformes esse, et puniens scelera.

Has noticias vult Deus et commonefactiones de sese esse, et normas vitae. Nec habet hominum natura quicquam pulchrius hac sapientia, seu his radiis divinae lucis in nos sparsis: de quibus ut saepe cogitemus, admonent nos quotidiana vitae negocia et adsidui contractus. Universa enim hominum societas his regulis gubernatur. Sed non tantum propter corporum nostrorum utilitatem saepe consideranda est haec sapientia: sed multo magis, ut agnoscamus eam testimonium esse de Deo, et adsensionem de providentia confirmemus. Propter hanc gravissimam causam saepe animos excitemus ad cogitationem de legum fontibus et causis.

Etsi autem humanae mentes intelligunt, hanc naturalem noticiam, discernentem honesta et turpia, esse radium divinae sapientiae in nos transfusum: tamen ut id firmius statueremus, semper addidit Deus vocem suam in Ecclesia: et cum alias, tum vero de rupe Sinai manifesta voce, non ad paucos, sed ad magnam multitudinem hominum, edidit haec ipsa capita legum, quae antea scripserat in mentibus hominum: et postquam ea pronunciaverat, bis scripsit in tabulis saxeis, et ut certum esset, hanc vocem divinam esse: addidit tot facta extra ordinem naturae, ostendentia praesentiam Dei, et testificantia Deum esse potentiorem hoc ordine naturae.

Ideo autem Deus praefecit magistratus generi humano, ut hanc ipsam vocem legum Decalogi sonent in genere humano: et eos armis et praesidiis instruxit, ut contemptores legum coherceant, aut extinguant. Vultque magistratus fideles, custodes et propagatores esse huius aeternae sapientiae, patefactae hominibus: et severissime prohibuit, contraria huic divinae sapientiae constitui.

Sed sapientum gubernatorum mentes semper flexit Deus ad illustrandas leges Decalogi, sic ut ipsa vox Decalogi norma sit immota omnium constitutionum, in quibus magistratus circumstantiae alicuius determinationem addunt. Ut cum lex divina inquit: Non furtum facies, manifeste sancit dominiorum distinctionem.

Hic magistratus discernit gradus dominiorum, directum dominium et utile: et ostendit, qui gradus, ad quos pertineant.

Certissimum est igitur, hanc doctrinam iuris, cuius propagatio nostro ordini commendata est, esse et Decalogi vocem et sapientum gubernatorum decretum, quibus Deus voluit per magistratus addi aliquarum circumstantiarum determinationes, collectas ex Decalogo, vel optimis demonstrationibus, vel probabili ratione non pugnante cum Decalogo.

Ac nequaquam existimandum est, hoc nostrum ius vel tyrannica arbitria esse, ut multi superbi, qui legum vincula oderunt, vociferantur: vel esse argutias seu praestigias, excogitatas ut serviant cupiditatibus litigantium, ut multi in vulgo loquuntur. Sed re vera hoc nostrum ius est vox Decalogi, et ex Decalogo extructae conclusiones, bona consequentia per magistratus: quos Deus autoritate et sapientia armavit, ut propter confirmationem generis humani per eos imperia constituerentur, et defenderetur politica societas.

Itaque propter Deum veneranda est sapientia iuris: quia verissimum est et ipsas leges, et politicum ordinem opera esse sapientiae et insticiae Dei, et testimonia providentiae de Deo in genere humano.

Et sit omnium animis infixa vox sapientiae divinae, quae apud Salomonem inquit: Per me Reges regnant, et Principes iusta decernunt. Experimur in hac pravitate naturae humanae, odisse eam leges, tanquam carcerem, et malle concedi infinitam licentiam ludendi vanitate opinionum, et explendi vagas cupiditates. Hanc naturae nostrae infirmitatem vult nos Deus agnoscere: et ut

revocaret nos ad sese, et frenaret vagabundas mentes, et patefecit se illustribus testimoniis, et tradidit legem suam: constituit imperia, et horribilibus suppliciis caecos hominum furores punit, qui contra leges frenos laxant suis cupiditatibus. Ideo gravissime inquit Siracides: Vir sapiens non habebit odio legem.

Cum autem de legum bonitate, et de reverentia legibus debita, saepe in hoc loco erudite et pie dictum sit, iam hac brevi commonefactione, quam recensui, contentus ero: ac tantum oro iuniores, propter Deum, ut saepe hanc veram doctrinam, de legum fontibus et utilitate cogitent: et saepe repetant secum dicta divina, quae praecipiunt de reverentia legibus debita, et in animis amorem Dei et legum accendant.

Nunc vero ad erudiendos iuniores quaedam dicam de lege Placuit, in Codice, cuius verba haec sunt: „Placuit in omnibus rebus praecipue haberi tam iusticiae aequitatisque scriptae, quam stricti iuris rationem."

Scio reprehendi a quibusdam, quod hic nominat lex aequitatem scriptam: cum tamen apud Aristotelem ἐπιείκεια nominetur scripti correctio, omissa inscriptione legis, ut cum iudex mitigat poenam homini modesto, qui non petulantia aut naturae perversitate, sed fame motus, furatus est cibos: sicut de aequitate non scripta loquitur lex. Quod si Ephesi, in Digestis, de eo quod certo loco etc.

Iam si semper anteferenda esset aequitas non scripta, quid opus esset legibus, aut quando iudex ex scripta lege pronunciaret? Hic qualis licentia concederetur iis, qui alioqui ius scriptum et privatam calliditatem, saepe etiam caecos adfectus legibus anteferunt?

Ut igitur haec distinctius explicentur, primum exponam quid nominet ius strictum, quod vetustas linguae latinae nominat ius summum seu Graeci ἀκριβοδίκαιον.

Discrimen est enim inter ius summum et calumniam. Est enim calumnia, verba astute contra nativam sententiam interpretari, et in deterius flectere: ut quia pactus triginta dierum inducias, noctu populabatur agros, quod essent dierum induciae, non noctium promissae. Et qui pactus dimidium navium, dissecuit naves.

Plenae sunt exemplorum historiae. Paches dux Atheniensis, cum Colophonem obsideret, quia sciebat quantum in duce, qui urbi praeerat, momenti esset, evocat eum ad colloquium, et promittit se in urbem remissurum esse vivum et incolumem. Dux nihil mali suspicans, venit in colloquium. Cum igitur iam urbs sine duce esset, oppugnat eam Paches: et ea potitus, reducit ducem, et ibi interficit.

Cum Athenae captae essent a Lysandro, triginta gubernatoribus summa potestas data est, ita ut possent sine iudiciis interficere turbulentos cives, quos ipsi existimarent seditionum faces esse. Et erat promissa incolumitas ipsis triginta, et aliis qui in suo quodam catalogo scripti erant: ac fuerat pacis et harum conditionum autor Theramenes. Cum autem videret Theramenes, abuti collegas sua potestate, moderari crudelitatem conatus est. Quare timentes eum collegae, decreverunt necandum esse. Theramenes se excusat, et petit servari pacta, iuxta catalogum. Sed Critias ait, facilem esse refutationem: nomine Theramenis deleto, non teneri collegas et catalogo. Sic elusis pactis, Theramenem collegae interficiunt.

Popilius, pactus dimidium navium Antiochi, naves omnes dissecari iubet: ut exarmatus Antiochus, rebellare non posset.

Sic Cochleus interpretabatur decretum, Sacerdos ducens uxorem suspendatur: de patibulo videlicet, cum decretum intelligat suspensionem, vacationem publici officii.

Tales absurdae et sycophanticae interpretationes, alienae a consuetudine sermonis, divino iure prohibitae sunt, quod inquit: Non dicas falsum testimonium. Et Iurisconsultus inquit, fraudem legi fieri, cum salvis verbis sententia eluditur.

Differt ab hac sycophantica ius summum: videlicet, in quo revera legis severitas in aliquo casu mitigationem flagitat. Ut lex Romana iubebat interfici militem, qui contra Dictatoris mandatum dimicasset. Dimicat provocatus Manlii Torquati filius, et victor a patre interficitur. Hic non quidem calumniosa iuris interpretatione Dictator fuit asperior, sed tamen paternus dolor mitigationem aliquam adhibere poterat.

Ut autem in universum vetustas fuit severior, ita multae sunt poenae in veteribus legibus atrociores, quam in recentioribus.

Usitatissima fuit poena talionis, oculum pro oculo etc. Nunc mitigata est. Olim calumniator hoc ipso supplicio adficiebatur, quo reus ad-

fectus esset, si convictus esset. Nunc in tanto scelere lenior est etiam legum indignatio, quam prodest.

Olim debitor, qui non poterat solvere aes alienum, debebatur in servitutem creditori, aut vendebatur. Nunc cessio bonorum inventa est.

Lex homicidam iubet affici capitali supplicio: sed postea scripta aequitas gradus discernit. Et Athenis diversa loca iudiciorum erant, alibi accusabantur insidiatores, alibi qui eadem in rixa fecerant, alibi qui casu interemerant homines.

Ex his exemplis intelligi potest, aliud esse calumniosam interpretationem, aliud revera ius summum, seu ius strictum. Sed ego prorsus hoc adfirmo, in lege Placuit, intelligi proprie calumniosam interpretationem. Hanc prohibet, nec vult iudices sua calliditate exasperare aut laxare leges: sed vult eos ex scripto dextre intellecto iudicare. Et totum hoc ius scriptum, quod imperii autoritas gravissimo consilio recepit, nominat scriptam aequitatem: quia leges in illis casibus, de quibus principaliter loquuntur, aequalitatem illam sanciunt, quam vera demonstratio ostendit artifici; postea ubi in casu dissimilitudo circumstantiae est, saepe leges ipsae addunt ἐπιείκειαν: ut de caede fortuita, de ignorantia facti, de dolo, de culpa, de metu. Et expressae sunt in scriptis legibus multae mitigationes plenae humanitatis: ut cum iubent manumissos retinere libertatem, etiam si testamentum non valuit.

Et innumerabilia exempla mitigationum inscripto iure expressa, passim obvia sunt.

Interdum Praetor suo consilio aliquid lenit, ubi tamen mitigatio ex fontibus legum derivanda est. Ac sapienter in lege Placuit, scriptam aequitatem nominavit Imperator, ut iudices sciant se alligatos esse ad ius scriptum. Quid enim prodesset habere ius scriptum, si liceret anteferre privatas opiniones?

Nec intelligatur nomen aequitatis tantum de correctione legum non scripta, ut Aristoteles loquitur: Sed intelligatur de aequalitate, quae ideo scripta est, quia vera demonstratione ex opinionum diversitate eruta est. Vult enim Deus intelligi, iusticiam aequalitatem esse: ut sciamus ipsum aequalem esse.

Quaerunt igitur legumlatores eruditissimis rationibus aequalitatem, quae non semper conspicitur ab imperitis. Aequalitas est, ut solvat debitor creditori. Quaesitum est igitur, an liceat creditori irrumpere in aedes debitoris, et auferre quantum debetur? prohibet hoc sapiens Imperator Antoninus: quia alia aequalitas publica pluris facienda est, ut sua cuique domus adversus violentiam tuta sit.

Iubet igitur creditorem petere, ut magistratus iubeat debitorem solvere. Sic igitur inquit: Tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur. Vis est et tunc, quoties quis id quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit. Ita gravi deliberatione quaesita est aequalitas in scripto: a qua cum disceditur, infinitae confusiones sequuntur.

Intelligatur ergo in lege Placuit aequitas scripta, de hac aequalitate, quam legislator demonstrationibus erutam sanxit. Sic et in definitione dictum est, ius esse boni et aequi scientiam. Bonum nominat, in genere honestum: ut bonum est, non prostituere coniugem, ut licebat lege Laconica. Deinde aequitatem nominat, hanc aequalitatem ratione inventam, quae est vinculum societatis humanae. Neque enim potest hominum vita conservari sine mutuis officiis et sine contractibus. Ut autem sit contractuum perpetuitas, aequalitatem esse oportet: alioqui pars hominum altera exhausta aut oppressa extingueretur.

Omnia autem haec iustitiae exercitia sciamus eo instituta esse, ut Deum agnoscamus iustum et aequalem esse, iuxta normam quam patefecit.

Ostendit suam sapientiam aeternam et immotam, quae lex est: et iuxta hanc damnat peccatum in omnibus. Rursus etiam, sine προσωποληψίᾳ omnes recipit immensa misericordia, qui ad filium mediatorem confugiunt. Hanc aequalitatem considerare nos in Ecclesia necesse est.

Hic autem et hoc considerandum est, Evangelium continere dulcissimam ἐπιείκειαν legis divinae, quae iustissima est: et tamen admirabili modo lenita est, sic ut legi satis faceret filius, et nos recipiamur propter filium: et approbet Deus initia obedientiae in nobis, quae admodum infirma sunt, et procul a legis impletione absunt.

Haec est vera ἐπιείκεια, scripta non Solonis, aut Augusti literis, sed sanguine filii Dei. Fit autem illustrior harum maximarum rerum doctrina, cum voluntatem Dei in iudiciis et exercitiis insticiae in vita consideramus.

Oro autem Deum, fontem sapientiae et insticiae, patrem aeternum Domini nostri Iesu Christi,

ut propter filium semper Ecclesiam in his regionibus colligat et gubernet, et protegat Ecclesiae hospitia, et in eis doctrinarum et legum studia, et honestam disciplinam conservet. Dixi.

No. 144. (an. 1554?)

De partu filii Dei.

In select. Declam. T. III. p. 655 sqq., Servest. T. III. p. 620. et Richard. T. III. p. 307.

Oratio de consideratione fideli salutaris partus in terris filii Dei.

Spero equidem plurimos ad hanc concionem, in qua de rebus arcanis, ac procul supra iudicia humana positis, dicturus sum, afferre mentes ita confirmatas luce divina, et testimoniis illustribus, quibus Deus se generi humano patefecit, ut vere assentiantur Evangelio, et statuant Ecclesiam Dei veras sententias de Deo circumferre, non ethnicarum mataeologiarum similes. Ac Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oro, ut et veram lucem in omnium cordibus accendat, ut ipsum vere agnoscamus, celebremus et invocemus, et imbecilles erigat, et adiuvet, ne fluctibus dubitationum obruti, veritatem amittant. Nam prophanis mentibus frustra hae sententiae proponuntur, filium Dei *λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς*, semper apud patrem fuisse, ac postea indutum humana natura, nobiscum versatum esse, factum hostiam pro nobis, et revocatum ex morte, nunc Ecclesiam suam Spiritu suo regere.

Haec cum Deus evidentibus testimoniis, resuscitatione mortuorum, et aliis signis, vera et certa esse ostenderit, nos quidem asseverare non dubitamus, et hac confessione Deum celebrandum esse scimus.

Sed prophanis haec asseveratio stulta, et plena anilium deliramentorum videtur, adversus quos non instituam disputationem, sed me et alios pios adhortor, ut miranda Dei facta plurima ad nos confirmandos colligamus, quibus testimonia doctrinae coelestis edita sunt.

Eduxit Deus ex Aegypto populum inter stantes aquas, scidit ingentes scopulos, et effudit magna aquarum flumina, pluit grana de coelo, revocavit multos ex morte diversis temporibus. Haec testimonia cum nec commenticia sint, nec obscura, nos confirment, ut coelesti doctrinae de filio Dei assentiamur, et contraria iudicia mentis humanae frenemus, et ut Paulus inquit: Vincula iniiciamus mentibus in obsequium Christi.

Haec praemonitio in hoc loco et de hac causa necessaria est, ut prophanos auditores dimittamus, et reliquum coetum piorum exuscitemus nobiscum, non ad disputandum, sed ad gratiarum actionem et invocationem, ut Patres ac Prophetae, expetiverunt hunc natalem, ut Angeli et recens nato Christo, et nunc in his feriis hoc ingens Dei beneficium celebrant, ut Maria, Zacharias, et alii pii, Deo gratias egerunt illo ipso tempore, cum Christum infantem, involutum fasciolis, intuebantur, et dulcissimis basiis salutabant.

Ad hunc coetum nos adiungamus, omissis disputationibus, ac vera fide dicamus. Credo hanc unam doctrinam de Deo traditam in Ecclesia, confirmatam tot manifestis testimoniis veram esse, credo te Deum aeternum, et unicum patrem Domini nostri Iesu Christi, coeli terraeque opificem, et conditorem Ecclesiae tuae, vere misisse filium *λόγον καὶ εἰκόνα σου ἀΐδιον*, ut assumpta humana natura ex virgine Maria, pro nobis victima fieret, et placata ira tua, nobis redderet lucem, iusticiam, et vitam aeternam, et pro his ingentibus beneficiis tibi gratias ago, et ardentibus votis oro, ut in meo pectore et multis aliis confirmes hanc sententiam, nos regas, ut te celebremus, ac veris officiis, quae approbas, semper colamus, te nostrae mentes recte agnoscant, te sonent et laudent nostrae linguae et literae, et discernant te verum Deum, a commenticiis numinibus aliarum gentium, quae nolunt hunc Deum invocare, qui se dato Evangelio in Ecclesia patefecit, et obtemperent aeternae legi tuae, quam nobis tradidisti, nostrae voluntates et sensus nostri. Haec vere divina bona a te propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum petimus, quae et vis a te peti praecipue, et solus largiri potes.

Illi igitur, in quibus haec fides accensa est, nunc attentius considerent, hoc admirandum foedus, quo in filio Dei copulata est humana natura cum divina. Etiam cum testimonia illustria convicerint mentes nostras, ut fateantur esse Deum, et esse sapientem, bonum, iustum, punientem sceleratos, et parcentem ac benefacientem aliquibus modestioribus, tamen excruciamur his curis,

an Deus diligat nos, quomodo invocari et coli velit, an et cur recipiat, ac exaudiat lapsos et pollutos, satis ne sit alloqui, et intueri eum fide, cum non cernamus oculis hoc numen quod invocamus. Has solicitudines multi ex vobis intelligunt. Etsi, ut apud Homerum Cyclopi Ulyssis concio de iudicio divino, ridicula videtur, ita prophanis auditoribus haec commemoratio, error mentis esse ducitur, qualis est in iis, qui atrabile exagitantur.

Sed rideant prophani, risum sardonium, donec veniant poenae. Ego pios auditores in Ecclesia Dei alloquor. His dubitationibus de voluntate Dei occurrit et medetur hic conspectus filii Dei, nati ex Maria virgine, certum et evidens testimonium est, vere nos a Deo diligi, cum nostra causa non solum patefecerit se voce et miraculis, sed etiam voluerit filium assumere humanam naturam. Ne putemus hoc tantum foedus frustra factum esse.

Quanquam autem huius admirandi consilii causas et fontes nondum in hac vita penitus intelligimus: haec enim erit illius aeternae scholae Philosophia, in qua divina sapientia propius fruemur: nunc tamen vult nobis Deus factum ipsum notum esse, et in hac vita in Ecclesia ab infantibus et lactentibus celebrari. Et hanc praecipuam causam huius facti, quae non est obscura, nos meminisse vult, et semper cogitare, videlicet, ideo foedus hoc factum esse, ut extet evidens testimonium veri erga nos amoris in Deo. Sic enim inquit Christus: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum miserit. Magnitudinem amoris affirmat huius admirandae legationis causam esse.

Removeamus haec Stoica, et non solum ex scholis explodamus, sed deleamus ex pectoribus nostris, amorem, iram, odium, dolorem, furores esse, Deum esse mentem quietam, non obnoxium his ventis stultarum perturbationum, Remove ista Stoica. Etsi enim in nobis stulticia affectibus mista est, et hi motus alio modo sunt, in Deo tamen verissimum est, mutuum et immensum amorem esse Patris, Filii, et Spiritus sancti. Sic enim pater de filio clamat: Hic est filius meus, quo delector, quem complectens, laeticia et voluptate afficior. Ita et genus humanum vere amat Deus, vere irascitur sceleribus, vere dolet multos horribili contumacia ultro sibi exitium accersere.

Non sunt haec in Deo simulata, imo se suae naturae et suorum affectuum imagines nobis impressit, imago divini amoris est erga nos, haec ipsa στοργὴ intimis penetralibus cordis insita, qua tuos natos amas, hanc quoties sentis, cogitato imaginem te divini amoris circumferre, ac vere amari ab aeterno patre, et filium, et nos, quorum induit naturam filius: estque huius paterni amoris erga nos testis et pignus. Occurrit igitur filii nati ex virgine conspectus huic primae solicitudini, in qua quaerimus, an Deus nos diligat. Idem occurrit caeteris quaestionibus. Affirmat nos certo recipi et exaudiri ab aeterno patre, et liberari a peccatis et aeternis poenis propter ipsum, quia constitutus est placator, ἱκέτης καὶ μεσίτης. Affirmat Deum sic agnosci et coli velle, non aliter.

Multa sapientes viri in Graecia erudite de Deo disputarunt, non ignorabant Socrates, Xenophon, Plato, esse Deum mentem aeternam, causam boni in natura, et illam suam in arce Attica Palladem aspicientes, non Phidiae statuam colebant, aut torvam Gorgonem infixam clypeo, sed sapientiam aeternae mentis, rectricem humanae societatis, punientem scelera, et servantem iusta imperia, cogitabant. Sed ignorabant tamen an reciperet ac exaudiret lapsos, et quomodo coli velit. At filius Dei affirmat patrem sic invocandum esse, sic recipere et exaudire lapsos, cum fide hunc ipsum Deum, qui se voce Evangelii patefecit, intuemur, et nos propter filium recipi et exaudiri statuimus.

Et quanquam mens angitur, an satis sit fide invocare, quem non cernis oculis, et expetit aliquam illustrem speciem, qua conspecta, discernatur verum numen a commenticiis, tamen iubet filius, ut sese intueamur. Qui me vidit, inquit, videt patrem.

Non aberras a Deo, cum hunc Deum invocas, qui se misso hoc filio crucifixo et resuscitato patefecit, et is affirmat fide, non oculis corporum in hac vita se intuendum esse. Affirmat item, nec petendas esse alias patefactiones, nec alios invocandi, aut colendi Dei modos quaerendos, sed recte coli Deum, cum mens fide acquiescit in hoc ipso Deo, qui voce Evangelii nobis concionatur, et statuit nos propter filium recipi. Maximis igitur dubitationibus humanae mentis, hic ipse filii conspectus medetur, qui induens humanam naturam, nostris oculis se ingessit. Haec praecipua consolatio alias deinde inferiores innumerabiles continet.

Postquam certo constitutum est nos a Deo diligi, et didicimus quomodo recipiamur et exaudiamur, certum praesidium habent piae mentes in omnibus periculis. Norunt enim se Deo curae esse, se iuvari, regi et defendi. Haec est firma consolatio, longe superans philosophicas consolationes, quae iubent moderari dolores, sed auxilium non monstrant. Haec doctrina de filio Dei monstrat auxilium.

Sed hic monendi sunt auditores, haec sine exercitiis invocationis non intelligi. Moveamur igitur publicis et privatis miseriis, ut invocatio Dei in nobis accendatur. De qua etiam illud sciant auditores, ut Christus recens natus, involutus est fasciolis, ita doctrinam de invocatione involutam esse doctrinae Evangelii, quae Dei beneficio sonat in nostris Ecclesiis.

Nulla est invocatio, nisi intelligantur ea quae saepe repetimus de fide, qua fit reconciliatio. Si quis retinet persuasiones philosophicas et pharisaicas, quales defendunt monachi, et multi alii hostes lucis Evangelii fugiet Deum, et adversus eum fremet, ut multi in tragoediis, qui irascuntur Deo, ac palam fatentur, se dubitare, an hominum calamitates cernat Deus. Et an lachrymis et votis miserorum flectatur. Necesse est igitur recte intelligi Evangelium, et discerni ethnicas seu humanas opiniones a decreto de reconciliatione, quod filius Dei ex sinu aeterni patris protulit, quod literis mandari per Prophetas et Apostolos voluit, quod nos quotidie Deo gubernante mentes et linguas nostras bona fide vobis proponimus. Eius doctrinae summa comprehendenda est, si volumus et beneficia filii Dei intelligere, et recte exercere invocationem. Fortasse derident me aliqui haec commemorantem: sed toties iam dixi, me concionari non Prophanis et Epicureis, aut Hypocritis, sed iis qui non fastidiunt, et non contemnunt Evangelium. His spero, et gratum esse, et utilem hanc quasi commonefactionem. Nec vero aliud hactenus dixi, nisi quod ipsi Angeli sonant in illo suo hymno, quem cecinerunt audiente multitudine pastorum recens nato ex virgine filio Dei: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, hominibus laeticia. Agnito filio Dei, tum demum vere conspicitur gloria Dei, quia amplitudo misericordiae Dei, patefit nobis donato filio.

Etiamsi fatetur Plato numen esse aeternum, sapiens, bonum, iustum, puniens scelera, tamen an ipse exaudiatur ambigit, immo in veris doloribus deseri se iudicat. Quare sciamus veram et integram gloriam, ita demum Deo tribui, cum filium et eius beneficia agnoscimus.

Quomodo autem pacem in terris hic filius efficit, cum Ecclesia ingentibus aerumnis conflictetur? Propria haec Ecclesiae sapientia est, intelligere, cur hanc sontem naturam hominum, Deus tantis calamitatibus excruciari sinat. Sed expectat Ecclesia pacem et tranquillitatem integram, cum filius Dei eam ex morte revocabit in vitam. Interea vero tenet id bonum, quod est praecipuum, scit Deum nobis et placatum esse, et illis aerumnis opitulari velle.

Hanc consolationem sciunt pii verius pacem esse, et tranquillitatem, quam inania et fugacia mundi gaudia quaecunque. Igitur filius Dei pacem affert in terra, et quia placator est irae Dei, et decretum illud aeterni patris de reconciliatione profert, ac certo affirmat nobis remitti peccata, nos in gratiam a Deo recipi et vocari ad societatem aeternae vitae, immo in vita nos habere custodem et opitulatorem Deum.

Nec obscurum est tertium membrum in cantico Angelorum, prioribus cognitis, piae mentes laetantur agnitione Dei, beneficiis filii, reconciliatione, et acquiescunt in Deo, etiamsi magna pericula proponuntur, et omnium generum cruciatus, in propagatione doctrinae perferendi sunt. Erit autem integra laeticia, cum triumphum aget filius Dei, revocata Ecclesia ex morte.

Haec magna beneficia filii Dei canunt Angeli, ac significant Ecclesiam ea semper celebraturam esse. Quare et nos iam una cum Angelis ea cogitemus et praedicemus. Existimemus nos assidere ad cunas, una cum Maria, Ioseph, Angelis, Elizabeth, Zacharia, et commemorare haec beneficia, inspectantes natum Messiam, et nunc genas, nunc frontem, nunc tenella brachia deosculantes, ut certe faciebant Mater, Ioseph, Angeli. His nos cogitationibus accendamus ad maximarum et aeternarum rerum intellectum, et amorem, nec simus similes Herodi et Pharisaeis, qui audita fama de nato hoc puero, insidiantur eius vitae. Non contemnamus filium Dei, ut solent multi, alii aliis occupati furoribus, quibus dictum est in Psalmo, hos ipsos furores eis exitio futuros esse. Contra vero Psalmus inquit: Beati omnes qui confidunt Domino, qui Evangelium iudicant non esse fabulosum aut commenticium poëma, sed

vere decretum Dei, et ex animo laetantur, nobis filium Dei donatum esse et hac erecti fide, Deum invocant.

No. 145. an. 1555.

De fermento etc.

In select. Decl. T. III. p. 453 sqq., Servest. T. III. p. 439. et Richard T. III. p. 206. Etiam separatim: „Oratio de similitudine, in qua dicitur, Evangelium simile esse fermento mixto tribus farinae satis, recit. a Val. Trutiger." Witeb. 1555. 8. 2 pl.

Oratio de fermento mixto tribus farinae satis.

Nisi certo sciremus hanc aerumnosam vitam, iter esse ad dulcissimam coelestis Ecclesiae consuetudinem, in qua Deus sese nobis palam ostendet, et suam lucem, sapientiam, iusticiam, laeticiam in tota aeternitate communicabit, quis sustinere dolores et agonas huius vitae innumerabiles posset aut vellet? Sed intueamur illum portum, ad quem accedimus, simul etiam sciamus nos in hac navi, quae saevissimis flatibus agitatur, nequaquam solos et sine auxilio esse. Semper assidet ad clavum filius Dei, custos humani generis, qui naturam humanam assumpsit, ne haec nostra massa funditus periret. Hic protegit, armat, erigit, sustentat, adiuvat nos, ne hac tanta mole miseriarum oppressi extinguamur. Vivimus igitur, non ut φιλόψυχοι, quia vita per sese dulcis sit, aut sit plena voluptatum: sed ut Deo obtemperemus, et freti opitulatore filio Dei, labores adsiduos, curas, dolores in ecclesiis, in scholis, in castris, in curia, et in oeconomia sustinemus, et illam arcem aeternam hoc aerumnoso cursu petimus. Haec de vivendi causis miseriis, et auxiliis, assidue cogitanda sunt, ut confirmentur animi, ne labores necessarios defugiant, aut deserant. Hanc commonefactionem vox divina saepe proponit, iubet singulos facere sui officii operas, et petere et expectare foelices eventus a Deo. Subditus esto Deo, inquit Psalmus, et ora eum.

Etsi igitur hunc nostrum laborem in docendo et discendo, et totam doctrinarum propagationem, comitantur multae res molestae, contemptus, odia, paupertas, ingentia certamina, calumniae, ingratitudo, exilia, supplicia, tamen quia scimus Deum severissime praecipere et docendi et discendi laborem, hanc militiam non deserimus, nec abiicimus huius nostri muneris exercitia et operas. Oramus autem filium Dei, qui est λόγος aeterni patris, ut ipse hanc λογικὴν λατρείαν gubernet et adiuvet. Vigilantia et sapientia humana non est par nostris et periculis et certaminibus. Nam et natura facile languefiunt ingenia, et diaboli multipliciter insidiantur docentibus et discentibus, ut omnium seculorum horribilia exempla ostendunt. Quae enim aetas fuit sine monstrosis opinionibus? sine calumniis? sine sycophantiis? sine corruptelis? sine dissidiis? Extant libri testes de tota antiquitate. Sed tamen in Ecclesia filius Dei non sinit penitus extingui lucem veritatis, et cum sit λόγος aeterni patris, vere est efficax voce suae doctrinae, et aliquorum mentes docet et confirmat, ne a veritate aberrent. Sicut et precatur: Sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. Et haec ultima et delira mundi aetas eo plus habebit errorum, quia paulatim maiores fient et Ecclesiarum et imperiorum dilacerationes. Et crescent odia, et furiae ambitiosorum ingeniorum impedient saniorum colloquia et deliberationes. Intelligamus igitur pericula, et assidue precemur filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos et gubernet et confirmet, ne ab ipso aberremus.

Haec praefati sumus de scholasticis laboribus, ut et discendi et precandi cura exuscitetur. Nunc quia in his honestis congressibus decet aliquid de parte aliqua doctrinae ad iuniores erudiendos dicere, sumam argumentum non alienum a medicorum doctrina. Pingit Dominus aliquot imagines Ecclesiae, quarum una haec est: Ait simile esse regnum coelorum fermento, quod mulier miscet tribus farinae satis, donec totum fermentetur. Brevis narratio est, sed dulcis consideranti, quia multa docet de ministerio Evangelii, de collectione Ecclesiae, de renovatione hominis, de restitutione iusticiae et vitae aeternae. Huius doctrinae consideratio bonas mentes et confirmat et consolatur. Nos certe in scholis talium narrationum vocabula iunioribus interpretari debemus. Primum igitur de vocabulis dicam: Satum hoc loco vox Ebrea est, mensuram significans, quae est tertia pars medimni, erunt igitur tria sata medimnus integer. Ut autem velut ob oculos ponam mensurae magnitudinem, medimnus Atticus propemodum congruit cum Lipsico medimno, quem nominant Lipsiae ein Schöffel, id etiam ex veteri precio intelligi potest. Erat enim lege pre-

cium medimni tritici usitatum Athenis drachmae quinque, videlicet, dimidium Coronati, ut Demosthenes narrat in oratione contra Phormionem de mutuo. Hanc diligentiam considerandi vetera precia non existimate inutilem esse. Nam et historiae fiunt magis perspicuae, et nos quidem in remediis scire mensuras veteres et pondera necesse est. Sed nunc historica tractamus.

Iubet Deus collocari duodecim panes novos in altari singulis Sabbatis. Nec unquam licebat relinqui vacuum altare, voluit enim Deus ostendere sibi curae esse, ut Sacerdotum familiae victum necessarium haberent. Ideo voluit in conspectu esse panes ante venturam septimanam. Iussit autem singulos panes fieri ex quinta parte Ephi, id est, medimni. Iam cum medimni precium sit drachmae quinque, singuli panes valebunt singulis drachmis. Et cum ad usum domesticum Sacerdos habuerit tales panes duodecim, id est, panes pro duodecim drachmis, mediocris familia diebus septem inde ali poterat, cum panes haberet pro integro Ioachimico et dimidio.

Quod autem Dominus nominatim dicit de tribus satis et de muliere, existimo eum intueri convivium Abrahae, cui ipse interfuit, in quo illustris pictura proponitur, vitulus mactatur, qui significat victimam Messiam, et Sara, id est, Ecclesia ex tribus farinae satis panes facit. Hoc est, Ecclesia accipit vocem Evangelii a filio Dei, et eam tradit auditoribus, in quibus Evangelium non est inanis sonitus, sed re ipsa est potentia Dei ad salutem omni credenti. Hac ipsa voce filius λόγος est efficax, revocat ex morte et doloribus inferorum eos, qui hac se consolatione in veris pavoribus sustentant. Cum autem delectaretur Dominus recordatione dulcissimae consuetudinis, quae fuit cum Abraham et aliis praestantibus viris, libenter ex illo convivio similitudinem sumpsit. Id etiam eo libentius fecit, ut significaret Evangelium non constituere nova imperia politica, sed a muliere, id est, ab Ecclesia docente, Fermentum, id est, Evangelium misceri auditorum mentibus et pectoribus.

Colligitur ergo Ecclesia, cum vox humana sonat Evangelium, simul autem ea voce filius λόγος ipse est efficax. Amemus igitur vocem ministerii, et Stenckfeldii fanatica deliramenta execremur, qui mentes abducit ab Evangelio, et horrendis clamoribus contendit, Deum se sine Evangelii cogitatione mentibus communicare.

Hic et fermenti natura in panibus consideranda est, quae non est ociosa, sed totam massam facit rariorem, et adiuvat penetrationem et coctionem. Non accipiunt Evangelium isti, qui tantum gestus imitantur qualicunque hypocrisi, et retinent in mente dubitationes de voluntate Dei, et in corde fremitus adversus Deum, et verae doctrinae odia et piorum parricidia.

Sed cur tres mensuras, seu tria sata nominat? Audivi virum pium et eruditum, qui accommodabat ad tria mundi tempora: Ad Ecclesiam ante Moisen, deinde ad sequentem aetatem, et post Apostolos ad hanc collectionem Ecclesiae ex Gentibus et Iudaeis. Non displicuit haec accommodatio, sed cum de transmutatione dicatur, existimo recte posse accommodari tria sata farinae, ad tres vires in anima, ad ἡγεμονικὸν, ad θυμικὸν, et ad ἐπιθυμητικὸν. Quales tenebrae semper fuerunt, sunt, et erunt in ἡγεμονικῷ, sine luce Evangelii. Leguntur Ethnicorum et Philosophorum furores, qui aut prorsus fuerunt ἄθεοι ut Cyclopes, aut de Deo tetras opiniones finxerunt, ut Stoici, qui horribili contumelia Deum adficiunt, cum fingunt eum scelera et velle, et necessario velle. Reliqua multitudo finxit infinitam turbam Deorum. Ita nunc quales sunt in ἡγεμονικῷ tenebrae in Mahometistis, in Papistis et Anabaptistis. Aberrant a vero Deo Mahometistae, negantes hunc vere Deum esse, qui se patefecit misso filio, negant etiam filium missum esse ut victima pro nobis fieret. Papistae etsi nomen filii retinent, tamen nec declarant, quid sit λόγος, nec beneficia ostendunt, et aperte extinguunt invocationem, cum iubent te semper dubitare: an te Deus receperit, et an exaudiat. Postea decurrunt ad Idola, invocant homines mortuos, cum sciant non esse humanae potentiae gemitus cordium iudicare, multi palam statuas invocant, et manifesta impietate in circumgestatione tuentur ἀρτολατρείαν. Nuper edita est Austriaca Catechesis, in qua cum alii multi errores stabiliuntur, tum vero renovatur etiam deliramentum de Monachorum votis. Nominant ibi perfectionem evangelicam, simulationem paupertatis, et alios quosdam externos gestus. Impudentia scriptoris odio digna est, qui scit evangelicam perfectionem esse agnitionem nostrae infirmitatis, et fiduciam mediatoris, et praesentiam Dei in cordibus nostris transformantis nos, ut fiamus similes imaginis Dei, quae est λόγος aeterni patris. Haec ne illi

quidem scriptori ignota sunt, sed ut sui theatri plausus mereatur, repetit cantilenam Monachorum, seu Cynicorum potius. Nominat perfectionem illud Diogenis dolium et mendicitatem pugnantem cum civilis vitae nervis et pulcherrimo ordine legis divinae, quae distinctionem dominiorum sapientissime sanxit. Scilicet huic praestigiatori non sunt perfecti Abraham, Ioseph, David, Iosaphat, Ezechias, qui divitias et imperia cum tenerent, recte invocaverunt Deum, et custodes doctrinae fuerunt, et invocationem in quotidianis vitae periculis exercuerunt; interea perfectum nominat Cynicum illum, scilicet, qui inter caeteros Philosophos a Demetrio Phalerensi ad convivium vocatus, cum ei lagena plena generosissimi vini proposita esset, arreptam lagenam impegit capiti Demetrii, inquiens, Non congruere Cynico delicias. Talis est istius Cynici perfectio, nam et scriptor ille nomen a Cane habet.

Brevissime dixi de tenebris in *ἡγεμονικῷ*. Iam qualis confusio sit adpetitionum in *θυμικῷ* et *ἐπιθυμητικῷ*, vetus pictura Platonis ostendit. Qui ait hominem Scyllae similem esse, cuius inferior pars partim leonem, partim canes refert. In conspectu sunt tristissimae calamitates publicae, quae oriuntur ab iis viciis, de quibus dictum est:

> Nam caetera regna.
> Luxuries viciis odiisque superbia vertit.

Haec esse in *θυμικῷ* et *ἐπιθυμητικῷ*, manifestum est, et magnitudo publicarum et privatarum calamitatum ostendit in plurimis hominibus illa vicia dominari, et vere tyrannidem exercere. Adversus haec ingentia mala in his tribus humanae naturae partibus, monstrat filius Dei *ἀλεξιφάρμακον*, non moly Homericum, sed fermentum, quod ipse attulit Ecclesiae sonanti vocem Evangelii. Quis existimet autem tantam huius fermenti vim esse, ut tam saevas pestes depellere possit, tenebras in mente, incendia malorum affectuum in corde, ambitiones, odia, cupiditatem vindictae, errantes amores, et obscenarum voluptatum cupiditates, imo etiam, ut depellere insidiantes diabolos possit. Adversus tantum cumulum malorum, quid opponis exiguam fermenti massam, quod perinde videtur, ac si velis omnia Alpium iuga digito aut fragili arundine transferre. Sed sciamus ipsum filium Dei adesse huic fermento, nec esse inanem sonitum vocem Evangelii, sed revera esse potentiam Dei, ut Paulus inquit, qua non solum illa mala depelluntur, sed etiam reipsa in nobis restituuntur, vita, sapientia, iusticia et laeticia aeterna. Illucescit *ἡγεμονικῷ* vera Dei noticia, cum audita voce Evangelii *λόγος* aeterni patris, ipse voluntatem aeterni patris ostendit, et tibi vitam reddit. Hic etiam Spiritu suo laeticiam in corde accendit acquiescentem in Deo, quae impellit ut accedas ad Deum, et invocare ausis. Hae novae flammae in corde reprimunt errantes impetus. Ita non tantum foris aspergitur fermentum, sed penetrat omnes vires, sicut Ebreâ adpellatione magis perspicue significatum est, ubi dicitur: Tria sata farinae subigito. Fit haec subactio in his quotidianis laboribus et aerumnis, quibus in suo quisque officio aut dolore non leviter exercetur. Fiebat haec subactio in Davide, cum ex regno scelere filii eiiceretur, et multo magis in animo cruciaretur recordatione sui lapsus turpissimi. Interea tamen sustentabat eum *λόγος* vivens fermento tectus. Hic immensam bonitatem Dei et amorem filii erga nos consideremus, agnoscamus, grati celebremus, et de praesentia filii Dei in Ecclesia gubernantis, regentis et servantis eam, nos et alios recte doceamus, ut vera invocatio accendatur. His cogitationibus nos exuscitemus, quod cum faciemus, aderit filius Dei, et studiorum et vitae cursum reget, faciet nos organa salutaria nobis et Ecclesiae. Quo bono nihil cogitari maius aut melius potest. Quanti sunt labores, quanta certamina Periclis, Demosthenis, Phocionis, Ciceronis, Bruti et multorum aliorum, quorum infoelix cursus fuit et ipsis et imperiis. Nos Deo gratias agamus, quod ad aeternae Ecclesiae societatem et ad labores utiles vocati sumus, et quod promittit Deus se perfecturum esse, ut labores invocantium eum sint salutares, sicut scriptum est: Commenda Deo viam tuam et spera in eum, et ipse faciet. Item: Non erit inanis labor vester in Domino. Te igitur fili Dei, Domine Iesu Christe, toto pectore oro, ut Ecclesias harum regionum serves et gubernes, et facias, ut in Deo unum simus. Dixi.

No. — — an. 1555.

Adhortatio ad Doctores Norimbergenses, incipiens: „Utinam ea temporum foelicitas esset" etc., videatur in Epistolis Vol. VIII. p. 547.

No. 146. an. 1555.

De arte medica.

In select. Decl. T. IV. p. 216 sqq., Servest. T. IV. p. 197. et Richard. T. II. p. 118. — Etiam separatim prodiit Witeb. 1555. 8. $1\frac{1}{2}$ pl.

Oratio de arte medica, seu de honore habendo corporibus nostris; recitata a D. Jacobo Milichio, cum decerneretur gradus tribus Doctoribus Hallensibus.

Gravissime praeceptum est in doctrina Ecclesiae, honorem tribuendum esse corpori humano. Qua adpellatione non tantum hoc significatur, quod Philosophi dicerent, tuendam esse valetudinem, et depellendos morbos, seu conservandas esse vires corporis, quantum fieri potest. Sed cum honos nominatur, causa comprehenditur, propter quam valetudo magna cura tuenda est, videlicet, quia corpus ad divinos usus conditum est. Significat enim honos confessionem antecellentis bonitatis, quae primum Deo debetur, deinde cum transfertur ad alias res, tamen propter Deum eis tribuitur, ut honorem tribuimus parentibus, imperiis, artibus, legibus. Artes enim ac leges scimus radios esse sapientiae, quae in Deo est aeterna et immota, per quos sese vult agnosci et vitam regi. Sic imperia scimus ordinem esse sapientiae Dei, et conservari a Deo, ac intelligimus velle Deum nos illi ordini subiectos esse. De parentibus vero scimus, et castitatem coniugii, arcano Dei consilio sancitam esse, et generationem Dei opus esse, et ab ipso conservari, et velle eum ut sit mutuum foedus et mutua *στοργὴ* inter parentes et natos, quam vult esse commonefactionem de suo amore erga filium et erga nos. Ita cuicunque rei honorem tribuimus, significamus aliquod in ea divinum bonum esse, propter quod ea res et conservanda et anteferenda est caeteris rebus. Sicut Aristoteles inquit, *τίμιον* esse quiddam divinum.

Cum igitur praecipit coeleste mandatum, ut corpora nostra honore afficiamus, quaerendum est quae res divina propria sit corporum nostrorum, quae tamen videmus esse fragiles massas ceu testas ex luto concretas. Hic primum de causa finali dicam.

Quanquam haec corporea moles ex luto facta est, tamen ad hunc usum condita est, ut in tota aeternitate domicilium et templum sit Dei, et organum actionum Dei maxime admirandarum. Nascuntur in corde vitales spiritus, et inde sursum magni halituum aestus velut Euripi vehuntur in cerebrum, qui postea cerebri familiaritate mitiores et lucidiores facti, cerebrum adiuvant in cogitationibus formandis, illi vero fluctus, qui sunt in thalamis cordis, accendunt affectus.

In hanc totam halituum scaturiginem, vere se inserit divinitas: In cerebro format noticias lucidiores, et firmiorem adsensionem: in corde adfectus tales, qualis est ipse Deus. Ad hunc usum cum condita sit hominum natura, et ut scriptum est, cum velit Deus omnia in omnibus esse, recte dictum est, corpus honore adficiendum esse. Cogitemus igitur quanta scelera sint expellere Deum ex hoc suo domicilio, ut eiiciunt qui se libidinibus aut aliis flagitiis contaminant: vel omnino destruere hoc templum, ut magna multitudo hominum perdit corpora ferro et aliis machinis: sed multo plures crapula, illuvie, contemptu remediorum. Haec lues vere *ἐπιδήμιος* assidue per totum genus humanum vagatur. Haec magna et atrocia scelera agnoscenda et corrigenda sunt, et saepe cogitandae sunt causae, cur Deus iusserit honorem habere corpori.

Dixi de causa finali, quia sit conditum ut sit templum Dei. Consideremus etiam ipsius opificii artem, quae cum vere sit divina, ut ostendat qualis sit Deus, propter hanc causam etiam corpus honore adficiendum est. In Deo praecipuae res sunt: sapientia, veritas, bonitas, beneficentia, iustitia, castitas, constantia in bono, quod ipsius sapientia discernit a malo, item liberrima electio. Sic est autem conditus homo, ut membra corporis sint harum optimarum rerum instrumenta; in cerebro lucent noticiae et veritas, intellectus numerorum, radii legis divinae, discernentes recta et non recta. Et a cerebro nervi oriuntur, qui cogitatione impelli possunt, et externa membra vel cient vel cohercent, ut actiones cum recto iudicio congruentes effici possint, ut cum Achilles ardens ira non iniusta, gladium stringeret, tamen cum tacita cogitatio nervos ceu habenas iuberet retrahere manum, nervi et manus recto iudicio obtemperant. Hanc sapientiam, libertatem, virtutem, adhuc utcunque in hominum natura reliquam esse videmus, etiamsi languidior est, quam qualis initio condita est. Voluit tamen Deus in nobis adhuc lucere de sese testimonia et significationes, quae commonefaciant, qua-

lis sit ipse. Hanc in opificio hominis artem divinam esse fateri necesse est.

Haec commemoravi non tam prolixe, ut magnitudo rei postulat, sed ut hoc tempore potui, ut auditores omnes ad cogitationem divinae sententiae invitarem, quae praecipit, ut corpora nostra honore adficiamus, ac duarum rerum cogitationem adiungi volo, videlicet priorem de nostra negligentia in tuenda veletudine et conservando domicilio Dei, alteram de praesidio necessario, videlicet de arte medica.

Profecto multum peccamus omnes, quod neglecto ordine in cibo, potu, somno, laboribus, denique in omnibus motibus animi et corporis, adfligimus naturae vires, impedimus in nobis lucem divinam permixtam nostris spiritibus, denique ante tempus nobis ipsis mortem consciscimus. Haec fiunt ab aliis magis atrociter, ab aliis minus, sed tamen omnes in hoc genere peccamus. Ac si quis putat haec non esse curae Deo, valde errat. Toties enim repetita sunt praecepta: Non occidas, Non graventur corda vestra crapula, Honorem habete corpori, Homicidae, ebriosi, scortatores regnum Dei non possidebunt. Qualis autem est hoc tempore plurimorum consuetudo, qui conveniunt ad crebra convivia, ut Lapithae et Centauri, ibi cum se onerarunt sine modo cibo et potu, postea tumultuantur, et hos mores, seu fortitudinem, seu hilaritatem sine vitio esse existimant. Tu vero non iudicas scelus, quod paulatim tibi mortem consciscis, quod domicilium Dei destruis, quod nunc in praesentia aut expellis aut arces Deum, quo minus laetari tuae mentis et cordis tui possessione queat. Non magnum malum censes, quod multos dies temulentus et furens sine invocatione Dei, et sine meditatione de Deo vivis. Extrema denique haec calamitas est, quod excluso Deo irruunt in prophana pectora diaboli, qui impellunt alios, ut mox ruant in caedes, alios ita tenent captivos, ut postea in Repub. faciant eos patriae pestes, et ἀλάστορας generis humani, quales fuerunt Catilina, Antonius et similes. Utinam horum magnorum delictorum turpitudo cogitetur, et agnoscatur ira Dei, et multi abiiciant hos malos mores, qui et privatim multis exitio sunt, et totas gentes, Ecclesiam et imperia perdunt.

Haec prius dicere necesse est, quoties de arte medica dicendum est, nam qui furenter perdunt corpora, nec Deum vindicem metuunt, nec ullam moderationem in vita amant, his frustra de sapientia Dei, et de ordine servando in victu et in medicatione concionamur.

Postquam igitur de emendatione morum breviter dixi, nunc addam pauca de arte medica, quae monstrat vitae praesidia, necessaria partim ad tuendam valetudinem, partim ad depellendos morbos. Hic si quis adeo barbarus est, ut nihil moveatur manifesta utilitate in vulnerum curatione, in restitutione fractarum aut laxatarum partium, et multis interiorum morborum depulsionibus, ac omnem naturae considerationem, ac totam artem medicam, et artifices omnes contemnat, ut sunt quidam Titanum similes, qui etiam coelo bellum inferunt, hos non conor disputando ad sanitatem revocare, sed ut Titanes dissipati sunt audito horribili clamore asini, cui Bacchus insidebat in praelio, ita isti tandem aliquo asinorum clamore perterrefacti, poenas dabunt, quod Deum et res divinas contumelia adfecerunt. Alios autem alloquor saniores, hos oro, ut universam hanc rerum naturam intueantur, et cogitent eam non ex Democriti atomis casu et sine mente conflatam esse, sed summa arte a Deo opifice, sapiente, bono, benefico, casto et vindice scelerum, conditam esse et conservari. Hic voluit ordinem in toto opificio testimonium de sese et de providentia esse.

Longum autem esset de ordine in multis naturae partibus dicere, de situ corporum mundi, de ordine motuum coelestium, de vicibus temporum, dierum, noctium, hyemis et aestatis, de annua foecundatione terrae, de plantis, de animantium generibus, de fabricatione humani corporis, de firmis et aeternis noticiis in mente humana. Tantum hic pauca de ordine in victu et medicationi corporum dicam.

Res ipsa ostendit, singulari consilio Deum tanquam patrem fideliter nobis prospicientem distinxisse res nascentes, et alias velle nutrimenta esse, alias remedia. Quis enim vesci possit Mastiche, Achilleide, Gentiana, Myrrha, Aloe, aut multis aliis quae in medicatione vulnerum constat esse saluberrima. Flexit etiam Deus mentes certorum hominum ad considerationem remediorum, et inquisitionem adiuvit, quo in studio animadversum est, mirificam varietatem virium in res nascentes sparsam esse, ut aliae opem ferrent aliis membris, aliae praesidia essent contra alios morbos.

Haec igitur naturae aspectio, revera est consideratio divinae sapientiae, bonitatis et beneficentiae erga nos, deinde et utilem esse vitae manifestum est. Quare et propter gloriam Dei, et propter nostram utilitatem hanc dulcissimam doctrinam amemus, et grati beneficiis Dei fruamur, et eius sapientiam et bonitatem celebremus, et sciamus nos ei tantae curae esse, non ut huius fugacissimae vitae curriculo confecto, postea in omni aeternitate nihil simus, sed ut in illa tota aeternitate consuetudine eius fruamur, et veram eius sapientiam discamus, ad quam iter vult esse et tyrocinium huius brevis vitae spacium.

Nequaquam enim fiunt cives Ecclesiae coelestis, qui in hac vita doctrinam de filio Dei discere noluerunt.

Tales erant et physicae et theologicae disputationes summorum hominum, primorum parentum, et deinde Nohae et filiorum, et postea Ioseph in Aegypto. Neque enim hanc philosophiam ab Aesculapio primum inchoo, qui non diu ante bellum Troianum natus est, cum filii Podalirius et Machaon exercitum Graecum ad Troiam secuti sint. Antecedit autem annis fere mille annus diluvii, in quo familia Nohae servata est, tempus belli Troiani.

Fuisse autem in Noha considerationem naturae eximiam inde aestimari potest, quia et animantia congregavit, et in arca toto anno pavit, et postea filiis suis vites ostendit, quas non existimo tunc primum creatas esse, sed primum ipsi in ultima senecta monstratas esse a Deo, quia Deus foveri languefactum corpus aetate, pleniore iam potu voluit, ac simul significavit venturae posteritati, quae erat futura imbecillior, opus fore deinceps tali potu.

Ac diu in familiis regiis doctrina medica et conservata et propagata est, ut celebrata est Chironis Centauri schola, qui Achillem docuit artem medicam. Et Eurypyli vulnera curat Patroclus remediis, quorum usum ab Achille didicerat. Ac Homerus *πικρὰν ῥίζαν* nominat, quae veterum Scriptorum iudicio est *ἀριστολοχία*. Sed omitto orationem de artis initiis, quia nihil dubium est, primorum patrum sapientiam hanc fuisse, explicationem legis divinae et promissionis de Mediatore, et de reconciliatione, de causis calamitatum humanarum, et de restitutione vitae aeternae, ac deinde consideratioem naturae. Certe enim ab his anni descriptionem accepimus, et agriculturam, et panis coquendi artem. Ac Siracides recte adfirmat utrumque, et remedia ipsa Dei opera esse, et artem a Deo ostensam esse. Sic enim de remediis inquit: Dominus condidit ex terra pharmaca, et vir prudens non fastidit ea, quae sententia et autorem remediorum ostendit, et his Dei beneficiis uti, et gratis mentibus Deum celebrare iubet. De medico autem inquit: Da locum medico, nam et ipsum Deus creavit. Item: Honora medicum, quia propter necesssitatem Deus eum creavit, id est: non remedia solum condidit Deus, sed etiam flexit mentes certorum hominum ad eorum inquisitionem, adiuvit studium, et regit consilium, et dextram medicantis, nam sine Deo non est foelix medicatio. Ipse est enim, ut scriptum est, vita et longitudo dierum. Item: In ipso vivimus, sumus et movemur. Vere Deus est vitae fons et largitor: sed vult nos reverenter uti iis rebus, quas vult esse vitae adminicula, quae ita sunt efficaces, cum ipse eas adiuvat. Ita volumus ad medicationem adiungi et invocationem Dei, et celebrationem beneficiorum eius. Haec officia Deo grata sunt, non illa barbaries, quae et Deum et vestigia Dei in natura, et naturae considerationem, imo totum vitae ordinem contemnit. Quam ob causam? quia legibus, literis et doctrinae inimica est, ac metuit suis cupiditatibus frenum iniici legum et doctrinarum vinculis. Ex hoc fonte doctrinarum odium oritur, non ex religione, etsi quidam praetexunt religionem. Vos vero qui ideo doctrinae studiis dediti estis, ut Deum et Dei opera a rebus malis discernere, et Deum recte invocare discatis, et amplectamini res bonas, agnoscite hanc esse normam doctrinarum.

Hae doctrinae expetendae sunt, quae opera Dei recte monstrant, et in eis ostendunt testimonia de eo, confirmantia adsensionem de providentia, ut excitentur mentes ad celebrandam eius sapientiam, bonitatem et beneficentiam erga nos, et quarum doctrinarum usum prodesse Deus generi humano voluit, nec delectet vos illa cynica sapientia, quae plausus apud stultos captat vituperatione doctrinarum et ordinis, quem Deus in tota natura et in vita hominum sanxit. Nobis quidem, qui mediocri sedulitate doctrinam propagamus, et magno labore aegrotis adsumus, damus consilia et remedia, et non sine dolore multa tristia spectacula cernimus, praecipuam adfert consolationem haec ipsa causa, quod scimus Deum

adprobare artem, et haec nostra officia, ac velle eum, ut homines remediis a se conditis utantur, velle etiam artifices esse, qui artem aliis tradant, et remedia exhibeant, et adiuvare eum fidelis medici officia, praesertim invocantis ipsum, cum scriptum sit: Da locum medico, nam et Dominus eum creavit, certe vult operam nostram non esse irritam. His consolationibus me confirmo, quoties ad aegrotantes accedo, et simul Deum vitae fontem et remediorum conditorem oro, ut ipse mentem et dextram meam gubernet. Scio magnam esse infirmitatem naturae humanae, nec ulli magis hoc norunt, quam medici, qui exempla multa vident, et saepe cernunt ex levibus offensionibus oriri exitialia mala, saepe convalescentes non servato naturae ordine saevicia redeuntis morbi extingui, saepe tanta est corporis debilitas, ut nec cibum, nec remedia admittat. Haec etsi fiunt, tamen ordo divinus non negligendus est, vult Deus et cibos et remedia exhiberi, id rite fiat, et eventus ipsi commendetur. Nam et amentia et scelus esset, seni aut aegrotanti ne cibum quidem dare, quia non simili voluptate fruatur, ut iuvenis, aut recte valens. Legi divinae atque ordini divinitus sancito obtemperemus, et Deum naturae conditorem precemur, ut nos, quos languefactos scelere diaboli, tamen in hac infirmitate non vult subito extingui, servet, et concedat aliqua spacia, ut Ecclesiam inter nos colligat, quam ut semper in his regionibus colligat et gubernet, toto cum pectore oro. Dixi.

No. 147. a. 1555.

De Salinis Saxonicis.

Select. Declam. T. IV. p. 305 sqq. Servest. T. IV. p. 278. Richard. T. II. p. 39.

Oratio de Salinis Saxonicis; recitata a D. Casparo Guilelmo, Hallensi.

Cogit homines necessitas considerare vitae praesidia, videlicet res nascentes in terra et in aquis, nutritionis et medicationis causa. Item artes quibus carere non possumus, ut, coquendi artem, Agriculturam, Architectonicam, Vestiariam, Fabrorum operas et alias. Sed hac necessitate voluit Deus nos commonefieri, non solum ut de praesidiis vitae nostrae cogitemus, sed etiam, ut ordo et consilia de usu rerum, quae in tanta varietate mira arte distributae sunt, deducant nos ad agnitionem opificis, et fateri nos cogant, esse mentem architectatricem, quae non solum formaverit omnia mundi corpora, et conservet: sed etiam prospiciens hominum saluti, sic distinxerit res nascentes, ut praecipue adminicula sint humanae vitae, et singulae peculiares utilitates adferant.

Testimonium igitur de scipso Deus conditor, et de providentia, hanc pulcherrimam rerum distributionem et oeconomiam esse voluit. Nos quoque intelligentes fecit creaturas, ut suam lucem, sapientiam, bonitatem et iusticiam nobis communicet, quia bonum est *κοινωνικὸν* sui. Id fieri non potest, nisi agnoscamus et celebremus eum.

Exuscitat igitur nos ad sui agnitionem, ostensis illustribus testimoniis de sese, in universa natura, quae cum enumerari omnia non possint, praecipua tamen semper in conspectu sint, ut assensionem de providentia confirment. Nequaquam casu ex Democriti atomis confluxit hic positus coeli, aëris, aquae et terrae. Nec sidera casu perpetuas leges motuum servant, quae gratas et utiles efficiunt dierum ac noctium, aestatis et hyemis vices. Nec sine auxilio Dei terra quotannis fit foecunda, nec casu gignit, stirpes, succos, metalla. Denique intellectus numerorum et ordinis, et lumen in nobis, discernens honesta et turpia, et horrendae poenae scelerum in corde non potuerunt oriri, nisi ab aeterna mente, quae hanc lucem in mentibus et accendit et conservat.

Talia Dei vestigia in nobis ipsis et in reliqua natura saepe aspiciamus. Et Pauli dictum cogitemus: Tam prope nobis omnibus adesse Deum, pene ut contrectari manibus possit, et in eo nos vivere, moveri et esse. Et beneficia eius perpetuo agnoscamus, et grati celebremus et intelligamus, velle eum, nos ipsi conformes esse. Haec initia sunt verae et necessariae disciplinae.

In hanc commemorationem sum ingressus ideo, quia dicturus de beneficio, quod Deus patriae meae dedit, rectissimum esse iudicavi, ordiri ab hac commonefactione, de praesentia Dei in natura.

Primum igitur, affirmo *Salem* singulare Dei opus esse, vitae corporum nostrorum necessarium, et Deo gratias ago, quod id opus condidit et servat. Deinde et eo gratias ago, quod

meae patriae Salis fontes praebuit, et iam annos septingentos ibi servat, eumque oro toto pectore, ut deinceps ibi et ubertatem terreni salis his fontibus, et salem coelestem divinae doctrinae nobis largiatur.

Priusquam autem de salis natura dicam, de vetustate fontium pauca commemorabo. Nam diuturnitas etiam ostendit, hos fontes Dei opus esse.

Legimus scripta digna fide, quae narrant, Othonem Primum hos fontes salis attribuisse Episcopo Meideburgensi, qua in re et pietas, et sapientia laudatissimi Principis conspicitur. Ut enim ostenderet, se fateri, hos fontes esse Dei donum, primitias inde consecravit Deo, sic ut prodessent ad conservationem evangelici ministerii in hac vicinia.

Deinde huius consilii et haec causa fuit. Salinae publicum bonum sunt, et multarum gentium causa conservandae sunt. Ut igitur parceretur his fontibus in bellis, attribuit eos Ecclesiis. Quia tunc quidem Germanicae gentis adhuc ea modestia fuit, ut etiam in bellis abstineret ab iis rebus, quae Ecclesiis consecratae erant. Quem fuisse morem vetustatis, et ex Homero intelligi potest, qui scribit, exercitum Graecum pestilentia punitum esse, propter raptam Sacerdotis filiam. Et apud Sophoclem Hercules dat mandata Philoctetae et Pyrrho, ne templa violent. Ac Totilas rex Gotthicus Romae Christianorum templis, et populo, qui in ea confugerat, pepercit. Nunc, ut in aliis multis rebus, barbaries et petulantia maior est.

Credibile est autem, et ante Othonem diu has salinas fuisse, quia nomina ostendunt, duas ibi gentes, Germanicam et Henetam in ripa fluminis Salae habitasse, cum quidem Othonis tempore nulla ibi gentis Henetae potentia fuerit. Existimo etiam has ipsas esse Salinas, quarum mentionem facit Cornelius Tacitus, qui scribit, dimicasse inter se de fontibus salis Cattos et Cheruscos. Nec dubium est, Cheruscos Hercinios esse. Ad Cattos autem pertinuisse oram proximam sylvae, inde usque ab Isenaco ad ripam fluminis Unstroti.

Hanc commemorationem de antiquitate eo addidi, quia diuturnitas etiam testatur, tales venas a Deo et conditas esse, et servari. Nam etiamsi quis disputabit, Cornelium Tacitum de aliis fontibus loqui, tamen vicinos intelligi necesse est. Et fluvius Sala nomen habet a sale, ut in Asia notissimum flumen Halys, cuius ripam gens Heneta etiam quondam tenuit, ut Argonautici carminis scriptor narrat.

Itaque grati celebremus Dei beneficium, quod tot seculis ex his nostris fontibus magnae parti Germaniae salem largitur. Gratitudo etiam patriae meae et civibus debetur, qui legibus munierunt has salinas, et quantum possunt, aedificiis et magna assiduitate operarum tuentur.

Haec officia cum prosint multis gentibus, profecto iniusti sunt, qui urbis tranquillitatem turbant, et nocere civibus cupiunt.

Sed dicat aliquis: Quid tantopere praedicas hoc beneficium in re vili, et qua carere homines possunt? Num ideo nobis Hesperidum horti magnifaciendi sunt, aut adeundi per Syrtes, quia silphium gignunt? Aut ideo petenda Arabia, quia thus gignit, cum his rebus carere possimus?

Ingrata est humana natura Deo, quae res, quas voluit Deus esse communes, quia sunt maxime necessariae, propterea quod sunt obviae, viliores esse censet. Rectius Pindarus, qui ait: *ἄριστον ὕδωρ.* Sapientiam et bonitatem Dei agnoscamus in hac ipsa mundi oeconomia, quod res maxime necessarias passim obvias esse voluit. Naturae praestantiam etiam, quantum possumus, consideremus.

Sed o rem miseram. Fruimur beneficiis Dei innumerabilibus, et multi nec rerum ipsarum naturas aspiciunt, nec autorem quaerunt. Haec ignavia detestanda est. Caligo vero mentis deploranda est, quod etiam cum naturam inquirimus, tamen vix procul, ut urbium procul conspectarum cacumina, aspicimus. Nec tamen haec ipsa diligentia inanis est.

Monstravit rudimenta quaedam Deus, et aliquas esse certas noticias voluit, ut operum et ordinis aspectio commonefactio esset de autore.

Condidit Deus quatuor prima corpora, ex quibus nasci mixta voluit, et admirabilem materiae varietatem inclusit quatuor qualitatibus: Calido, frigido, humido et sicco. Credamus sapientia Dei, haec neque stulte, neque temere cogitata esse, et res ipsas magnifaciamus, quia sunt opera Dei. Causas vero consilii fabricationis tunc cernemus, cum in tota aeternitate ideam operis in filio Dei coram intuebimur.

Poterat Deus talem condere naturam hominum, quae viveret sine alimento, aut pasceretur

ut plantae. Sed consilium aliud fuit. Voluit nos cibo et multis rebus indigere, ut vitae praesidia ab ipso peteremus, et eum agnosceremus. Credamus igitur, res non viles esse, frumenta, olera, potum, seu coctum ex frumentis et aqua, seu nata vina, et alias res, in nutricatione et medicatione necessarias.

In his quoque salem numeramus, quia necessitas in conspectu est. Nec ducantur vilia, quae Deus necessaria esse voluit. Et natura ipsa salis digna est admiratione, et effectiones mirificas habet. Est enim non mixtum imperfectum, ut excrementa: sed singulare opus Dei, et mixtum perfectum, arte divina ad multos usus nobis conditum. Ac ne deesset eius copia, salem nasci in pluribus rebus voluit, in terra, in mari, in fontibus et lacubus.

In genere autem definitio haec sit: Salem seu fossilem, seu coctum, succum esse ex terrea natura adusta et igneo calore attenuata, mixto humido aëreo, divinitus, singulari arte percocto, conducens et nostris et aliis corporibus, ad arcendam putrefactionem, iuvans etiam sapore in cibis.

Dicerem explicatius, si possem, sed generositatem usus ostendit. Et cum inquit filius Dei: Bonus est sal, significat etiam hunc terrenum salem rem bonam et utilem esse. Nec tantum de sale coelesti loquitur. Prius autem de sapore dicam. Est omnino admiranda fabricatio hominum. Si homo non esset natura intelligens, quomodo Deus sese nobis communicaret? Voluit autem cognitionis initia esse a sensibus. Quam multae res luce nobis ostenduntur. Deinde verbum, quo vocatur et colligitur aeterna Ecclesia, auditu accipitur. Haec esse magna et admirabilia fatendum est. Deinde tactus, gustus et olfactus huic corporali vitae serviunt. Haec cum ita sint ordinata divinitus in natura, velle ea tollere, καὶ θεομαχεῖν, horribilis furor esset.

Adiunxit autem Deus saporem convenientem nutricationi. Addidit suavitatem utilitati, ut in multis rebus, ut suam bonitatem multipliciter ostenderet. Nec alia quaerenda est causa, sed sapientiae et bonitatis divinae testimonia grati consideremus. Tanta fastidia cibi sequuntur, si sint sine sale, ut natura ab eis abhorreat. Id experientia ostendit, si quis dubitat. Insipida, ut panis sine sale prorsus ingrata sunt. Dulcia celeriter fastidiuntur. Amara et acria urunt et laedunt. Acida tantum frigida sunt. Sed τὸ ἁλμυρὸν irritat calore, quia absumit superfluitates, et simul humectat.

Semper autem in operibus divinis multae sunt, utilitates copulatae, ut multipliciter Dei bonitas celebretur. Salis usus propter saporem gratus est, sed suavitati multae utilitates adiunctae sunt in ipsa nutricatione. Prohibet putrefactiones. Nam sine sale coctio minus fieri posset, et relictae massae chyli et chymi putrefierent. Nunc salis natura absumit in nostris corporibus superfluas humiditates, aperit et abstergit, et corroborat partes leviter desiccatas. Densat etiam, et cogit partes.

Postea manifestus usus est in arcenda putrefactione carnium, quae servantur ad usus longi temporis. Usitatissima est igitur conditura, quae Graecum nomen habet ἅλμη, Latinum Muriam, quod alii a mari factum esse scripserunt. Ego ex Graeco μύρον, quod est unguentum, piscatores sumpsisse existimo.

Postea et in medicatione vulnerum in corporibus hominum, et ad pellenda fastidia alimenti in pecudibus frequentissimus salis usus est. Haec norunt omnes pastores.

Cum autem usus tam multiplex sit salis inter vitae praesidia, ingrati sunt, qui neque considerant bonitatem eius, neque Deo pro hoc dono gratias agunt. Certe Deus considerari salis naturam voluit, cum diserte de eo in lege praeceperit, ne victima sine sale offerretur. Scitis enim, in secundo capite Levitici scriptum esse: Non fermentum, non mel miscendum esse iis rebus, quae offeruntur. Nullam autem victimam sine sale offerendam esse. Etsi ritus praecipue propter significationem instituti sunt, tamen et rerum dignitas in eis commendata est. Et sumitur interpretatio ex similitudine, quae non intelligitur, nisi rerum natura considerata.

Fermentum non vult offerri, quia significat mixtas opiniones humanas doctrinae Dei. Vult autem Deus retineri puritatem suae doctrinae, ut saepe praecipit. Vult invocari, sicut se patefecit ipse. Non vult affingi humanas opiniones et novos cultus, ut horribiliter omnibus aetatibus admixtae sunt doctrinae Dei corruptelae, quibus fontes coelestis sapientiae aut turbati aut prorsus obruti sunt, ut apud Ethnicos et similes factum est.

Nec mella offerenda sunt, id est, non inflectenda est doctrina ad plausus populares, non ad Principum aut populi cupiditates attemperanda, non arte fucanda sunt dogmata, ut contra sententiam divinam blandiantur humanae rationi, sicut Samosatenus, Servetus et similes corruperunt doctrinam de filio Dei. Non omittenda est doctrina de poenitentia, et confirmanda securitas et licentia inani umbra ceremoniarum.

Salem vero iubet addi victimis, hoc est, incorruptam doctrinam, et cogitationem veram de Deo, in qua Timor, Fides, Invocatio, Gratiarum actio accendantur. Procul removenda est impia et ethnica persuasio, quae fingit, Deum mactationibus aut externis tragoediis coli, sine cogitatione vocis divinae, Legis et Evangelii, et sine ardentibus motibus cordis. Romae quidam imperator in uno sacrificio centum tauros, centum leones, et centum aquilas mactavit. Tale sacrificium est inanis ostentatio opum, quae multipliciter irritat iram Dei. Ita Deus sese nobis communicat et vere adest, et fulget in mentibus nostris, cum excitatae mentes voce divina agnoscunt eum, sicut se patefecit, et intuentur eum, ac in veris doloribus ad eum confugiunt, petunt gubernationem et auxilium, et in Deo acquiescunt, erectae voce divina. Talis cogitatio doctrinae non insulsa, non insipida, sed in corde veros motus, pavores, dolores, fiduciam, laeticiam miscens, salis mentione significatur, quam interpretationem vetusti ritus tradit filius Dei, cum ait in capite Marci nono: Non sale tantum, sed igne etiam esse condiendos animos. Vult acres et ardentes motus, veros dolores, et laeticiam in Deo acquiescentem, iuxta vocem divinam in nobis misceri. Et curam retinendi salis nobis commendat, inquiens: Bonus est sal, Retinete in vobis salem, et sitis inter vos concordes.

Praecipua sunt haec mandata de gubernatione in Ecclesia, retinere doctrinam incorruptam, recte intellectam, nec turbare consensum, aut errore iudicii, aut malevolentia, ambitione, odio et aliis pravis incendiis animorum.

Quid Ecclesiae maius et melius optare possumus, quam ut haec duo habeat. Salem, id est, iudicii rectitudinem, iuxta vocem divinam, et concordiam. Non sine singulari motu animi dictum est a filio Dei: Bonus est sal, quasi dicat: Ingens bonum est doctrina prolata ex sinu aeterni patris, qua se Deus patefecit humano generi, qua restituit aeternam iusticiam et vitam, sed recte intelligenda est, non misceantur sordes. Hanc divinam admonitionem et vos auditores infigite animis, et vobis quoque concionari filium Dei scitote. Retinete salem et concordiam.

Et Paulus inquit: Sit sermo vester sale conditus, sit sumptus ex doctrinae fontibus, et accedat iudicii rectitudo. Consideretis quid causis conveniat, quid sanandis animabus prosit. Non sit sordida et futilis garrulitas. Non falsis, non insulsis, non prodigiosis paradoxis turbante Ecclesiam, sicut ante paucos annos quidam impostor paradoxa edidit, in quibus et haec erant, insulsissime ex Stoicorum porticu in Ecclesiam transvecta: Omnia peccata paria esse, Omnia scelera necessario fieri, etc.

Sed omitto hanc enumerationem. Cohorresco enim cogitans et furores istos, et aerumnas Ecclesiae. Nec de sale dicenti convenit insulse dicta cumulare.

Omitto etiam, propter temporis angustiam, ea quae de figurate dictis, quae Latini sales nominaverunt, hic addi poterant, qui sic nominati sunt, quia sunt velut condimenta sermonis, et propter figurarum venustatem sunt acriores admonitiones, et altius penetrant in animos. Delectant enim figurae, quia collatio rerum apta ceu pictura est, et grata est ingenii celeritas in collationibus, aut in causis mutandis.

Quid potuit cogitari venustius Demadis dicto, cum ait: Alexandro mortuo exercitum eius similem esse Cyclopi effosso oculo?

Salsa reprehensio fuit Principum, cum Rosa Maximiliani miles in ludo nactus duos chartaceos reges, interrogaret, an pecuniam universam, de qua ludebatur, auferre deberet is, qui tres reges haberet, et assentirentur Principes ibi ludentes, tum Rosa complexus Maximilianum astantem, ostendit duos chartaceos reges, et monstrans Maximilianum, hic, inquit, tertius est. Sic enim ei obtemperatis, ut chartaceis. Sic emisso telo pecuniam abstulit. Licuit hoc Rosae, etsi ab alio videretur scurrilius dictum.

Sed libenter hanc partem orationis de salibus relinquo. Ut enim laudatur sal patriae meae propter candorem, ita et ego candido sale delector. Atrum, qui Momi esse dicitur, totum relinquo rabiosis hypocritis, qui ambitione et odiis inter sese certant, cum pernicie publica.

Vobis autem auditoribus toto pectore opto, ut illum salem, de quo filius Dei loquitur, habeatis, sicut inquit: *Salem retinete in vobis, et sitis concordes.* Et ipsum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui est λόγος aeterni patris, et Evangelium ex arcano sinu aeterni patris protulit, oro, ut eo sale, hoc est, ea doctrina et sapientia, quam patefecit, mentes et pectora vestra semper gubernet. Dixi.

No. 148. an. 1555.

De coniugio.

Prodiit: „Oratio de coniugio, auctore Dav. Chytraeo. Viteb. 1555." 8. 2½ pl. — Recusa in sel. Declam. T. IV. p. 526 sqq., Servest. T. IV. p. 478. et Richard. T. III. p. 439.

Oratio de coniugio; recitata a Davide Chytraeo.

Tota divinitas amans castitatem admiranda sapientia et gravissima deliberatione statim post conditionem in Paradiso decretum fecit, quod vult firmum et immotum esse, quo instituit et sancivit hunc ordinem, ut homines in coniugio legitimo caste vivant, et vitatis libidinibus vagis Deo in castitate serviant, et hoc vinculo genus humanum consocietur et certa lege propagetur. Hoc decretum ipse filius Dei in Paradiso *dixit*, ac patefecit in conditione sexus foeminei, quam ipsam voluit imaginem esse Ecclesiae ex sese nascentis. Sicut enim ex Adam dormiente sumitur costa, unde aedificatur Eva, sic Ecclesia ex ipso corpore filii Dei pro nobis mortuo, id est, ex natura humana quae est socia filii Dei, et per mortem ipsius redempta, sumitur.

Quare initio filium Dei conditorem maris ac foeminae, et primum autorem admirandi et dulcissimi foederis coniugum toto pectore oro, ut coniugium foelix, tranquillum, foecundum et salutare sponso et sponsae tribuat. Haec vota et pro omnibus piis coniugibus, et praecipue nunc pro viro, doctrina, virtute et bene meritis erga Ecclesiam Dei et Rempublicam literariam clarissimo, Tilemanno Stella, et sponsa ipsius Helena virginum decore, faciunt omnes boni et Ecclesiae Dei ac literarum amantes, qui suam voluntatem et benevolentiam per me huic illustrissimo coetui voluerunt significari.

Etsi autem tanta amplitudo est admirandae sapientiae et dignitatis in coniugio, ut eam nulla mentis humanae acies penitus introspicere, nec ulla eloquentia possit exhaurire, tamen Floriferis ut apes in saltibus omnia libant, omnia nos itidem depascier aurea dicta, aurea perpetua semper dignissima vita decrevimus, et quantum temporis propositi angustia concedit, fontes verae laudationis coniugii indicatis rerum capitibus, et praecipue imaginem admirandi foederis inter Christum, et Ecclesiam in amore coniugali propositam delibabimus. Cumque in hac tenuitate mea non possim orationis suavitate ac elegantia politissimarum aurium vestrarum expectationi respondere, operam dabo, ut illustrium exemplorum et historiarum commemoratione, et sermonis brevitate taedium vestrum levem.

Indidit Deus omnibus Angelis et hominibus, ut caeterarum virtutum, ita castitatis quoque noticiam, ut agnoscamus, qualis sit ipse, et in quotidiana invocatione eum a naturis malis et impudicis, ac immundis a diabolis et commenticiis numinibus attributione virtutum discernamus, et cum ipsius sapientia et voluntate, cuius radii in mentes nostras transfusi sunt, congruamus. Ut igitur agnoscis, et invocas Deum sapientem, veracem, iustum, beneficum, misericordem, liberrimum, qui se patefecit talem, insculpta sui imagine in mentes nostras, et in verbo suo, et hunc unum verum Deum ab omnibus aliis naturis segregas: ita castum quoque Deum casta et impolluta mente compellato, eumque hac proprietate a diabolis spurcis et immundis, qui imbecillam hominum naturam ad spurciciem et libidinum confusiones impellunt, discernito, ac ut in veritate, iusticia, beneficentia et caeteris virtutibus studes cum voluntate Dei convenire, ita castitatem quoque cognoscas et ames, quam legibus coniugii Deus sancivit.

Est enim castitas vel in coelibe vita sine ulla commixtione et contaminatione corporis, sine flammis libidinum, sine impudicis cogitationibus purum et mundum vivere, vel leges coniugii mirando Dei consilio institutas servare, et intra metas, quas coniugio Deus circumdedit, manere.

Ut autem solae anglicae naturae et immatura aetas, et aliqui peculiare donum habentes in vita coelibe Deo serviunt, ita severissimo mandato et ordinatione Dei, caeteros omnes, nisi iram Dei, amissionem gratiae Dei et vitae aeternae, poenas

publicas et privatas accersere cupiant, in castitate coniugali Deo obediri necesse est.

Quod enim et haec coniugum societas casta sit, inde perspicuum est, quia admiranda Dei sapientia et decreto ordinata est, ut expresse scriptum est, *dixit Dominus*: Non est bonum homini esse solum; item: Honorabile coniugium et thorus castus ac impollutus; item: Haec est voluntas Dei, castitas vestra, ut abstineatis a scortatione, et unusquisque suum corpus uni coniugi castum et sanctum servet.

Vult igitur Deus nos in coniugio vivere, ut castitatem intelligere discamus, et agnoscamus ipsum esse mentem castam et mundam, amantem castitatis, et horribili odio persequentem omnes naturas spurcas et pollutas, ac ut in castitate Deo serviamus, et pura ac impolluta mente eum invocemus. Nam casta Deus mens est, casta vult mente vocari.

Ac ne potest quidem in mente impudica et laxante frenos incendiis libidinum et polluta, quisquam Deo placere, aut ad Deum accedere, et bona ab eo petere et expectare. Impudicitia enim totius lucis spiritualis, et praecipue invocationis Dei remora est, qua remota, necesse est labi mentes in opinionibus, sententiis, consiliis, negociis, fieri vasa irae, ac ruere tandem in aeternum exitium. Castitas vero cum caeterarum virtutum omnium, tum praecipue lucis recte agnoscentis Deum, et verae invocationis custos est, ut dicitur: Beati casto corde, quia Deum videbunt; item: Sequimini castitatem, sine qua nemo Deum videbit.

Viderunt Ethnici quoque ingens totius vitae, et omnium doctrinae, ac virtutis ornamentorum decus esse castitatem, et famam libidinum, quantaecunque sint ingenii, sapientiae, eloquentiae et aliarum virtutum dona, tamen honestorum hominum animos alienare. In eam sententiam extat venustissimum Bachylidis dictum, caeteras virtutes sine castitate similes esse pulchrae statuae, cui caput revulsum sit, id hisce versibus expressit Philippus:

Ut cum de statua facies formosa revulsa est,
    Non decus in reliquo corpore truncus habet.
Sic alii mores spreti sine honore iacebunt,
    Ni sint ornati laude pudicitiae.

Vix ullus legitur in ethnicis historiis pluribus heroicis virtutibus fuisse ornatus, quam Scipio superior. At quam admirandum decus est et fere omnibus ab ipso rebus gestis gratius, quod casti pudoris decus inviolatum servavit, et captivam Allucii sponsam adeo eximia forma, ut quocunque incedebat, omnium in se oculos converteret, reddit intactam sponso, addita hac divina oratione: Ego cum sponsa tua capta a militibus nostris ad me deducta esset, audiremque eam tibi cordi esse, et forma faceret fidem, quia ipse si frui liceret ludo aetatis, et non Respublica animum nostrum occupasset, veniam mihi dari sponsam impensius amanti vellem, tuto cuius possum amori faveo. Fuit sponsa tua apud me eadem, qua apud soceros tuos parentesque suos verecundia, servata tibi est, ut inviolatum et dignum me teque dari tibi donum posset. Hanc mercedem unam pro eo munere paciscor, amicus Popu. Roma: ut sis etc.

Quam pulchra est Pausaniae continentia abstinentis a captiva Coa, et addentis hanc memorabilem vocem: Sufficit me meis Spartanis placere sancta dicendo et sancta faciendo.

Quid pulchrius cogitari potest Alexandro, cum victo ad Issum Dario et capta ipsius coniuge, et gyneceo, ne flammis illegitimi amoris ipse quoque caperetur, aspicere eas noluit, sed oculis in terram defixis, mandata dedit hominibus honestis et fide dignis, ut eas inviolatas custodirent. Hic idem Alexander postea vere similis est statuae truncatae capite, cum occupata Babylone, et parto totius orbis terrarum imperio, dedit sese flagitiosis libidinibus, ac tandem cum in convivio Amasiae nimium vini hausisset, extinguitur. Plurima sunt autem in Ethnicorum historiis pulcherrima continentiae exempla, ut Pelei abstinentis a Cretheide Acasti regis Magnetum uxore, Bellerophonti ab Antaea Praeti uxore se cohibentis, Hippolyti et aliorum. Sed haec commemorare, nec huius loci et nimis longum esset, praesertim cum materiae multo illustriores, et ad institutam orationem de coniugio magis congruentes supersint.

Quod ita ordinavit Deus, ut duarum personarum indissolubilis coniunctio esset, quia vult Ecclesiam esse societatem et coetum aliquem, ideoque et consuetudinem coniugalem, quae initium et fons est reliquae societatis humanae, et ipsam politicam congregationem admirandis vinculis generationis, educationis, officiorum, contractuum, gubernationis etc. colligavit, ut alii aliorum voce de Deo erudirentur, et exemplis ad

virtutem invitarentur. Vult enim Deus ex genere humano excerpere Ecclesiam, cui suam sapientiam et bonitatem in omni aeternitate communicet, et a qua vicissim agnoscatur et celebretur. Hanc colligit voce verbi sui, quod in societate ac frequentia aliqua vult sonare, ideo sanxit coniugium, ut duarum personarum societas esset, ut hoc modo genus humanum coagmentaretur, et conservatum propagaretur, in quo semper essent aliqui recte agnoscentes et colentes Deum, qui veram Dei noticiam ac invocationem latius spargerent, ac ad posteritatem transmitterent.

Non existimemus voluptatis tantum, aut vitae commodius transigendae causa hanc consociationem maris et foeminae institutam esse, sed ideo conditi sunt homines, ut Deum agnoscant et celebrent, et certa lege ac ordine in coniugio legitimo liberis procreatis, non vitam solum et patrimonium, sed praecipue veram de Deo doctrinam impertiant, et ad veram agnitionem Christi, ad cultum divinum, ad honestos mores, ad bonas artes eos instituant, ut Ecclesiae Dei, Reipublicae privatae vitae sua pietate, consilio, opera utiliter possint prodesse.

Gravissime in hanc sententiam Plato pronunciat libro 6. de legibus in aerumnis coniugalibus, hanc praecipuam consolationem omnibus coniugibus debere in conspectu esse. Quod ideo utendum sit coniugio, ut Deo alii cultores et ministri nostro loco substituantur, et vita tanquam lampas tradatur posteris, ut semper colant Deum iuxta leges. Quid quaeso religiosius et sanctius de coniugio dici ab homine ethnico potuit?

Quod si natura hominum mansisset integra, tantum ad necessariam generationem, et amplificandum numerum Ecclesiae, et cultorum Dei, homines coniugali consuetudine usi fuissent. Nunc vero etiam remedium est adversus incendia vagarum libidinum, quae horribiliter displicent Deo, et horrendas poenas publicas et privatas, praesentes et aeternas accersunt. Manet enim regula aeterna et immota: Scortatores et adulteros punit Deus. Et exempla in quotidiana vita, et omnium temporum historiis ostendunt, Deum iustum et castum gravissimis poenis obruere omnes contaminatos vagis libidinibus, sive extra coniugium se polluant, sive foedus coniugii rumpant.

Notae sunt historiae sacrae, diluvii, eversionis Sodomorum, civium Sichem trucidatorum, deletae tribus Beniamin, totius tragoediae Davidis, excidii Ierosolymorum etc. Ac apud Ethnicos exempla multo tetriora sunt. Nec ullus adeo ferreus est, qui vel cogitatione complecti, vel verbis explicare sine magno labore possit, historias eversionis regnorum et ingentium calamitatum publicarum, quibus occasionem libidines praebuerunt. Totum regnum Troianum propter violatum a Paride Menelai thorum et raptam Helenam deletum est. Romae reges expulsi sunt, propter vi compressam Lucretiam Collatini coniugem. Postea Decemvirorum potestas sublata est, propter tentatam ab Appio pudicitiam filiae Virginii.

Totius regni Spartani vires in praelio ad Leuctra conciderunt, haud dubie ob flagitiosam libidinem, quam eo in loco paulo ante Spartani impune exercuerant. Cum enim duo Nobiles Spartani, per oppidum Leuctra iter facientes, in aedes cuiusdam honesti civis Scedasi, qui tum forte domo aberat, divertissent, et a matrefamilias, quae domum et duas filias custodiebat, amanter excepti essent, furentes immani libidine et petulantia, duas hospitae filias vi stuprarunt, easque cum se casti pudoris decus ab ipsis violatum suae et ipsorum vitae antelaturas affirmarent, in puteum demerserunt. Hoc scelere perpetrato Spartam redeunt. Redit domum Scedasus, invenit uxorem moestam, quae narrans ei filiarum et domus suae calamitatem, et ad puteum, ubi filiae demersae erant, progrediens, ipsa se quoque eodem praecipitavit. Scedasus tanta sceleris atrocitate et tragico suorum casu impulsus, Spartam proficiscitur, poenas a sceleratis exacturus. Spartae autem tunc tanta scelerum impunitas erat, ut conquerentem Scedasum de immani contumelia toti suae domui illata Ephori deriderent. Aliqui etiam ex cognatis Nobilium egredientem per suburbium lotio perfunderent. Redit igitur miser Scedasus, et quas a suo magistratu libidinosorum poenas frustra exegerat, a Deo exposcit. Qui paulo post horrendo supplicio totum Spartae regnum obruit, victis ab Epaminonda duce Thebano Lacedaemoniis, ad Leuctra eo ipso in loco, qui nefaria Laconicorum nobilium libidine pollutus erat. Fuerunt autem eo praelio, quod anno abhinc 1931. quinto die Iunii commissum est, Spartanorum vires ita ab Epaminonda accisae et attritae, ut nunquam amplius colligi et instaurari potuerint.

Estque praeclara, et ex intimo sensu naturae optimae prolata Epaminondae vox, quam parta victoria edidit, quae etsi ad institutum proprie

non pertinet, tamen memoratu dignissima est. Interrogatus enim quem caperet fructum praecipuum huius tantae gloriae, et rerum a se gestarum, respondit: Hunc unum et iucundissimum, quod parentes suae virtutis, et gloriae spectatores, et approbatores haberet.

Multo hic praestantior et foelicior duce Spartano Pausania, qui matrem non suae laudis, sed turpitudinis et infamiae spectatricem habuit. Cum enim Byzantio, quae nunc Constantinopolis dicitur, praefectus, honesti civis filiam vi raptam stuprasset, et postea interfecisset, in somnis ei imago poenam hoc versiculo minitata est: *Στεῖχε δίκης ἆσσον μάλα δὴ κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.* Ad poenam propera, magnum iniuria damnum est. Postea Byzantium eiecto Pausania se Atheniensibus subiecit. Ipse verò quanquam initio gloriosissimus fuerat, et Mardonium ad plateas victum ex Graecia pepulerat, tamen nefariis libidinibus et aliis sceleribus pollutus, postea fame mori coactus est. Cum enim damnatus ab Ephoris in sacellum Palladis profugisset, unde eum extrahi non licebat, sacelli fores lapidibus obstructae sunt, et mater ipsius Argelia primum lapidem adposuit. Ibi fame extinctus est.

Multa possem virorum ingeniis, doctrina et nobilitate praestantium exempla vetera et recentia commemorare, quibus exitium vagae libidines attulerunt. Fortassis aliqui senes adhuc meminerunt conventus Coloniensis, coacti ab Imperatore Maximiliano, anno 1505. ad quem, cum alii Principes multi, tum vero etiam Iacobus Marchio Badensis, et Episcopus Trevirensis accessit, cuius tantum fuit ingenium, tantaque eloquentia, ut idem Legatis pontificiis Latine, Germanicis Germanice, Gallicis Gallice, Venetis Italice magna cum laude et admiratione responderit. Is postea per ripam Rheni ascendens, Confluentiae a sutore quodam deprehensus apud coniugem interfectus est. Meminimus etiam Comitem ingenio, eruditione, industria, et fide in rebus gerendis excellentem in simili casu a scriniario suo confossum interiisse. Scimus quanta fuerit Dalburgii Vangionum Episcopi, qui Rudolpho Agricolae familiaris fuit, doctrina ac eloquentia et autoritas. Is Heidelbergae in aedes adulterae ingrediens in cellam decidit, ac statim extinctus est. Sed tam tristes summorum virorum interitus meminisse, horret animus, luctuque refugit. Quare non recitabo plura. Verissime enim, non urbs, non regio, non aetas ulla severi iudicii exemplis, non domus ulla caret.

Intueamur autem horrendas libidinum poenas tanquam conciones de castitate et iusticia Dei, et testimonia voluntatis divinae, cui reverenter obediamus, et sciamus eum hac obedientia in legitimo et casto coniugio coli velle, et maiori cura vitemus haec scelera et calamitates, quae ordine divinitus sancito pollutos sequuntur.

Sparsit Deus etiam in animantia quaedam simulachra castitatis coniugalis, ut columbae non copulantur pluribus, neque deserunt coniuges, nisi alter viduus aut vidua fiat. Haec fortassis aliqua causa est, cur in lege Mosis puerperae par columbarum vel turturum Deo offerant. Et in sapientum picturis columbae currum Veneris trahere finguntur, quia foecundae sunt, et coniugii iura servant. Tuentur iura coniugii etiam Ceyx et Halcyon, de quibus scribunt altero coniuge mortuo, alterum praeluctu extingui. Ciconiae rostris occidunt adulteros. Aquilae suos pullos in solem adversum exponunt, explorantes, an proprii vel spurii sint. Haec vestigia Deus ideo in naturas animantium impressit, ut nos ad casti coniugii decus tuendum invitarent, et a vagis libidinibus deterrerent.

Sed accedo tandem ad splendidissimam coniugii laudationem, quae a Paulo copiose illustratur. Est enim coniugium imago illius admirandi foederis, quo Christus sibi Ecclesiam copulavit, ac commonefactio de summo et inenarrabili amore Dei, quo sponsam suam Ecclesiam complectitur.

Lucere autem inter sponsum et sponsam, et in omni pio ac casto coniugio haec quinque debent. Primo amor mutuus, verus, ardens, sincerus, suavis, nihil habens simulationis, nihil suspicionis, nihil morositatis, diffidentiae, fastidii, superbiae, in quo amore mutuo acquiescant, et uterque velit alteri bene esse. Deinde fides coniugalis. Postea societas omnium bonorum et aerumnarum, tum generatio. Postremo defensio.

Hae quinque res, quas merito nervos atque artus coniugii nominare possumus, in filio Dei et Ecclesia simili foedere copulatis potissimum lucent et conspiciuntur. Ut enim ex Adam dormientis latere aedificatur mulier, quae cum sit os ex ossibus eius, et caro de carne eius, ita arcte illi copulatur, ut sint una caro, ideoque ardentissime sese mutuo tanquam seipsos diligant, ita ex latere Christi obdormiscentis in cruce promanat sanguis,

quo Ecclesia aedificatur, et sincera sponsione ac fide sponso Christo copulatur, ut Oseae 1. dicitur: Desponsabo te mihi in aeternum, desponsabo te mihi in iusticia et fide. Ideo passim in Evangeliis, in Psalmis et Prophetis Christo sponsi appellatio tribuitur. Quemadmodum enim sponsus vero et ardenti amore suam sponsam complectitur, ita est non simulatus, sed verus et ardens amor in Christo, erga Ecclesiam, quod testatus est non solum assumptione naturae humanae, sed etiam morte sua, quam velut pignus sui erga nos amoris esse voluit, ut in dulcissimis Philippi versiculis dicitur:

> Pectus ut in sponso flammarum incendia sentit,
> Qui vero sponsae flagrat amore suae.
> Naturam sociam vero sic diligit igne,
> Filius aeterno de genitore satus.
> Induit humano quam foedere, quo sibi nostrum,
> Fraterno pariter iunxit amore genus.
> Iura thori Deus exemplum cum foederis huius,
> Esse velit, sancte praecipit ista coli.

Multa autem passim in historiis extant veri et sinceri amoris et fidei coniugalis exempla, quae immensum amoris incendium, quo filius Dei erga Ecclesiam flagrat, utcunque illustrant, quorum aliqua statim recitabo, prius enim inchoatam collationem coniugii et foederis, quod est Christo cum Ecclesia pertexam.

Ut enim in coniugio ad amorem mutuum accedit fides, qua uterque coniunx suum corpus uni coniugi castum et sanctum servat, ac omnes vagos ardores, ac commixtiones execratur, ita filius Dei unicam sponsam, et eam solam complectitur, quae verbum et beneficia ipsius amat, et puritatem doctrinae Christi ac sacramentorum retinet, non diligit Turcicos, Ethnicos, Iudaicos, aut Haereticorum coetus. Ita vicissim Ecclesia uni sponso Christo fidem praestet, non polluat se idolatricis opinionibus et cultibus, ne a sponso suo Christo deseratur, et in horrendas poenas adulterii incidat. Ex hac similitudine fidei coniugalis, passim in Prophetis splendidissimae conciones sumptae sunt, quibus Christum velut sponsum, Deum Zeloten, Ecclesiam sponsam pudicam et castam, impios vero idololatras, velut adulteros et fornicatores depingunt.

Praecipue autem foederis coniugalis propria est societas omnium bonorum et aerumnarum. Quare et filius Dei sua summa bona, videlicet sapientiam, iusticiam, vitam et laeticiam aeternam Ecclesiae communicat, et in se derivat nostras aerumnas, peccata et poenas, et vere afficitur sensu nostrarum miseriarum. Quotidie plura membra Ecclesiae per verbum et Spiritum sanctum gignit, eaque in sinu Ecclesiae tanquam matris educat et fovet, et quanquam vult eam esse sociam crucis, et conformem imaginis sponsi, tamen mitigat adflictiones, defendit eam contra diabolos, tyrannos, haereticos, servat corpus, et in media morte dat vitam his, qui interficiuntur. Vicissim Ecclesia sua quoque quantulacunque bona, videlicet veram invocationem, gratiarum actionem, celebrationem, cum suo sponso Christo communicat. Ideo enim Ecclesia electa est et desponsata, ac in matrimonium tradita filio Dei, ut aeternum patrem conciliatorem harum nuptiarum, et filium Dei sponsum una cum Spiritu sancto, qui est nexus mutui amoris, ad omnem aerernitatem celebret.

Hanc dulcissimam imaginem foederis Christi et Ecclesiae, et immensi amoris, quo eam Christus complectitur, pictam in foedere coniugali, considerare piis coniugibus, et vera ac ardenti benevolentia sese mutuo complectentibus, valde iucundum et gratum est, ac in difficultatibus, quae hoc genus vitae plerunque comitari solent, praecipuam consolationem adfert.

Fiet autem illustrior haec consideratio amoris et fidei coniugalis, cum exempla intuebimur coniugiorum foelicium et suavium, qualia in sacris historiis referuntur Isaac et Rebeccae, Iacob et Rachel, David et Abigail. In Graeca et Romana historia ad posteritatis memoriam celebratae sunt multorum illustrium coniugiorum laudes, quae recensere omnia non possum.

Notae sunt historiae Penelopis et Ulyssis, Admeti et Alcestidis, Laodamiae et Protesilai, Lucretiae et Collatini, Tiberii et Corneliae, Fulvii Flacci et Sulpitiae Paterculanae.

Et in Germanicarum rerum monumentis exemplum ardentis amoris et fidei coniugalis admodum illustre extat in historia Guelphi ducis Bavariae, qui cum a Conrado imperatore post diuturnum et anceps bellum, tandem in oppido Winsperg obsidione cinctus esset, et armis ac fama deditionem, quibuscunque conditionibus facere, et irati victoris poenam subire cogeretur, ibi uxor Guelphi petit, ut sibi cum caeteris Baro-

num et nobilium uxoribus, quae una inclusae erant, salvis abire liceat, et tantum de suis rebus portare, quantum unaquaeque posset. Quod cum a clementissimo imperatore Conrado facile impetrassent, coniunx Guelphi consilium pietatis et fidei coniugalis plenum init. Nam hortatrix est caeteris matronis, ut omnibus aliis rebus relictis, suos maritos in humeros imponant, et urbe exportent. Ipsa dux agminis per medias hostium acies et circumstantia tela maritum effert, ac cum eo quidvis periculi subire potius, et semel una perire cupit, quam sine eo incolumis et opulenta florere. Tanta autem admiratio fuit huius pietatis et fidei matronalis apud imperatorem Conradum, ut remissa iracundia maritos uxorum virtuti donaret, et pacem ac amicitiam cum eis faceret.

Similis fidei exemplum ab Herodoto recitatur de Minyarum uxoribus, quarum mariti numero circiter triginta cum ob suspicionem affectati regni a Lacedaemoniis in carcerem coniecti, et supplicio capitali essent plectendi, impetrant ipsae a custodibus carceris facultatem adeundi, et adhuc semel alloquendi maritos perituros. Ingressae autem suas vestes maritis induerunt, eisque per simulationem doloris capita velarunt, ut in tenebris habitu muliebri egredientes, minus a custodibus agnoscerentur. Ipsae virorum vestibus assumptis, et sua corpora pro maritorum salute praesenti vitae periculo offerentes, hac ingeniosa philostorgia et fide erga coniuges, sibi et maritis incolumitatem impetrarunt.

Celebris est Hipsicratea, quae Mithridatem Ponti regem coniugem suum effusis charitatis habenis amavit, adeo ut omnibus ipsius periculis et expeditionibus interesset, et victum a Cn. Pompeio et per efferas gentes fugientem infatigabili animo et corpore sequeretur, et sua fide ac officiis et sapientibus, et amantissimis sermonibus, marito exilii aerumnas levarit.

Meminimus nostra aetate similem fidem Christierno Danorum regi praestitam esse, a coniuge Elizabeta, quae omnium mariti aerumnarum, et exiliorum comes, et socia esse maluit, quam in regno tranquilla et incolumis sine marito florere.

Nota sunt exempla Turiae, et Q. Lucretii, Iuliae et Pompeii, Sulpitiae et Lentuli, ac valde prolixius catalogus multorum coniugiorum, in quibus vera fides et benevolentia coniugum mutua illustris imago est veri amoris inter Christum et Ecclesiam institui posset.

Sed iam Sponsa adest, quae illustri exemplo verae pietatis, amoris ardentis erga coniugem, fidei, castitatis, modestiae, diligentiae, oeconomicae, et omnium virtutum matronalium, caeteris etiam apud posteritatem praelucebit.

Nunc filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, autorem mirandi foederis coniugalis, et sponsum Ecclesiae suae, ardentibus votis precemur, ut Spiritu sancto suo, qui nexus est, et vinculum mutui amoris inter aeternum patrem ac filium, sponsi et sponsae pectora conglutinet, copulet et uniat, ut vero, ardenti, sincero et suavi amore in omnem aeternitatem, et sese mutuo, et Deum patrem una cum filio et Spiritu sancto complectantur.

Oremus etiam, ut Ecclesiam et politiam tranquillam omnibus piis coniugibus servet, et sponso vitam proroget, ut eruditissimis ac utilissimis operibus suis Ecclesiam, quae est sponsa Christi, adiuvet et ornet. Benedicat coniugio et familiae ipsius, ut fiat hortus coelestis, in quo procreentur, foveantur et educentur plantulae coelestes, et sancta seminaria Ecclesiae, celebratura Deum in hac vita et omni aeternitate. Dixi.

No. 149. an. 1556.

De iudiciis Ecclesiae.

Prodiit: „De iudiciis Ecclesiae et de discrimine poenae ecclesiasticae et politicae oratio, recit. ab Anton. Waltero. Witeb. 1556." 8. 2½ pl. — Recusa in select. Declam. T. IV. p. 1 sqq., Servest. T. IV. p. 1. et apud Richard. T. III. p. 131.

Oratio de iudiciis Ecclesiae, et de discrimine poenae ecclesiasticae et politicae; recit. ab Anton Waltero, Decano Collegii philosoph. in Acad. Witenberg.

Non voluit antiquitas hos congressus muta et inepta spectacula esse, sed cum utile sit renunciationem testimonii publice fieri, frequentiam et seniorum et iuniorum adhiberi voluerunt. Rectissimum est autem in coetu honesto fieri et invocationem Dei, et pias commonefactiones, ut ad hos nostros congressus etiam congruat dictum: Ubi duo aut tres conveniunt in nomine meo, in medio eorum sum. Volo igitur, ut veris gemitibus mecum haec verba recitetis.

Reverenter agnoscimus et fatemur hunc vere Deum et creatorem esse coeli et terrae et hominum, qui se patefecit misso filio suo Domino nostro Iesu Christo, et data voce Legis et Evangelii, et vere eum colligere aeternam Ecclesiam, et iudicaturum esse genus humanum. Huic vero Deo creatori coeli et terrae et hominum, una cum filio suo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto gratias agimus, quod hactenus clementer haec doctrinae studia et gubernavit et conservavit, et ardentibus votis precamur, ut propter suam gloriam semper inter nos sibi aeternam Ecclesiam colligat, nec sinat extingui doctrinae lucem, sicut in dulcissima promissione inquit: Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer. O fili Dei Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, custos Ecclesiae, qui dixisti: Ego sum vitis, vos palmites, fac ut simus ex te propagati palmites, salutares nobis et aliis.

Haec postquam praefati sumus, adiiciam ut est consuetudo commonefactionem utilem ad tuendam doctrinae puritatem, et Ecclesiae pacem, videlicet de iudiciis in Ecclesia necessariis.

Non enim loquimur de Ecclesia, ut de Idaea Platonica, sed coetum visibilem monstramus, qui certis signis discernitur ab aliis hominibus, in quo cum in hac vita dissimiles sint cives, sani, aegroti, dociles, viciosi, sanabiles et insanabiles. In tali coetu gubernatoribus, iudiciis et poenis opus esse, nihil dubium est, et vox divina constituit iudicia. Quare de hoc nervo legitimae congregationis necesse est, recte erudiri homines.

Primum autem discerni oportet iudices politicos ab evangelicis. Vult Deus legem suam rectricem esse generis humani, vult in poenis conspici testimonia providentiae et iustitiae suae, vult et societatem hominum conservari. Ut igitur lex non sit inanis sonitus, addit custodem et executorem, scilicet, magistratum seu iudicem, Regem seu Praetorem, qui habet legitimam potestatem vocandi cives, cognoscendi controversias, et diiudicandi iuxta leges divinas, et has, quae probabili ratione regia autoritate additae sunt, et vel corrigendi humanas leges probabili ratione, vel dubiis addendi interpretationes, quae valent propter ordinis autoritatem, habet item potestatem vi corporali cogendi, cohercendi et interficiendi sontes. Haec definitio est iudicis politici in genere, seu Regis, seu Praetoris.

Ut autem Titanes coelo bellum intulerunt, ita multi feri homines ruunt, qua caecae cupiditates impellunt, et fingunt nihil esse Deum, legem non esse sapientiam Dei et ordinem divinum, iudicem non divinitus additum esse legibus, sed haec omnia terriculamenta esse calliditate paucorum excogitata, ut multitudinis potentia his qualibuscunque vinculis reprimatur. Sed contra tales Titanum et Cyclopum opiniones monstranda est veritas de Deo et de lege, quae est sapientia Dei aeterna et immota, et defendenda est gloria Dei. Sumpsimus igitur definitionem iudicis ex veris fontibus, quae quidem longa oratione illustrari et confirmari posset, sed cernuntur fontes ab his, qui non sunt hostes Dei, nec demonstrationes et manifesta Dei testimonia aspernantur. Est autem suus locus iudici politico, et proprium munus, magnum illud quidem et difficile, et plenum ingentium certaminum, in quibus veritas et sapientia contra mendacia et sophisticam, iusticia contra iniusticiam, sapienter, iuste et fortiter propugnanda est.

Quanquam autem aliqua similitudo est iudicis evangelici, tamen discrimen intelligi necesse est, qua in re saepe falluntur homines.

Semper enim fuerunt, sunt et erunt indocti, et mali, qui in Ecclesia aut licentiam infinitam, et *ἀναρχίαν* esse volunt, aut tyrannidem constituunt, quanquam et *ἀναρχία*, tyrannis infinita est, ideo enim iudicia abolent, ne refutari possint errores, quos amant ipsi, et factionibus stabiliunt.

Protulit autem ex sinu aeterni patris Evangelium ipse filius Dei *λόγος* aeterni patris, et hanc suam vocem vult integram sine corruptelis, sine additione et sine mutilatione proponi.

Hac voce ipse est efficax, servat et iudicat homines, sed tamen ut in coetu visibili, vult etiam externorum delictorum iudicem visibilem esse, scilicet Ecclesiam, sicut ipse inquit: Dic Ecclesiae. Nequaquam enim vult *ἀναρχίαν* esse, quare Paulus inquit: Deus non est autor *ἀκαταστασίας*. Sed Ecclesiam iudicem alligat ad normam certam, scilicet ad Evangelium, quod patefecit. Hic tyranni Pontifices omnibus temporibus *κακοζηλίᾳ* iudicum politicorum ausi sunt addere dogmata et numina, et cum dicerent se habere potestatem ambigua interpretandi, finxerunt falsas interpretationes, quas dicunt valere propter ordinis autoritatem. Ex hoc errore falsa dogmata et falsa numina in Ecclesia stabilita sunt.

Differt igitur vera Synodus duabus rebus a iudicio politico. Iudex politicus etsi ipse quoque vox Dei est, et primum sonare decalogum debet, nec contrarium statuere potest, tamen et de circumstantiis probabili ratione addere leges potest, et ambigua interpretari, et valet interpretatio propter autoritatem regiam seu praetoriam, et vi corporali sententiam tuetur. At Synodus sic alligata est Evangelio, ut non possit addere nova dogmata, nec valeat interpretatio propter ordinis autoritatem, nec vi corporali sententiam tuetur.

Sed hic Pontifices clamitant incidi nervum iudiciorum et autoritatem deleri, si non valeat interpretatio tanquam regia vel praetoria autoritate. Quid igitur est inquiunt sententia in Synodo?

Quanquam tyrannicis ingeniis haec ingrata sunt, tamen necesse est pios hac de re doceri. Cum incidisset controversia *ῥήτου καὶ διανοίας,* quam movit Samosatenus de filio Dei, an *λόγος* sit *ὑφιστάμενος,* convenerunt Episcopi ex multis gentibus.

Hi pronunciant *λόγον* esse *ὑφιστάμενον*, et refutant ac improbant astute cogitatam interpretationem Samosateni. Haec Synodus, non ut politicus iudex, definit ambiguitatem regia seu praetoria autoritate, sed singuli suae fidei confessionem ostendunt, et ex scriptis propheticis et apostolicis testimonia ostendunt suae fidei, ita sententia Synodi ac decretum, est tantum confessio singulorum, qua pii commonefiunt et confirmantur. Sed credunt de re tanta non propter Synodi decretum, sed propter testimonia prophetica et apostolica. Quotidie in invocatione filii Dei cogitans, quid invocem, et si profuerunt Synodi, Antiochena et Nicaena, ad commonefactionem, tamen de re tanta credo non propter Synodorum decreta, sed propter certa testimonia divina, quae extant in Prophetis et Apostolis. Nititur fides non Synodorum congressibus. Nam aliae Synodi ut Ariminensis et Syrmiensis diversum tradiderunt, sed voce divina.

Nec Synodi Deum alium Ecclesiae fabricare possunt, ut Graeci Herculem, aut Quirites Romulum inter Deos retulerunt.

Nisi arassetis vitula mea, inquit Samson, non invenissetis. Audiamus igitur docentem Ecclesiam, et commonefieri nos a piis Synodis velimus, sed fides intueatur verbum Dei, quod affirmat filium Dei missum esse ad Ecclesiam inde usque ab initio, et esse omnipotentem, ac vere cernere et exaudire gemitus nostros. Persicos reges in pompis splendidioribus antecedebat equus gestans aram seu focum, in quo erat ignis sacer, ut ipsi nominabant Orimasda, qui Deus esse dicebatur. Num id credendum fuit, quia Persica collegia sic decreverant. Procul a nobis talis furor absit. Quid autem similius est illi Persicae pompae, quam adoratio in circumgestatione panis, Synodi decreto confirmata? Non igitur Synodi autoritas, sed vox divina rectrix sit fidei.

At inquiunt, multae incidunt controversiae *τοῦ ῥήτου καὶ διανοίας.* Oportet ergo esse interpretes. Et nisi valeat interpretatio autoritate, non est finis dissidiorum. Haec oratio plausibilis est, et sumpta a politicis iudiciis, sed dissidia in Ecclesiis alio modo tolluntur, Apostolorum consensum de legis abrogatione sequuntur pii caeteri. Hic coetus est Ecclesia, alii vero multi dissentiebant et nolebant illam pulcherrimam politiam destrui.

Hos tandem refutat Deus excidio Ierosolymae et aliarum urbium et totius gentis interitu. Ita cineres et rudera urbium testantur decretum Apostolorum verum esse, et dissidium tandem tollitur. Sic cum edita est Synodi confessio, et impii dogmatistae ex Ecclesia piorum eiecti sunt, ecclesiasticus iudex non aliis modis tollere dissidia potest, nec est lictor, sed Deus ipse defensor est veritatis, et tandem delet impias sectas, sicut Aegyptios delevit, et saepe oppressit Iudeos instauraturos suam politiam, et sicut sustulit Manicheum, quem interfecit rex Persicus, cum esset impostor titulo medici, et sicut Arrium extinxit, cui velut Iudae subito cruciatu effusa sunt exta. Ac subinde vel iidem errores repullulant, vel alii oriuntur, ut nimis vere dictum est in Timonis versu:

φοιτᾷ ἡ βροτόλοιγος ἔρις κενεὸν λελακῦα.

Martionis virus ortum est, tempore Marci Antonini. Id semen fuit delyrii Manicheorum, quod natum in Perside, contagia sparsit in Africam, quae ibi adhuc Augustini tempore vagabantur. Sunt autem a Marco Antonino ad Augustini mortem anni fere trecenti. Tandem vere extincta sunt, ut tandem evanescit mendacium, etsi alia subinde nascuntur. Servat autem filius Dei aliquas verae Ecclesiae reliquias, et gestat in sua dextra, ut inquit: Nemo rapiet oves meas ex ma-

nibus meis. Iubet etiam singulos interea repugnare erroribus et recte facere officium, etiamsi humanis consiliis et laboribus, neque mandacia, neque dissidia omnia in hac mundi confusione tolli possunt. Nec tamen prorsus erunt inutilia piorum certamina.

Dixi de iudiciis Ecclesiae brevissime. Hic autem de officio politici magistratus his annis saepe quaestio mota est. Recte ne fecerunt Constantinus et Theodosius, quod idolorum sacrificia prohibuerunt? Recte ne fecit senatus Genevensis, quod Servetum ultimo supplicio affecit, qui veterem Samosateni impietatem renovavit, et negavit λόγον esse ὑφιστάμενον, et filium Dei omnipotentem esse? Et contra universam scripturam propheticam et apostolicam negavit filium Dei invocandum esse.

De his quaestionibus plane et sine ulla dubitatione respondeo, magistratum politicum non esse armentarium, et tantum pacem et corporis bona tueri debere, sicut multi insulse loquuntur, sed esse ministrum Dei, et disciplinae custodem iuxta utranque decalogi tabulam. Sicut autem in qualibet arte primam oportet curam esse artificis, ut artem quam exercet intelligat, sic prima sit cura magistratus, ut legem sciat, et sciat esse sapientiam Dei ad hoc ipsum patefactam generi humano, ut sit testimonium de Deo; sciat et hoc, sese vocem Dei esse in lege proponenda, et disciplinam propter gloriam Dei tuendam esse. Altera cura sit, ut corpora defendat. Ideo severissime praecipit lex divina de puniendis blasphemis et periuris.

Nec illa barbarica excusatio audienda est, leges illas pertinere ad politiam Mosaicam, non ad nostras. Ut decalogus ipse ad omnes pertinet, ita iudex ubique omnia decalogi officia in externa disciplina tueatur. Sunt autem blasphemiae manifesta invocatio idolorum, professio dogmatum, quae adfirmant aliquid esse Deum, quod non est Deus, aut quae detrahunt autoritatem illi personae, quae est natura Deus, ut sunt Epicurei, aut Pyrrhonii furores, aut Samosateni, aut Manichei deliramenta. Ut igitur lex iubet irasci talibus, ita magistratus sit viva lex, vere doleat propter gloriam Dei, ac ardenti Nemesi accendatur ad tollenda illa catharmata, quae Deum manifestis contumeliis afficiunt. Minus moventur hoc argumento reges et principes, quia pauca talium poenarum exempla vident. Sed non spectandum est, quid fiat, sed quid fieri debeat.

Etsi autem huius nostrae sententiae veritas manifesta est, tamen multi qui sibi licentiam concedi volunt ludendi opinionibus de Deo, ut libet, opponunt varias cavillationes. Primum dicunt, magistratum non posse punire cogitationes mentis, praesertim cum nec dare adsensionem possit, cui argumento vere sic respondendum est.

Magistratus externa delicta puniat, ut adulteria, non interiora incendia. Sic et dicta blasphema, non tacitas animi cogitationes.

At nemo potest iudicare ea quae non intelligit, ut vere dicitur:

μηδέποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσεις.

Et hoc ipso tempore dicunt armari et acui seviciam tyrannorum, qui sunt hostes Evangelii, si audiant armis tuendam esse doctrinam.

Nos vero metas suas nosse et custodire magistratum volumus, ut in caeteris causis nemo sine legitima cognitione puniendus est, ita praecipue curet magistratus in re tanta constitui legitima Ecclesiae iudicia. Convocentur Synodi, non qualis est illa Cleonis apud Aristophanem, ubi considet ovium concio, et balaena praesidet grunnitum edens porci, et tenens trutinam ac preconem adhibens, qui caput habet κόρακος, seu ut Alcibiades dicebat, τραυλίζων, κόλακος.

Haec conveniunt ad Tridentinam Synodum omnia, quam Pontifex balaena regebat, grunnitum porci edens, et praecones erant κόρακες et κόλακες monachi et assentatores. Non sint iudices indocti fascinati falsis opinionibus, regum aut vulgi κόλακες, non cudantur decreta in centauricis conviviis aut in gyneceis, sed regulae regis Iosaphat obtemperetur. Sunt in iudicibus timor Dei, scientia et diligentia in cognitione. Sit etiam ipse magistratus membrum Ecclesiae, intelligat doctrinam, amet veritatem, intersit cognitioni, ut adfuerunt Constantinus, Theodosius, Martianus, sciat se praesidere non ut balaenam, sed ut Dei ministrum, et gloriam Dei omnibus rebus anteferat, audiat eruditos, cedat vera dicentibus, ac regulam sequatur: Omnia probate, quod bonum est tenete.

Cum igitur ante poenam institui veram et piam cognitionem et admonitionem velimus, non damus arma iniustis magistratibus, sed eos de ordine iudiciorum et poenarum commonefacimus.

At scriptum est de Zizaniis: Sinite utraque crescere. Si quis hoc dictum eo detorquet, ut et doctores et magistratus concedant omnibus licentiam fingendi et spargendi quascunque opiniones, huius amentia perspicue refutatur multis praeceptis: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Item: Refutato eos, ἀποτόμως, ut discant in fide sani esse. Et ad Corinthios expresse praecipitur de excommunicatione. Faciant igitur doctores ea quae sunt sui officii, quibus etiamsi opem ferent magistratus suo loco, tamen late vagantur errores. Et tamen rarissimi magistratus sunt, qui afficiantur cura veritatis, gloriae Dei, et suae salutis. Consolationem igitur tradit filius Dei, cum ait: Sinite utraque crescere, id est, non deserite Ecclesiam, non abiicite munus recte docendi, etiamsi diabolus semina errorum sparget, quae non poterunt humana diligentia tolli omnia. Erit aliqua vera Ecclesia Dei, etiamsi magnae confusiones semper fuerunt, sunt et erunt generis humani. Inter hos fluctus tamen cymbam suam filius Dei servabit.

Hac consolatione certe nunc quoque nobis opus est. Nam pii intuentes tantam impiorum multitudinem, et inter hos, qui nomen Ecclesiae habent, tam varias dilacerationes, magno cum dolore quaerunt, ubi sit Ecclesia Dei, quam Psalmus inquit formosissimam esse, cum ait: Concupiscet rex pulchritudinem tuam, quia ipse est Dominus Deus tuus, et adorabis eum. Quid est autem deformius dilaceratione Ecclesiae huius temporis? Sed referamus mentes atque oculos ad symbolum, in quo dicimus: Credo esse Ecclesiam catholicam, et ad dicta divina. Erit sicut in diebus Nohae etc. Et cum certum sit, hanc esse veram Dei Ecclesiam, in qua vox Evangelii sonat incorrupta, huic nos adiungamus, et maneamus in ea constantes et firmi cives, et coniunctionem tueamur.

Haec monet illa Christi concio de Zizaniis, quae prohibet doctores aliena a suo officio facere, vetat etiam deseri Ecclesiam propter illa tristia spectacula dissensionum, odiorum et calumniarum. Interea faciat pius et vigilans magistratus ea quae sunt sui officii, quia profecto in magno et horribili errore sunt, qui aeternam legem Dei sic putant extinctam esse, ut lex Spartana de nummo ferreo mortua est. Vult Deus blasphemias et periuria severissime puniri, et punit ipse alastoras illas impiorum dogmatum autores, cum magistratus officium suum negligunt: ac tunc quidem simul et magistratus et imperia delet, qui vult in poenis manifestis conspici testimonia iusticiae suae.

Haec breviter de iudiciis Ecclesiae et de puniendis impiis dogmatistis dixi: quae saepe multum cogitare utile est, ut ad duas res maxime nos exuscitemus, ad discendi curam et ad precationem. Utraque res necessaria est. Recte discamus doctrinam divinam, ut Paulus inquit: Habitet in vobis sermo Christi opulente in omni sapientia. Et adiungamus veros gemitus et vota, ac petamus, ut filius Dei faciat nos vasa misericordiae. Quod ut clementer faciat, toto eum pectore oro. Dixi.

No. 150. an. 1556.

De discrimine legum politicar. etc.

In select. Declamat. T. IV. p. 15 sqq., Servest. T. IV. p. 14., Richard. T. III. p. 140. — Separatim prodiit: „Oratio de discrimine legum politicarum et traditionum, quae in Ecclesia ab hominibus conduntur. Recitata a Decano collegii philos. M. Bartolomaeo Lasano Cygneo — an. 1556. Witeb. ex officina haeredum Georgii Rhaw. 1556." 8.

Oratio de discrimine legum politicarum et traditionum humanarum in Ecclesia.

Principio gratias ago Deo omnipotenti, aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, qui una cum filio suo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu suo sancto condidit omnes creaturas, et Ecclesiam in genere humano colligit, quod nos quoque ad Ecclesiae societatem vocavit, et hactenus clementer coetum docentium et discentium apud nos servavit, et toto eum pectore oro, ut deinceps quoque nos doceat et gubernet, nec sinat extingui lucem doctrinae. Cum autem honeste et utiliter institutum sit, ut de aliqua doctrinarum parte dicatur, nam in congressibus Doctorum maxime decet primum sonare laudes Dei, deinde et commonefactiones utiles ad formanda iudicia, et ad regendos mores; ego quoque pauca dicturus sum. Quid fieri melius in humano genere potest, vera Dei celebratione, et doctrinarum illustratione, et virtutum exercitiis? in quibus Deus sese nobis communicat, et filius Dei λόγος vere adest mentibus, et in eis lucem et vitam accendit. Optarim autem me posse orationem adferre di-

gnam hoc loco. Nec adeo ridicule ineptus sum, ut existimem me posse de rebus magnis dicere, ut ipsarum rerum dignitas postulat. Nulla enim humana eloquentia exhaurire laudes Dei et decus virtutum potest. Sed hanc adolescentis imperatoris Gratiani sententiam sequamur: Dicimus de Deo, non quantum debemus, sed quantum possumus, sic tamen ut nostra oratio congruat ad vocem, quam ipse nobis tradidit. Oro igitur, ut boni consulatis qualemcunque hanc meam orationem, in qua argumentum affero, non alienum a meo studio, videlicet a civilium legum doctrina, quod tamen eo saepe repetendum est, ut in iunioribus alatur et confirmetur legum reverentia. Dicam enim de hac quaestione.

Cum Paulus manifeste affirmet violationem legum politicarum esse peccatum, quo conscientia a Deo avellitur, seu ut nominamus usitate, mortale, cur non existimandum sit violationem traditionum, quas in Ecclesia pastores seu Episcopi condunt, peccata esse.

De hoc discrimine legum erudiri homines necesse est. Et bono consilio saepe harum maximarum rerum commemoratio repetitur. Ac prius dicam de priore parte, videlicet de obedientia debita legibus politicis. Multi omnibus temporibus quaesiverunt ingenii laudem vituperatione legum. Apud Platonem inquit Hippias, legem esse tyrannum, quia vagas cupiditates hominum iubet frenari, et certas metas actionum constituit. Cynici etiam rabiosius locuti sunt, nihil turpe esse perpetua regula, sed tantum opinione alibi alias actiones receptas esse. Extant etiam Politiani versus, qui cum nimium indulgeret cupiditatibus suis, legum odium his versibus nec veris nec eleganter factis ostendit:

Inventum Attei dicuntur iura Draconis,
Vera est fama nimis, nil nisi virus habent.

Quod Attici dixerunt a Dracone leges ortas esse, hoc quoque allegorice dictum esse, propter Palladis Aegidem et poenas, existimo. Sed quaecunque eius sermonis causa est, Politianus venenate id dictum interpretatur. Quid dicam de illis hominibus, qui Ecclesiae vocem non audierant. Nostra aetas, cum purior Evangelii doctrina illuxit, quam multorum audivit tribunitios clamores, qui, ut lenissime dicam, reverentiam legum valde languefecerunt. Anabaptistae leges, magistratus, iudicia, palam improbant, quorum multa adeo tetra dicta et facta sunt, ut recitare non libeat. Alii et fuerunt et sunt Antinomi, qui fingunt etiam contra conscientiam violantes legem Dei, tamen Deo placere. Non delector hac recitatione, quare sum brevior. Prodigia esse cogitamus, id est, signa horribilia, denunciantia iram Dei et communes poenas, terrae motus, Cometas, traiectiones, fulmina, quae totas sylvas et urbes incendunt. Sed longe terribiliora signa sunt illae diabolorum voces, contumeliosae contra legem Dei et contra politicum ordinem. Haec saepe multumque cogitans et fugiens hos furores, quaero vocem divinam in Ecclesia, ut dictum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Ubi recte nos erudiri de lege et de ordine politico agnosco, et laetor veros fontes ostendi, ac vere hoc adfirmo, valde confirmari in animo meo adsensionem et de providentia et de Ecclesia. Quod potest esse illustrius testimonium adversus omnes Cyclopas et Epicureos, quam haec ipsa notitia naturalis, discernens honesta et turpia in humanis mentibus, et turpitudinem puniens ingentibus terroribus. Est ergo Deus, qua hanc lucem nobis indidit, et hoc iudicium praesens immutabili iusticia sua exequitur. Deinde testimonium est de Ecclesia, haec ipsa vox legis. Impossibile est esse populum Dei, ullos homines aut ullum agmen, quod palam abolet ullam legem divinam. Omnes Ethnici aliquas divinas leges prorsus deleverunt, et in sola Ecclesia Dei mansit lex integra, et sola Ecclesia ostendit, unde haec sapientia transfusa sit in mentes hominum, unde sit contraria caligo, unde dissidium legis et cordis, quomodo regi natura possit, quomodo Deus ordine politico inter se devinxerit homines, quibus praesidiis societatem muniverit.

Harum maximarum rerum doctrinam cum in sola Ecclesia disco, an non valde gaudeam, et confirmer, ut statuam vera esse quae ibi traduntur, et in eo coetu quanquam aerumnoso habitare Deum?

Legi, memini omnia Graecorum et Latinorum scripta de legum dignitate et de imperiis, et saepe cogito praecipuas omnium sententias. Sed tamen nulla vox talis usquam tradita est, quae vinculum esset universae civilis societatis, sicut hoc dictum: Necesse est obedire non tantum propter iram, sed propter conscientiam. Hoc praeconio vocantur in iudicium, non ad regum et principum tribunalia tantum, sed ad Deum vindicem omnes, qui petulanter leges politicas vio-

lant. Haec sententia in animis mediocrium hominum firmior murus est imperiorum, quam exercitus et arma, quae Dionysius pater nominabat Adamantina regni praesidia. Longe plus est, divina voce mentes retineri.

Cogita autem fontes Paulini dicti: Vox magistratus est primum lex naturae, quae est ipsa lex Dei. Est autem iusticiae Dei punire ruentes contra suam legem, ut illa vere dicuntur: Deus ignis consumens est. Scio Domine quod non parcis delinquenti, et illae voces ethnicae, quas experientia comprobavit, *ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, θεὸς οἶδε δικάζειν.* Item: *οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι.* Deinde armavit Deus et magistratum potestate addendi quasdam leges, non quidem pugnantes cum naturalibus, sed circumstantiam aliquam probabili ratione definientes. His legibus etiam Deus autoritatem in hoc Pauli dicto attribuit, et vult eas valere propter duas causas, propter magistratum divinitus ordinatum et armatum certa potestate, et propter rationem probabilem. Hinc igitur scimus, quale vinculum sint politicae leges, quod scire in vita et propter gloriam Dei, et propter tranquillitatem nostram utilissimum est.

Hac doctrina de politicis legibus confirmati, postea consideremus *κακοζηλίαν* pontificiam, in qua sunt multi tetri errores. Finxerunt Pontifices se regum similes esse, et regiam potestatem habere in condendis legibus. Et quidem scelerate detorquent hoc dictum: Translato sacerdotio fit legis translatio. Iusserunt igitur idola coli, instituerunt ritus de cibis, coelibatu, enumeratione delictorum, epitimiis, et aliis multis rebus. Harum legum violationem dicunt peccata esse, et constat has leges fuisse carnificinam conscientiarum, quae non satis describi potest. Ac non multo ante Adrianus Pontifex, Caroli Imperatoris praeceptor edidit magnum volumen, quibus illas leges exasperat. Et dicta quae dulcissimam doctrinam et consolationem continent, transfert ad superstitionem et tyrannidem: Qui vos audit, me audit. Item: Obedite praepositis vestris.

Pindarus inquit: *εὐώνυμον ἐςδίκην τρία ἔπεα ἐπαρκέσει.* In bona causa tria verba sufficiunt. Facilis, plana et perspicua est explicatio in veris causis. Contra vero *ὁ ἄδικος λόγος νοσῶν ἐν αὑτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν.*

Brevissima igitur haec est et vera responsio: Dicta illa de audiendis pastoribus, non constituunt eis regnum extra Evangelium. Praecepta sunt et consolationes, iubent, ut vocem a Deo traditam audiamus, et adfirmant Deum voce docentium certo efficacem fore, perinde ac si palam nos ipse alloqueretur. Vult te statuere Deus, se adesse tui pastoris voci, ac efficacem esse, et te debere huic voci assentiri, nec dubitare, quin haec vere sit voluntas Dei, quae tibi proponitur ministri lingua. Hanc necessariam et dulcissimam consolationem obruunt Pontifices translatis illis testimoniis ad suas traditiones, in quibus aliud genus doctrinae comminiscuntur.

Magnum est autem chaos pontificiarum legum, aliae palam iubent idola coli, ut quae praecipiunt de invocatione hominum mortuorum, et statuarum, et de *ἀρτολατρείᾳ*, aliae praecipiunt onera, quae sine peccato sustineri non possunt, ut lex de coelibatu, aliae ut de cibis, videntur loqui de rebus quarum usus suo genere medius est, sed tamen his ritibus etiam errores multi admixti sunt.

Perspicuum est autem, illis legibus, quae manifesta idola stabiliunt, nequaquam obtemperandum esse. Idem de secundo gradu perspicuum est, sed de tertio quaerit Gerson *ἐπιεικείας*, nec tamen conscientiis medetur. Lutherus rectius, qui, ut Alexander Gordium nodum, uno ictu omnia vincula illarum traditionum dissecat, cum docet in Evangelio hanc libertatem a Deo sancitam esse, nec mutari posse ulla humana autoritate, videlicet, ne traditiones ullae condantur aut recipiantur cum opinione cultus aut necessitatis.

Hoc divino clypeo munitus non metuit carnificinam, quam Pontifices et Monachi atrociter denunciant.

Sed hic vociferatur Sadoletus, cum fatearis violationem legum politicarum peccatum esse, cur de pastorum mandatis aliter sentis? An non reverentia debetur Ecclesiae maior etiam quam imperiis? Responsio firma est: Sua utrique dignitas est et sua autoritas, sed metae quoque cognoscendae sunt. Et necessaria sapientia est, in utraque cernere Dei beneficia et voluntatem Dei. Sic munit ordinem politicum Deus, ut adfirmet peccatum esse violationem legum politicarum. In Ecclesia vero sancit hanc libertatem, ne ullae traditiones condantur aut recipiantur cum opinione cultus aut necessitatis, quia vult sciri in Evangelio insticiam adferri, non simulatas tragoedias gestuum, non *ἐθελοθρησκείας,* sed aeter-

nam, ut nominat Daniel, vult intelligi nos reconciliari et placere Deo fide propter mediatorem, non propter nostra facta, aut illos gestus, vult nos agnoscere, diligi nos in dilecto, quod significantius Graece dicitur a Paulo, nos esse *κεχαριτωμένους ἐν τῷ ἠγαπημένῳ*, id est, per misericordiam placere propter filium, qui natura diligitur. Vult intelligi, Deum sese nobis communicare, et nos fieri templa Dei, cum filius *λόγος* aeterni patris ostendit patris misericordiam, et effuso in nos Spiritu sancto accenduntur invocatio Dei, dilectio, et alii motus tales, qualis est ipse Spiritus sanctus. Vult sciri Deus, velle se coli, sicut ipse praecepit, non ritibus excogitatis nostro consilio. Harum maximarum rerum doctrina obruitur, cum abducuntur oculi et mentes ad illa varia spectacula sacrificiorum, ieiuniorum, Platonicae communicationis et similia. Quo enim progreditur humana audacia, cum fingit cultus? Mactationes hominum usitatae fuerunt omnibus gentibus. Omitto alia multa, quae verecunde dici non possunt. Quare Deus nos ad suam vocem revocat, non vult doctores in Ecclesia addere alia praecepta aut dogmata, vult etiam intelligi, aliud esse imperium politicum, aliud ministerium Evangelii, in quo efficax est ipse filius Dei *λόγος* in mentibus. Doctores tantum sunt organa vocis divinae.

Videtis gravissimas causas esse, quare neque condi neque recipi novos cultus Deus velit. Ac totum hoc discrimen imperiorum et evangelici ministerii conspici maxime necessarium est, quod cum ignoratur, sequuntur et fanatica deliria, et seditiosi clamores. Vidimus multos, qui cum in unum chaos confunderent politicam gubernationem et Evangelium, reiiciebant Romanas leges, et dicebant se scripturos esse novas Evangelio congruentes. Hi nec officium nec dignitatem magistratuum intelligebant, quos Deus hac ipsa potestate armavit, condendi leges, rationi congruentes, ad defensionem honestae societatis. At Evangelium de filio Dei, de reconciliatione, de restitutione vitae aeternae, et de praesentia Dei in nobis concionatur. Ac ut illi novi Lycurgi seditiosas opiniones spargunt, ita alii superstitiosi fingunt perfectiones esse, coelibatum, discrimina ciborum, et cynicos mores. Quare cum Dei beneficio in hac schola, saepe repeti et illustrari discrimen legum politicarum et Evangelii audiatis, hanc doctrinam necessariam recte discite, et Deo gratias agite, quod hanc suam lucem vobis donat, quod munit vos contra seditiosas et fanaticas opiniones. Curate etiam, ut utroque genere recte utamini, amate leges politicas, et reverenter eis obtemperate, memores huius dicti: Necesse est obedire propter conscientiam. Laeti etiam Deo gratias agite, quod in Evangelio ostendit veros cultus, et libertate sic utamini, ut crescant veri cultus in pectoribus, cura discendi, invocatio Dei, dolores propter nostra delicta, consolatio, fide accipiens remissionem, dilectio Dei et Ecclesiae, studium concordiae, castitas, et caeterae virtutes, quae sunt et opera Dei, et testimonia praesentiae Dei in vobis. Ac nequaquam existimate libertatem esse sine freno ruere, quo caecae cupiditates impellunt, vivere sine cura discendi, sine cogitatione de Deo, sine invocatione. Quid minus congruit ad evangelicam libertatem, quam nec scire, nec recitare symboli verba? Talem vero esse multorum negligentiam, saepe experimur. Usus lumen est omnium doctrinarum. Sic igitur rectius intelligetis et hanc doctrinam de discrimine legum politicarum et Evangelii, cum utroque genere recte utemini. Quod ut faciamus, te filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiae, (qui cum massam nostri generis adsumpseris, et pro nobis factus sis victima, ostendis te verissime adfici cura nostri) oro, ut pectora nostra gubernes, et facias nos vasa misericordiae, et organa salutaria et nobis et universae Ecclesiae.

Haec mecum quoque precari vos omnes decet, cogitantes, nos tanquam chorum apud summum sacerdotem nostrum filium Dei stare, petentem ab aeterno patre, ut aliquas reliquias Ecclesiae servet, et quidem in hoc ipso coetu servet, ubi studia sunt pia verae doctrinae. Dixi.

No. 151. an. 1556.

De dignitate studii iuris.

In select. Declam. T. IV. p. 90 sqq., Servest. T. IV. p. 82. Etiam separatim prodiit, Witeb. 1556. 8. Cf. Strob. bibl. Mel. No. 474. Inscribitur hic:

Oratio de dignitate studii iuris; recitata a Georgio Cracovio, sed est ad verbum eadem, quam e Tomo I. Declam. iam dedimus supra anno 1543. No. 75., ubi inscribitur: *De dignitate legum.* Videatur igitur Declam. No. 75.

No. 152. an. 1556.

De capta Constantinopoli.

In select. Decl. T. IV. p. 161 sqq., Richard. T. I. p. 632. et Servest. T. IV. p. 147. — Etiam separatim edita Witeb. 1556. 8.

Oratio de capta Constantinopoli; recitata a D. Georgio Maiore an. 1556.

Annus hic est centesimus et tertius, postquam Turci die Maii vicesimo nono Constantinopolin, non solum arcem Graeci imperii, sed etiam doctrinarum et vetus Ecclesiae hospicium, post obsidionem dierum quatuor et quinquaginta vi ceperunt, facta caede crudelissima imperatoris, coniugis, filiarum et filiorum, et plurimarum nobilium familiarum et populi. Qua tanta de re, cum me dies admonuisset, cumque magno cum dolore, et veteres Ecclesiae calamitates et praesentes intuerer, et vero prospicerem futuras, non alia de re potius hic dicendum esse censui.

Nam et illud verum est, *ὅπου ἀλγεῖ, ἐκεῖ χεῖρα ἔχει.* Et apud iuniores necesse est tantas imperiorum et Ecclesiae mutationes saepe commemorari, in quibus cum poenae scelerum humanorum conspiciuntur, aliqui certe modestiores fiunt et moventur, cura suae salutis et Ecclesiae magis afficiantur.

Ita Siracides iubet intueri aliorum calamitates, ut communi lege nobis similia ferenda esse cogitemus: Hodie mihi, cras tibi.

Scripsit Polybius se astitisse Scipioni intuenti Carthaginis incendium ac lachrymanti, quem cum interrogasset, cur lachrymaret victor tanto bello perfecto? Tum ille gemens respondit, non sine ingenti commiseratione se clarissimae urbis, quae iam annos septingentos stetisset, interitum spectare posse, nec sine magno dolore de ruinis imperiorum veterum, et futuro aliquanto post urbis Romae excidio, et de immensa communium aerumnarum generis humani mole cogitare, ac subiecisse hos versus:

Tempus erit quando ruiturum est Ilion altum.
Cumque simul fortis Priamus populusque peribit.

Videmus autem, ut de aliis malis non dicam, nunc Turcos non Thraciam aut Graeciam vastare, sed oppressa Pannonia, iam aliquoties in Germaniam ingressos esse. Quare metuamus nos quoque et Turcica et alia bella, et emendatis moribus suo quisque loco rectius faciat munera sui officii, et assiduis gemitibus et votis petamus, ne sinat Deus Ecclesias deleri, et fieri talem barbariem et vastitatem, qualis est in magna parte generis humani, ac praesertim quam late Mahometica tyrannis dominatur.

Ac de Turcis augeant nobis metum vaticinia in Ezechiele de Gog et Magog. Deinde et recentes quaedam praedictiones Hiltenii viri non contemnendi, qui fuit Franciscanus in collegio Isenacensi, et cum alia praedixit, quae evenerunt, tum et hoc vaticinatur, anno millesimo sexcentesimo Turcos in Germania et Italia regnaturos esse.

Id in tantis regum et principum discordiis, et crescentibus peccatis, defensione idolorum, parricidiis et aliis sceleribus posse accidere, ratiocinari facile est. Ac fere ubique attraxerunt Turcos domesticae discordiae et alia scelera.

Haec cum his diebus cogitarem, simul etiam inquisivi excidium Athenarum, quae ab eodem tyranno, qui Byzantium coepit, deletae sunt. Sed causas videte divini iudicii.

Florentinus quidam Nerius principatum Athenarum adeptus erat, is cum moritur, vidua cum parvulo filio relicta, impetrat pecunia a Mahometo, ut ipsa in possessione principatus Attici maneat. Haec postea exarsit amore Veneti mercatoris, qui Venetiis uxorem habebat; cum hoc paciscitur, si divortium faciat cum uxore, se ipsi nupturam esse, et collocaturum eum in principatum.

Venetus incensus cupiditate domum redit, et coniugem veneno tollit. Postea redit Athenas, et ducta vidua principatu potitur, et saeviciam exercet in viros nobiles. Athenienses tyrannum aversati, accusant eum apud Mahometum. Cum ad hunc profectus esset, ut eum pecunia placaret, Mahometus eum interfici iubet.

Ita primum ipse scelerum poenas dedit. Postea cum Mahometus parvi haeredis cognato principatum tradidisset, is mulierem, quae propter libidinem specie coniugii principatum ad Venetum amatorem transtulerat, inclusam carceri Megaris interficit. Ita et mulier divinitus punita est.

Haeres matre orbatus, cum sibi quoque a cognato eripi principatum videret, accusat eum apud Mahometum de nece matris. Mandat igitur Mahometus, videns non esse finem parricidiorum

in ea familia, praesidi Thessaliae, ut Athenas occupet. Ita in Mahometi potestatem Athenae redactae sunt, ubi postea propter civium seditiones arcem et magnam partem urbis victor delevit. Nunc tantum ἐρείπια reliqua sunt, casae piscatorum et colluvies peregrinorum hominum, qui ex barbaris gentibus casu eo confluunt.

Hic est urbis finis, quae et exempla virtutum egregia habuit, et domicilium fuit doctrinarum, et res honestas ac magnas sapienter et fortiter gessit contra Persas, et in imperio modestior fuit Spartanis et Thebanis, suntque duo millia annorum a Solone usque ad hunc Mahometum eversorem Athenarum.

Haec eo commemoravi, ut consideratis causis quae attrahunt gentium atque urbium interitus, simus modestiores, et a Deo gubernationem et defensionem petamus.

Optarim autem Germanicos principes et in inquirendis historiis Turcicis diligentiores, et in defensione patriae coniunctiores et acriores esse, ac si magis nossent eam gentem, et formam imperii ipsorum, et exempla saeviciae, et militiae genus, et praeliandi consuetudinem, magnitudo rerum excitaret generosos animos ad maiorem curam defendendi patriam, Ecclesiam, leges, familias nobiles, honestas politias, disciplinam et doctrinas.

Haec ipsa, quae nunc recito, nuper in linguam Latinam ex Chalcondyle cive Atheniensi conversa sunt, qui spectator et pars aliqua fuit multarum calamitatum quas narrat, qui in gentium descriptione, de Germanis inquit: Nullam novi gentem cuius mores sint honestiores, qui si concordes essent, essent invincti.

Videte quam opinionem de maioribus vestris adhuc recens habuerint exteri homines honesti, quorum iudiciis utinam et huius aetatis mores responderent.

Sed quo me dolor abducit ingressum in historias Turcicas? cum de Byzantio dicere coeperim. Priusquam vero de excidio dicam, propter adolescentes pauca de nomine et vetustate eius urbis commemorabo.

Situs est in Thracia ad Hellespontum valde opportunus imperiis, quia ibi minimum distant Europa et Asia. Nec in Africam incommoda navigatio est, et quidem scribitur veterem urbem Byzantium a Carthaginensibus conditam esse, quos valde instructos fuisse, navibus et procul transvexisse merces, multae historiae testantur. Ac mihi quidem videtur nominis origo esse ex lingua Phoenicum, conveniens novo Emporio in loco voluptatibus opportuno, Beth Zona, id est, domus cauponae, et congruere appellationem mores vetusti ostenderunt.

Scribit enim Phylarchus Byzantios solitos in cauponis dies et noctes commorari, et portus alter nominatus est mulierum portus.

Deinde Megarensium colonia eo deducta est. Ita illatae sunt eo Graeca lingua et Graecae leges, et post bellum Xerxis interdum Lacedaemoniorum, interdum Atheniensium socia fuit. Deinde regi Macedonico Philippo post diuturnam obsidionem se dedidit.

Romanis temporibus, cum de imperio inter se certarent Pescenius et Severus, et Pescenius Byzantium prior occupasset, Severus eam urbem obsidione cinxit totum triennium et semestre, ac tandem cum magna multitudo hominum ibi variis casibus periisset, fame coëgit ad deditionem, ac magna ex parte delevit muris dirutis, quos ait Herodianus, tanta arte factos fuisse, ut mirum fuerit destrui posse.

A Severo usque ad Constantinum anni sunt centum. Interea nec urbs restituta est, nec muri instaurati sunt.

Sed Constantinus opportunitate loci motus, urbem non solum restituit, sed etiam splendidissimis operibus et dignitate ornavit, ac voluit eam prorsus parem esse urbi Romae.

Postea igitur ibi et Ecclesia fuit, in qua fuit eruditissimum collegium, et plerunque recte sentientes Episcopi; et post Alexandrinam scholam nusquam plus artium fuit quam Byzantii usque ad hoc postremum excidium.

Ac inde cum in Italiam intulissent Graecam linguam et Philosophiam Argyropylus, Lascaris, Theodorus Gaza, Trapezontius, Chrysoloras et alii, hic primum Italia, cum Graecae linguae elegantiam degustasset, Latinam quoque rectius discere coepit, et Graeca lingua aditum ad fontes Philosophiae patefecit.

Rivuli etiam Graecae doctrinae tunc in Germaniam deducti sunt. Nam Iohannes Regiomontanus cum Graecae didicisset, Ptolemeum illustravit. Rodolphus Agricola Ferrariae Theodoro Gazae, eruditissimo et modestissimo seni fami-

liaris fuit. Denique vere hoc dici potest, inde usque a primo Constantino urbem illam omnium in mundo pulcherrimam a nomine Constantini adpellatam, fuisse praecipuam Ecclesiae sedem et omnium doctrinarum arcem.

Haec eo commemoro, ut magis doleamus omnes illas gentes, quae Christianae nuncupantur, tantum decus amisisse.

Legimus autem inchoatam esse obsidionem Nonis Aprilis, et intra moenia, praeter Urbanam multitudinem tantum fuisse sex millia Graecorum militum, et auxiliarium Venetorum et Genuensium tria millia.

Contra Mahometus adduxerat quadringenta millia hominum, quae multitudo maxime collecta fuit ex vicinis gentibus, quae adhuc nominabantur Christianae, ex Graecia, Illyrico, Walachia, Dardanis, Thracia, Bulgaris, Triballis.

Turci pauci fuerunt, et pars fuit ex Asia, Bithyni, Galatae, Lydi et Cilices. Sic nobiscum bella gerunt Turcici tyranni, ut gentes nobis cognatas, nobiscum dimicare cogant.

Sic autem distribuit copias, ut tribus locis terra muros concuteret et disiiceret, et per ruinas tentaret irruptiones.

Erat virtus egregia in defensoribus, quorum dux erat Iustinianus Genuensis, et hic multum usus erat opera viri fortis, qui nominatur in historia Iohannes Grandis Almanus, et fortiter repellebant irrumpentes Turcas.

Quanquam autem multi Turcici milites interficiebantur globis et sagittis, tamen hae exiguae copiae intra urbem tribus locis, contra tantam multitudinem diu sufficere non poterant, praesertim cum utrinque cuniculi agerentur, in quibus tamen conatus Turcicorum fossorum prorsus irriti fuerunt, et in portu assidua praelia fierent.

Adduxerat enim Turcicus tyrannus ex diversis littoribus maris Aegei et Euxini ducenta et quinquaginta navigia, ut portum Byzantii obsideret, et littora navibus tanquam ponte iungeret.

Contra Turcicas naves stabant in portu septem naves Genuensium, tres Cretensium. Et accesserant aliquae ex Chio, ac portus ferrea Cathena clausus erat, ne in eum penetrare Turcicae naves possent. Eruperunt autem per occasionem naves defensorum, qui et fortiter praeliati sunt cum Turcis, et incendere eorum naves conati sunt, stetitque aliquot diebus Turcica classis sine usu.

Tandem ars excogitata est, qua penetravit intra portum. Tunc vero undique terra et mari moenia urbis quassabantur, et tyrannus sperare coepit, se urbe potiturum esse. Cumque multis locis disiecti essent muri, et ex portu facilis esset irruptio, die vicesimo nono Maii, Turci, admotis ad moenia scalis et ex portu et aliis locis, ingenti clamore in urbem irrumpere conantur.

Stat spectator tyrannus in vicino colle, hortatur ut fortiter ascendant in muros, vociferatur horribiliter, sic ubi videt suos repelli et interfici, confirmat trepidos.

Fuit autem tanta virtus defensorum, ut pars Turcici exercitus, cum multi in eo loco interfecti essent, cederet.

Hic et victoriae spes animum ac robur addit viris fortibus propugnantibus urbem, et tyrannum periculi magnitudo movit, ut horribili ululatu, minitaretur cedentibus, et cohortes, quas velut triarias apud se retinuerat, iuberet interficere cedentes.

Contra Graecus imperator e sua specula iam bene sperans, hortatur suos, ut cum viderint auxilium Dei, bona cum spe praelientur. Ibi rursus conversa est praelii fortuna, vulnerato Genuensi Iustiniano duce, quem hortatur imperator Paleologus, ne fugiat ex sua turri, cum vulnus non sit letale: sed is potius animo fractus, quam vulnere debilitatus fugit, nec alium collocat in illam speculam, qui caeteros confirmaret et regeret.

In eo loco fugam ducis cum sequerentur eius milites, quia ibi via iam in urbem patebat, Turci videntes eum locum a defensoribus desertum esse, magno agmine ibi intra urbem infunduntur. Fugit autem Iustinianus in vicinam Chalcedonem, quae nunc Galata nominatur, unde postea in Chium navigans, seu vulnere seu moerore animi mortuus est.

Imperator Paleologus cum aliis multis, cum vitae spes in fuga esset, si ex urbe effugissent, in ipsa porta vel trucidatus est, vel collisione interemptus. Nam in porta octingenta cadavera collisorum et vulneratorum reperta sunt.

Victores Turci vagantur per totam urbem, et obvios et abditos in aedibus senes, matronas, virgines, puberes et impuberes trucidant. Rapiuntur multae nobiles matronae et virgines ad stupra, queritur praeda in omnium aedibus et templis, quam iusserat Mahometus capta urbe milites tenere. In templis picturae Christi contumeliis

afficiuntur, et fiunt omnia scelera toto triduo, quae gens barbarica, impia, libidinosa, avara et crudelis in capta urbe regia, opulenta et ornatissima facere audet.

Post triduum ingressus urbem et arcem Mahometus, sedare tumultus cepit, et inquisitos proceres aliquos, qui adhuc reliqui erant, dissecari iubet.

Narrant et in conviviis Turcicis honestas matronas et virgines etiam regiae familiae, post alias contumelias per ludum dissectas esse. Ac nescio an horribiliora exempla legantur in ullius urbis excidio, quorum cogitatio certe movere omnes homines debet, ut iudicium Dei metuant, vivant modestius, et adsiduis gemitibus petant, ut Deus propter filium et servet Ecclesiam inter nos, et mitiget poenas.

Sic cum urbium omnium regina in toto genere humano capta et direpta sit, et experta saeviciam obscoenissimorum et crudelissimorum latronum, quid impendeat aliis gentibus et urbibus cogitemus. Nec frustra nobis proponi tam horrendas tragoedias securi imaginemur, diluvium, interitum Sodomorum, excidium Samariae, Ierosolymae, Byzantii, Athenarum et aliarum innumerabilium urbium eversiones.

O duriora omnibus scopulis pectora, quae talibus irae divinae exemplis non moventur, quae ne diabolos quidem sine tremore et metu venturi iudicii spectare posse existimo.

Sunt autem anni a Xerxis fuga usque ad Severum imperatorem, a quo antea Byzantium eversum est, aliquanto plures quam septingenti, quibus annis floruit Byzantium usque ad Severum.

A Constantino anni sunt usque ad hoc excidium circiter mille et centum. Interea etsi domesticis et externis bellis interdum quassata est, tamen semper fuit praecipua doctrinarum sedes. Nunc deletis Ecclesiis, bibliothecis et studiis doctrinarum, sublatis ordinum gradibus, senatu et magistratibus, et extinctis nobilibus familiis, arx est blasphemiae Mahometicae, et stabulum Turcicorum latronum, qui doctrinas, honestam disciplinam, leges, coniugiorum foedus, castitatis decus furenter contemnunt, et nulla civilia ornamenta magnifaciunt. Tantum ardent infirma cupiditate dominationis, quam tamen nihil aliud esse intelligunt, nisi facere vastitatem in toto genere humano, quam et nomen minitatur. Nam vocabulum Turca vastationem significat.

Tale est hoc ultimum mundi imperium, quod sinit Deus, ad punienda omnium gentium peccata tam late grassari; et scitis in Prophetis praedictum esse tale fore ultimum imperium, ne moti eius potentia, deficiamus a filio Dei.

Scribitur Arius vocatus fuisse Byzantium ad postremam cognitionem. Ibi cum mane ad synodum accessurus esset, subito tanto dolore intestinorum adfici coepit, ut deflexit de via ad publicam latrinam. Quaecunque fuit causa subiti doloris, ego consternationem animi fuisse indico, in qua cordis cruciatus, cum sentiret iram Dei ut in Iuda, ita laniavit omnia viscera, ut intestina quoque effuderint, sicut fit magnis doloribus cordis.

Ut autem tunc in latrinam Byzantiam Arius stercora sua abiecit, ita nunc plane ea urbs cloaca Arii est, quia Arii blasphemia semen fuit Mahometicae impietatis. Audio tamen aliquas et in urbe et in vicinia, et praecipue in Chalcedone reliquias esse Christiani nominis, sed oppressas tristi servitute, et subinde homines licentiae militaris cupidos, ab Ecclesia ad Turcicam discedere, quia licentia hominibus per sese grata est, et simul quo se fortuna inclinat, eo fit et voluntatum inclinatio, et omnibus aetatibus multi iudicant de religionibus ex imperiorum successibus.

Hanc totam narrationem de Byzantio eo recitavi, quia Deus praecepit, ut exempla poenarum intueamur, et eorum cogitatione ad modestiam et ad veram invocationem Dei nos exuscitemus.

Scitis dictum filii Dei, cum apud eum Pilati crudelitas accusata esset, qui interfecerat Galilaeos aliquot, et coëgerat caeteros in sacrificiis bibere cognatorum sanguinem, etsi res erat atrox, tamen Christus omissa Pilati mentione, commonefacit suos auditores de exemplo. Omnes similiter peribitis, nisi vos emendabitis.

Videtis quales furores sint hostium Evangelii, quorum multi contra conscientiam defendunt et stabiliunt manifesta idola; deinde quam multi ubique sint Epicurei, quam multi furentes ambitione et odiis, et turbantes concordiam Ecclesiarum et invocationem piorum, quantum sibi indulgent plurimi in voluptatibus inconcessis aut immoderatis?

Haec vitia abiicienda sunt, et mores rectius regendi, et flectendae mentes ad cogitationem

verae doctrinae, et ad veram invocationem Dei, et petendum est ut Deus nos gubernet, servet inter nos Ecclesiam, et poenas mitiget.

Vult haec peti Deus, quia vult intelligi non humanis consiliis et praesidiis servari Ecclesiam, et depelli hostes diabolos et organa diabolorum.

Vagatur Ecclesia inter diabolos, et inter impia imperia in mundo, sicut exiguus grex ovium inter multa luporum agmina, nec defensorem habet certum nisi filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, qui inquit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Hunc filium Dei *λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον, ἀϊδίου πατρὸς,* oro toto pectore, ut ipse propter suam gloriam nos protegat, ne Turcicis aut civilibus bellis in his regionibus, barbarica vastitas fiat. Sed servet inter nos Ecclesiam ipsum recte invocantem, et regat mentes docentium, ut omnes unum in ipso simus, Amen. Dixi.

No. 153. an. 1556.

De Schola Rostoch.

Prodiit: „Causae cur scholae philos. praefecti in Acad. Rostoch. in disciplina resarcienda elaborarint — scripta oratio ab Arnoldo Burenio, cum praef. Mel." Viteb. 1556. 4. 4 pl. — Recusum est hoc scriptum cum praefatione Mel. in sel. Decl. T. IV. p. 176 sqq., Richard. T. II. p. 369. et Servest. T. IV. p. 161. Praefationem Mel. dedimus in Epistolis d. 25. Decbr. 1554. — In Epistolis satis perspicitur, Melanthonem elaborasse hanc orationem.

Oratio Arnoldi Burenii de disciplina scholae Rostochianae.

In hac extrema mundi senecta vere languida, omnia ruinam non obscure denunciant, multae malae artes, et varia morum vitia, et communis vitae corruptelae, indies magis ac magis exoriuntur, ut et boni viri omnes uno ore conquerantur, et mores hominum omnis generis multo clarius, quam publice expedit, testantur. Nam si placet circumspicere, et vitam, et mores praesentes intueri, quis aetatis gradus non valde mutatus est, et superioris seculi multum dissimilis? Quis ordo, et status hominum de curriculo maiorum, et veterum institutis non longe deflexit et procul aberravit? Ubi senilis illa gravitas et virtus, quam in maiorum nostrorum dictis et factis conspicimus? Ubi firmioris et virilis aetatis fides et constantia, quam superius seculum in viris sui temporis admiratur, et praedicatur? Quae est mollicies, quae levitas, quae libido, ad quam florentis aetatis mores, qui ante verecundia et pudore nobis commendabantur, non sint impudenter prolapsi? Quis ordo a virtute veterum, et laude maiorum non turpiter degeneravit, et flagitiose descivit? aut quid denique in vita communi et moribus hominum usquam simplex, integrum et purum est relictum?

Quapropter peropus est Magistratus omnes, et alios, qui aliquibus privatim sunt praefecti, hoc corruptissimo seculo, et iniquissimo morum tempore evigilare studio, et expergisci, et de statione, in qua divinitus sunt collocati, ne minimum quidem discedere, et omnia quasi e specula circumspicere, et animum in mores veluti arcum intentum semper habere, et vitia speculari, et in iis tollendis quae iam in vita et moribus insederunt, et pene inveterarunt, uti severitate plane censoria, quae iure pudoris et modestiae habetur magistra, et malis, quae plurima ex hac levitate et libidine quotidie enascuntur, medicinam recentibus, quod valet plurimum, adhibere. Quemadmodum veteres Rerumpublicarum gubernatores fecisse, hoc dictum, quod nunc vulgo usurpatur: Ex malis moribus bonae leges nascuntur, aperte declarat, et ipsos sui muneris rationem religiose habuisse significat.

Quis enim non videt, in hoc a Deo optimo maximo magistratus rebuspublicis esse praefectos? et iis, et caeteris morum magistris ab eodem leges Decalogi, quasi normas vitae humanae esse datas? ad quas illi suorum civium et discipulorum mores, non aliter in his vitae tenebris et mundi caligine derigerent, ac nautae in caeca nocte suum cursum ad Helicen et clarissimos Septentriones solent. A qua officii cura, qui aut voluptatum illecebris, et dulcium rerum aucupio, aut privati commodi studio, aut fuga laborum et molestiarum abducuntur, hi locum in quo a Deo sunt collocati deserunt, et mandatum Dei primi parentis instar negligunt, et obedientiam Cyclopum more abiiciunt, quibus divini muneris proditoribus, Deus, qui iustus est, non magis veniam delicti daturus est, quam Adamo suae legis transgressori dedit, Et si hic unius peccati culpa tam acerbam, tamque formidabilem aeterni Dei iram

in se concitavit, ut ipse tanto et tam horribili supplicio, et tota posteritas cum ipso mulctaretur: quam atrocem et truculentam poenam mali gubernatores suis variae inobedientiae peccatis luent, et expectabunt? et alienis, quibus se contaminant, cum quos debent et possunt a maleficiis, disciplinis, et institutis non cohercent, et refrenant?

Hac muneris nostri religione, et poenae magnitudine, quae desertioni eius constituta est, nos quibus gubernatio Scholae Philosophicae apud Rostochienses est mandata, sumus adducti, ut non solum de iuventute nostrae institutioni commissa, pie et liberaliter erudienda, sed etiam de disciplina morum restituenda et constanter tuenda, diligenter deliberaremus, et serio aliquid constitueremus, praesertim cum videremus florentem aetatem magna ex parte, non quod honesti ratio, et aequi et boni leges iubent, sed quod caeci libidinum et cupiditatum aestus ferunt, audacter amplecti, et impudenter sequi, quod multorum quaerelae ubique prope terrarum, hoc fatali tempore, accidere testantur, et ut nos experimur, minor fere pars eorum, qui in scholas mittuntur studio discendi accensa, recta ad aliquam doctrinae laudem, et virtutis decus, ut oportet, contendit: Ex caeteris alii sui honoris et salutis obliti, praeter scholarum leges, et parentum mandata, ea, quae gulae, et ventri in praesentia suavia sunt, sectantur, et prima habent, seque levibus et impuris adolescentibus, quae pestes etiam in Scholis, ut Zizania et lolium in tritico reperiuntur, associant, quibus ducibus popinas et ganeas, non Musarum aedes et Minervae templa frequentare assuescunt, a quibus ita ad Bacchi organa et ad lustra Veneris deducuntur, ut non solum dies et menses, sed et totos annos parasitorum more, in turpis gulae et foedi ventris curatione consumant, quasi non religionis et literarum causa, sed libidinum et cupiditatum explendarum gratia, pecuniis instructi in maiores scholas mitterentur. Qui duces quam graves, et periculosae scholastici coetus corruptelae sint, vulgus adulescentulorum, nec videt, nec credit.

Nam ut vulpecula Aesopica cauda, cuius specie et forma commendatur, amissa, caeteras vulpes ad eam corporis partem, ut inutilem et noxiam resecandam, ne sola turpis et deformis in suo genere reperiretur, callide et insidiose impellebat: sic illi nebulones omni honestate et laude carentes, adolescentes rerum imperitos, et ad otium et cupiditatum lenocinia sua sponte propendentes, veteratorie et astute, plane Sirenum cantu ad se alliciunt, ut eos ab omni cogitatione officii abductos sui quam simillimos reddant, etsi sunt literae, quibus horum studia bonis viris in Academia commendantur, hic valde laborant, et malis artibus efficiunt, ne iis quibus oportuit, reddantur.

Tanta est istorum Sycophantarum audacia et malicia. Alii natura tardi et pigri, desidiae sese dedunt, et in turpi ocio, ignaviae frigore et veterni sopore ita congelantur, ut vix unquam ad discendi curam expergiscantur. Sic ipsis melior aetas, et res a parentibus suppeditata in virtutis studium, male collocatur, et indigne perit. Alii levitate naturae, et ingenii varietate seducti, sibi graviter nocent, et aditum ad optimarum artium cognitionem intercludunt, quod ab iis ad quae modo cognoscenda accesserunt, ad alia, atque alia summa inconstantia auferantur, multa inceptantes, in nulla re firmi et stabiles. Quo levitatis vitio fit, ut in nullo vel doctrinae, vel exercitationis genere tantisper persistant, dum quod volunt, et debent assequantur. Ad postremum sunt, in quibus neque ingenii vim, neque discendi laborem desideres, sed melius iudicium, et rectius consilium, qui perversa cupiditate, et stulta ambitione praeteritis linguae latinae praeceptis, quibus reliquae artes tanquam fundamento nituntur, ad maiores artes et disciplinas illotis pedibus et manibus, ut dicitur, approperant, in quibus stulti adolescentes valde quidem desudant, ut eas cognoscant, et diu multumque laborant, sed tamen nullam earum firmam et solidam cognitionem consequuntur, quod parum praeparati, et rei Grammaticae rudes ad eas provolarunt.

Cum haec inquam nostrae Scholae mala, et studiorum iuventutis calamitates cerneremus, et exercitia tum styli, tum disserendi, ut saepe fit in maioribus scholis omnino iacere, quae culta, quam variam et multiplicem utilitatem scholasticis afferant, quid attinet dicere, cum nemo sit, qui ignoret, et res ipsa loquatur, et perspiceremus his tam variis Scholae corruptelis, nec satis occurri, nec Medicinam, quae eam malo levaret, adhiberi posse, nisi omnes in Schola Philosophica docentes, inter sede illis vitiis ex moribus iuventutis delendis consentirent, et hoc ipsum coniun-

ctis copiis, atque viribus, summo studio et constantia aggrederentur, quod coniuncta multorum autoritas, et virtus praeceptorum in vitiis suae scholae corrigendis potest permultum, at unius aut alterius vis et facultas, caeteris ab isto officio cessantibus, aut nulla, aut perparva in ea re esse solet.

Quapropter quod muneris, quod sustinemus, religio, et Scholae, cui deseruimus, honos, et iuventutis, cui nostra officia debentur, salus sua sit, et coëgit, secuti sumus, ac societatem laboris, et molestiarum, quae praeceptoribus in discipulis tum erudiendis, tum gubernandis, sunt suscipienda, fecimus, in qua colenda quisque nostrum promisit se decretis religiose obtemperaturum esse. Ordinem et rationem discipulos nostros docendi, et exercendi privatim et publice, re diligenter deliberata, de communi nostri collegii sententia constituimus, et operas scholasticas iuxta aequitatis normam inter nos partiti sumus, et leges, quae et Scholae constitutioni tuendae, et moribus adolescentiae rudibus recte fingendis, et malis foeliciter corrigendis valde viderentur accommodatae adiunximus. Quod a teneris necesse est adulescentulorum ingenia doctrina religionis, et bonis artibus pie, liberaliterque excolere, et mores ad bene et innocenter vivendum legibus sapienter fingere, quos tales volumus evadere, ut aliquando vel Ecclesiae salutares, et idonei sint ministri, vel Reipublicae Magistratus, qui in suo munere cum gloria Dei, et utilitate communi vere constanterque versentur.

Nam qui nec doctrina liberali praeparantur ad recte iudicandum de rebus bonis et malis, et tempore adolescentiae assuescunt in vivendi ratione a recto discedere, et claudicare, hi maiores facti, ut testa odorem, quo recens est imbuta, non facile amittit, sic etiam a claudicatione solita et familiari, aegre et difficulter desistunt. Cui rei fidem maiorem, quam volumus, et publica salus patitur, vitia multorum tum Ecclesiae, tum Reipub. civili, tum scholis servientium facere quotidie experimur.

Nec tamen nos Scholae Ideam, sicut Plato civitatis formam, cui in hac vita, et in his hominum moribus nihil loci relinquatur, animo concipimus, et florenti aetati proponimus, sed eam quae et discipulis in discendo commoda, et admodum facilis sit futura, et praeceptoribus nec oneris, nec difficultatis aliquid allatura, quo homo non Epicureus iure offendatur. Nam ubi non magna scholasticorum frequentia, et non parvus docentium numerus, ibi ordine docendi, et discendi prudenter constituto, facile omnium ratio ita haberi potest, ut illi recte foeliciterque instituantur, et sic illorum vitam, et mores multorum oculi speculari, ut aberrantes de via, nec diutius latere, et in eam statim tum legum autoritate, tum praeceptorum opera revocari possint. Etenim summum scelus, et detestanda impietas fuerit, moribus iuventutis tantopere incumbentibus ad omnem levitatem et malas artes, praeceptores desistere a studio medendi male habentibus, et praebere se otiosos spectatores tanti mali suorum discipulorum, eo, quod tantae hoc tempore libidines et cupiditates iuventutis videntur, ut desperetur eam adduci posse, ut suis curatoribus pareat, et obsequatur. Hic nisi me omnia fallunt, in officio praeceptorum est saltem experiri, et quam maxime laborare, cum agatur salus iuventutis, honos Academiae, et nomen illorum, ut periculum a capite discipulorum, infamiam a Scholae dignitate, et tam foedam labem a suo nomine depellant, praesertim cum ipse officii conatus, et Deo gratus sit, et facile bonorum omnium auferat approbationem, et sine fructu non sit futurus.

Suscipiemus igitur has virtutis et officii partes, ad quas tam multis causis et rationibus invitamur, vel potius cogimur, Deo duce et autore. Principio hoc inter omnes constare arbitramur, nihil sine ordine, et certa ratione, neque in Republica, neque in re domestica, sapienter suscipi, et foeliciter administrari: sic etiam in discendi ratione, ut docti iudicant, et experientia testatur, se res habet. Quapropter hic ordo, et haec ratio nostro sodalitio placuit, qua speramus nos obtinere posse, ut, ex Schola cessatione sublata, quisque partes discendi sibi utiles et consentaneas suscipiat, et eas diligentia, et constantia, quam virtus requirit, exequatur.

Scholasticos nostrae Philosophicae Scholae distribuimus in auditores Grammaticos, studiosos Laureae, et magisterii philosophici candidatos. Auditoribus Grammaticis, horis ante meridianis, proponimus privatim: Epistolas Ciceronis, et praecepta Etymologiae. Pomeridianis autem, vel comedias Terentii, vel Poëma aliquod, sive Virgilii, sive Ovidii, et praecepta Syntaxeos et Prosodiae. Autores explicati cum auditoribus ita

releguntur, ut omnia inter examinandum cum praeceptis enarratis diligenter conferantur, ut adolescentes ad rei Grammaticae et Latinae linguae cognitionem non satis instructi, in utraque re aliquem progressum facere cogantur. Tum, quod attinet ad religionis studium, damus operam, ne Christiana et vere pia iuventutis institutio nostrae Scholae desit. Nam tempora quae solent in Scholis religiose constitutis, cognitioni Dei, et sacrae scripturae, tribuuntur. Praeter festos enim dies, qui toti in tractatione rerum sacrarum ponuntur, dies Mercurii et Saturni partim in interpretatione Catecheseos, partim in exercitiis styli et memoriae consumuntur. Haec aetas, quod sibi parum consulit, legibus ad partes ediscendi, et exercitationis munus astringitur, et poena desertores officii, cum necessitas requirit, ad suum pensum absolvendum extimulantur. Ut enim bona nomina non appellata, saepe mala fiunt: sic et adolescentia si non excitetur aliquando, facile officii obliviscitur.

Studiosis laureae Dialectica et Rhetorica praecepta privatim traduntur, verum ita, ut Dialectices explicatio, aliquo temporis intervallo, Rhetorices traditionem antecedat, quae a Magistris cum discipulis tanta fide et diligentia repetuntur, ut ea velint nolint, discere cogantur. Publice bis elementa Mathematum, ut Arithmetica, Sphericae quaestiones, et alia eiusdem generis, item Graeca et Latina scripta, maxime Ciceronis, e quibus usum artium disserendi rectius cognoscant, et rerum, et latinae linguae maiorem cognitionem sibi parent, praeleguntur. Hi partim Epistolis scribendis, partim declamationibus et disputationibus exercentur. Qui ad sua officia praestanda, et ad munus perseverandi in iis, ad quae discenda accesserunt, ut superiores, Scholae legibus et statutis alligantur. Nam iudicio sapientum adolescentiae opus est omnium maxime, et disciplinam vitae, et rerum agendarum gubernatricem, et magistram habeat, quod lubrica illa aetas ab honesti laboris tolerantia, ad molliciem et ocium plerunque propendet.

His vero qui ad Magisterii philosophici petitionem se parant, praecepta Physica, Ethica et Politica Aristotelis. Theoricae Planetarum, Euclides, Ptolemeus, publice enarrantur, tum nobiliora graecae et latinae linguae monumenta, si placet, cum caeteris publice audire facultas est. Quibus exercitia declamandi et disputandi sunt communia cum doctioribus ex studiosis laureae. Quorum quidam in disciplinam praeceptoribus, parentum autoritate sunt traditi, et privatim exercentur, et reguntur, quorum studia et mores a privata disciplina non sunt exempti. At caeteri, qui nullis in Schola sunt praeceptoribus commendati, et honeste vivunt, et Scholae honori et ornamento sunt, et condiscipulis virtutum exemplis praelucent, hi neque in Scholae aedes coguntur, neque ad haec, neque ad illa discenda legibus excitantur, sed liberum relinquitur, qua in parte Philosophiae, aut in quo doctrinae genere voluerint se exercere et elaborare, ut ingeniis liberalis doctrinae et honestatis studiosis dignum existimatur.

Hoc ordine, et hac ratione discendi publice proposita, et legibus, quibus necessitas adolescentiae sui officii colendi imponitur in omnibus Academiae aedibus publice fixis, incredibile est, quantus, et quam varius animorum motus sit consecutus. Nam iuvenes indole liberali et natura paulo generosiore praediti, se hac constitutione et disciplina non mediocriter delectari, et vere gaudere, statim nec ambigue, nec obscure, sed aperte et clare profitebantur. At vulgus Scholasticorum, qui pulchra, et honesta nec sequi, nec tenere didicerant, quorum alii aliis cupiditatibus, et malis artibus inservire erant assueti, fidem omnem excedit, quam hanc disciplinae mutationem, et tam sanctam officii curam indigne tulerint, et graviter acceperint, qui statim concurrere, capita conferre, et multum inter se consusurrare ceperunt, et omnia, etsi recte constituta, et in rem et in salutem ipsorum erant proposita, tamen in peiorem partem rapere, et pessime interpretari, ut tales Sycophantae et levissimi homunculi solent, a quorum genuino, et morsu, nescio an ullum factum satis tutum reperiatur. Quae pestes ad meliora nihil aut ingeniis, aut industria valeant, ad pulchra tamen deformanda, et recta depravanda, tantum mentis acumen, tantum artis et ingenii afferunt, ut non raro falsa pro veris, rerum imperitis isto mentiendi artificio obtrudant, qui et apud nos sui sceleris contagium bonis adolescentibus afflare, et animis iuvenum instillare, ac eos nobis mutare sunt aggressi, et sane, ut aliqui sui dissimiles essent, effecerunt, ex quibus impuris, alii clamitabant et vulgo spargebant, non esse hanc liberam et veram Academiam, sed bacchantium, ut illi loquuntur, ergastulum et carnificinam.

Tantopere istis nebulonibus dolet, nos illos non suae flagitiosae libidini et cupiditati relinquere, sed legum imperio ipsos aut ex Bacchi cellis et Circeis antris in lucem retrahere, et ad depositam officii curam revocare, aut ex somno et veterno excitare, et ad neglectas discendi partes reducere, aut a sua levitate, et inscitia, qua modo huc, modo illuc auferebantur, ad constantiae studium et prudentiae munus traducere. Qui miseri homines, quo sunt animi stupore, et mentis perversitate, non vident, quid sit aut libertas, aut servitus, qui Academias somniant theatra esse licentiae, et Cyclopum agmina, in quibus vitia, libidines et flagitia omnia, nec iuri, nec legibus ullis subiecta, dominari, et imperium tenere debeant, nec intelligunt illas ita constitutas, ut sint religionis templa, et bonarum artium et virtutum domicilia, in quibus libertati amplissima sedes collocata est, quae et apud nos, ut virtuti, cui semper suum ius, et impunita omnium rerum libertas, sic probis adolescentibus relinquitur, quae quidem potestas est, et vivendi, et utendi propriis rebus, ut quis velit, sed a disciplinae cultu et legum custodia non separata. Non enim licentia est virtutum secura, et turpitudinis sectatrix, ut illi fuci, et nostri ordinis maculae stulte somniant, qui tantopere delirant, ut eam, quae libertas est servitutem appellent, et contra servitutem libertatis loco habeant.

Nam cum ipsis permittitur beluinum appetitum, et coecos animi motus in voluptatem illecebris undique assumendis, et in libidine explenda ita duces sequi, ut nulla lege, nulloque imperio impurus animus a nequitia, turpitudineque retardetur, tum sibi placent, et se vera libertate frui somniant insani homunculi, non intelligentes se foedissimam servitutem pro aurea illa libertate admirari, et amplecti, qui eo usque rerum imperiti, ut suis calumniis severae laudis, et iustae reprehensionis rudes, et ignaros demonstrent, nec digni quorum mendaciis pluribus respondeatur, sed qui pelle vel porci, vel asini tegantur, et cum gryllo, qui foedam belluae sortem, quam divinam hominis conditionem maluit, in haram concludantur.

Alii fingunt, et divulgant hanc nostrae Scholae reparationem esse avariciae rete, et pecuniae aucupium, quod non Scholae studio, non iuventutis salute, non denique officii nostri religione, sed quaestus cupiditate adducti simus, ut disciplinae formam mutaremus, quod vanissimi homines quam illiberaliter commíniscantur, et res, et factum nostrum clarissime loquuntur, sive mercedem quis institutionis, sive mulctam, quae partium suarum desertoribus dicitur, spectet. Ex discipulis enim nobiles et patricii adolescentes, si fortunati et locupletes sunt, quatuor tantum aureos Rhenanos cum dimidio, si inferioris fortunae et loci sunt, tres, vel duos, vel nihil, si res ipsorum sic postulat, pro tanto institutionis privatae labore numerant. Nam divitibus et mediocris fortunae adolescentibus precium nostri laboris non avare statuimus, et pauperibus in hac Academia omnem nostram operam, quae et institutionis et disciplinae causa suscipienda est, gratis, ut beneficentiae et humanitatis leges postulant, benigne semper praestitimus. Tum poena quae violatis legibus apud nos datur, ita parva est, ut constanter affirmare auderemus in nullis Scholis minorem esse.

Sed illi, qui de nostro et Scholae nomine detrahunt, veram sui doloris et calumniae causam dissimulant, quae haec est, quod ipsis non amplius conceditur liberior illa vivendi ratio, et quod hac disciplinae renovatione ex suo illo libidinum, et nequiciae regno eiiciuntur, et ad pietatis partes, et ad caetera laudabilis iuventutis officia se recipere coguntur. Hoc aliter assuetis non parum dolet, nec leviter eos movet, hinc illae lachrymae, et multa contra nos mendacia. Tum, quod plerique ex aediculis civium in domos Scholae traducuntur, hoc non novum inventum, sed vetus disciplinae in hac Academia capitulum. Nam nostri maiores viri prudentes, et Scholasticae gubernationis periti iudicabant bene e re iuventutis esse, ipsam easdem incolere aedes cum praeceptoribus, et in eorum conspectu et vivere, et versari in literis. Nam in civitatibus celebrioribus, ut haec est, variam malorum escam, et plurima libidinum invitamenta esse videbant, quibus ne in fraudem aut vitae discrimen illicerentur, et ab instituto discendi cursu abducerentur, occasionem mali, homines prudentes florenti aetati, relinquendam non putarunt, quae ut furem, ita nequam, et improbum facit. Quare adolescentes non per omnes vicos civitatis sparsos habitare, sed in Scholae aedes commigrare voluerunt, quod hoc adolescentibus et tutius et utilius esse iudicarunt. Plus enim conductores fere civibus, quam Scholae pendere coguntur. Quapropter hanc veterem

Academiae legem non abrogamus, sed cum exceptione retinemus. Quae omnia et saluti et commodo iuventutis serviunt, et non sunt praeceptorum avariciae, et quaestui inventa. Et tamen tanta est malicia humanae mentis in recte factis male interpretandis, ut nobis illa crimini dare non erubescant. Hinc arbitramur satis liquere, quo iure, et quam vere tales iuventutis corruptelae nos in avariciae crimen vocent. Quorum calumnias non ita graviter accipimus, et ipsos a nobis discedere adeo non moleste ferimus, ut cupiamus Scholam nostram huiusmodi hominibus exonerari, quo honesti adolescentes, ab ipsorum contagio et veneno tuti, quiete et tranquille in bonarum artium et omnis virtutis studium incumbere possint.

Sunt etiam quibus Scholam publicam in privatam convertere videmur, quod nec cogitatum, nec factum a nobis esse, tum docendi ratio, quam in Schola tenemus, tum auditorum distributio, qua usi sumus, satis arguunt, et clare ostendunt. Nec satis mirari possumus, unde hanc opinionem veritati manifeste repugnantem hauserint ii, quibus nostra parum probantur. Nos enim privatae disciplinae opera Scholae publicae et dignitatem et honorem tueri, et ornare, quam maxime laboramus. Quid quaeso maioris Scholae nomini et fame tam turpe, et indecorum, quam Scholasticos et officii et temperantiae oblitos, sequi turpe otium, et libidinum stipendia mereri, et Musarum negligere, et lectorem in Schola ab auditoribus derelicta, quasi Aeolum aliquem vacua dominari in aula, et parietibus et subselliis suae doctrinae praecepta decantare. Hos qui privatim respicit, et eorum rationem habet, cessantes extimulat, et ad munus sui laboris exequendum publice et privatim redire compellit, et detestatione ad voluptatis amplexum delabentes, in locum desertum retrahit, et ad officii partes et meliorem frugem se referre cogit, facitque ut publicae Scholae sui auditores et discipuli sint, et quidem tales, qui ad obedientiae leges et morum disciplinam sunt ita assuefacti, ut artium et virtutum doctrinam nec inviti audiant, nec gravatim colant, utrum hi, qui illa efficiunt aliquid de honore publicae Scholae diminuere, et de dignitate eius detrahere videntur, an potius illam officiose tueri, et diligenter conservare? Hic noštrae privatae institutionis scopus, hic finis est, et fuit et erit semper, ad quem imitatione et exemplo Academiarum bene habentium contendimus, in quibus fere per totam Germaniam superioribus annis publice mandabatur, ut scholastici privatim haberent suos morum Magistros, et studiorum gubernatores, et id sane moribus nondum tam corruptis et malis. Quapropter si nos idem tam depravato seculo in Academia retineamus, cui bono et prudenti displicere poterit? Praesertim cum eius instituti sive natura, sive Deus autor sit, quod et Aristoteles iudicat, unde haec hominum distinctio apud ipsum nata est, videlicet alios esse natura iudice servos, alios contra Dominos, quod illi qui sibi nec satis prospicere, nec recte consulere possunt, natura sint servi, et iis parere debeant, qui et sibi et aliis recta consilia dare, et providere, quae sint vel profutura vel nocitura queunt, qui naturae sententia aliorum Domini et Duces habendi. Quod naturae praeceptum et exemplum Scholarum, quo aliae Academiae, viris sapientia et virtute magnis mirifice commendantur, nostrae publicae Scholae, ut putamus, nec obesse, nec iure ei vitio verti poterit.

Quod si Lectores a publico docendi munere ad aliquas privatae institutionis partes ita traduceremus, ut illorum vox in publica Schola desideraretur, tum nos peccare, nec absque causa in crimen vocari agnosceremus. Verum hoc tantum abest, ut a nobis sit factum, ut ne cogitatio quidem tam stulti incepti unquam a nobis sit suscepta. Tum in nostra Academia, sicut et in aliis, adolescentes inferiorum artium non imperiti nec ignari, et suae vitae neque mali neque imprudentes gubernatores, si volunt a privatae institutionis legibus procul sunt remoti, et in curriculo suorum studiorum liberrime versantur, nulli aut certo habitandi loco, aut legi, quae discenda praescribat, alligati, sed sibi, et publicae nostri Gymnasii disciplinae relicti, suam tum vitam, tum discendi rationem, ut volunt, quod libertatis est proprium, instituunt. Hinc facile liquet, quam nulla a nobis sit huic criminationi data occasio, et omnia quae faciunt ad publicae Scholae laudem, et dignitatem, nos fide, et diligentia, qua debemus, et possumus tueri.

Habes optime Lector causas disciplinae, apud nos in Schola Philosophica restitutae, et ordinem tum docendi, tum discendi, et rationes, quibus adolescentes parum boni impulsi, praesentem Scholae nostrae statum improbe calumnientur, et malitiose deforment, quorum tanta animi inscitia,

et tam graves mentis tenebrae, ut non cernant, qua opera nos graviter laedere cupiunt, ea se nos aliis, quod minime volunt, non leviter commendare. Nam si a malo viro laudari, est vituperari, tum illae criminationes Sycophantarum non labem nobis aspergent, sed potius honori et decori sunt nobis apud cordatos, et prudentes futurae, quibus honesti conatus, et sancta illa officii cura nullo modo displicere poterunt, quo obtento nihil amplius requirimus, et facile confirmamur, ut in proposito honesto, ut gravitatis laus, et constantiae decus postulant, bona spe et magno animo maneamus, et perseveremus.

No. 154. an. 1556.

De causis putrefactionis.

In select. Declam. T. IV. p. 228 sqq., Servest. T. IV. p. 208. et Richard. T. II. p. 179. Etiam separatim prodiit Witeb. 1556. 8.

Oratio de causis putrefactionis; recitata post renunciationem gradus a Clariss. viro Francisco Rodewalt, artis medicae Doctore.

Cum intueor oculis hunc doctissimorum hominum consessum, et animo cogito, quanta sit autoritas, quam multiplex ac recondita doctrina, quam exactum iudicium praeceptorum: quae opinio sit et expectatio auditorum caeterorum, quorum in me conversos defixosque oculos et animos esse conspicor: quae denique utrorumque attentio: non possum non meae imbecillitatis sensu considerationeque vehementer conturbari. Nam consequi me et praestare dicendo neutiquam id posse sentio, quod hic locus, et haec talium auditorum corona requirit. Absum enim multos annos a studiis eloquentiae atque exercitatione dicendi, et ab hoc absum coetu cum praeceptis institutisque verae Philosophiae, tum ingeniis summis abundante, in quo me varia et copiosa optimarum rerum scientia vox praeceptorum excoluisset atque auxisset: excitassent vero ad acrius et ardentius studium inquirendorum doctrinae fontium, et curam maiorem formandi sermonis quotidiana cum aequalibus colloquia, opinionumque et sententiarum collationes, atque ipsi quasi conflictus disputationum, quibus ut vel maxime eruitur ac profertur veritas, sic ingeniorum tardiorum languidior vis, quae ocio hebetata torpesceret, acuitur: nimis ferocium celerior impetus ac vehementior frenatur et retunditur. Ita avulsus ab hoc artium optimarum domicilio, atque ab occasionibus exclusus, omnibus ingenii exercendi et amplificandae eruditionis, praeterea ad pistrinum laborum molestissimorum meo quodam fato detrusus, occupatam et impeditam tractatione usuque operum, artis medicae curam et operam commentationibus tribuere Physicis et eloquentiae exercitiis nequivi. Si itaque silerem in hoc consessu prorsus, aut defungerer paucis eo, quod conditio flagitat quam subivi, venia, meo quidem iudicio, dignus viderer. Attamen cum et praeceptorum autoritas et scholae consuetudo, et officii mei atque obedientiae ratio necessitatem mihi imponant ex hoc loco de argumento aliquo disserendi, et defugere me hoc onus quocunque praetextu, aut morose recusare minime deceat. Desint autem ea mihi, quae perspicuitatem argumento, vim et nitorem orationi, delectationem auribus adferant vestris: reverenter oro confisus summa humanitate vestra, ut qua benevolentia et patientia multos alios ex hoc ipso loco perorantes audivistis, ea me quoque complectamini, et si quae asperiora mihi et consueta minus, aut minus accurate contexta vel polita exciderint, ea velut Syrenum scopulos occlusis praetermittatis auribus. Argumentum de quo dicturus sum desumpsi ex Aphorismo quadragesimo sexto partis secundae, ut sit occasio conferendi causas putrefactionis, de quibus publice disputatum est, cum causis supputationis, quarum illam σῆψιν καὶ σηπεδόνα, hanc ἐκπύησιν Graeci vocant. Verba Aphorismi sunt: Dum pus conficitur, dolores et febres magis accidunt quam eo confecto. Priusquam autem confectionem puris explicem, de putrefactionis causis ac differentiis summatim aliquid repetam. Putrefactionem recte definit Galenus, mutationem totius substantiae corporis putrescentis ad corruptionem effectam vi caloris extranei. Sic enim inquit: σῆψις ἐστὶ μεταβολὴ τῆς ὅλης τοῦ σώματος σηπομένης οὐσίας ἐπὶ φθορὰν ὑπὸ τῆς ἔξωθεν θερμασίας. Inchoat enim putrefactio mixti dissolutionem, et elementis quae antegressis domita ac confracta motibus, nexuque inter se arctissimo devincta et coagmentata, tum coaluerant in unam massam, tum constituerant illo coalitu conservarantque mixti substantiam, illis (inquam) divulsis explicatisque, ac ceu de carcere emissis,

mixtum velut disiicit ac dissipat in ea, ex quibus coierat principia. Mutationem hanc cieri et effici docet a calore extraneo, id est, immoderato et igneo, accenso in substantia mixti de nativo calore in alienum seu igneum, tota suae substantiae inflammatione converso. Hanc nativi caloris ignescentis mutationem, ut demonstraret Aristoteles, paulo aliter quam Galenus definit putrefactionem, *φθορὰν τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος*, et vocat *φθορὰν τῆς οἰκείας θερμότητος*, aëreae ac temperatae substantiae nativi caloris, quae et mixto *συμμετρὸς* est, caeterisque in mixto elementorum portionibus *ἀνάλογος*, et mixtum regit, afficit, sustinet atque conservat, mutationem in *ἀσύμμετρον* et igneum, qui destruit ac dissolvit nexum atque coalitum elementorum, et actiones omnes mixto proprias, quas *οὐσιώδης* illa et harmonica copulatio consociatioque, ac consensio elementorum durante ac vigente mixti constitutione ediderat.

Corruptionis mentione, discernit praecedentes alterationes a mutatione substantiae, quae ut corruptio omnis (alterationibus quae antecedunt absolutis) peragitur tandem in momento solutis compage et vinculo atque ceu dehiscentibus ac discedentibus a sese invicem et in priorem naturam paulatim redeuntibus elementis. Praecedit enim corruptionem hanc nativi caloris primum in mixto *ζέσις* et levis quidam fervor, sola qualitate accessione graduum aliquot seu intensione caloris secundum gradus augescente. Fervor crescens exardescit in *φλόγωσιν* et inflammationem invalescente pene ad summum calore, compage tamen mixti atque constitutione nondum laesa. Hanc tandem nisi aut naturae robur impediat aut prohibeat opera artis, sequitur ea de qua Aristoteles loquitur *φθορὰ τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ*. Utrique igitur Aristoteli et Galeno proximum *καὶ ἀχώριστον αἴτιον* putrefactionis est alienus seu igneus calor, qui in mixto incensus, et confirmatus opprimit, eliditque nativum ac dominatur. Hic calor mox absumit, exhaurit ac dissipat aëreum humidum, quod nativum calorem et vehit, et alit fovetque. Quare Aristoteles humidi calorem continentis meminit, et Galenus hunc epoti humidi ac caloris evanescentis defectum indicat mutatione totius substantiae ad corruptionem, quae mox sequitur dissoluto ac dilabente mixto. Nam et hic igneus calor tandem expirat, et relinquitur coenum, in quo cum sicco terreo humidum aqueum temere confusum cernitur, tantisper donec et hoc aqueo humido paulatim exarescente, reliquum terreum in cinerem redigitur. Alienum vero hunc et igneum calorem ab aliquo externo calore accendi, minime vel obscurum vel dubium est. Sed unde externus ille accedat, et quomodo quibusve de causis et occasionibus nativus ab externo circumventus obsessusque aut occupatus effervescat in igneum, praesertim in corporibus vivis, minime explicatum est. Sed et nativi caloris non unum in corporibus mixtis genus, neque idea reperitur una, praesertim animatis. Nam et ratione convincimur, et pene oculorum docemur sensu, calorem temperamenti (ut vocant) qui partibus innascitur a prima origine, partim de calore materiae procreatus, partim vi et efficacia causarum formantium impressus, differre ab eo calore, qui in corde fonte caloris et vitae de nutrimento peculiari exprimitur, indeque impulsu fluxuque continuo funditur ac propagatur in totum corpus per arterias, ac temperamenti calorem excitat, vegetat et vivificat. Alium etiam ac diversum esse calorem plantis plantarumve radicibus, seminibus aut fructibus ingenitum, ab eo, qui partim de terra solis fota ac percocta radiis ministerio radicum exugitur, attrahiturque ac distribuitur in plantae corpus, partim de contactu circumflui aëris inhaerescit, et insitum prius ac ceu abtrusum latentemque calorem provocat, acuit et roborat. Vocant autem hunc calorem influentem. Mira eius vis et natura, praesertim illius qui in animantium cordibus accenditur, et origo mira explicatuque perquam difficilis, vel potius obscura prorsus et abscondita, mira denique cum eo calore qui *ἔμφυτος* proprie et *σύμφυτος* est cognatio atque convenientia. Etenim calor *σύμφυτος*, si absit influens, mox elanguescit, peritque et in igneum exaestuat ab extraneo oppressus, nisi fomentis roboretur. Non obniti enim et resistere impressioni potentioris caloris imbecillior ipse potest. Influens si proportione et calori temperamenti et totius mixti substantiae respondeat, tum alit calorem ipsum acuitque vim eius et actiones, tum mixtum conservat defenditque, ne detrimento aliquo afficiatur, Si sit *ἀσύμμετρος*, causa est corruptionis mixto, sed non uno modo. Si langueat enim, cum parum admodum conferat *τῷ συμφύτῳ θερμῷ*, fit ut mixtum destitutum praesidio et adiumento eius, facile atque occa-

sione levi ab extraneo calore occupatum putrescat, congenito calore ex illisa flamma extranei effervescente. Si sit acrior et vehementior iusto, adurendo nocumenta infert et consumendo. Fieri haec ita et oculis cernimus et discimus experientia, et si non perspicimus integre, qua vi calorem vificantem cor gignat et edat. Aristoteles ad hunc calorem alludens inquit, Sanguinem calere per accidens imbutum calore, qui de corde fluit, et mortem esse putrefactionem, id est, extinctionem caloris vitalis. In omni itaque putrefactione mutatio totius substantiae ad corruptionem provenit a corruptione caloris temperamenti, vel in toto corpore vel in parte putrescente, quam efficit externus calor obsidens mixtum destitutum regimine et dominio caloris influentis. At calorem influentem (ut de animantium corporibus loquamur) extinguunt in toto corpore mors, in partibus gangrenae, *νεκρώσεις*, et similia. Hebetant vero, obtundunt ac languefaciunt eundem plurimae causae *προκαταρκτικαὶ καὶ προηγούμεναι*, tam a rerum naturalium usu applicationeve non conveniente, quam constitutionibus vel affectionibus praeter naturam ortae, quas recensere omnes nimis longum esset. In cadaveribus recentibus calor temperamenti reliquus est. Quare si is foveatur et confirmetur moderate calidis astringentibus et desiccantibus, qualia sunt aloë, myrrha et pissasphaltum, muniuntur cadavera, ne a calore externo afficiantur, tantisper donec absumpto ac deficiente humore cinis terreus remanet, qui halituum afflatu dispergitur. Eaedem quae influentem, etiam *τὸ σύμφυτον θερμὸν* causae attenuant, sed ut remotiores et vitiosi temperamenti humorum, quos tres distinctae in corpore coctiones plures ac distinctos procreant, causae sunt multiplices, ac variae. Sed unde caloris externi origo est, qui in mixti corporis sese insinuans atque ingerens substantiam, nativum quo ceu vinculo tota mixti compages colligata ac glutinata consistit, corrumpit? Est calor ille aut ex aëris circumfusi earumque, quae per aërem feruntur *ἀναθυμιάσεων* calore, aut a fervore calidorum ac fuliginosorum halituum, scilicet si qui e corpore per occultos poros aut meatus ampliores effluunt perpetuo, detineantur intra corpus *στεγνώσει* aliqua, id est, *πυκνώσει* vel *ἐμφράξει*, ac coacerventur. Aucti enim tali detentu coëunt et exaestuant, et spiritus primo, mox humores, propagato continua alteratione aestu in omnes meatus, plus quam naturae expedit calefaciunt. Calor *τοῦ περιέχοντος* et halituum in aëre aut simplex est aut venenata infectus qualitate. Huius vero vel a coeli positu peculiari origo est, vel a venenatis ac putridis halitibus, quos *σηπεδονώδη μιάσματα* et *σηπεδονώδεις ἀναθυμιάσεις* et *λοιμοῦ σπέρματα* Galenus vocat, sive magna hi putredine cadaverum, item locorum palustrium et lutulentorum, aut alioquin conclusorum, qualia sunt *κάλυβαι πνιγηραὶ* excitentur et effundantur in aërem, sive ex aliis appellantur regionibus *δι᾽ ἐπιῤῥοῆς κατὰ το συνεχές,* sive halitu afflatuve, contactu aut somite propagentur. Simplex aëris calor fusa laxataque cute et apertis insensibilibus cutis foraminibus, in quae osculis arteriae suis connivent, calorem influentem evocat, educit, resolvit ac dissipat. Ipse vero et inspiratione atque arteriarum continua dilatatione attractus, et sponte per hiscentes poros corpus subiens, cor, humores, spiritus et membra caetera occupat. Quae itaque in corpore nativo calore debilia adversari ac repugnare impressioni, incremento et confirmationi alieni et externi caloris nequeunt, ea penitus obsidet, imbecillo qui reliquus est calore penitus inflammato. Quare talia putrescunt. Venenatus calor veneni vi, si acuta est subtilis ac penetrans, protinus spiritus et calorem fugat, conculcat atque elidit in toto corpore, et confestim vitam extinguit: sin minus acuta, sensim humores, primo *περιττωματικοὺς*, mox et reliquos vitae et spirituum propagationi ac conservationi necessarios putrefacit, tandemque influentem calorem perimit. Hoc modo tum putridae tum pestilentes incenduntur febres a calore ambientis aëris tanquam causa remota. Calor ex halitibus fervidis *στεγνώσει* cohibitis intra corpus ac conclusis eodem modo quo simplex aut venenatus calor putredinem ciet, nimirum quod si non robore nativi caloris mox superetur et elidatur, invadit et corrumpit ea, quae maxime sui caloris debilitate languent, ut sunt crudi in corpore humores aut effusi extra vasa, vel coacervati alicubi et a natura derelicti. Potest enim et in corpore vivo putredo fieri talis, quae febrem incendat pestilentem venenatis halitibus, sicut Galenus inquit: *ἐν τῷ σώματι χυμοὶ ἐπιτήδειοι πρὸς σῆψιν ὑπάρχωσι, καὶ ἀφορμήν τινα βραχεῖαν ἐκ τοῦ περιέχοντος εἰς ἀρχὴν πυρετοῦ λάβῃ τὸ ζῶον.* Hae sunt causae corrumpentes nativum calorem. Nec fit putrefactio unquam, nisi tota substantia nativi calo-

ris corrupta, id est, mutata in igneam. Quare et quae putrescunt, formam prorsus amittunt priorem, progressuque in elementa resolvuntur. Si natura sit gravata aut *πληθώρᾳ*, aut *κακοχυμίᾳ*, humores gravantes affici putredine, et incendere febrem possunt. Sed aliter in *πληθώρᾳ* aliter in *κακοχυμίᾳ*, Id quomodo fiat explicabimus. Massa sanguinea quae virtute hepatis ex chylo per mesaricas attracto excoquitur, constat humoribus quatuor confusis inter se, et singulorum ichoribus, qui ut humores ipsi inter se quoque confusi vocantur *ὄῤῥος* et *ὀῤῥῶδες περίττωμα*. Neque est *ὀῤῥῶδες περίττωμα* aliud quam tenuis serosa et aquosa superfluitas, quae de tota humorum massa separata, atque ad renes attracta et percolata fit urina, Nec *ἰχῶρες* sunt aliud quam tenuiores et aquosiores partes singulorum humorum, a quorum maxima parte melior massa expurgatur, reliquum cum sanguine in venas distribuitur, ubi amplius coquitur. In ea coctione quod melius est, reservatur ad usum, quod deterius est, ita ut nec percoqui, neque in usum nutritioni commodum converti possit, natura fortis eiicit. Imbecillis non integre evacuat. Quare tandem id lentescit, aliove modo afficitur aut corrumpitur. Hinc aut copia redundantes, aut corrupti *ἰχῶρες*. Cum ergo *χυμώσει* confecta et sanguine a praecipuis superfluitatibus expurgato, melior massa sero aqueo diluta derivatur ex hepate in venam cavam, transfertur in renes praecipua pars seri, quae est excrementum ex crudis ichoribus omnium humorum confusum, indeque ceu colo transfusa depellitur in vesicam, ut eiiciatur e corpore. In *πληθώρᾳ* ut proportione humores, sic et *ἰχῶρες* humorum aucti redundant, sed minus viciosi quam in *κακοχυμίᾳ* sunt. Quare si natura fortis est, et viget, secretos a massa sanguinea depellit ad renes, hos propulsos renes arripiunt ac recipiunt. Si hi maiore copia vires aut superant, aut gravant, separat eos quidem natura, sed non expellit, quod oneri succumbit. Ita destituti naturae imbecillioris regimine putrescunt et febrem accendunt, quam *σύνοχον μετὰ σήψεως* vocant, quae nisi profligetur mature, putredo serpens tandem et humores ipsos invadit. Evenit hoc etiam, cum impedimenta meatuum expulsiori obstant.

Nec fit *σύνοχος* ut existimarunt aliqui ipso sanguine putrescente. Nunquam enim in vasis putredine sanguis afficitur, nisi eo sit redacta imbecillitatis natura, ut hunc etiam vitae caloris et spirituum thesaurum cogatur destituere, quod cum fit, et interitus mox sequitur, et caeterorum humorum corruptionem praecessisse necesse est. Intelligo autem per sanguinem humorem sic proprie dictum, distinctum a reliquis quatuor humoribus, qui temperatissimus et naturae maxime conveniens est. Agit uno eodemque modo natura perpetuo. In *πληθώρᾳ* ubi coctione non est opus, utitur separatione primum, deinde expulsione, nisi prohibeatur. In *κακοχυμίᾳ* uno pluribusve viciosis humoribus vires onerantibus primo experitur coctionem, qua sive nihil, sive aliquid proficiat, adhibet secundo separationem, idque quod naturae usui et conveniens est elicit, secernit ac reponit, reliquum viciosum vel abiicit, atque excutit, vel si copia aut malicia excrementi victa aut viarum interclusione impedita deficiat, destituit. Id putrescere necesse est. Nec de ullo unquam humore quod bonum est et utile, primo deserit, sed post tentatam coctionem *ἰχῶρες* secludit initio, hi ubi putrescunt extra venas in laxis et cavis spaciis quibuscunque, incendunt *πυρετοὺς διαλείποντας*: ubi intra venas *πυρετοὺς συνεχεῖς οὐ διηνεκεῖς*, qui etsi non desinunt in *ἀπυρεξίαν τέλειαν*, tamen remittunt aliquantulum et per vices exacerbantur. Fit autem hoc cum uterque calor et humorum et influens non est prostratus. Ac calore utroque aut prostrato, aut ita attenuato, ut frustra in coctionem et separationem incumbat, putredo non *ἰχῶρας* tantum humorum, sed et substantiam ipsam quam imbecillis calor defendere a corruptione nequit, occupat, Hinc febres *συνεχεῖς διηνεκεῖς μὴ παύοντες εἰς παρακμὴν πυρετώδη*, quos *κακοήθεις* vocant, et perpetuo ex magno incendio humorum, et prostrati caloris corruptione nascuntur. Cum autem singularum febrium causas explicare longum sit, et instituti nostri non sit, desino prolixius haec persequi, de quibus hoc tenere satis est, quod negocii caput est, naturam donec viget valetque, nullius unquam humoris boni substantiam primo destituere ichoribus et excrementis asservatis, et eo ordine agere semper, qui est expositus. Ut revertamur ergo ad causas putredinis, Aristoteli et Galeno causa putrefactionis privativa est corruptio nativi caloris, positiva proxima igneus calor, in quem nativus convertitur. Mutatur autem nativus in igneum, tum destitutus caloris influentis auxilio, tum circumventus et oppressus extraneo. Atque

ita rursus defectus caloris influentis privativa, externus calor positiva est causa corruptionis nativi caloris. Estque Aristotelica definitio causalis, et ostendit ἀχώριστον αἴτιον mutationis deducentis mixtum ad interitum. Galenica formalis est. Sed an sola nativi caloris corruptio efficiat putrefactionem, non pauci dubitant. Cernimus enim hyeme poma et alia id generis putrescere, neque externo obsita calore, neque inflammata interno ex halituum retentione. Tota enim putredo illa frigida est. Neque omnino ullus potest demonstrari calor externus nativum corrumpens. Talia frigore videntur putrescere non sicco, sed humido sensim attenuante, ac ceu strangulante, tandem prorsus suffocante et elidente nativum calorem, qui abiens et exhalans una secum aëreum educit humidum, relicto terreo, sicco cum aqueo humido sine lege temere confuso. Nec a causis putrefactionis frigiditas humida sensim nativum calorem extinguens videtur excludenda, etsi ab alieno calore cietur frequentissime. His ita constitutis manifestum est ἐκπύησιν putrefactionem non esse. In omni enim putrefactione est calor alienus tota substantia seu igneus. In puris confectione est calor alienus sola qualitate, non est corrupta nativi caloris substantia, sed aucta gradibus aliquot calidae qualitatis, seu aucta, ut vulgo loquuntur, intensive non extensive. Si enim excidit e vasis sanguis, aut alius humor praeter naturam, cum in usum suum a membro in quod decumbit, converti nequeat, non destituitur tamen prorsus regimine naturae. Ideo non statim putrescit. Tunc autem putrescit, cum et membri, et humoris ipsius calor nativus influente, desertus deficit, ut in gangraenis, phagedaenis, herpetibus, nomis et cancris apparet. Non putrescit si substantiae caloris nativi nihil decedat, etsi qualitas intenditur, ut in puris generatione, in qua calor partim naturalis est quo ad substantiam, partim alienus quo ad auctos gradus qualitatis. Idcirco puris generatio alteratio est humoris effusi ex vasis coniuncta cum quadam coctione. Estque ex utroque calore naturali et alieno mixtus calor inflammationis. Coniunguntur autem confectioni puris dolores quidem extenta simul et calefacta, quae inflammatur parte. Febres corde calefacto. Haec de sententia huius Aphorismi, ut scholae legibus et autoritati praeceptorum parerem, disserere volui, quae ut candide interpretentur auditores, reverenter oro. Dixi.

No. 155. an. 1556.

De vita et scriptis Plinii.

Prodiit: „De vita et scriptis Plinii quaedam, praefationis loco recit. a P. Ebero." Vitеb. 1556. 8. 3 pl. — Recusa in select. Decl. T. IV. p. 392 sqq., Servest. T. IV. p. 356. et Richard T. II. p. 23.

De vita et scriptis C. Plinii quaedam, praefationis loco recitata a Paulo Ebero, auspicante explicationem secundi libri Naturalis Historiae, 6. Febr. 1556.

Pie monet Graecus senarius: ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν. Sit actionum principium et finis Deus.

Ut videlicet et auspicantes aliquid novi, auxilium Dei imploremus, et actiones nostras omnes dirigamus ad glorificationem Dei, et ad obedientiam, quam ipse requirit.

Cum igitur diu Scholasticis operis non sine dolore abfuerim, et nunc nonnihil a mandatis laboribus levatus, libenter ad praelegendi munus redeam, aequissimum est, nos orare Deum, ut hoc institutum nostrum ipse fortunet, et adiuvet nos, ut hic docendi et discendi labor sit foelix et utilis nobis, et Ecclesiae, cui praecipue servire studia nostra debent: concedat etiam nobis tranquillitatem, ut colere pia studia, et exercere cum fructu diu possimus. Ut enim apiculae evolare pastum et colligere roris succum, ac inde dulcissimum mellis liquorem stipare nequeunt, quandiu aër ventorum procellis et imbribus turbatur, sed in alveolis suis conclusae moestum ocium agunt: ita si tumultus et bella existant, studia discentium impediri necesse est. Auditis autem quotidie pias commonefactiones Praeceptorum, qui multo iam rerum usu edocti, longius prospiciunt, et ex multis coniecturis non fallentibus ostendunt se metuere magnos in Germania motus, quos ut avertat Deus, aut saltem in illis Ecclesiam et discentium coetus tueatur, assidue orabunt ii, quibus et sua et Ecclesiae salus ac incolumitas curae est.

Haec initio breviter praefari volui, ut nos omnes nostri officii commonefacerem.

Iussus sum autem ex triginta septem libris Plinii secundum explicare, quem, etsi sciunt Praeceptores nostri erudito commentario adeo illustratum esse, ut interpretis operam non requirat, tamen quia volunt et Plinii libellum, et

hunc ipsum commentarium in manibus discentium versari, censent eum subinde Scholam revocandum esse. Decet autem discipulos reverenter amplecti praeceptorum iudicia, et statuere, graves illos sui consilii causas habere, quare quidque iuventuti publice proponant, etiamsi eas causas per aetatem perspicere ipsi nondum possunt. Spectant autem praecipue hoc praeceptores nostri, ut iuventus certo ordine, et quasi per gradus ab inferioribus artibus ad cognatas et superiores traducatur, et eos praecipue libellos, qui artium breves quasdam et eruditas summas continent, evolvat. Vident enim eam aetatis iuvenilis imbecillitatem et inconstantiam esse, ut etiamsi admonita de ordine, utiles libros legere incipiat, tamen mox oborto taedio, aut oblato alio scripto, quod magis allicit, nondum perlectos illos libellos, qui artium summas et methodos tradunt, abiiciat, atque ita cum dispendio temporis et exiguo fructu vagetur per varios scriptores, et nullum familiariter et integre pernoscat, quae discendi ratio cum perniciosissima sit, recte consulere nobis praeceptores existimandi sunt, cum hac ratione discentes in certorum scriptorum lectione continere student, quibus nos decet reverenter obtemperare.

Ut autem huius libelli Pliniani lectio vobis gratior fiat, paucissima de totius operis et huius secundi libri summa dicam: postea quaedam de autore ipso afferam, ut solet in inchoatione novorum librorum fieri. Postremo, si tempus feret, addam quaedam ad commonefaciendos auditores, exemplo autoris huius, ut eam praestent sedulitatem in studiis suis, quam et alios audierit adhibuisse, et horum temporum ratio flagitat.

Totum opus Plinii, quod continet libros XXXVII, titulum habet: Historia mundi, sive Historia naturalis. Quia voluit Plinius Romanis suis in hoc opere exponere universa illa, quae Graeci scriptores ingentibus et pene infinitis libris de mundo ipso, et partibus eius praecipuis, imo minutissimis quoque, scitu et observatione digna tradiderunt, sicut gloriatur ipse, se ex centum scriptoribus, perlectis eorum bis mille voluminibus, haec in unum hoc opus comportasse. Usus est autem in tanta varietate et propemodum infinitate rerum annotandarum, ordine optimo, ex quo ipso hominis excellens ingenium et diligentia aestimari potest. Est enim ordinis observatio in omni actione praecipuus ingenii ac iudicii index.

Scitis mundum dividi, ut non a summo exordiar, in corpora simplicia, et ea, quae ex mixtura simplicium, hoc est, Elementorum, conflata sunt.

Simplicissima corpora mundi sunt, et nulli mutationi obnoxia, Coelum et partes coeli, stellae videlicet partim inerrantes, quae omnes in una quasi machina simul circumrotantur, partim suis quibusdam liberis gressibus, certissimis tamen, vagantes, quae planetae dicuntur.

Alia sunt corpora mundi minus simplicia, minusque durabilia, sed in perpetua transmutatione constituta, quae στοιχεῖα, elementa dicuntur, ex quibus inter se certa ratione iunctis, alia existunt corpora, quae ideo mixta vocantur.

Mixtorum autem varii sunt gradus. Alia enim levi et imperfecta elementorum transmutatione ita fiunt, ut facili momento rursus dissiliant, et ad suam originem redeant. Ea quia fere in sublimi, hoc est, in hoc ingenti aëris tractu existunt, μετέωρα Graecis, vulgo impressiones nuncupantur.

Alia mixta eiusmodi sunt firma elementorum iunctura coagmentata, ut diutius consistant, quae propterea perfecte mixta appellantur, quorum alia prorsus sunt omnis vitae expertia, quae ἄψυχα, inanima dicuntur, ut sunt lapides, metalla, gemmae.

Alia vitalem quidem vim quandam intra se habent, qua nutrimentum conveniens attrahunt, et sese in omnes partes crescendo extendunt ac dilatant, ac semen aliquod producunt, ex quo eiusdem speciei alia enasci possint: sed motu et sensu carent, ideoque ἔμψυχα quidem et φυτὰ, hoc est, animata et plantae, sed nondum ζῶα vocantur.

Perfectius vivunt ea, quae praeter nutriendi vim etiam sensum et motum habent, quae iam ζῶα, animalia dicuntur, quorum una species ratione est praedita, quam facultas sermonis et alia quaedam excellentia dona comitantur. Caetera animalia, quae ratione, ideoque etiam sermone destituuntur ἄλογα, bruta vocantur. Atque ita fiunt quinque mixtorum gradus, quorum alius alio perfectiores res continet. Primus habet μετέωρα. Secundus ἄψυχα. Tertius φυτὰ, plantas. Quartus ζῶα ἄλογα, bruta. Quintus λογικὸν, animal, hominem.

Hanc distributionem rerum in natura, quae sunt corpora et mundi partes sensibiles, intuens Plinius, omnium earum naturas et vires explicare

hoc opere instituit, et in hoc secundo libro, qui vero totius operis primus est: (nam quem ipse primum vocavit, tantum est index et catalogus, recens singulorum librorum et capitum summas et argumenta). In hoc secundo libro inquam, mundi totius molem, corpora simplicia, coelum et elementa describit, et quae sit figura mundus, depingit, et docet, quos et quam varios incessus stellae errantes habeant, indicatis singularum proprietatibus.

Deinde elementorum seriem recenset, et primum, quae in aëre gignantur Meteora additis historiolis, ubi et quando non sine significatione futurorum eventuum sint inusitatae species in aëre visae.

Postea terrae, aquarum, et ignis proprietates, miracula et varias mutationes exponit, et in fine libri, totius terreni globi mensuram indicat. Haec est summa et argumentum huius secundi libri, ut brevissimis comprehendam et repetam, descriptio earum partium mundi, quae simplices vocantur, hoc est, coeli et elementorum, quibus adiungit primum mixtorum corporum gradum, quae caeteris imperfectiora, a loco, in quo fiunt, Meteora diximus vocari.

Absoluta iam maxima et praecipua parte mundi, coelo et elementis, et imperfecte mixtis, hoc est, meteoris, restabat, ut de caeteris mixtorum corporum gradibus diceret Plinius, quae in elementis ac praecipue terra et aqua degunt. Sed quia semel est terreni globi instituta descriptio et mensura in hoc secundo libro, erat hoc Plinio etiam addendum, ut superficiem terrae et amplitudinem maris explicaret, quae elementa duo unum globum constituunt, et sedem omnibus caeteris mixtorum generibus praebent, Ideo distribuenda fuit terra summa, quae ab animalibus incolitur, et omnis generis plantas profert, in certas regiones, et singularum situs et amplitudo indicanda. Hanc orbis habitati descriptionem geographicam absolvit Plinius quatuor libris sequentibus hunc secundum, et in duobus primis, hoc est, tertio et quarto, Europam, in quinto Africam, in sexto Asiam pingit. Ita iam extructo quasi domicilio universo, hoc est, coelo et elementis, quae hospitium praebent rebus caeteris, incipit Plinius explicare reliquorum mixtorum naturas, quorum diximus adhuc restare quatuor genera, videlicet, ἄψυχα, φυτὰ plantas, ζῶα, ἄλογα, et hominem. Sed mutato ordine, instituit primum explicationem nobilissimae et perfectissimae naturae, Hominis videlicet, in cuius descriptione consumit totum septimum librum, lectione dignissimum.

Deinde explicat naturas animalium brutorum quatuor libris sequentibus septimum: hoc videlicet servato ordine, ut in octavo libro commemoret animalia terrestria, in nono aquatilia, in decimo volatilia, in undecimo ea, quae ἔντομα, latine insecta, nominantur.

Restant Plantae, quarum cum magna sit varietas, consumit in earum enumeratione octo libros, a duodecimo usque ad vicesimum. Deinde ut diligentius monstret etiam occultas vires, quas plantae habent, a vigesimo libro usque ad 28. octo voluminibus quaerit medicamenta, quae ex plantis confici possunt, ad depellendos certos morbos et vicia corporis.

Adiungit deinde alios V libros, in quibus remedia indicat, quae ex animalum partibus sumi possunt, idque agit usque ad librum tricesimum tertium, ubi iam explicatis omnibus mixtorum gradibus, uno excepto, reliquos V libros usque ad finem operis, consumit in descriptione earum rerum mixtarum, quae omni quidem vita, sed non suis peculiaribus viribus carent, ut sunt Metalla, Lapides et Gemmae et earum quoque rerum multiplicem usum ac ἐνέργειας, quas in medicatione morborum habent, simul indicat.

Haec est summa et hic ordo librorum in hoc Pliniano opere, quo totius mundi domicilium, et postea res in illo contentae, artificiose et luculenter descriptae sunt, quod opus profecto et propter rerum ac historiarum, quas continet, varietatem, et propter vocabulorum immensam copiam, magnifaciendum, et singulari cura ac diligentia cognoscendum est ei, qui non prorsus omnium rerum ignarus et infans esse volet. Ac vere potest hoc volumen appellari Thesaurus, non rerum solum longa experientia observatarum, et cognitione dignarum, verum etiam linguae Latinae. Nisi enim Plinius nobis rerum tot appellationes reliquisset, de multis necessariis partibus vitae communis loqui Latine non possemus.

Sed non est huius loci aut instituti, commendationem totius operis hic proponere. Sufficiat seriem librorum et singulorum argumentum paucis indicasse, ut ad quam partem Philosophiae referri debeat hoc scriptum, intelligi facilius possit.

Nunc pauca de ipso authore adiiciam, ut quo tempore vixerit, et quis fuerit, cognoscatis, quae narratio cum sit nobis occasionem praebitura cuiusdam necessariae hoc tempore admonitionis, aequum est, patienter vos eam audire, idque ut faciatis, etiam oro.

Plinius secundus Novocomensis fuit. Comum autem Italiae Transpadanae oppidum est, non procul a Mediolano ad Larium lacum, qui nunc ab hoc ipso oppido der Chumer seeh appellatur. Alii Veronensem eum faciunt, moti hoc argumento, quod Catullum, quem constat Veronensem fuisse, suum conterraneum vocat. Natus est autem, ut colligitur anno decimo Imperatoris Tiberii, seu, post mortem Augusti, quo tempore Dominus noster Iesus Christus iam natus, et agens annum aetatis vicesimum sextum, adhuc sub cura et disciplina parentum erat, nec dum ministerium suum publice inchoaverat. Fuit autem is annus natalis Plinii, sexagesimus quintus post interfectum M. Ciceronem, quintus annus post mortem Germanici Caesaris, Titi Livii Historici, et P. Ovidii Poëtae, qui tres praestantes ingenio, et multis aliis donis viri, eodem anno obierunt. Eo tempore illa orationis Latinae puritas et elegantia, et compositionis ratio, quae fuerat Ciceronis aetate, iam nonnihil erat studio novitatis, ut solet, immutata in horridius quoddam et concisius dicendi genus, quale in huius authoris scriptis cernere licet, qui tamen ubi adolevit, etiam causas in foro egit, et libros de Grammatica conscripsit. Vixit autem seculo omnium quae fuerunt, credo, corruptissimo, ubi non modo legibus scelera, ac praesertim libidines, non cohercebantur, sed ab ipsis Imperatoribus in vulgus pessimis exemplis propagantur. Natus enim tempore Tiberii, sub inquinatissimi et crudelissimi principis imperio tredecim annos vixit. Vidit postea immania scelera Caii Caligulae, Claudii, Neronis. Postea fuit spectator tristissimae lanienae, ubi tres Imperatores deinceps sese mutuo confecerunt, Galba, Otho et Vitellius, et secum pene imperii vires everterunt, quas postea tamen rursus conatus est excitare Vespasianus pater, qui etiam disciplinam morum severioribus legibus cohercuit. Sed imperium eius non multum ultra novem annos duravit. In tali morum corruptione, et bellorum intestinorum rabie qui vivunt, aegre effugiunt, quin aliquid communium viciorum ipsi quoque imbibant, ut non facile contagium et infectionem effugit is, qui in pestilente aëre diutius versari cogitur. Ex huius seculi pravitate hic noster author illas impias et Epicureas opiniones hausit, quod negat Deum esse alium quam mundum, tollit providentiam, et irridet eos, qui credant inferos esse, aut animas separata a corporibus superesse ac vivere.

Caeterum mores eius non perinde inquinatos fuisse, temperantia ipsius et indefessa assiduitas arguit, quae virtutes praecipua sunt ceu ἀλεξητήρια, contra plurimos viciorum morbos. Idem probat etiam amicitia Vespasiani Imperatoris, cuius integritas et severitas in morum disciplina laudata admodum est in historiis, quemadmodum filii quoque Titi, quibus ambobus cum Plinius carus et familiarissimus fuerit: non est verisimile, eum sui seculi licentiam in moribus usurpasse.

Eruditio eius autem cum excellens esset, illo, de quo postea dicetur, ardenti studio comparata, latere non potuit. Itaque etiam a prioribus Imperatoribus, praecipue vero postremis duobus, quos dixi, ad dignitates militares evectus est. Ordines autem et turmas duxit in Hispaniis et Africa, praecipue vero in Germania nostra, in qua ita diu versatus est, ut conquisitis et perlustratis diligenter annalibus, omnia bella, quae cum Germanis ad sua usque tempora a Romanis gesta fuerant, descripserit, viginti ea voluminibus complexus, qui libri si extarent, haberemus haud dubie et regionum, et populorum Germanicorum certissimam descriptionem, quam nunc saepe cum dolore desideramus.

Commendatae etiam ei fuerunt ab aliquot Imperatoribus rerum imperatoriarum procurationes, in quibus cum fidem et diligentiam suam Principibus probasset, pervenit ad magnas opes.

Praecipuum autem, cur de hoc authore mihi hic dicendum putarem, est illius incredibile studium legendi et annotandi ea, quae inter legendum observatione digna occurrerunt, quam assiduitatem ipsius luculenter descripsit sororis filius, Plinius Iunior in Epistola quadam ad Caecilium, in qua dicit, avunculum suum, ne quidem curae corporis operam dedisse, aut coenasse sine lectione librorum aut auscultatione. Surrexisse plerunque secunda hora noctis, ut nos numeramus, interdum prima, saepe etiam media nocte, sicut ipse testatur Plinius, se cum somno valetudinem computasse, hoc est, somno non plus temporis impendisse, quam valetudini tuen-

dae necessarium esset. Et ait idem, se dies totos imperatoriis negotiis et officio commisso tribuisse, nocturnas vero horas plerasque scribendo consumpsisse. Iter faciens ideo lectica usus est, ut totum id tempus tribuere lectioni et annotationi posset.

Denique ita libris affixus fuit, quoties ab officiis publicis et aulicis occupationibus vacuus fuit, ut eos ex manibus non deponeret, et omne tempus periisse existimaret, quod sudiis non impertitus fuisset. Hac ille vir diligentia, hac assiduitate, hoc ardenti studio discendi, consecutus est eam, quam in eius scriptis nemo non miratur, rerum abstrusarum et diversissimarum copiam. In his ipsis tamen occupationibus scripsit etiam alios multos libros. Nam et suorum temporum historiam complexus est uno et triginta voluminibus, et alia scripta edidit, cum tamen non ultra annum sextum et quinquagesimum aetatis vixerit.

Ac ut de morte quoque ipsius ea, quae certo tradita sunt ab eodem Plinio iuniore in alia Epistola, breviter commemorem, haec ipsa semper discendi, plura et explorandi et annotandi insatiabilis cupiditas ei causa exitii fuit. Nam cum secundo anno Imperatoris Titi, qui ante decennium Ierosolymorum templum et urbem incendio vastaverat, mons Campaniae Vesuvius in summo vertice ruptus, ingentem nubem cineris et vaporis sulphurei, mixti exesis pumicum lapidibus, una cum flammis eiacularetur, Plinius, qui praefectus tunc classi Romanae, Misenum portum tenebat, unde assurgentem illum fumum cernere procul potuit, ut causam huius mirandi incendii propius cognosceret, navi Liburnica secundo vento advectus est. Sed cum ingruente iam propius incendio, et omnibus circa locis alto cinere et congerie pumicum eiectorum oppletis, ipse regredi adversus ventum non posset, quo secundo accesserat, altero die, quam eo venerat, Stabiis inter manus suorum collapsus moritur, praefocatus, ut existimant, sulphurei vaporis et cinerum ac fuliginis attractae per respirationem copia. Accidit autem hoc Vesuvii horrendum incendium anno, ut dixi, altero et ultimo imperii Titi Vespasiani, qui post paucos menses ipse quoque pestili febre extinctus est, qui fuit annus post Christi natalem octuagesimus secundus, aetatis autem Plinii, ut dictum est, sextus et quinquagesimus, et climactericus octavus.

Haec de authore nostro breviter commemorare volui, maxime eam ob causam, ut cum auditores in hoc authore innumerabilium et arcanarum rerum scientiam ex plurimorum scriptis excerptam, et optimo ordine distributam invenient, cogitent, quomodo illam tam multiplicem eruditionem vir adeo caeteris negotiis, militaribus, urbanis, aulicis, domesticis occupatus, consequi potuerit, nimirum non somno, conviviis, lusu, obambulationibus et similibus frivolis occupationibus: sed cum esset acri ingenio praeditus, et flagranti cupiditate tenerentur plurima cognoscendi, adhibuit eam legendi et scribendi assiduitatem, et temporis parsimoniam, ut nullam sibi horam effluere pateretur, quietus saltem ab aliis necessariis occupationibus, cuius sibi recte collocatae in studiis ratio non constaret.

Ad hanc igitur tam indefessam et nobis vix credibilem diligentiam hominis tam potentis, tam locupletis, tam denique occupati, quaeso mihi parumper saltem conferte nostro hoc seculo discentium operas et studium, ut videatis, quam nihil simile apud multos, qui etiam non prorsus ignavi haberi volunt, inveniatur. Multi sunt in ea opinione, ut se munere scholastici egregie functos arbitrentur, si interdiu unam atque alteram lectionem publicam audierint, et reliquam partem diei, quasi valde defatigati, illa auscultatione, ad refectionem virum absumptarum scilicet, instrumentis musicis, deambulationibus, aut etiam compotationibus consumant. Non adhibent eorum, quae publice audita sunt, domesticam repetitionem, non lectionis, scriptionis, pronunciationis, memoriae ullum vel rarissimum exercitium. Non conantur sermonem suum ad eorum imitationem formare, qui purissime et propriissime locuti sunt, contenti hoc vulgari et improprio, et saepe etiam mendoso orationis genere, quod usu tantum, sine iudicio, sine cura mundiciei et proprietatis, audientes alios simili negligentia loquentes, sibi obiter compararunt. Et quod perniciosissimum est, omnes iam ferme sibi ipsi praeceptores esse volunt, paucissimi sunt, qui exstimant sibi gubernatore studiorum et manuductore opus esse. Itaque cum diligentes esse volunt, sumunt suo arbitrio authorem aliquem privatim legendum, non quem ratio et ordo studiorum postulabat, sed qui in praesentia iucunditatis aliquid afferre existimatur. Eius vix dum bene inspecti obrepit fastidium, quaeritur ex theca libraria alius codex, iam

Poëtae lectio placet, iam historiae cognitio ducitur utilior, iam praefertur oratorium aliquod scriptum, breviter multi libri inchoantur, nullus perlegitur, et lectio ipsa comparata est ad voluptatem tantum, non ad observationis et imitationis studium. Eodem fastidio etiam lectiones audiuntur, iam haec eligitur, mox, quia aut immoratur diutius lector, aut festinat nimium, aut alioqui res, quae ibi proponuntur, minus habent suavitatis, omissa priore lectione, additur alia, et nullius scripti explicatio integra expectatur. Hac obsecro ratione discendi, tam delicata, tam fastidiosa, tam instabili, sperare quisquam fructum dignum tantis sumptibus, tanto impendio temporis audet? At non fuit tanta segnities superioris aetatis, ubi tamen multo maiores ex aliis etiam causis difficultates discentibus obiiciebantur. Non habebant istam, quam nunc vos vilissimo parabilem, omnium Scriptorum in Graeca et Latina lingua, copiam. Si quis Graecum scriptorem aut Latinum paulo remotiorem ab usu communi cognoscere volebat, aut magno sumptu ex Italia usque illum petere, aut plurimo labore et vigiliis, cum valetudinis etiam periculo, describere cogebatur. Nondum erant ita illustratae artes, sed obrutae ineptissimorum commentariorum prolixis insulsis nugis, quas ubi magno labore evolveras, minus aliquanto authoris sententiam assequebaris, quam antea, et discedebas cum Demiphone Terentiano fremens: Fecistis probe, incertior sum multo, quam dudum.

Nihilo minus tamen in illa ipsa et codicum penuria, et artium obscuritate, et recte docentium paucitate, et in illis initiis repurgatae linguae Latinae et Graecae, multi excellenter docti evaserunt, quorum adhuc hodie partim voce, partim lucubrationibus, cum summa studiorum nostrorum utilitate fruimur, qui certe viri in illis discendi difficultatibus, nunquam ad id fastigium eruditionis pervenissent, si molliter ac delicate labores discendi capessere voluissent, si per intervalla et fastidiose libros situ et pulvere obductos, leviter aspexissent, ac mox denuo abiecissent, si maiorem partem diei ignavo ocio aut frivolis occupatiunculis consumpsissent, ut nunc plerique faciunt: sed quia in iuvenili aetate serio amore discendi flagrabant, et adhibebant indefessum studium, ac constantiam vincentem aliquas molestias, et certo ordine, quem privati aut publici studiorum rectores monstraverant, per artium circulum incedebant, et semel inchoatum librorum non nisi diligenter perlectum ex manibus deponebant, et publicis lectionibus privata exercitia tum linguae, tum styli adiungebant, et saepe cum aequalibus de locis obscurioribus conferebant, et in vita ac moribus sobrietatem, modestiam, ac erga praeceptores suos observantiam colebant: pervenerunt ad hanc eruditionis laudem, qua nunc fulgent, ac nobis totique posteritati utiliter serviunt. Horum nos exempla imitari decebat, quoties eos intuemur, quoties eorum voces auribus haurimus, aut scripta aspicimus, praesertim cum nobis multo ad discendum plures occasiones divina clementia hoc tempore tribuerit, quas praeceptores nostros se non habere potuisse tunc in adolescentia sua, saepe deplorare audimus.

Pudeat igitur nos ignaviae nostrae, quod tantis cumulati commoditatibus et occasionibus, ita segniter in studiis versamur, et non aliter libros attingimus, quam delicatuli cum rosas decerpunt, spinarum aculeos formidantes, manum subinde retrahunt. Doleat nobis dispendium, non pecuniae modo, sed praecipue temporis sine fructu consumpti, rei omnium preciosissimae, et ubi semel periit, damni irrecuperabilis. Subeat nobis cura de reddendis rationibus, quas a nobis exigent aliquando praeceptores nostri, iuste exprobrantes nobis, quod lucem doctrinarum, quam ipsi summis cum difficultatibus, maximis laboribus, et non sine periculo denuo accensam apud nos deposuerunt, nostra inertia et socordia passi simus intercidere et extingui.

Praecipue autem nos moveat mandatum Dei, ut maiorem in discendo assiduitatem praestemus, qui nobis in hanc scholasticam stationem vocatis, suae doctrinae possessionem et propagationem serio commendavit, et eo graviores de nobis poenas sumet, quo pluribus nos discendi occasionibus quasi obruit, si eas flagitiose neglexisse videbimur.

Certissimum est autem doctrinam Ecclesiae incorruptam et synceram, sine multiplici eruditione et linguarum cognitione retineri et propagari non posse. Quare si verbum divinitus traditum magnifacimus, si Ecclesiae nos cives ac membra agnoscimus, eique nos totos debere fatemur, ut aequissimum est, summa cura in id incumbamus, ut literis politioribus et artibus necessariis ita nos instruamus, ut possessionem coe-

lestis doctrinae retinere ipsi, et tradere liberis ac posteris nostris possimus.

Acuat discendi curam et assiduitatem etiam horum temporum incertus status, et impendentium mutationum et vastationum non falso conceptus metus, ut dum tranquillitas conceditur, instruamus nos rerum necessariarum cognitione, ut possimus esse fideles custodes tantorum bonorum, quibus Deus Ecclesiam huius postremi temporis mundi ornavit.

Licuit superiore aetate discentibus aliquanto lentius in studiis versari, et non tam utilitatem, quam etiam iucunditatem aliquam ex iis venari, cum tempora laetissima fuerunt, et tranquillitas in Repub. tanta, ut collatum illud seculum ad hanc tumultuum, certaminum ac confusionum foecundissimam aetatem nostram, aureum seculum videri potuerit. At tunc etiam multo ardentius fuit studium plerorumque, cum nullus calamitatum metus urgeret, quam nunc est, ubi fere singuli dies aliquos novos terrores adferunt, qui dissipationem Scholis minitantur. Cur non igitur imitamur cautos et diligentes agricolas, qui maturis iam frugibus, cum tempestatis aut imbrium signa aliqua ingruunt, omnes occupationes alias, voluptates, curas postponentes, nec iumentis, nec familiae, nec corporibus suis parcunt, aut quietem ullam concedunt, donec raptim demessis, congestis et importatis frugibus, tempestatum iniurias et violentiam antevertant? Cur nos stertimus, et tam segniter studia tractamus, quasi polliceri nobis vitam Mathusalae aetati aequalem possimus, ut quod hoc anno non didicerimus, sequentibus annis nos speremus satis tempestive consecuturos? Conqueritur de unica arte medica. Medicus eruditissimus Hippocrates, ampliorem eam esse, quam quae in hac vitae humanae brevitate perdisci queat, cum inquit: *ὁ βίος βραχὺς, ἡδὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς.* Quid nos faciemus, quibus plures artes aut cognoscendae aut certe degustandae, et propemodum quatuor linguae discendae sunt? et ad haec ipsa tam varia et difficilia studia temporum horum infoelicitas, parum tranquillitatis concessura videtur. Turcica rabies grassatur indies et longius et saevius, et non modo intestinis nostris dissidiis invitatur, sed attrahitur etiam foedissimis foederibus et pactionibus. In Germania tanta est Principum dissensio, et inter ipsos diffidentia, ut homines intelligentes nihil magis metuant, quam novorum bellorum incendia, vel priorum aegre sopitorum flammis denuo erumpentibus, maiores vastationes. Haec pericula cum nos circumstent, non iam est integrum nobis ociosis circumspectare et cessare, aut alias res agere, sed quem admodum nautae faciunt, qui, dum secundis ventis usi, aliquandiu remigandi laborem remiserunt, et corpus ac animum quiete et lusibus recrearunt, ubi vel ventis destituuntur, vel contrariis repelluntur, vel tempestatum signa animadvertunt, mox ad remos et rudentes accurrunt, et commissum quisque munus strenue et cum maximo corporis et animi conatu capessunt et exequuntur: ita nos decet impendentibus tot periculis, quae nobis scholarum dissipationem et doctrinarum obscurationem minantur, summo studio et contentione anniti, ut nos quantum omnino fieri potest, necessariarum artium doctrina instruamus, geminam ob causam: Primum, ut in communibus calamitatibus ipsi firmam consolationem et spem habere possimus aeternae salutis, quicquid etiam in hac vita nobis accidat, et mitigationis quoque poenarum, quam Deus poenitentibus et suum officium sedulo facientibus, saepe promittit. Deinde, ut ii, quos in communi naufragio Deus emergere et superesse voluerit, sedata nonnihil tempestate, fractae navis tabulas quasi colligere, et ruinas suo quisque loco et ordine pro virili sarcire queant, efficereque, ut lumen coelestis doctrinae et utilium artium rursus excitetur et conservetur.

Hanc commonefactionem de sedulitate in literarum studio, fortassis aliquibus insuavem, sed omnino hoc nimis delicato et molli et voluptario seculo nostro necessariam, ideo instituendam duxi, quia cum de Plinio aliquid dicendum hic esset, eius incredibile sudium et temporis parsimonia mihi causam praebuit, ut hanc nostram socordiam deplorarem, et cum huius autoris, tum superioris aetatis exemplo me et alios ad diligentiam exsuscitarem, sine qua virtute nihil in ullo genere vitae effici aut comparari laude dignum potest, et verissime dixit Hesiodus: *αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄταισι παλαίει.*

Oro autem Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut ipse in nobis excitet amorem et studium cognoscendae et propagandae veritatis, et discentium coetus et haec scholarum hospitia protegat, et praeceptores, quos singulari bonitate nobis fideles praebuit, diu incolumes conservet. Dixi.

No. 156. an. 1556?

De scala Iacob.

In select. Declam. T. IV. p. 498 sqq., Servest. T. IV. p. 452. et Richard. T. III. p. 148.

Oratio de scala Iacob, quae Ecclesiae imago est; Gen. 28.

Certissimum est, non tantum humanis consiliis Ecclesiam coetus docentium ac discentium servari, sed filium Dei sedentem ad dextram aeterni patris, sui agminis, et huius honestae consociationis custodem esse. Quare ipsi gratias agimus, quod et colligit inter nos Ecclesiam, et studia doctrinarum non sinit extingui: eumque toto pectore oramus, ut nobis adsit, et nos regat, ac tueatur doctrinae studia.

Cum autem in his congressibus utrumque fieri deceat, commonefactionem de doctrinae studiis, et precationem, et alias ex aliis materiis sumenda sit commonefactio, nunc proponere vobis historiam de Scala conspecta a Iacob decrevi, quae multarum magnarum rerum doctrinam continet. Cumque praecipue ad docendos et excitandos adolescentes hae orationes habeantur, hanc sumpsi narrationem, ut quasi imaginem et picturam de rebus maximis iuventuti proponerem, quae spectacula in oculos incurrentia magis amat, quam alias materias extra conspectum positas. Ac prodest in omnium animis ali et confirmari doctrinam de Ecclesia, et amorem Ecclesiae: quod fit etiam huius scalae consideratione. Priusquam etiam enarrationem incipio, vos adhortor adolescentes, ut historiam ipsi vobiscum cogitantes, sciatis hanc scalam Ecclesiam Dei esse, ac singulos oportere in his gradibus consistere, ascendere et descendere, ut de angelis hic dicitur. Itaque mente et votis in eam scalam insistite, et nunc quoque inter discendum, ad Deum ascendite, ac petite, ut vos regat et servet. Nunc ad historiam accedo, in qua vobis qui honesta colitis, regio et oppidorum intervalla sint in conspectu, et quasi comites simus istius viri optimi, proficiscentis in exilium metu fraternae crudelitatis. Habitabat Isaac senex in eo tractu, qui postea fuit sedes tribus Iuda, prope Hebron, inde proficiscens Iacob versus Septentrionem et occasum, ad locum ubi postea Samaria fuit, quae distabat octo nostris miliaribus a Ierosolyma. Fuitque amoenissima pars totius Palestinae, quam postea tribus Ephraim possedit.

Loca mente aspicite, in quibus se Deus certissimis testimoniis patefecit: et considerate testimonia de Deo, et mirandam Ecclesiae gubernationem: deplorate etiam miseriam generis humani. Qui locus tunc Bethel, id est, domicilium Dei erat: idem postea fuit Bethanen, id est, domicilium sceleris, cum ibi Ieroboam collocasset aureum vitulum, et sacrificia impia instituisset, et postea Samaritani ibi ethnicos ritus observarunt. Hic cogitemus, quam dolendum sit, summa Dei beneficia a posteris sanctorum, luxu, ambitione, curiositate efferatis furenter excuti. In illa igitur amoenissima parte terrae, quae postea sedes fuit filiorum Ephraim, cum defatigatus Iacob, non solum labore itineris, sed etiam cogitatione exilii sui et aerumnarum Ecclesiae, nocte somno oppressus esset, vidit scalam stantem in terra, et cacumine coelum attingentem: et in scala angelos ascendere et descendere, et Dominum stantem in scalae fastigio, et promissiones amplissimas edentem: Ego sum Dominus Deus Abraham, ero custos tuus, et reducam te.

Iacob experrectus, sensit divinos motus, et Deo gratias agit, agnoscit hunc ipsum locum fore Ecclesiae hospitium: et oppidum quod antea ab arbore Amygdalo nomen habebat Lusa, mutato nomine nuncupavit Domum Dei, et portam coeli.

Tota narratio plena est dulcissimarum concionum et significationum. Etsi autem exhauriri amplitudo harum rerum non potest, tamen praecipua capita attingam. Patefactio divina recitatur, in qua discimus, Ecclesiam vere conditam esse a Deo, et certissime nos in Ecclesia ei curae esse: et semper Ecclesiam a Deo servari. Deinde, quid sit Ecclesia, et quibus beneficiis proprie a Deo donata sit, et quomodo regatur. Haec sapientia, quae et Deum ostendit, et propria ac aeterna Dei beneficia adfert, longe superat omnium sapientissimorum hominum cogitationes, quas acies humani ingenii sine hac luce invenire minime potest.

Primum autem in his narrationibus confirmatur mens testimoniis patefactionis divinae. Ideo se ostendit Deus patribus certis et illustribus testimoniis: ut Abrahae promittit filium, ex effoeta et sterili anu, ut sciamus vere Deum colligere Ecclesiam, et in ea adesse, opem ferre invocantibus, et recipere eos, et aeternis bonis ornare. Agamus igitur Deo gratias pro his patefactionibus, et sciamus eas ad nos quoque perti-

nere, et nostra causa scriptas esse: et firmissima assensione eas amplectamur, et earum testimoniis refutemus Epicureos furores et humanas dubitationes.

Deinde Iacob ipse, ad quem fit concio, membrum est Ecclesiae, et sustinet aliorum personam. Singularia autem beneficia erant, quod hic promittitur, futuram esse Ecclesiam in familia certa, et certam sedem fore. Ingens omnino bonum erat, scire in sede certa diu mansuram esse Ecclesiam, et mansit, ut scitis, in familia Iacob, et in illa ora vicina, donec natus est Messias.

Sed in hac ipsa regione tribus Ephraim, statim post Salomonem, haec domus Dei Bethel horribiliter prophanata est, et facta est Bethanen. Hoc templum in quo iam Deus ipse concionatur, et haec porta coeli, ut nominat Iacob, coepit esse antrum diabolorum: quia multis sceleribus posteritas Deum gubernatorem excussit. Sed discamus, non loco, non titulis alligatam esse Ecclesiam.

Deinde, communia beneficia in hac concione ad omnes pertinere sciamus, ut cum inquit, Ero custos tuus: hanc vocem ad nos etiam accommodemus, ut cum idem concionator inquit aput Lucam, Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.

Circumdedit nobis metas doctrinae, vult nos iuxta eam normam sibi obedire, nec ab ea vel mollicie vel curiositate discedere. Vult lucere in nobis fidem et invocationem, quae petat auxilium et defensionem. Haec recta et simplex vitae regula nobis in conspectu sit: et hanc vocem infixam pectoribus saepe cogitemus, Ero custos tuus.

Sunt omnino magnae ot multae calamitates totius generis humani: morbi, mors, exilia, fames, bella, ruinae imperiorum, et domestici moerores propter sobolem. Haec mala vagantur per totum genus humanum. Sed supra haec sustinet Ecclesia alios agones, iniusta odia, insidias, neces, luctum ingentem et doctrinae dissidia: quae velle extinguere, est Hydrae capita praecidere.

Multi igitur tanta deformitate moti, cogitant Deo non esse curae hos coetus: et prorsus abiiciunt studium vel cognoscendae, vel tuendae doctrinae. Has nostras miserias intelligamus: et sciamus fidem ex dubitatione eluctari oportere, erectam hac consolatione, Ero custos tuus.

Haec sit anchora, qua nos sustentemus inter fluctus et procellas undique quassantes nostram navim. Intueatur mens hanc promissionem, et fide eam amplexa dicat: In te Domine speravi, non confundar in aeternum.

Scala vero significat ministerium Evangelii, in quo concionator est ipse Deus, et agmen ministrorum eius vocem perfert ad populum. Prius igitur ascendunt angeli, prius accipiunt ministri doctrinam, Spiritum sanctum, et ministerium a Deo: prius erudiuntur ipsi divinitus. Postea descendunt, spargunt vocem doctrinae, et radios lucis divinae in genere humano, et testimonia ostendunt in confessione, inter aerumnas ingentes.

Hoc ministerium et hanc scalam sciamus a Deo conservari, etiamsi multi conantur evertere, diaboli, Pontifices, et Pontificum satellites, praestigiatores qui serunt falsa dogmata.

Sunt autem gradus in scala, non solum quia gradus sunt donorum (alii sunt Prophetae, alii Apostoli, alii pastores, alii Doctores), sed etiam ob hanc causam, quia doctrinae partes multae sunt, quas oportet esse continuas.

Ac interrupta serie, aut aliquot gradibus excussis, scala fit inutilis. Totum igitur doctrinae corpus complectendum est, et continua partium series retinenda est: non mutilatae sententiae excerpendae, ut iniustis hominum cupiditatibus aut falsis opinionibus praetexantur. Multi ignavia peccant, non curant recte discendi rationem: multi serviunt hominum adfectibus, astute excerpunt ea, quae sunt plausibilia, caetera omittunt. Haec Sophistica semper fuit usitata.

Simus igitur et fideles et diligentes in toto corpore doctrinae cognoscendo et proponendo. Et cum haec scala sit porta coeli, in hanc omnes insistite. Doctores recte doceant, caeteri pie audiant doctrinam: ac sciant, non aliam viam, non alias scalas, non alios aditus esse ad Deum, nisi per hoc Evangelium, quod ipse certis testimoniis generi humano tradidit.

Sunt in hac imagine et aliae significationes dormientis Iacob: et cur oppido nomen mutetur, ut non iam Amygdalus, sed domus Dei dicatur.

Sensit Iacob, somno suo, et consternatione sua significari singularem venturi Messiae consternationem. Et in universum significatum est, in agnitione Dei existere in mentibus pavores, et sequi consolationem.

Deinde Amygdalus politia est, et hospitium Evangelii, et agminis vere credentium: ut tunc

politia certa promissa fuit, in qua, ut nucleum Amygdali muniunt sua quaedam tegumenta, ita ambibant Evangelium ceremoniae, et politica disciplina. Et externum putamen Amygdali fragilius, significat ceremonias, aut oeconomicam gubernationem, quae est imbecilla. Interior ac ligneus calix, firmior est: et tamen habet ἀμυχὰς, id est lacerationes, unde et ἀμυγδαλὰς nomen habere scribunt. Habuit omnino ἀμυχὰς illa politia, multis tristissimis bellis alias magis, alias minus lacerata.

Haec sapientes saepe cogitabant, cum in hortis, tum in mensa considerantes Amygdalas, imaginem sibi in cibo utili et vulgari propositam esse politiae suae, et Ecclesiae, ac aerumnarum et consolationum.

Sentimus et hodie ἀμυχὰς sane horridas, et in politiis et in nostris corporibus: quas ut et leniat Deus, toto eum pectore oramus.

Nuclei autem usum in cibis et in medicamentis gratum et salutarem esse, non ignoratis. Ac iuniores adhortor, ut saepe cum in mensa cernitis Amygdalas, cogitetis huius fructus fabricatione pictam esse Ecclesiam, quae nucleo, videlicet Evangelio, pascitur. Foris autem, cum habet hospitia mediocria, cingitur politia, ut nucleus hoc ligneo calice.

At post illam pulcherrimam politiam Iacob, exulat in imperiis Ecclesia, nec habet stabilem sedem. Sed tamen subinde praebet Deus hospitia studiis doctrinae: quia huic vitae corporali opus est nidulis. Et scriptum est: Non mortui laudabunt te Domine. Et vult Deus, non semper in latebris abditam esse Ecclesiam, sed esse publicos et honestos congressus: et in his ita sonare vocem Evangelii, ut a toto genere humano exaudiri possit. Erit igitur ei curae, ne desint hospitia, sicut Dominus inquit: Scit pater vester coelestis, his opus esse vobis. Primum igitur quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.

Et quanquam haec hospitia habent ἀμυχὰς, tamen Deus eis benefaciet tantisper, donec multi in eis et recte invocant Deum, et pia voluntate doctrinae studia iuvant, sicut scriptum est: Qui dederit vel potum aquae uni ex minimis meorum discipulorum, propter doctrinam, habebit mercedem.

Sed proh dolor, propter multa hominum vitia, propter luxum, ambitionem, curiositatem, discordias, non sunt usquam diuturna hospitia. Sint igitur mores modesti, frenentur cupiditates, ardeat invocatio Dei, syncero studio quaeramus veritatem, et doctrina et moribus ornare Ecclesiam annitamur.

Haec ubicunque fient, erunt niduli nostri et tranquilliores et durabiliores.

Haec breviter dicta sint de scala Iacob: quam cogitate adolescentes, non ab Apelle aut Protogene pictam esse, sed sapientissimo pictore Deo: et nobis tam pulchram ideo propositam esse, ut commonefactio altius penetret in animos. Quare hanc imaginem sic intueamini, ut fides et invocatio Dei, amor Ecclesiae, reverentia erga ministerium evangelicum, et cura discendi, accendantur et exuscitentur.

Mihi certe haec consideratio moerores lenit: Et vult Deus, ex talibus testimoniis suae praesentiae in Ecclesia, sumi consolationes.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui tunc custos erat Iacob, stans in illo fastigio scalae, ut nos quoque propter suam gloriam regat et custodiat. Dixi.

No. 157. an. 1556.

De Pontificum ambitione etc.

Sel. Declam. T. IV, p. 668 sqq., Servest. T. IV, p. 606, et Richard. T. III, p. 155.

Oratio de Pontificum Rom. ambitione, monarchia, tyrannide; recitata cum decerneretur gradus Doctorum Theologiae D. Cunrado Beker, Brunsvicensi, vocato ad Ecclesiam Stadensem. 1556.

Graecus versus est, maxime congruens ad delirum Papam Paulum Quartum, qui in ultima senecta egens et imparatus nuper intulit bellum potenti Regi et acerrimae nationi Hispanicae.

γραῦς ἀνασκιρτήσασα πολὺν κονιορτὸν ἐγείρει.

Eripuit familiae Columnensi Papa aliquot oppida, eaque tradidit suis agnatis. Et rursus in Neapoli collocare suos conatur.

Has tantas res moliens tali aetate, quid aliud est, quam anus inconcinne saltando magnum pulverem excitans. Hunc ludum mox abrumpet ipsius interitus, et interea plus tumultuum excitavit in Italia.

Harum rerum historiam cum his diebus audiremus, cumque de calamitatibus generis humani, et de earum causis multa cogitarem, non potui non deplorare hominum miseriam, qui ad mala αὐτόματα ut nominantur, quorum est magna moles, plurima addunt αὐθαίρετα, quae mediocri diligentia vitari et poterant, et debebant. Cui vestrum non hoc saepe accidit, quod est in versu Homerico:

ἦτοι καὶ τάχα Ἶρος ἄϊρος ἐπίσπαστον κακὸν ἕξει.

Sed vult nos Deus commonefactos nostris et alienis exemplis agnoscere infirmitatem nostram, et ad diligentiam adiungere precationem, ut divinitus regantur pectora nostra in omnibus negociis, sicut scriptum est: Scio Domine, non est hominis via eius, sed Deus dat sapientiam sapientibus.

Ac ut ad historiam redeam, Pontifices contemptu Dei fiunt caeci, quare furenter ruunt in multa scelera, quae poenas attrahunt. Collocarunt idola in Ecclesiam, de quibus dictum est: Cum videbitis stantem in loco sancto abominationem vastatricem, Qui legit intelligat. Et veris bonis abiectis quaerunt imperia et obscenas voluptates. Estque impudentia tanta, ut fecerint decreta, quibus sanxerunt, iure divino Papam non solum Episcoporum summum esse, sed etiam Regum Dominum, et suo arbitrio posse dare, et eripere regna quibus velit. Horum mendaciorum adeo manifesta est vanitas, ut si quis velit refutare, videatur in meridie lychnum accendere. Et tamen ut Dionysius habebat κόλακας, qui ipsius sputa lingebant, sic aula Romana habet harum ineptiarum patronos. Aliquoties in Germania accidit, ut hoc praetextu Principibus non malis, Pontifices imperia ademerint, cumque adversus Henricum quartum Rodolphus Imperator creatus esset, missa est ei corona, in qua versus inscriptus fuit, quo ostendere Papa voluit, pontificiae potestatis esse, abrogare et tradere imperia. Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolfo.

Qualis impudentia est dicere Christum Petro dedisse regiam potestatem, seu mundi monarchiam cum expresse discernat imperia a Ministerio Evangelii, cum inquit: Reges gentium dominantur, vos autem non sic.

Non vult praetextu Evangelii imperia occupari, sed vult vocem esse, qua ipse sit efficax in mentibus, et accendat veri Dei agnitionem, qua sese divinitas ipsa credentibus communicat, Et hac voce in magna confusione generis humani colligitur Ecclesia sine armis, in qua filius Dei inchoat aeternam iusticiam et vitam, et sinit corpora in hac vita exercere officia oeconomica et politica, quae non sunt illa aeterna lux et iusticia, quae fulget in mentibus.

Sed ita fieri solet, non solum gentes, sed etiam singuli privatim, nisi divinitus regantur, Evangelium inflectunt ad suas naturas, ac de gentibus magis perspicua sunt exempla.

Aegyptii et Syriaci semper prodigiosas superstitiones et invenerunt et exercuerunt. Ibi igitur nati sunt Monachi, alii perpetua silentia et longam inediam sibi imperarunt, quorum alii stando in uno vestigio magnam partem vitae consumpserunt, literarum et doctrinae studia neglecta et spreta sunt. Et hi quidem virtutes distribuerunt in ἠθικὰς, καταρτικὰς et θεουργικὰς. Communes quas nominabant ἠθικὰς, videri volebant longe vincere, cum illam corporum carnificinam addebant, qua et praeparari se ad tertium gradum et ad Enthusiasmos dicebant.

Graecis ingeniis blanditur concinnitas opinionum et artium metis inclusae explicationes.

Plus igitur in hoc genere callidarum disputationum fuit. Ibi Fotinus, Eunomius et alii transformarunt doctrinam de filio Dei, et de Spiritu sancto in Philosophiam.

In Aphrica late vagata sunt contagia Manichaeorum, quia illud hominum genus etsi aliquid habet acuminis, tamen concinnitatem non querit, sed delectatur novis et prodigiosis inventis.

Germanis ingenuitas et libertas gratae sunt. Ideo fucosas superstitiones laeti abiicimus:

Sed regere imperio populos Romane memento.
Hae tibi erunt artes pacique imponere morem.

Non solum celsitudo animorum est in Italis, et dominationis cupiditas, sed industria etiam utilis in gubernatione.

Quare magna arte inde usque a Gregorii Primi tempore constituta est ab eis dominatio. Quaesiti sunt et nervi dominationis opes, et regnum adiunctio, quorum alios novis honoribus sibi obligarunt, alios tenuerunt fascinatos barbaricis persuasionibus de iis idolis, quae quisque magnifaciebat.

Multum Pontifices et umbra dignitatis, quam adhuc utcunque urbs Roma retinebat, adiuvit, et Italiae populi cum graecos Imperatores et Exar-

chos iuste odissent, intuebantur illam veterem arcem Romam, et autoritate Pontificum peregrinos reges placare studebant.

Facilis est autem et perspicua refutatio eius mendacii, quod Romano Pontifici imperia mundi tribuit. Et extant ea de re scripta tempore Ludovici Bavari a multis edita, fuitque diligentia tanta in Occam, ut quanquam graecae linguae ignarus fuit, tamen sumpserit a doctis graeca testimonia. Recitat enim ad verbum sententiam Chrysostomi, quae recte discernit regiam potestatem, et ministerium Evangelii, quod ait ministerium esse docendi doctrinam a Deo traditam, sine armis, nec esse potestatem cuiquam dandi aut eripiendi imperia, aut condendi leges de politica gubernatione. Sint distincti gradus, ut dixit ad Constantium Imperatorem in Synodo Leontinus Lydorum Episcopus: *ἕτερα διέπειν ταχθεὶς ἑτέροις ἐπιχειρεῖς.*

Explodenda sunt igitur Bonifacii constitutio et similium nugarum commenta, quae monarchiam politicam Romano Episcopo tribuunt.

Quod vero id confirmant hoc typo, quia Petrus dixerit: Ecce duo gladii hic, id refutat ipse Dominus, vetans Petrum praeliari, et tristis interpretatio est, cum inquit: Satis est duos esse gladios, id est, geminos esse hostes, scilicet, Tyrannos et impios Doctores, Ethnicos et Iudaeos.

Sed aliqui minus impudentes fatentur monarchiam politicam non esse traditam Petro, sed disputant inter Episcopos oportere primum aliquem esse, ut sit ordo, et ut sciatur, quis convocare alios ad iudicia et ad Synodos debeat. Huc accommodant dicta: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Item: Pasce oves meas. In his verbis quia Petrum Dominus alloquitur, aiunt praelatum esse caeteris, et successorem Petri summum Episcopum esse. Id quoque refutatur dicto Christi: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.

Removeantur a ministerio Evangelii *κακοζηλίαι*, quae transformant hunc docendi laborem, qui similis est in omnibus, in politicam potentiam aut antecellentiam. Idem Evangelium est omnium recte docentium, et omnium voce efficax est filius Dei *λόγος* aeterni patris.

Unum caput est Ecclesiae filius Dei perficiens omnia in omnibus. Removeatur monstrosa figura, quae addit alterum caput. Removet imperia Christus, similitudinem imperiorum seu gradus et omnia ambitiosa certamina, cum ait: Vos autem non sic.

Cum autem in natura humana sit haec labes, ut alta concupiscat, sicut scriptum est: Initium peccati superbia, omnibus temporibus fuerunt, sunt et erunt horribilia ambitionum certamina in Ecclesia. Nec tantum in imperiis hoc accidit, quod scripsit poëta:

> Patriam tamen obruit olim.
> Gloria paucorum, laudas tituli que cupido.

Multo saepius Ecclesiis nocet ambitio, nec inter applausus populi mentes ebriae dulcedine falsae gloriae moventur hoc divino fulmine, Abominatio est Dei, quicquid est sublime coram hominibus, ac praesertim in gubernatione, cum ibi sit occasio, facilius sese efferunt homines. Ideo cito in sede Romana quaesita est dominatio, ac praebuit occasionem decretum Synodi, quae Ecclesiarum inspectionem in Oriente commendavit Alexandrinae Ecclesiae, in Occidente vero Romanae. Hoc cum esset humano iure constitutum, Romanus Antistes statim post Nicenam Synodum extra has metas egredi ausus, sripsit ad Orientis Episcopos, ut a Romano confirmationem peterent. Extat responsio in Theodoreto, ubi nomina plurimorum recitantur, inter quos et Basilius est, qui Romanum Pontificem graviter accusant, quod servitutem Ecclesiis imponere conetur. Ea Epistola illustre testimonium est vetustae aequalitatis Episcoporum. Postea secutum est certamen inter Romanum et Constantinopolitanum, in quo Gregorius crudelissimo parricidae Phocae fuit aequior, quia Romanum Episcopum praetulit Constantinopolitano. Sed tamen videri modestus voluit, non vult quenquam dici *οἰκουμενικὸν*, et graviter accusat ambitionem inquiens: O tempora, o mores, vastatur orbis terrarum a barbaris, delentur urbes et templa, trucidantur non solum exercitus nostri, sed etiam inermis multitudo in urbibus, senes, pueri, matronae, virgines, occupantur provinciae a cultoribus idolorum, qui barbarica idola collocant in templa nostra, trucidatis piis Sacerdotibus. In his tantis calamitatibus et doloribus piorum tamen deliciantur Episcopi, et vanitatis nomina expetunt, et novos ac prophanos titulos sibi tribuunt.

Gregorius odiosum nomen vitavit, principatum tamen non abiecit.

Postea deposita verecundia Romani Episcopi non solum collocarunt se in fastigio Ecclesiae, sed etiam addiderunt ad se pertinere monarchiam imperiorum, creverant enim opes et potentia, cum nostri Imperatores attribuissent Romanae Ecclesiae praedia quaedam. Hae donationes initio mediocres fuerunt, et bono consilio factae sunt, ut sumptus haberent familiae docentium, discentium, iudicum, scribarum et aliorum ministrorum, quibus carere gubernatio non potest.

Credo etiam Principes natura magnificos non tantum necessitatis, sed splendoris quoque rationem habuisse, sed paulatim ipsi Pontifices, non contenti praediis, quae iuste possidebant, et ad usus necessarios data erant, invaserunt in vicinas possessiones, partim fraude, partim manifesta violentia, et accessit aliud scelus.

Initio praedia non Episcopis, sed Ecclesiis donata sunt, ut nunc dantur reditus, aut praedia Academiis, nec quisquam unus est aerarii Dominus.

Et vetus consuetudo fuit distribuere Ecclesiarum reditus in quatuor partes: prima erat docentium et discentium. Secunda iudicum et aliorum ministrorum, qui nominabantur *διάκονοι*. Tertia pauperum. Quarta aedificationum et aliorum quotidianorum sumptuum. Haec distributio honesta fuit, et certos questores habuit, ac scitis in omni gubernatione, quantumvis exigua, tamen multorum hominum opera et multis rebus opus esse.

Talis autem cum initio fuisset questura facultatum ecclesiasticarum, tyranni Pontifices aeraria ad sese transtulerunt. Ea quae discentibus et quae pauperibus attributa fuerant, ipsi interverterunt, umbram aliquam iudiciorum potentiae causa retinuerunt.

Ita iam reges facti, fruuntur alienis facultatibus, tanquam propriis, et sicut scriptum est: Helluantur de elemosynis publicis.

Creverunt autem cum opibus ut dixi, cum alia vitia, tum vero maxime iniusta dominandi cupiditas, nostri Imperatores arte oppressi sunt, cum bella adversus Henricos Quartum et Quintum accensa sunt, ut alia multa omittam.

Per sese autem bella doctrinas et disciplinam delent, et cum Pontifices ipsi fiunt bellatores, multo magis fit quod vetus poëta dixit:

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.

Multi igitur tetri errores non solum de commenticia potestate Pontificum, sed multo magis de impiis cultibus confirmati sunt.

Haec ingentia mala nullius eloquentia satis deplorare potest. Quanta libidinum turpitudo est in pontificiis lustris? Quantum mali in Missis, in quibus adorant Deum suum Maosim, seu Mazam.

His magnis sceleribus valde irritari iram Dei non dubitandum est.

Etsi autem nunc de tanta amplitudine rerum prolixe dici non potest, tamen haec commonefactio iuniorum causa repetita est, ut et cogitent de erroribus pontificiis, et de ira Dei, et querant quomodo sibi rectius consulere possint. Non certandum est vitiis, contemptu doctrinarum, arrogantia, vanitate, luxu cum factione pontificia, sed studio recta discendi, ardenti invocatione Dei, pia morum gubernatione.

Haec sint praesidia adversus mala pontificia. Orate, inquit Dominus, ne venientes poenae vos opprimant.

Ut autem recte invocare Deum possimus, doctrina de veris cultibus tenenda est, et conversio ad Deum necessaria est, sicut hanc et severissimam et dulcissimam concionem Deus saepe repetit: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Nihil dubium est propter idola et libidines puniri genus humanum horribilibus mutationibus imperiorum, et olim de Roma in Sibyllinis carminibus dictum est:

ῥώμη μὲν ῥύμη ἔσεται καὶ δῆλος ἄδηλος.

Sed nunc quoque ruere eam videmus, et scriptum est de ultimo iudicio, Pseudoprophetam et Gog et Magog simul abiici in aeternos cruciatus. Ubi pontificium regnum Pseudoprophetam, Gog et Magog Turcicum regnum nominari adparet. Sed ante ultimas poenas, utriusque regni potentia saeviciam in Ecclesiam exercebit.

In his tantis periculis, ut Ecclesiam inter nos filius Dei Dominus noster Iesus Christus servet petamus, et sciamus invocationem nostram, non fore irritam, si vera animorum conversio ad Deum fiet, et ad hanc necessaria est in singulis diligentia cognoscendae verae doctrinae, Quare fontes doctrinae studiose discite, sicut scriptum est: Sis adsiduus et attentus in lectione, doctrina, et consolatione. Dixi.

No. 158. an. 1557.

De pulmone et de discrim. etc.

In select. Decl. T. IV. p. 679 sqq. et Servest. T. IV. p. 617. Etiam in Orationum T. V. p. 4. et apud Richard. T. II. p. 111.

Oratio de pulmone et de discrimine arteriae tracheae et oesophagi; recitata a D. Jacobo Milichio, 1557.

Cum ad tumulum Reverendi viri Martini Lutheri, anno post mortem eius undecimo, decernendus esse gradus Doctorum in arte medica filio ipsius, viro excellenti eruditione et virtute Paulo Luthero, multa de patris historia, et de bellis Principum, et de dissidiis docentium, quae post eius mortem secuta sunt, cogitans, nihil dicam de bellis. Maiorem dolorem haud dubie omnibus mediocribus hominibus adfert illorum petulantia, qui sicut Ulysses comites eo dormiente, cum utrem ab Aeolo, donatum aperuissent, ventos emiserunt, qui inter sese contrarii sevissimas tempestates excitarunt: ita ipsi velut sopito Luthero contraria dogmata sparserunt, et moestissimas Ecclesias horribiliter dilacerarunt. Qua in re non solum huius temporis deploranda est calamitas, sed multo magis posteritatis et liberorum nostrorum causa dolendum est. Nam etiam parva dissensio initio, crescit tempore cum accedunt odia, et partes factionibus armantur, sicut de Discordia Homerus inquit: Parva metu primo mox sese tollit in auras, ingrediturque solo et caput inter nubila condit. Et Pindarus inquit: A parva scintilla saepe totam sylvam comburi. Non possum igitur sine ingenti dolore, et ea, quae acciderunt hoc decennio, et quae secuta sunt, cogitare. Sed utrunque scimus, et haec esse fata huius languidae et delirae mundi senectae, ut confusiones generis humani sequantur maiores, quam fuerunt antea, et tamen filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, semper aeternam Ecclesiam collecturus sit, et quidem in eo coetu, in quo vox Evangelii incorrupta sonabit. Sicut in promissione dulcissima scriptum est: Ut in vindemia sterili cum vineae cultor passim invenit aliquas, sed paucas uvas, laetus agit Deo gratias, et has uvas custodiri iubet. Ita in postrema mundi senecta, quanquam horribiles confusiones generis humani futurae sunt, tamen servabit Deus aliquas Ecclesiae reliquias. Cumque sciamus voce Reverendi viri Lutheri repurgatam esse doctrinam Ecclesiae, et res magnas, necessarias Ecclesiae vere illustratas esse, negari non possit, cum doctrinae puritatem conservemus, tum vero et gratam memoriam posteritati eius praestemus.

Hortator autem huic filio Paulo ad artis Medicae studium pater ipse fuit, quia doctrinam de natura rerum valde amabat, et vestigia Dei in ea considerabat, et ignaviam ac barbariem eorum serio detestabatur, qui miranda testimonia de Deo in fabricatione, ordine et utilitate corporum mundi, et in natura hominis, non student contemplari, nec se consideratione praesentiae Dei in nobis ad virtutem excitant. Et ut ingenii magnitudo erat excellens, multa remedia norat et adparari curabat, saepe etiam aegrotis opitulabatur, saepe narrabat non dubitare se, quin sapientia Patrum et Prophetarum haec fuerit, Nohae, Abrahae, Iacob, Ioseph, Esaiae et aliorum, professio doctrinae de Deo, Legis et Evangelii, et propagatio Physicae ac Medicae artis. Vidimus eum pellere calculos succini Borussiaci pulvinsculo, et in suo corpore, et in aliis. Vidimus laborantes laterum dolore foeliciter liberatos esse, cum daret Acanthii aquam, cui apud nos nomen est Cardui Benedicti. Vidimus repressum ab eo καρδιωγμὸν in magno periculo, corticibus pomi Punici, qui Sidia nominantur. Haec eo commemoro, ut ipsius iudicium et exemplum opponam furiosis quibusdam, qui sapientiam esse putant, nec naturam, nec divinas commonefactiones, nec beneficia Dei adspicere, sed tantum heluari, et aliis obscoenis voluptatibus sese dedere, sine ordine, sine legibus, Cyclopum more vivere, et postea hanc barbariem nominare fortitudinem, aut etiam pietatem.

Ut autem aliquid usitato more de aliqua nostrae artis parte dicam, ut antea de fabricatione cordis et thalamorum eius dixi, ita nunc de pulmone et de discrimine arteriae tracheae et oesophagi dicam, quod ut facerem, ipsa Lutheri recordatione motus sum. Distinxit Deus duos canales, quorum alter cibum et potum vehit in ventriculum, videlicet, oesophagus, alter cui nomen est arteria trachea, nec cibum nec potum vehit, sed cordi adiunctus est, velut orator Principi. Nam et aëris hauriendi et emittendi causa, et propter vocem factus est. Omnia in fabricatione humani corporis plena sunt artis, consilii

et mirabilium significationum. Estque utilissimum ad confirmandam adsensionem de Deo opifice, saepe intueri nos ipsos, ut ars in membris nostris commonefaciat nos, non casu ea confluxisse ex Democriti atomis, sed vere esse Deum, cuius consilio, propter gravissimas causas et commonefactiones omnia sic facta et distributa sunt. Longe differunt in vita gubernatio, quae nutritioni corporis servit, et altera gubernatio, quae est sapientiae communicatio, et inchoatio aeternorum bonorum. Vehat cibos et potum oesophagus, id est, Magistratus, qui est velut armentarius, et corpus pascit et custodit. Sed nihil influat in tracheam arteriam cibi aut potus, non impediatur vox doctrinae sordidis cupiditatibus aut voluptatibus, quae ventrem onerant. Sed sit libera, nec sit fallax, sed veri cordis nuncia. Talis est orator in Ecclesia primus, filius Dei, qui est fistula et *γλώττις*, per quam patefit divinitas, et ut pulmo circumfusus est trunco asperae arteriae, ac nominatur a Platone *μαλακὸν ἅλμα,* ita natura humana circumfusa illi oratori, vere est tenerrimum ventilabrum, de qua similitudine propter certas causas brevius dico, tantum eo hanc commonefactionem inserui, ut studium vobis considerandae fabricationis humanorum membrorum commendarem, quod certe et valetudini et moribus utilissimum est, et ostendit illustria de Deo testimonia, et multas imagines rerum maximarum complectitur. Saepe et hoc cogitemus, talem esse figuram hominis conditam, qualem praecipue voluit Deus convenire filio, et filii corpus ideam esse nostrorum corporum. Quare non dubitemus, causas singulares esse, cur praecipua membra, quae in tota aeternitate organa Dei erunt, sic formata sint. Accedat et haec cura, ut si picturam parentum haberes, nolles eam petulanter corrumpi, ne parentes contumelia adfici viderentur: sic et propter ideae reverentiam tuo corpori parcas, et sicut Paulus inquit: Tuum corpus honore adficias. Debetur enim honos Deo opifici, et ideae, qua vestitus est filius.

Sed ut discant iuniores usitatas descriptiones pulmonis, et discrimen tracheae arteriae et oesophagi, pauca de his mirandis operibus dicam. Cavitatem circa cor implet pulmo, qui est caro aërea, rara, mollis, spongiosa, similis coagulatae spumae sanguinis, insertis in eam carnem tribus fistulis, quae spargunt ramos contextos velut recte. Grandior est mucro tracheae arteriae infertus pulmoni, cui duo canales ex corde emissi occurrunt. Vena arterialis nutrimentum adferens pulmoni, et arteria venalis, aërem in pulmone excipiens. et ex corde fumos evehens, simul cum arteriali sanguine. Hi canales spargunt exiles surculos per totum pulmonem; et quia assidue hauritur et emittitur aër, per tracheam arteriam, et per arteriam venalem, continui sunt motus, pulmonis dilatatio et constrictio. Ac primum in pulmone praeparatur aër, qui in cor transfundendus est. Mirum est autem, cum assiduus sit pulmonis motus, tamen non alligatum esse ad thoracem, nec thoracis motu trahi. Movetur autem ratione vacui, ut sit agitatio mollior, cum cedit thorax, qui a diaphragmate movetur. Adiuvant autem pulmonis motum halitus a corde venientes, et ipsa aëris copia, qui et influit et exhalat. Figura pulmonis imitatur ungulam bovis, quia in duas partes a mediastino dividitur, et singulae in imo binos lobos habent, cordis involucrum complectentes.

Utilitas pulmonis duplex est, factus est enim et spirationis et vocis causa. Spiratio cordi necessaria est, adfert enim pulmo cordi aërem, qui mitigat calorem cordis et spirituum, et hunc aërem ante praeparat, cor enim laederetur, si penetraret ad ipsum, aut aër frigidior, aut nimis copiosus. Suffocaretur autem cor copia spirituum et fumosi aëris, nisi rursus fieret exhalatio. Ideo et per pulmonem rursus emittitur fumosus aër. Ideoque pulmo capax est multi aëris, ut paulisper omissa spiratione, tamen cor accipiat et reddat aërem. Quod si deesset pulmo, brevi tempore omissa spiratione animantia suffocarentur, ita spirationis causa pulmo factus est. Altera utilitas est, formandae voci servire. Ut enim in fistulis hoc modo fiunt soni, cum inspiratum aërem per angustum foramen, quod in ipsis continetur, elidunt: sic et in corporibus humanis vox formatur, quando aër per asperam arteriam in laryngem, quae est caput asperae arteriae, fertur, atque illic per angustam rimulam, quae in larynge existit, impellitur. Pulmo enim ceu utriculus agitatus a musculis thoracis, aërem per tracheam impellit aliquanto violentius, quam fit in spiratione, deinde in laryngem truditur, per cuius rimam quae proprie glottis vocatur, eo, quod *τὸ σχήματι αὐλοῦ γλώττῃ παραπλήσιον* elisus vocem format, quae inde in latam oris amplitudinem delata, et gargareoni illisa, varie formatur et variatur, unde et gargareon vulgo vocis plectrum vocatur. Unde

sermo sive loquela, quae est vox articulata, formatur a lingua, plane inenarrabili modo, unde propter diversa linguae impedimenta, alii blesi, alii trauli existunt.

Hic consideremus quanta sit vocis utilitas et varietas, quam sic fieri quidem experimur, sed cur et quando in his meatibus aër accipiat sonos et sonorum varietatem, dicere non possumus, ac fatendum est, non penitus perspici naturam. Memini sapientem virum dicere, eo discendam Philosophiam, ut quousque progredi mens humana possit, animadvertatur, et quae non comprehendat. Cumque restare ingens bonum non comprehensum cernimus, convicti fateamur, opificem sapientiam et bonum esse. Cur sermo fiat linguae plectro, quis satis monstrare potest? Fieri tamen sentimus, et ingens bonum esse sermonem, significantem res, cogitationes et voluntates Dei et hominum, manifestum est. Est igitur sapiens artifex, quem agnoscamus, et eius beneficiis reverenter utamur, nosque praeparemus ad coelestem sapientiam, in qua ideam cernemus universae naturae in ipso conditore. Vult Deus voce Evangelii accendi vitam, lucem in mentibus, et iustitiam in cordibus, et quidem vult sese nobis communicare hac ipsa voce. Ad hunc usum condidit haec admiranda opera, vocem et sermonem, quae quomodo fiant, tunc intelligemus, cum ipsum opificem coram in luce manifesta aspiciemus.

Iam et pauca de trachea arteria, et de oesophago dicam. Non dicit Plato vehi potum per tracheam arteriam. Estque retinenda sententia, distinctos esse canales et distincta officia, ut ante diximus. Differunt et situ et substantia hi canales. Trachea arteria in anteriore parte colli posita est, ut recta tendat ad os, hauriendi aëris causa, oesophagus autem in posteriore parte colli est, et magis latet, ut plus contineat caloris. Discedens autem nonnihil flectit se ad dextram, ut cedat locum aortae. Rursus autem ad sinistram reflectitur, cum fere accessit ad diaphragma, ut cedat locum venae cavae. Ita velut servus officiose cedit praestantibus membris. Sed anfractus illi prosunt, ut hoc membrum fulciant, et nervos excipiant, item ne impediatur deglutiens. Differunt et substantia, nam trachea est ex cartilaginibus, ut sit firmior canalis, nec toto suo corpore coëat, sed maneant meatus, ut non impediantur aëris influxus, et halituum fumosorum effluxus. Oesophagus vero quanquam nervea membrana est, tamen est substantia mollior, quam trachea, et astringitur suis villis, cum est inanis. Est et multo longior, quam trachea, quae sub furculis inseritur pulmoni. Ac oesophagus sub diaphragmate ventriculum attingit. Nec vero iam totam fabricationem harum partium recitare possum, tantum hoc moneo, ne vocis organo tribuantur officia culinae, ne misceantur propagationi doctrinae cupiditates gulae.

Cur igitur dixit Euripides: Vinum penetrans pulmonum meatus? Et Alceus: *Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ.* Haec verba non confundunt officia canalium, tantum hoc dicunt, pulmoni opus esse et nutrimento et rigatione. Ac manifestum est nutriri et rigari pulmoni pulmonem per venam arterialem, quae subtilem sanguinem vehit in pulmonem. Sanguis autem ex cibo et potu antea in epate natus est. Harum actionum ordinem esse poëtae non negant, cum dicunt, vino rigari pulmonem. Cum diurno aestu et labore cor accensum est, et pulmo arefactus, a meridie corporibus quies concedatur, et cibo et potu reficiantur vires et spiritus, et rigatione humectentur et refrigerentur cor et pulmo. Hic ordo de multis magnis rebus nos commonefacit, de ordine laboris et restitutionis virium, et de modo ac temperantia, quam scitis necessariam esse ad tuendam valetudinem corporis. Sed nos in Ecclesia praecipi eam sciamus, et valetudinis tuendae causa, et ne mens impediatur in invocatione, in deliberationibus, in studiis, et in actionibus aliis vitae necessariis. Haec omnia impediri helluationibus manifestum est. Maxime vero scitote ad invocationem temperantia opus esse. Cum enim inter precandum necesse sit, multa cogitare de Deo, de mandatis et promissionibus divinis, fieri hoc non potest, cum intentio in ebriis esse nulla possit. Et cum ardere corda flammis divini spiritus debeant, hae reprimuntur fuliginosis halitibus in cerebro et in corde, et varii sunt aestus et Euripi adfectuum in corde, quod oneratum est immodico cibo et potu. Quare scriptum est: Sitis sobrii ad precationem. Denique sic vivendum est, ut nostra corpora sint domicilia et templa Dei, et cerebrum, cor, lingua, et omnia sint organa Dei in nobis. Haec cogitanda sunt, cum intuemur fabricationem corporis nostri, et ordinem naturae in tuenda valetudine necessarium. Ac propter has gravissimas causas, propter nostram valetudinem,

propter testimonia de Deo, propter ordinem omnium, doctrinam physicam et anatomicam diligite et discite. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, quem mirando consilio voluit Deus massam humani generis induere, ut nos gubernet et protegat, et honesta doctrinarum studia extingui non sinat. Dixi.

No. 159. an. 1557.

De cura recte loquendi.

In select. Declam. T. IV. p. 690 sqq., Serv. T. IV. p. 627 et Richard. T. I. p. 287.

Oratio de cura recte loquendi; recitata a Petro Vincentio Vratislaviensi, 1557.

Saepe et libenter quasi mente intuens inclytam urbem Lubecam, quae cum nomen coronae habeat, nomino eam Saxoniae coronam, delector non solum cogitatione splendoris, aedificiorum, portus, mercaturae, opulentiae et variarum rerum, quae in Oceano ab ortu et ab occasu advehuntur, sed multo magis consideratione eorum ornamentorum, quae sunt in hominum societate, summa.

Aristocratia est plena dignitatis, et Senatui eximia reverentia plebs obtemperat. Leges sunt non ad ullius partis aut factionis commoditatem latae, sed ad honestatem, iusticiae conservationem, et aequalem civium consociationem directae, et Senatus est vigilans et acer in legum defensione, in exercendis iudiciis, disciplinae conservatione, in puniendis delictis, et in tuenda pace, sunt et artes vitae utiles in civitate, et ne desint res necessariae ad victum, et ad artium operas, Senatui curae est. In domestica disciplina magna cura est tuendae castitatis, congressus et colloquia amicorum crebra de publicis et privatis negociis, de religione, historiis, et de artibus sunt modesta, et sine rixis.

Ad haec tanta ornamenta politica accedunt aeterna bona, Vox Evangelii incorrupta, qua ibi filius Dei aeternam Ecclesiam colligit, vera Dei invocatio et celebratio, nec dissidia ibi sunt opinionum. Adiuncta est Ecclesiae et Schola consentiens, in qua iuventus discit linguam Latinam et Graecam, summam doctrinae Christianae et initia aliarum artium, quae Ecclesiae utiles sunt. Nec maiora bona in hac vita quaeri alia aut obtineri possunt. Nec simus tam fatui, ut Platonis politiam constitui posse arbitremur, quod conatos esse summa cum turpitudine et crudelitate quosdam Platonis auditores scripsit Athenaeus. Sed optima est politia quae sequitur decalogi normam in externa disciplina, et cum sint multi contumaces, delicta severe punit. Gratulor ergo et Ecclesiae et Germaniae, tales aliquas civitates esse, ut sunt Noriberga, Lubeca, Vratislavia dulcissima patria mea, Argentoratum, Hamburga, Luneburga, et pleraeque aliae, ac toto pectore Deum conditorem aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut et Lubecam et alia honesta Ecclesiae hospicia protegat et gubernet, sicut scriptum est: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

Etsi autem extant et aliae significationes meae erga eam urbem gratitudinis, tamen et hanc commemorationem facio post meam migrationem, ut ostendam nullam mei iudicii et voluntatis mutationem factam esse. Spero meam sedulitatem in docendo omnibus prudentibus viris ibi probatam esse, et fuit erga me honestissimi Senatus, et multorum sapientum virorum, eximia benevolentia, quibus omnibus et debeo gratitudinem, et semper praestabo, ac multorum quidem praestantium virorum et consuetudinem, et colloquia saepe desidero, et mente requiro.

Sed inter alias mei discessus pias et honestas causas, quas tum et Senatui et amicis probavi, et hic commemorare nihil necesse est, ista certe non levissima fuit, quod fracto crure ac morbo languefactus, adsiduitatem in labore docendae iuventutis praestare diutius non potui. Aetas etiam iam requirit non dico quietem, quae vix ulli contingit, sed tamen laxationem aliquam seu *λώφησιν*.

Redii igitur in Academiam, quam diligebam, velut in secessum, ut senes alios audirem de multis rebus colloquentes: *γηράσκων κἀγὼ πολλὰ διδασκόμενος*, ut in Solonis versu dicitur, et non solum cogitationes meas cum eis conferrem, sed etiam coniungerem vota et gemitus, cum iis, qui veritatem et Ecclesiarum concordiam amant, huc postquam veni, etsi ocium sperabam, tamen cum videam aliorum onera, partem publicorum laborum mihi imponi passus sum. Qua in re praeceptorum et amicorum sive iudicio, sive be-

nevolentia delector. Ac recepi hoc docendi munus eo facilius, quia non ad dira et crudelia horum temporum certamina vocor, sed ad dulcissimam lectionem latinorum et graecorum scriptorum, et ad ea studia, a quibus nec natura, nec voluntate abhorreo, quae tamen et Ecclesiae necessaria et Reipublicae utilia sunt. Etsi autem verissime adfirmo me, et agnoscere meam imbecillitatem, et valde me dolere, minus me ingenio praestare posse quam vellem, nec me annumero iis, qui excellunt vel eloquentia vel eruditione, tamen hoc me studio delectari fateor, et libenter ero hortator bonis ingeniis, ut optima discant, et monstrator ero sedulus, quod eo faciam facilius, quia scio in hac Academia omnium congruere sententias et voluntates de omnibus generibus doctrinarum. Omnes hoc iudicant linguarum cognitionem et diligentiam recte loquendi maxime necessariam esse et in Ecclesia, et in aliis vitae partibus. Pauca igitur iam de his studiis, videlicet de Eloquentia, et de cura recte loquendi dicam.

Nec vero ullius creaturae sapientia cogitatione comprehendere potest, quantae res sint haec miranda Dei opera, facultas loquendi in homine, deinde aliud maius et singulare Dei opus, eloquentia excellens, quae res magnas sapienter et splendide exponit, non dico, quae tonat et fulminat, quod apud populum male iudicantem etiam sophistica adsentatione et praestigiis efficit, sed quae orta ex vera sapientia recte exponit res veras, et addit splendorem, ardentes motus animi, et concinnam harmoniam seu numeros, qui mirabilem suavitatem orationi addunt: harum rerum maximarum causas et dignitatem nemo satis exponere potest.

Quae sit utilitas sermonis notum est, sed de causis quid dicere possumus? nisi hoc, Deo conditori gratos nos esse debere, qui hoc tanto bono instruxit hominum naturam, et sermone utendum esse praecipue ad Deum celebrandum. Haec igitur arcana omitto non sine gemitu, dolens, non solum pauca nos de mirandis operibus Dei scire, sed etiam nos ingratos horribiliter negligere considerationem beneficiorum divinorum, nec ea excolere, nec iis uti ad eos fines, quos Deus proposuit.

Quanto plures enim sermone utuntur, ut Deum contumelia adficiant, quam ut ei grata dicant in docendo et in aliis communibus vitae officiis?

Nec de illa excellenti eloquentia dicam, quae est singulare opus Dei in summis gubernatoribus, qualis fuit fortasse Nestoris, Ulyssis, Solonis, Periclis, in quibus cum magna sapientia coniuncta fuit naturae vis, qui flumen orationis magna copia et splendore fundere, et ardentes animi motus addere, colligere dissipatos homines, ut legum frenos acciperent, et civili societate iuncti labores communes sustinerent, iratos cives in seditionibus flectere, ut ultro arma de manibus abiicerent, et asperas leges suadere poterant. Divina haec sunt, ut Orphei, Musaei, Amphionis, et Homeri Poëtica.

Nec de illa quidem eloquentia dicam propriore nobis, de qua aliquid existimare diserti possunt, et quae multum a doctrinae et ab arte sumit, qualis fuit Demosthenis aut Ciceronis, quorum exempla etsi multa nos monent, tamen consilia et vim Demosthenis, et splendorem ac numeros Ciceronis nemo aequare poterit. Quod est igitur consilium nostrum in hac adhortatione? De vestris exercitiis loquar in his studiis, praesertim linguae latinae, ut finem intueamini, ad quem labor dirigendus sit, et ut ea facultate vos instruatis, quam omnes non monstrosae naturae et adsequi possunt, et quae omnibus in Ecclesia et in communi vita necessaria est, περὶ ἀδυνάτων non est deliberatio, sed hortator sum, ut laborem et quidem dulcissimum bonis ingeniis in re possibili, et non solum utili, sed profecto necessaria in Ecclesia, et quae ingens decus est, magna cura et animi intentione suscipiatis, videlicet, ut et res necessarias recte discatis, et adiungatis curam recte loquendi, ut sermo sit grammaticus, proprius, perspicuus, ordine, verecunde, sine sophistica, sine confusione res necessarias exponens.

De hac communi et possibili facultate dico, non aliter ac si pictori praecepta darem, ut si corpus seu hominis, seu leonis, seu equi, seu aliud pingere vellet. Primum ideam corporis in mente recte comprehensam teneret, deinde ut naturam quam proxime imitaretur, nec monstrosam imaginem faceret.

Laudo autem voluntatem eorum, qui hanc adhortationem saepe repetunt. Ut enim negligentia in loquendo corruptelas doctrinae olim apud Monachos auxit, ita nunc rursus adferet doctrinae confusionem et tenebras. Euripides nominat turpissimum morbum, linguam petulantem seu effrenem *ἀκόλαστον γλῶσσαν αἰσχίστην νόσον.*

Talis lingua praecipue in Ecclesia horribilis pernicies est, sive consulto ludat praestigiis sophismatum, ut fecerunt et faciunt multi blasphemi, sive inscitia spargat improprie dicta, quae dissimiles opiniones in animis audientium pariunt. Meminimus et dissidia et laxationem disciplinae ex his paradoxis ortam esse:

Omnia fiunt necessario.

Voluntas nihil agit, sed tantum rapitur non solum in bonis actionibus, sed etiam in malis.

Summa ars est Christianorum, nescire legem.

Deus se immediate communicat.

Christus iustificat per accidens.

Unde contemptum doctrinae extruunt *ἐνθουσιάσται*.

Sunt iusti renati etiam cum in scelera contra conscientiam ruunt.

Sed non delector hac commemoratione. Tantum pauca exempla recito, ut cogitetis quantum mali sit, spargere absurda aut ambigua dicta, cum quidem in populo longe maiores adplausus cieant illa *θαύματα ῥημάτων* quam recte et proprie dicta, sicut et Thucydides suos cives obiurgat, cum ait, eos fastidire usitata, et mirari absurda. Sed

Fallitur et fallit vulgi qui pendet ab ore.

Vos in scholis praecipue decet custodes esse veritatis. Tales ut sitis, necesse est vos primum res recte discere, deinde adhibere formam exponendi idoneam et utilem.

Nec longa disputatione opus de delectu in rebus discendis. Nota enim sunt illa vetera oracula:

Nemo eloquens esse potest in eo quod nescit,
Quodque parum novit nemo docere potest.
Verbaque praevisam rem non invita sequitur.

Etsi proh dolor, multorum haec est audacia vel insania potius, et in Ecclesiis et in aulis, profiteri se Doctores, Iudices, Censores iis de rebus, quae nunquam inquisiverunt. Alii fascinati temporum aut multitudinis consensu, hoc magistro contenti *τρέπονται ἐπὶ τὰ ἑτοιμά*, ut Thucidides inquit, alii scientes adsentantur seu gynaeceis seu aliis, quorum serviunt adfectibus, ut potentiam, opes et voluptates suas augeant, hi non petunt rerum doctrinam ex veris fontibus. Sed unam habeat ex culinis sententiam, quae totam eorum Philosophiam complectitur

Nempe, Cocus domini debet habere gulam.

Et plerunque indocti ad hanc unam arcem confugiunt. Cum autem Deus vos ad veros fontes doctrinae cognoscendos vocaverit, officii vestri memores sitis, et infixa sit pectori et menti tristissima comminatio, in qua Deus inquit:

Quia scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio meo fungaris.

Volo autem ad veram cognitionem adiungi curam et studium recte loquendi, ut rerum expositio lumen habeat et recte intelligi possit.

Quid refert? inquies, quo genere sermonis utamur, potest eadem sententia et bona phrasi, et soloecismis efferri, et notum est illud vetus, Anacharsis soloecizat Athenis, Solon in Scythia. Scio et doleo multos ignaviam suam excusare, et confirmare hac barbarica persuasione, quod non mutentur sententiae soloecismis.

Ego vero cum de cura recte loquendi dico, non tantum proprietatem vocum, et grammaticam verborum constructionem postulo, quanquam et haec magna sunt, sed consilium in eligendis et distribuendis materiis, et in totius explicationis aedificio seu idea, in forma integrae orationis, et circumspectionem in vitandis Syrtibus, quae discentes impediturae esse. Hanc curam qui in docendo non adhibent, sed temere sine distinctione, sine ordine effundunt quidquid se offert, et miscent multa soloeca, horum oratio non ostendit res, sed obscurat, obruit et corrumpit. Prodeat aliquis, quamvis audax et impudens, qui ausit dicere, se intelligere Scoti et similium sermonum. Deinde praeterquam quod res non intelliguntur ab auditoribus, in illo oratore multa vicia nascuntur, negligentia in rerum consideratione, audacia, futilitas, impudentia: fingunt res quae nihil sunt, ut fingit Scotus universalia realia, aut ut Stoici adfectus fingunt esse opiniones, Monachi et commenti sunt, et stabiliunt idola, cum somniant accidentia sine subiecto, ex quo deliramento alia horribilia mendacia multa secuta sunt, quorum semina certe fuerunt vocabula nova nihil significantia. Deinde quanta est rerum confusio apud Papistas, cum non discernunt legem et Evangelium, apud Antinomos, cum non discernunt peccata contra conscientiam ab alio genere. Ita negligenter loquentes, rerum considerationem etiam abiiciunt, et fiunt oratores futiles et impudentes, qui tunc plus nocent, cum appetunt eloquentiae laudem, scurrantur in concionibus, et ludunt hyperbolis, ironiis, et aliis figuris, quibus delectatur indocta multitudo.

Magnum decus est in dicente verecundia. Existimatur enim magnitudinem et difficultatem operis sui aliquo modo intelligere, qui ad honestum coetum, imo qui ad Christi et Angelorum oculos atque aures verecundiam adfert. Qui vero neque de rebus, neque de sermone solliciti sunt, sed stolide vociferantur de rebus ignotis, et sordido ac spurco sermone res divinas corrumpunt, aut etiam scurrilitatem addunt, qua multi, ut Gorgone populos terrent, in his nulla verecundiae significatio est.

Accidit hoc quoque, quod non adsuefacti ad recte loquendum in aliorum eruditorum scriptis phrasin, et membrorum seriem iudicare non possunt, cuius rei manifesta exempla cernimus, cum audimus, Iudaeos, interpretantes dulcissima Davidis carmina, hi vere sunt asini ad lyram.

Et saepe aliud cythara, aliud pes sonat, cum interpretantur Paulum Thomas, et illa tota turba illiteratorum, qui nec phrasin, nec sapientissime cogitatam oeconomiam disputationis consideraverunt.

Multi apud veteres, cum a principali sententia velut caeca nocte navigantes aberrarent, postea allegorias insulse fixerunt, ut in poëtis non intellectis, contra quos gravissime tradita est admonitio Epiphanii, cuius haec verba sunt: *τὰ θεῖα ῥήματα, οὐ πάντα ἀλληγορίας δεῖται ἀλλ' ὡς ἔχει. θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν.*

Sermo divinus non ubique in allegoriam transformandus est, sed nativa sententia retinenda est: adhibeantur autem speculatio et sensus, ut in quolibet argumento propria sententia teneatur. Necesse est enim fontes doctrinae in Ecclesia certos esse. Nec transformentur in allegorias, lex moralis, promissio gratiae, et articuli Symboli, ut scelerate facit Thammerus. Postulat autem Epiphanius adhiberi *θεωρίαν* seu speculationem, in singulis narrationibus, quae considerat, quid scriptores dicere aut agere voluerint, quomodo singula membra consentiant, ad quem finem tota oratio directa sit. Haec ut cerni et monstrari possint, necesse est sermonem intelligi, et ad recte loquendum assuefactum esse, ut constitui possint definitiones, cohaerentia connecti, et divelli non cohaerentia, et argumentorum series conspici. Ad has res maximas opus est, hac praeparatione, videlicet, hoc studio recte loquendi, et styli exercitio.

Vult autem et sensum Epiphanius accedere, id est, Experientiam, quae vocabulorum significationem ostendit. Quid vita, mors, dolor, laeticia, lex, peccatum, timor, promissio, fides, consolatio, dilectio, odium, dubitatio, constantia, inconstantia significent, sine experientia nemo novit. Et expertis curae est, ut de his tantis rebus proprie et distincte loquantur? Quid enim sunt enarrationes scriptae a Monachis de gravissimis Pauli disputationibus, in quibus nec vocabula, nec res intellexerunt, nisi quod dicitur: *πάντα μία κόνις.*

Totam igitur hanc diligentiam in studio formandae orationis sciant adolescentes, et ad sapientiam et ad multas virtutes conducere, et saepe dulcissimum versum Homeri cogitent, in quo coniungit haec duo excellentia ornamenta hominis:

σοὶ δ' ἐνὶ μὲν μορφὴ ἐπέων, ἐνὶ δὲ φρένες ἐσθλαί.

Forma tibi eloquii est, est et sapientia mentis.

Meministis dici characterem et effigiem animi orationem, quod antiquitas de moribus usurpavit. Nihil dubium est monstrosam naturam esse in illis, quorum monstrosa est oratio, sed magis hoc in Ecclesia considerate.

Omnium fanaticorum hominum monstrosa est oratio, ac statim vobis suspectae sint opiniones, quorum oratio est perplexa, similis sphyngos aenigmatum, referta verborum portentis nihil significantium, sophistica praestigiatrix, qualis et fuit Osiandrica, et adhuc est Stenckfeldiana. Sit igitur orationis vestrae species non monstrosa, sed recta, propria, perspicua, amans ordinis et verecundiae, ostendens et voluntatem cupientem prodesse, et curam inquisitionis earum rerum, quae explicandae sunt.

Ut autem talem orationis formam efficere possitis, necesse est intueri exempla eorum, qui recte locuti sunt. In his ea quae necessaria sunt omnibus, verba, phrasin, et consilia ordinis, quantum possumus, imitemur. Hunc laborem vobis profuturum esse, et in dicendo et in iudicando, statim reipsa experiemini, quem quidem eo libentius suscipiatis, quia haec vestra militia ad gloriam Dei, ad Ecclesiae pacem, ad vestram salutem pertinet.

Iustissimum est hoc pulchrum Dei donum, sermonem praecipue conferre ad celebrandum

Deum autorem. Et eo magis veneremur, et ornare studeamus loquendi facultatem, quia filio Dei mirando consilio tribuitur appellatio λόγος.

Ut autem recte celebremus Deum in explicatione doctrinae, profecto opus est illis duabus rebus cognitione rerum, et bono genere sermonis.

Hanc nostram adhortationem, quae nequaquam par est magnitudini rei, de qua dixi, opto ad excitandos iuniores aliquid adferre momenti. Oro autem ipsum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem et caput Ecclesiae, omnia in omnibus perficiens, ut nos gubernet, et semper in his regionibus aeternam Ecclesiam colligat. Dixi.

No. 160. an. 1557.

De medicinae usu etc.

Select. Declam. T. IV. p. 708 sqq., Servest. T. IV. p. 648. — Etiam in Orationum T. V. p. 18. et apud Richard. T. II. p. 127.

Oratio de medicinae usu, item rerum sympathia et antipathia; recitata a D. Iohanne Hermanno. **1557.**

Etsi videmur inepti, quod saepe eandem orationem adferimus de laude remediorum et medicationis: cum in re manifesta non sit opus toties repetere commonefactionem, utilitas enim omnibus in conspectu est, et illae barbaricae et Cyclopicae opiniones satis refutatae sunt, quae fingunt casu omnia fieri, nec insitas esse dissimiles vires remediis, et artem commenticiam esse: tamen gravissima causa est, cur saepe de his operibus divinis et dicitur, et dicendum est, videlicet, ut grati Deum celebremus, et testimonia praesentiae Dei et providentiae cogitemus, ac simul nos ipsos commonefaciamus, ad quem finem nos ipsi conditi simus. Socordia est quaerere, ad quem usum condita sint absinthia et κιχώρια: nec intueri finem, ad quem multo maiore arte homines conditi sunt. Remediorum copia et distributio ostendit hominum vitam Deo curae esse. Sed cur vult Deus servari homines? Tantum ne ideo, ut fruamur iis voluptatibus, quas maxima pars hominum solas expetit? Imo propter causam hanc unam omnium maximam, sese ut nobis communicet, et simul vitam, lucem, sapientiam et iusticiam suam in nos spargat in tota aeternitate, quod quidem facit in cogitatione nostra de creatione et redemptione per filium.

Sic inquit Stigelius et vir et poëta optimus:

Praesentemque refert quaelibet herba Deum.

Sed addamus hos versus:

Nec Deus ostendit se tantum ut corpora curet,
Sed cur servari nos velit: ille monet.
Scilicet ut sese nobis communicet ipse,
Semper et ut vivant pectora plena Deo.
Tunc autem in nobis fulget, tunc pectora complet,
Mens pia cum discit munera nosse Dei.

Saepe cum intueor luctantia pharmaca cum morbis, cogito de causis cur homines conditi sint, Unde haec tanta sit tam praestantis naturae infirmitas? quare mors in hanc Dei imaginem grassetur, Cur ad tempus in hac vita nos cibo et remediis servet, quomodo nos per filium restituat? De his rebus maximis simul nos remediorum consideratio et medicatio commonefacit.

Cum igitur de remediis, et de arte medica dicimus, saepe repetimus conditoris mentionem, et dicimus, ad quem usum non solum remedia condita sint, sed etiam hominum natura: ut saepe nos ipsi Deo in publico coetu gratias agamus pro omnibus beneficiis: et iuventuti hortatores simus, ut de Deo, et de eius beneficiis saepius cogitent, grati eum celebrent, et eius donis recte utantur. Sit igitur haec prima et praecipua pars nostrae orationis, quam vos mecum piis mentibus recitate.

Tibi omnipotens Deus, vive, sapiens, verax, iuste, benefice, caste et liberrime, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo et Spiritu tuo sancto effuso in Apostolos, paracleto: gratias agimus, quod immensa misericordia te patefecisti in creatione, redemptione et resuscitatione generis humani. Et quod in hac vita colligis aeternam Ecclesiam, et ut colligas, hominum vitam servas, et das innumerabilia beneficia, teque veris gemitibus oramus, ut deinceps quoque semper inter nos aeternam Ecclesiam colligas, et serves ac regas nos et familias nostras. Post hanc commemorationem de Deo adiungamus etiam particulam doctrinae physicae.

Amplissima est sapientia in hac doctrina: sed nunc excerpemus particulam dulcissimam de

Sympathia et Antipathia multarum rerum in natura. Sunt enim propositae imagines, ut nos commonefaciant debere homines Deo conformes esse, et inimicos hostium Dei. Ac dolendum est cum aliae creaturae servent ordinem, quo conditae sunt: horribiliter turbari hunc ordinem ab hominibus.

Perpetua est concordia magnetis et ferri, vel potius magnetis ad polum arcticum, quae sympathia mirabilior est. Cur nos homines non tuemur concordiam cum Deo? cur non sequimur Deum trahentem nos luce sapientiae suae, ut ferrum trahitur a magnete, multo obscuriore causa? Cur discedimus a Deo, cum magnes semper ad polum arcticum se convertat? Quasdam igitur imagines recitabimus: Ac prima sit, In maximis corporibus miranda consensio est. Stellarum et aëris, quam si quis negat esse, manifeste fuerit. Cum Sol a nostro vertice discedit, aër fit frigidior, quia radii obliqui sunt imbecilliores: cum ad nos redit, magis calefit aër, quia vis est maior in radiis rectioribus. Cum sunt congressus planetarum siccorum in siccis signis, ut vidimus anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo, aestus in aëre, et in terra siccitas maior est. Contra cum sunt humidorum congressus in signis humidis, maior est et aëris et terrae humiditas.

Nec dubium est coelestium corporum et elementorum concordiam mirificam esse. Debebat et rationalis animae cum Deo perpetua concordia esse, cum quidem homo sit imago Dei, et intelligat causas consensionis. Sed dicamus de plantis aliquot. Balsamo ferrum adeo inimicum est, ut, cum ferro secatur, mox arefiat. Unguibus igitur in scalpendo et putando utendum est. Imago est Ecclesiae, quae non ferro regenda est, sed voce doctrinae. Balsami succo aluntur viperae, et magna agmina viperarum fruticem velut obsidione cingunt, delectantur et umbra foliorum. Succus autem balsami remedium est contra venena optimum. Sic aluntur balsamo, id est, voce doctrinae coelestis, autores et defensores malorum dogmatum, et mutatur pabulum in venena. Sed balsamum rursus remedium est. Olea formidat quercum, adeo ut moriatur cum vicina est. Imperia premunt Ecclesiam, ac praesertim cum aut centauri dogmata condunt, seu inflectunt doctrinam ad suas commoditates: aut dogmatum conditores armant se tribunicia et tyrannica potentia.

Cognatio autem oleae et vitis mirifica est. Inserta viti olea gignit et uvas et olivas. Ita cum fides regit opera, fit dulcis societas Evangelii et legis. Et lex fit multo foecundior, dulcescit labor et Deo placet. Sunt et antipathiae multarum rerum mirificae. Magnes cum allium ei illinitur, non trahit ferrum. Graeci allium σκόροδον nominant, quod aiunt dictum, quasi σκαιὸν ῥόδον, rosa foetida. Cum doctrinae infunduntur foetida sophismata, vim priorem amittit: ut vera et dulcis consolatio est, dicere illi, qui vere expavescit agnitione irae Dei: Iustificati fide, pacem habemus. Haec dulcissima et verissima vox fit σκαιὸν ῥόδον, si quis fingat se iustum esse fide, etiam cum furenter perseverat in sceleribus contra conscientiam. Dissidia nativa sunt multarum rerum: aquilae et cygni, ut regum et oratorum. Luporum et ovium, ut tyrannorum et Ecclesiae. Formicas metuit mus, ut sedulos et amantes laborum metuit fur. Infestae apes fucis, ut recte docentes, ignavis et gulae indulgentibus. Scarabeus aquilam odit: cum enim aquila sorbeat ova scarabei, vicissim scarabeus aquilarum ova celsis arboribus deiicit. Qua re significatur etiam potentium tyrannorum iniuste facta ab infimis posse puniri. Sed illustre testimonium est providentiae Dei, quod ita plantas distribuit, ut velut in oeconomia, magno consilio aliis alias vires attribuerit: fit panis ex frumentis, farre, tritico, olyra et paucis aliis, quarum rerum talis est natura, ut in sanguinem corporum nostrorum converti possint. Et addita est rigatio, quae fit potu. Nam solae res siccae converti in sanguinem non possent. Deinde et morborum remedia, quae non possunt esse cibi, condita sunt, et tanta arte distributa, ut praevidens diversos morbos, alia remedia aliis morbis opposuerit. Alia bilem, alia pituitam trahunt, aliae herbae opitulantur cerebro, aliae cordi, aliae pulmoni, aliae pectori, aliae epati, aliae spleni, aliae ventriculo.

Haec artificiosa distributio nequaquam casu facta est, sed testatur hunc mundum arcano consilio conditum esse, et quidem ita, ut adpareat conditorum amantem esse hominum, quia res tam multae praecipue ad humanos usus factae sunt. Ac huius distributionis doctrina Dei beneficio in arte nostra et quotidianis exemplis artis, conservatur. Quare et propter sapientiam Dei et propter nostram utilitatem haec studia magnifacienda sunt. Cum autem haec oratio iam habeatur, cum

arborum fructus maturescere incipiunt, monendos esse adolescentes censui de dysenteriis. Vidimus enim aliquoties immaturos fructus, aut etiam maturos, cum accessit intemperantia, adferre letales morbos. Conditi sunt arborum fructus ad gravissimas utilitates. Sed arte et ratione utamur. Cerasa et pruna, ut de aliis non dicam, delectant oculos, suaviter refrigerant, deinde sole nonnihil cocta, cibi sunt valde salubres.

Quid usitatius est in febribus, et cum facienda est *εὐκοιλία,* quam vulgaria pruna, quibus utimur, postquam sol crudum succum exhausit, quae nominamus *βράβυλα.* Credo enim Athenaeo, qui *βράβυλα* esse pruna scribit. Et Suidas addit etymologiam *βορὰν βάλλοντα,* id est, crudam molem ex ventriculo eiicientia. Ut autem cum recte utimur saluberrima sunt, ita cum cruda avide vorantur, celerrime succi illi putrescunt, et passim in corpore putrefactiones efficiunt. Vertitur ergo massa putrefacta in materiam biliosam, et rodentem ac lacerantem intestina, unde dysenteriae nomen est. Scitis autem multos illa laceratione intestinorum interfici. Et putrefactae massae, incendia adiuvantur foris aestu, et intus infuso potu immoderato. Haec mala diligentius hoc anno cavenda sunt: quia minus bene maturescent fructus, quum aestas frigidior sit, quam qualem coctio terra nascentium poscit. Longe autem tutius est arcere morbos temperantia, quam attractos depellere pharmacis, quum videlicet dupliciter languefacta est natura, et morbo praecedente, et intemperantia. Multo plus valet ante morbum mediocris abstinentia, quam in morbo terra Lemnia, aut pomum Cydonium. Sitis igitur memores huius dicti: Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Oro autem Dominum nostrum Iesum Christum, custodem et caput Ecclesiae, ut omnium nostrûm corpora et mentes protegat. Dixi.

No. 161. an. 1557.

De febri non intermitt.

In Oration. Tom. V. p. 25 sqq. et in Orationibus postremis p. 27. Etiam in Decl. T. IV. p. 920. et Richard. T. II. p. 283.

Quaestio explicata a Doct. Henrico Paxmanno.

Si quos scirem in hoc esse circumstantium scholasticorum coetu, vel ignaros publicorum rituum huius scholae, vel perversa horum temporum sapientia ita imbutos, ut nihil delectet eos, nisi derisio et reprehensio omnium, quae sapientissimo consilio a maioribus instituta, pie religioseque huc usque culta sunt et conservata, ac scurrilis exagitatio vel cavillatio potius recte dictorum et factorum: repeterem altius causas consuetudinis probatissimae et vetustissimae, quae nobis productis in publicum imponit partes de argumento aliquo disserendi. Sed quia non dubito vos et scire hunc morem Academiae antiquum esse, et vero obedientiae ac observantiae studio maiorum instituta venerari, nec aspernari ea vel fastidio delicato vel insulsa censura, hanc orationem omittendam censeo. Quare omissa excusatione accuratiore publici ritus de me dicam, qui quanquam maluissem tacere prorsus in hoc publico consessu, sum enim natura timidior, et meae mihi imbecillitatis optime conscius: tamen quia id unice studui semper, ut legibus scholae et autoritati praeceptorum reverenter parerem, et ostenderem non delectari me Cynica illa sapientia, quae omnem evertit et contemnit ordinem in vita, et virtutem putat esse sapienter a maioribus conditas leges abiicere aut irridere, volui hanc quoque consuetudinem servare. Ac vehementer etiam atque etiam vos oro, ut me consuetudinis et officii causa dicentem libenter audiatis, ac humanitate vestra et benevolentia sublevetis. Argumentum orationis desumpsi usitato scholae more ex Aphorismo 46. partis quartae, Aphorismi verba sunt: Si rigor incidat febre non intermittente, aegro iam debili, lethale est. Quid sit discriminis quaeritur inter rigores illos, qui cum febribus praesertim biliosis et *διαλειπούσαις* simul invadunt, correptumque concutiunt aegrum gravissime, atque inter *σημεῖα συνεδρεύοντα* recte recensentur: et reliquos, qui et *διαλειπούσας* quandoque, cum resoluta ac dissipata materia desinunt, quandoque ardores continuos, quos *καύσωνας* vocant, consequuntur, quae rigorum sit causa, quomodo cieantur et cuius materiae impulsu, motu atque agitatione, denique a qua causa incitetur materia tanto impetu tantaque vehementia, ut corpus tam violenter vibret, atque commoveat, an sua sponte nutuque

impulsa suo feratur ac ruat, an vero conatu propellatur naturae. Distinctio horum rigorum ex ipsarum est petenda febrium causis ac natura. Biliosae febres aut continuis ac fervidissimis caloribus infestant, ac pene deurunt corpus, ut καύσωνες, neque interquiescunt aut cessant. Semel enim incensae ardent continenter, donec consumpta, quam corripuit incendium, materia deflagrent ac deficiant. Aut κατὰ περιόδους τινὰς, repetitis per intervalla paroxysmis atque exacerbationibus affligunt, extinctoque incendio ac sopito abeunt atque evanescunt, scilicet, ubi materia, quae concepta ex putredine flamma, exarserat, conflagravit atque excussa est, καύσωνες aut de vehementia flammae nihil remittunt, qui et κακοηθεῖς et ὀλέθριοι vocantur, aut ceu destinatis circuitibus, ubi aliquantulum spacio aliquo de aestu remiserunt, non tamen conquieverunt, post rursus exasperati vehementius insurgunt atque intenduntur, qui et ἐπιεικέστεροι sunt. Origo harum febrium omnium e putredine est bilis flavae putrescentis in vasis vel epatis ipsius vel inde propagatis propinquis aut remotioribus. Si enim aucta iusto amplius flava bilis, modumque ac mensuram naturae convenientem excedens, et a suae speciei norma degenerans, oneret naturam corporis, haec irritata et onere gravantis materiae, et acredine pungentis ac vellicantis, exerit eas, quibus sese regit ac sustentat, vires, ac primum experiundo coctionem ac separationem vi caloris nativi, a tota redundantis bilis massa τὸ ἰχωρῶδες περίττωμα impurissimum, quod nulla coctione emendari potest, ut corporis usui serviat, secernit ac secludit, idque cum fortis calor nativus viget, eiicit, vel in sudores extenuatum ac dissolutum, vel detrusum in alvum, vel ablegatum ad urinae meatus. Si exitus impediatur obstructionibus interclusus, detentum haeret in corpore, et quia caloris nativi regimine destituitur, ab alieno circumventum atque occupatum putrescit. Putredinis laesionem natura fortis sentiens (tantisper enim donec ἰχῶρας separat natura, viget valetque) quanto potest conatu atque impetu incumbit in expulsionem materiae putrescentis. Hoc impulsu naturae agitata materia, halitus quidam subtiles ex putredine fervidi, concitatissimo motu per venas delati in omnes corporis partes, musculos illisu valido percellunt, quatiunt ac vibrant, cum qua concussione etsi illa a calidorum atque acrium fumorum citato impetu excitatur, sensus tamen infrigidationis extremorum coniungitur perpetuo, quod cor percepto putridorum halituum hinc inde discurrentium nocumento, protinus ab exterioribus omnibus calorem intro ad sese revocat. Is tandem ubi affluxu accessuque putridorum halituum adauctus atque accensus exaestuat, atque effervescit, cor impatiens flammae, quantum potest et repulsis halitibus fervidis et effusis spiritibus quos contactus commixtioque halituum appulsorum fervefecit, sese tuetur et vindicat, inde aestus totum corpus occupat, qui e corde fluens vocatur febris. Pars materiae putrescentis eo motu per hepar in intestina depellitur, indeque si levior est sursum in ventriculum fertur, et acredine mordicando vomitus ciet: si gravior subsidit in alvum decumbens, et turbata alvo deiectiones commovet. Hinc praecordiorum tensio, capitis dolor ac vertigo, nauseae, tormina ventris interdum existunt. Halitus crassiores aestuante iam toto corpore, motu lentiore protrudit natura ad cutem, quam laxatam calore ideoque hiantibus poris perviam illi perrumpentes, ubi occursu paulo remissius calentis aëris densantur atque coguntur, in sudores diffluunt. Desinit itaque fervor excussa talibus naturae motibus materia, quae coeperat putrescere, et redit tantisper, donec vel omnis sit evacuata atque exhausta materia putrida, vel natura vincat ac dominetur. Redit autem collectis denuo, quos natura separarat ichoribus, et derelictis a calore nativo ideoque putrescentibus, cum separatos vel propter obseptos meatus, vel quod ob imbecillitatem oneri sit impar, extrudere ad potentiores meatus nequeat.

Si vero natura languens et ex caloris nativi imbecilli praesidio nonnihil deficiens non possit putrescentem e vasis depellere materiam, retinetur ea intra vasa et καύσωνας excitat, quos aut continuo aut paululum remittente incendio fovet. De quovis enim humore perpetuo natura donec valet, quod optimum est ac corpori convenientissimum, tuetur ac defendit a corruptione, seiunctis ac destitutis primo ichoribus, etiamsi hebetatus calor nativus coeperit languere. Si ergo putredo retineatur inter vasa, tantisper donec naturae superest tantum virium, ut coquendo separandoque asservare aliquid ac tueri possit, etsi calor febrilis non extinguitur prorsus, sedatur tamen certis intervallis aestus aliquantulum, et putredo fit mitior, unde καύσωνες ἐπιεικέστεροι existunt. Si profligato prostratove prorsus aut conculcatu

calore nativo frustra laboret natura, et serpens putredo in illud quoque invadat, quod ad sui conservationem ac refectionem natura ceu repositura erat, *καύσωνες* exoriuntur *ὀλέθριοι*. De harum febrium rigoribus praecipue loquitur Hippocrates in hoc Aphorismo. Rarius enim rigores cum his in principiis invadere consueverunt, cumque corripiunt aegros constanti virtute et signis coctionis sese ostendentibus, fere sequuturas evacuationes, quas natura vires primum periclitata suas paulo post molietur, praecedunt ac denunciant. Si vero rigor incidat febre non intermittente, aegro iam debili, lethale est. Aut enim praevius ac praenuncius rigor evacuationem adferet, aut sine sequutura evacuatione infestabit. Si rigorem insequuta evacuatio spontanea fuerit, quae nec aestum febrilis flammae mitiget, nec levationem aegro afferat, ab imbecilli natura frustra tentatam esse materiae exclusionem, et eandem ruere suo impetu sine ductu et gubernatione, ac aegri languidas vires dissoluturam esse indicat *συμπτώματος λόγῳ οὐ κρίσεως*. Aeger etiam rigoris agitationes difficulter sustinebit. Si rigori evacuatio non succedat, frustra anniti naturam, ut noxia amoliatur atque effundat, et victam succumbere arguit, et rigor ipse concussione violenta pene fractas antea ac labantes iam aegri vires prorsus contundit. Atque ut generatim et obiter de rigoribus aliquid addam, rigor omnis aut *νοσώδης* est, aut non est *νοσώδης*. Concutitur enim saepe rigoribus corpus aut frigidiore aëre subito afflatum, praesertim a sudoribus, aut aqua perfusum frigida, coelo immoderatius aestuante, quos ciet impetus caloris nativi, circumfusi aëris vel effusae aquae frigiditate, repulsi ad interiora vehementius ac collecti introrsum et refluentis cum impetu et copia, obviosque in meatibus halitus propellentis atque eiicientis ad musculos. Sed *νοσῶδες ῥίγος κατάψυξίς ἐστιν ἀλγεινὴ μετά τινος ἀνωμάλου σεισμοῦ καὶ κλόνου παντὸς τοῦ σώματος*. Huius rigoris *αἴτιον προηγούμενον* est copia humorum vel calidorum acrium, vel mixtorum, ut in quartanis, vel frigidorum, sed calore fusorum atque extenuatorum, *προηγούμενον ἀχώριστον* vel *συνεκτικὸν* vel *συνεχὲς αἴτιον*, vehemens motus, vel humorum ipsorum, vel resolutorum inde halituum per musculosas et sensibiles corporis partes, quem motum ciet, vel natura ipsa noxia excutiens, vel *μικτὴ κίνησις* caloris nativi reciproco motu vehementer intro forasque delati, quaecunque causa motus illius initium faciat. Organum motus illius, sed involuntarium et *ἀπροαίρετον* sunt musculosae et sensibiles corporis partes, quae illisu humorum vel halituum concutiuntur, ut contineri nequeant. Ad has et species et causas, quae de rigoribus dicuntur, cum reduci possint, nolui earum commemorationem omittere, et peto, ut qualemcunque hanc explicationem boni consulatis, in qua, si quid desideraverint aliqui, ut desiderari multa posse intelligo, ab iis praesertim, qui accuratius de his rebus inquirunt, et fontes scrutantur, oro, ut quod deest expleant, quod obscurius indicatum est, declarent, quod breviter nimis et concise ceu perstringitur, explicent fusius. Oro etiam Deum aeternum patrem Domini et salvatoris nostri Iesu Christi, fontem sapientiae et felicis ac salutaris medicationis, ut adsit nobis sancto suo Spiritu, et mentes nostras doceat ac regat, et iuvet ac fortunet conatus et industriam nostram, ut medicationes nostrae prosint multis in genere humano, et faciat nos vasa misericordiae. Dixi.

No. 162. an. 1557.

De Ernesto Duce Brunsv.

Select. Declam. T. IV. p. 716 sq., Servest. T. IV. p. 650. et Richard. T. II. p. 765.

Oratio de Ernesto, Duce Brunsvicensi; recitata a D. Henrico Paxmanno Burgwerensi, **1557.**

Non voluit vetustas hos congressus ociosa spectacula esse, sed voluit ibi commonefieri iuniores et de beneficiis Dei, et de doctrinarum studiis, et de virtutum exemplis. Quare et nos primum Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi gratias agimus, quod clementer hactenus nos protexit, et eum oramus, ut deinceps quoque servet et gubernet hanc Academiam, ut labores docentium et discentium prosint Ecclesiis. Deinde cum de argumento deliberarem, meque tempus commonefaceret de morte duorum excellentium virorum Ernesti Ducis Brunsvicensis et Luneburgensis et Reverendi Domini Martini Lutheri, qui ante annos undecim non longo intervallo his diebus decesserunt, ne potui quidem a cogitatione tantorum virorum, et earum rerum, quae post mortem eorum secutae sunt, mentem abducere, quo-

rum ut vita profuit tranquillitati Ecclesiae et patriae, ita mors vel signum, vel aliqua ex parte causa fuit maximarum mutationum et calamitatum, quibus adhuc urgemur, et quarum finem nemo prospicere potest. Nam ut de bello non dicam, quod tamen vivo Luthero neminem moturum fuisse sapientes existimant, certe si vixisset hactenus, ut erat natura non imbecilla, minus dissidiorum in Ecclesiis esset. Nunc ut Ulysse dormiente, cum socii utrem in quem Aeolus ventos incluserat, aperiunt, eruperunt in contrarias oras, Boreas et Notus, Eurus et Argestes, et inter sese certantes ex imo mari contrarios fluctus excitarunt, quibus quassata navis postea fracta est, ita scribentium dissidiis quassatur et laceratur Ecclesia. Et quotidie crescit rabies, qua ex re quid aliud ratiocinari possumus, quam quod in Sophocleo carmine gravissime dicitur:

ὅπου δ᾽ ὑβρίζειν, δρᾶν τε ἃ βούλεται πάρα
ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτε
ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν, εἰς βυθὸν πεσεῖν.

Ubi petulanter facere quod libet, licet,
Legumque vox et ira vindicis Dei
Ridentur, ac inane nomen est pudor,
Magno ruet ventis secundis impetu
Mox in profundum mersa tota civitas.

Sed hanc consolationem multis tristissimis spectaculis opponamus, quod certum est filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, *λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς*, voce Evangelii semper aeternam Ecclesiam colligere, etiam inter horribiles confusiones generis humani. Hunc ardentibus votis precemur, ut nos gubernet, et inter nos colligat et servet Ecclesiam, et in docendo et discendo gloriam Dei, veritatem et salutem nostram et aliorum quaeramus, non captemus auras populares sophismatum praestigiis et sycophantica.

In hac autem cogitatione de his praestantibus viris, de Duce Ernesto et Luthero, iudicavi me recte facturum esse, si Ducis Ernesti historiam recitarem, non eo tantum, quia ipse privatim ei gratitudinem debeo, cum fuerit meae patriae Dominus, et quidem singulari benevolentia meum patrem complexus fuerit, sed etiam quia nobis omnibus danda est opera, ut sciat posteritas doctrinam Ecclesiarum nostrarum receptam esse gravissimis iudiciis sapientum et bonorum Principum, inter quos cum fuerit Dux Ernestus, prodest posteris eius historiam tradere plenam honestissimorum exemplorum. Primum autem de eius patria dicam. Non dubium est in veterum descriptionibus ab Albis initio Hermunduros tenuisse magnam partem, quae nunc Mysorum est, deinde ad Albim eam regionem, quae nunc est vetus Marchia Senones fuisse.

Post Senones circa urbem inclytam, quae nunc Brunsviga est, fuerunt Bructeri ad Harciniam usque, post Bructeros inter Albim et Visurgim Caycos fuisse nihil dubium est, qui cum fuerint in Asia, ab Homero celebrati sunt. Unde progressi, ut aliae gentes multae inter Albim et Visurgim consederunt. Haec ora nunc regio Luneburgensis dicitur. Ducum vero Brunsvicensium et Luneburgensium stirps est eadem, orta a familia Guelfica, cuius est adeo vetusta nobilitas in Germania, ut Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, uxorem ex ea familia duxerit, et monumenta ab eo tempore sunt non procul ab Alpibus in templo Wingartensi. Dedit enim Lotharius sapiens Imperator filiam, quam habebat unicam Henrico Guelfo Duci Bavariae, et attribuit genero Ducatum Saxoniae. Ex his maioribus nobilissimis, Guelfo et filia Lotharii Imperatoris, orta est familia Ducum Brunsvicensium et Luneburgensium. Nec vero huius est temporis historias horum Principum longiores hic recitare, et quomodo paulatim haereditas divisa sit. Illud praeterire non possum, ab illis Lotharii successoribus genero et filio filiae res honestissimas et utiles generi humano gestas esse. Magnis enim bellis represserunt vicinos, qui nondum receperant doctrinam Ecclesiae, et domitis doctrinam tradiderunt.

Talia Principum consilia et facta cum legimus, agnoscamus Dei beneficium fuisse, quod tales Principes Germaniae dedit. Ipsorum etiam virtutem laudemus, qui pro lege et pro grege, id est, ut ad Dei agnitionem multos homines adducerent, et munirent pacem religione, legibus, iudiciis, disciplina, bella gesserunt, et communem religionis et Germaniae coniunctionem tutati sunt, non dilacerarunt privatis cupiditatibus. Sed veterum historias, etsi multa honesta exempla continent, omitto. Hic Ernestus Dux Brunsvicensis et Luneburgensis natus est ex patre Duce Henrico et matre filia Ernesti Ducis Saxoniae Electoris. In patre excellens ingenium fuit, ut multi Prin-

cipes iudicarunt, quorum de ipso sermones recensere possem. Sed ostendit in bello difficili quantum consilio, magnitudine animi, et moderatione valeret. Vicit enim magno praelio exercitum duorum agnatorum Erici et Henrici, ac Ericum acie captum, cum secum Cellam duxisset honorifice tractatum, post paucos dies pace facta dimisit, qui et ipse parem laudem prudentiae, fortitudinis et moderationis victori tribuit. Ex hoc patre natus est Ernestus in oppido Ulyssea, in ea domo quae nunc est domus scholae, in qua vir eruditione et virtute excellens Bernardus Bomgartnerus, docet linguam Latinam et Graecam, et doctrinam Ecclesiae, cuius labores multis in magna parte prosunt. Et divinitus ita factum est, ut eius Principis locus natalis studiorum et doctrinae domicilium factus sit, qui studia literarum et Ecclesias in patria primus restituit. Adolescentes fratres Othonem et Ernestum Dux Saxoniae Fridericus Elector, avunculus, erudiri curavit in Academia Wittebergensi a Georgio Spalatino, qui et latine disertus erat, et summa fide discipulos erudiit. Cumque valeret ingenio Ernestus, linguam Latinam ita didicit, ut sermonis latini copia ei non deesset, cum in colloquiis, tum in scribendo. Auditor etiam fuit Iurisconsulti Doctoris Henningi. Nec postea latine scriptas historias, et libros propheticos et apostolicos, et alia utilia monumenta legere desiit. Quoties iter faciebat, sarcinam certorum librorum secum vehebat, ut multos vidisse scio. Egressus ex adolescentia vixit Luteciae, ubi simul et in Latina lingua se exercuit, et Gallicam didicit, et ordinem iudicii regii, quo nullum est melius constitutum in toto genere humano, diligenter consideravit. Haec tyrocinia cum habuisset, rediit in patriam, unde cum pater abesset, ne nova bella moverentur, suadentibus amicis et voluntate patris gubernationem accepit, in qua fuerunt initia difficiliora, quia propter recens bellum, non solum reditus erant angustiores, sed etiam in multis reverentia legum, iudiciorum, et disciplinae labefactata erat. Quia vero Dux Ernestus norat hunc ordinem, ut certi sint gubernatores, Dei opus esse, et se nulla cupiditate difficilimo tempore ad regendam patriam accessisse, Deum invocabat, ac petebat ab eo regi et iuvari omnes deliberationes. Ac res ostendit ei Deum adfuisse. Initio enim consiliorum socios tales viros ei adiunxit, qui et sapientia et autoritate antecellebant Ascanium Cramium peritissimum rei militaris, qui et in illa magna pugna, in qua Rex Galliae Franciscus ad Mediolanum vicit Helvetios in prima acie fuerat, et recens fuerat ductor paterni exercitus, et Cancellarium Fursterum. Horum consiliis et fide primum et domestica concordia constituta est, et pax cum vicinis facta est, qua in re multum adiutus est consiliis et autoritate avunculorum Friderici Electoris et Iohannis Ducum Saxoniae. Cumque initio tranquillitas utcunque constituta esset, et iam gubernatio patriae ordinanda esset, sciretque Dux Ernestus Principi normam gubernationis esse debere utranque decalogi tabulam, et primum quaerendum esse regnum Dei, fuit haec prima cura Ecclesias recte constituendi, quae et de doctrina dissentiebant, et belli calamitatibus adflictae erant. Itaque gravissima deliberatione omnium ordinum decretum est, ut pura Evangelii doctrinae iuxta Lutheri scripta, sine dissensione proponeretur, et ut Ecclesiae inspicerentur, quaererentur idonei Pastores, darentur stipendia, sarcirentur aedificia, populus ad *κατήχησιν* et ad disciplinam adsuefieret, et in oppidis studia literarum instituerentur. Hae res salutares statim initio gubernationis a Duce Ernesto inchoatae sunt, et inspectis Ecclesiis pius consensus in doctrina constitutus est, et attributus victus docentibus. Cumque sciret non satis esse has tantas res inchoare, sed oportere perpetuam esse diligentiam recte inchoata tuendi et sarciendi, postea quotannis inspici Ecclesias curavit, et sarciri, ubi aliquid labefactatum erat. Qua in re hoc eius consilium singulare fuit, et *πολίτευμα,* dignissimum Christiano Principe, cum sciret Pastores saepe negligi a questoribus, aut etiam parum clementer tractari, edictum publicum edidit, quo praecepit, ut Pastores suas querelas deferrent, non ad Quaestores, sed recta ad Principem, et ostendit sibi curae fore, ne iusta defensio deesset Pastoribus. Secutum est aliquanto post haec initia, tempus Augustani conventus, qui fuit anno millesimo, quingentesimo, tricesimo, in quo cum Carolus Imperator scire vellet, quodnam esse totum doctrinae corpus in Ecclesiis nostris, ut quibus de rebus dissensio esset, consideraret, confessio doctrinae exhibita est quae extat. In hac confessione nec odia, nec pericula defugit, sed constanter et nominis sui subscriptione ostendit se id doctrinae genus amplecti, et nusquam optimo Principi Duci Iohanni Electori defuit, quo tempore scimus et Principes ipsos in

magnis periculis fuisse, et deliberationes incidisse de rebus maximis, in quibus cum consilio Dux Ernestus excelleret, neminem audiebat Elector familiarius, quam ipsum. Ex eo conventu secum abduxit in patriam Urbanum Regium Theologiae doctorem, cuius extant multa monumenta, quae ostendunt eius eruditionem et pietatem. Hunc ut patrem dilexit, et inspectorem Ecclesiarum esse iussit, et cum eo de omnibus doctrina partibus et de Ecclesiarum consensu et salute familiarissime colloqui solitus est. Extat liber Urbani, in quo annotatae sunt horridiores formae loquendi, et monstrantur propriae et concinnae utiles pietati et concordiae. Has admonitiones scribi Princeps voluit, qua in re sapientiam eius et pietatem agnoscere possumus. Ut enim ex dentibus draconis in Cadmea historia, nata est soboles armatorum inter se dimicantium, sic ex improprio sermone dissidia opinionum in docentibus et in populo oriuntur. Quid sunt illa paradoxa, nisi *μῆλον ἔριδος*? Omnia fiunt necessario, bona et mala. Omnia peccata sunt paria. Rapiuntur enthusiasmo non volentes qui ad Deum convertuntur. Nec docendi sunt homines ut repugnent diffidentiae. Christiani non habent proprias facultates. Talia deliramenta sapiens et pius Princeps cum tolli vellet, curavit admoneri docentes ut recte loquerentur. Sicut doctrina de ratione loquendi praecipit: *ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔστω.* Sapiens recte loquatur. Et Aristoteles inquit, Virtutem esse orationis perspicuitatem. Hanc vero effici proprio sermone. *σαφεστάτη λέξις ἐστὶν, ἡ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων.* Cognosci autem vigilantia pii Principis hac ex re potest, quod inde usque ab initio instaurationis Ecclesiarum vox eadem sine dissensionibus ullis ad hunc diem in Ecclesiis totius regionis sonat, nec tranquilliores usquam Ecclesiae in Germania hactenus fuerunt. Florent et Scholae in oppidis, et cum gentis ingenia sint doctrinarum capacia, naturae etiam rectae sunt et abhorrentes a monstrosis opinionibus. Haec de Ecclesiis et de perpetua Ducis Ernesti diligentia in tuendis Ecclesiis eo dixi brevius, qui tranquillitas Ecclesiarum in iis locis testimonium est vigilantiae ipsius in hac parte gubernationis. Venio nunc ad ea, quae ad secundam decalogi partem proprie pertinent. Armatus communem pacis defensionem in Germania cum fratre adiuvit in Seditione Rusticana, ut nominatur, anno millesimo quingentesimo, vicesimo quinto, quo tempore et in Turingia et in vicina Franciae ora primum repressus est furor fanaticorum doctorum et seditiosae multitudinis, quae incitata fuerat a Monetario et similibus ad arma capienda. In hoc tanto periculo Germaniae cum Saxoniae Duces primi repressissent furentem multitudinem, perterrefacti caeteri in aliis locis facilius dissipati sunt. Praecipue autem consiliis Ascanii Cramii tunc Dux Elector usus est, qui tamen post victoriam autor fuit, ut clementer parceretur errore lapsis. Postea etiam adiuvit communem pacis defensionem contra seditiosos in urbe Monasteriensi. Est autem virtus grata Deo et vere digna bono Principe, iustam et necessariam patriae defensionem adiuvare. Domi latrocinia fortiter repressit, ac insigne exemplum eius narratur. Cum indicatum esset ipsi quosdam insidiari quorundam mercatorum mercibus, nec subito accersere equites ex praefecturis posset, iussit sese sequi aulicos equites. Et ascendit ipse in currum mercatoris. Cum ventum esset ad locum insidiarum, magnis clamoribus insidiatores ad currus properant. Agnita aliquorum voce Princeps nominatim eos compellat. Hos vicissim agnita Principis voce et facie, quem sciebant esse amantem iusticiae, et venerabantur, pudor a facinore deterret, quare subito fugiunt, et postea deprecatores ad Principem mittunt. Ita praesens plus effecit sine dimicatione, quam si misso equitatu armis reprimere insidiatores voluisset.

Cum igitur et iusticiam Principis amarent omnes, et prudentiam, et magnitudinem animi in eo perspexissent, libentius deinde quieverunt. Vicinis nulla bella intulit quanquam irritatus. Sed ut patriae parceret, nullum bellum movere decreverat, nisi alii priores bellum inferrent. Non iracundia, non privato dolore arma capienda esse sciebat, sed necessariae defensionis causa, privatos autem dolores perferendos esse propter publicam utilitatem. Et ut historias multum legebat, saepe de bellis narrabat oraculum Graecis datum ante pugnam ad Plateas, *ἀμυνομένοις βέλτιον ἔσεσθαι, ἄρχουσι δὲ μάχης οὔ.* Patris etiam exemplum repetebat qui victor fuerat cum hostes priores ad eum accessissent, ut praelium cierent. In iurisdictione domestica fuit assiduus et iustus, delicta severe punivit, saepe repetens vocem divinam, non parcas homicidis, ac dicens, Principes ministros esse iusticiae Dei, et puniri ipsos si lenti in officio essent, ut accidit tribui Beniamin,

controversias haereditatum et contractuum quoties potuit, diremit transactionibus, aequitate utrinque proposita, et monens ut litigantes mallent partem de suo relinquere, quam longa contentione sumptus, labores, et curas sibi cumulare, et impedire alia sua negocia magis necessaria, et accendere odia familiarum, quae postea reipub. perniciosa sint, denique quae etiam invocationem Dei impediant. In hac re multos annos adiutorem habuit excellentem virum sapientia et iusticia praestantem, multis bonis Principibus charum, Balthasarum Clammer Cancellarium. Utile autem esse ad commonefactionem aliorum recitare quasdam ipsius sapienter cogitatas transactiones, sed brevitate temporis impedior, unicam tantum historiam adiiciam, quam audiverunt multi ex ipso. Praedium est vicinum oppido Cellae, quod nominatur Lutherloh, quod perpetuam habuit immunitatem.

Cum autem quaestor illum fundum nova pensione oneraturus esset, accedit colonus ad Principem, narrat fuisse perpetuam immunitatem, et causam addit, quia in eo fundo natus sit Lotharius Imperator, narrat etiam, se et maiores suos multis seculis tenuisse hunc fundum, et narrationem traditam esse a maioribus, ab eadem stirpe et Lotharium et familiam suam ortos esse, ac orat, ut propter Lotharii memoriam veterem immunitatem locus eius natalis retineat. Delectatus hac narratione Princeps, quia Lotharium propter virtutis praestantiam et stirpis decus saepe celebrabat, accersit quaestorem, interrogat de immunitate fundi, iubet et vocari senes vicinos, quos et de immunitate, et de coloni familia interrogat. Horum narratio cum congrueret cum coloni commemoratione, Princeps laetus, quod locus natalis Lotharii Imperatoris sapientia et virtute praestantis sibi monstratus erat, et quod vicinus esset suo domicilio, severe iubet in libris Quaesturae scribi totam hanc narrationem, et addit, se velle, ut ad omnem posteritatem hic fundus sit immunis, quia sit locus natalis Lotharii Imperatoris. Colonum etiam iubet secum prandere, et hortatur, ut cum cognationis mentionem fecerit, filios recte erudiat de Deo et de bonis moribus, et eos ad virtutem adsuefaciat, et tradat fundum posteris tuendum, se quoque si quis ex filiis discet literas, ei non defuturum esse adfirmat. Deinde discedenti colono iubet dari pannos ad vestiendos filios et filias. Multarum virtutum in hoc exemplo signa conspiciuntur. Iusticia fuit, non adimere vetustam immunitatem, pietas, reverentia stirpis, et monumentorum laudatissimi Principis, comitas, quod familiariter cum colono loquitur, et abeunti dat xenium. Quia igitur et iustus erat et beneficus, diligebatur a bonis omnibus, et hoc munitus praesidio formidabilis erat ferocioribus. Omnino gubernatoribus omnibus seu summis, seu mediocribus opus est sociis et consiliorum et laborum. Nec unus aut videre omnio, aut agere potest, ut verissime dictum est: *μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη*. Singularis igitur foelicitas Reipublicae est, cum Princeps habet amicos sapientes, iustos, magnanimos, qui et ipsum in consiliis multa recte moneant, et autoritatem ei in populo augeant, ac plerumque quales sunt amici, talis est Princeps, ut illa vetustissima dicta significant: *ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον*, et *ὁποῖαι δέσποιναι τοῖαι καὶ θεραπαινίδες*. Erat sapiente et magno Rege dignus Senatus cum consederant Princeps, Ascanius Cramius inter ductores exercituum in Germania, praecipuus virtute et autoritate, et alii viri fortes et periti, et Oratores sapientes Fursterus et Clammerus. Hoc tantos viros verebantur etiam, si qui erant efferi. In hac commemoratione longior essem, si tempus concederet. Dicam igitur pauca de interiore vita et domestica consuetudine, in qua nullae erant latebrae, nullae occultationes, vivebat in luce, in oculis omnium, patebant ad eum aditus honestis omnibus quotidie. Erat enim et domestica consuetudo plena optimorum exemplorum. Erat temperans, castus, sobrius, *φιλόστοργος*, et erat gravitati mixta suavitas. Erat amans ordinis, et recte tempora distribuebat precationum publicarum et domesticarum, lectionum privatarum, consiliorum publicorum, prandiorum, coenarum, somni, venationum. Coniugem habuit matronam honestissimam, filiam Ducis Megalburgensis Henrici, qui sapientia excelluit, natam ex filia Philippi Palatini Electoris. Fuitque coniugium castum, dulce, foecundum, et filios et filias recte erudiri de Deo, et de omnibus honestis officiis pater et mater curaverunt, quotidie etiam ad mensam filii et filiae cum parentibus precationes recitarunt. Praeceptorum filiis pater dedit virum integrum, Guilielmum Megalum, quem familiariter erudiit Ioachimus Camerarius, cuius est excellens eruditio, sapientia et integritas in omnio officio.

Quotidie Dux Ernestus ante caetera negocia certas precationes recitabat tanto animi motu, ut gemitus eius a multis exaudirentur, addebat et lectionem propheticorum et apostolicorum librorum, aliis horis, cum non impediebatur consiliis publicis, legit pie scripta theologica, delectabatur facete dictis, et ut erat amans candidi salis, ita maxime detestabatur libros refertos scurrilibus conviciis et atro sale. Historias legit avidissime, et saepe dicebat ad multas res in religione et in consiliis publicis rem necessariam esse, nosse seriem omnium temporum et monarchiarum et aliorum regnorum ordinem. Beneficentia erga homines modestos vere egentes in Principe et coniuge sine sordibus erat. Denique tota domestica consuetudo Ducis Ernesti, coniugis, filiorum et filiarum erat Ecclesia Dei, et pulchra schola doctrinarum et virtutum. Fuit ornatus Dux Ernestus multis magnis virtutibus, quarum etiamsi quas natura inchoaverat, tamen illae maiores fuerunt, quae in eo per filium Dei voce Evangelii et Spiritu sancto accensae fuerunt, vera lux et agnitio Dei, vera invocatio, fides et fiducia Dei, dilectio Dei, animi celsitudo, assiduitas et iusticia in gubernatione, moderatio animi in perferendis iniuriis, ne Respublica moveretur, Castitas, Nemesis ac zelus in puniendis sceleratis. Et haec dona sua Deus ornavit foelicitate in tota ipsius vita, quae congruit regulam: βέβαιον ἕξεις τὸν βίον δίκαιος ὤν. Timenti Dominum non deerit ullum bonum: fuit hoc quoque Dei beneficium, quod ante ex hac vita in Ecclesiam coelestem eductus est, quam bellum intulit Carolus Principibus amplexis doctrinam Ecclesiarum nostrarum. Ut enim scriptum est, Iusti colliguntur, ne videant ventura mala, sic et ipsum Deus praeripuit iis calamitatibus, quae mox post eius mortem secutae sunt, in quibus si consilia eius spreta fuissent, aut simul ipse oppressus esset, aut ingenti dolore adfectus esset, propter amicos et Rempub. Meminimus enim quanto in dolore saepe fuerit, cum in Ecclesiis offensio aliqua accidit.

Hanc Ducis Ernesti brevem historiam eo recitavi, ut plures sciant in nostris Ecclesiis talem fuisse Principem, cuius vita testatur eum iudicio et vera pietate doctrinam Ecclesiarum nostrarum amplexum esse.

Nos quoque Deum gratos celebrare iustum est, quod aliquos praebet salutares Principes, neque enim dubium est salutarem gubernationem singulare Dei opus et singulare beneficium esse. Praeterea et exempla ipsius prosunt omnibus ad commonefactionem. Imitentur singuli suo loco tanti Principis diligentiam in omni officio, praecipue vero filii, quos spero Deo curae fore, iuxta dictum, Generi rectorum benedicetur, et ut Deus filios Ducis Ernesti, et patriam gubernet et protegat, toto eum pectore oro. Dixi.

No. 163. an. 1557.

De studiis vet. philosoph.

Select. Declam. T. IV. p. 733 sqq. Servest. T. IV. p. 666. Richard. T. I. p. 38.

Oratio de studiis veteris philosophiae, et de successione docentium inter tot mutationes Imperiorum; recitata a D. Casparo Peucero, anno 1557.

Si optimarum artium studia, quae ad ruinam inclinata praecipitem trepide nutant, quasi iam iam ruitura, nostra magis culpa collabi viderem atque interire, quam fato mundi ceu fathiscentis conatu supremo, delyroque senio et fastidio delicato optima quaeque respuentis, et calamitate turbulentissimorum temporum, in quae aetas nostra incidit, non possem non prospiciens praemetiensque barbariem paulo post sequuturam, commoveri vehementius animo meo, perturbarique et queri de culpa nostra gravius. Neque enim aut nobis indignius aliud committeremus, aut perniciosius generi humano, quam si quem maiores nostri, et praeceptores Dei beneficio et ductu, studioque suo et labore compararunt amore gloriae Dei, et nostri ac dulcissimae posteritatis cura thesaurum bonarum artium, et tuendum nobis excolendum atque amplificandum sancta ac religiosa fide tanquam depositum iure haereditario pertinens ad posteros commendarunt: eum pateremur vel flagitiose negligendo, culturam artium, recidere in sordes et squalorem pristinae barbariei, de qua vix emersit, vel non adversando fraudulentis Hypocritarum molitionibus, foede deformari, et inique obrui atque opprimi praestigiis falsis.

Sed urgent studia quidem haec nostra fata mundi senescentis, quae Dominus et Salvator noster Iesus Christus decursis seculis et periodo cir-

cumacta, maiora ac tristiora dissidia et opinionum ac religionum confusiones tetriores paritura, mutationemque rerum et interitum acceleratura praedixit: nosmetipsos vero fatales poenae, quas meremur singuli quotidie nostrorum peccatorum rata portione, quasque quae pervasit in animos multorum et radicibus actis crescit indies, vesana rabies impunitaque quidvis audendi licentia efflagitat, attrahit et cumulat.

Harum nisi poenarum vel prorogationem vel mitigationem impetrarint a Deo misericorde piorum preces, brevi excussi ex hac clarissima doctrinarum luce, revolvemur ac demergemur in chaos errorum priore perplexius, et in Deum contumeliosius. erumpente illo multiplicium et falsarum opinionum foetu, quas alii alias alibi parturiunt, imo eniti iam atque excludere incipiunt.

Ut enim in enervato et afflicto corpore dum praecipuae partes mediocriter valent, reliquarum vel inveteratae atque confirmatae affectiones nec promunt se facile, nec si irritatae occasionibus commoveant sese, periculose infestant: si praecipuarum quoque virium robur hebetatum languefiat, protinus aegritudines omnes, quae repressae vi validiore latuerant, prorunnt agminatim, et convellendo undique atque excruciando corpus miserum tandem conficiunt, sic quos in senili lacero ac saucio afflictissimae Ecclesiae corpore compescuit hactenus atque inde elisit furores autoritas pure docentium et viva vox, hi sublatis illis partim, partim fractis, pullulant undique et irruunt tanta vi, ut vitae, id est, veritati occupatis hominum sensibus vim facturae videantur. Exerit se virulenta hypocritarum rabies undique, qui gemmata sanctitatis specie sese venditantes et insinuantes, ubi irrepserunt, lurido veneno diffluunt et aspidum ictibus pungunt ac vellicant Ecclesiam, turbantque viroso coeno insperso limpidos doctrinae coelestis fontes, scilicet ut quas captant insidiose ac venantur, prehendant anguillas. Recte et iusta methodo explicatum doctrinae corpus frustillatim arrodunt et concidunt mordicus canum more, qui laciniatim vestes concerpunt ac dilacerant, ut quemadmodum divulsarum et male cohaerentium laciniarum usus nullus est, nec species ulla, sic ipsi confractam arrosione venenata atque violenter contortam in partes mutilas doctrinam, quam Ecclesiae harum regionum et consentientibus semel iudiciis approbatam receperunt, et constanter defensam hactenus retinuerunt, excutiant de manibus hominum ac deleant, suumque quod conceperunt et coxerunt virus evomant ac propagent. Reliquas artes praetextu malitiose et scelerate ad decipiendos imperitos conficto abiiciunt ac conculcant. Qua in re praeter corruptelas expressae et confessae veritatis hoc quoque mali inest, quod petulantis ac procacis maledicentiae exemplo, et consuetudine carpendi ac labefactandi recte tradita quocunque praetextu, rudioribus, sed moderatoribus natura instillatur vel odium, vel contemptus doctrinarum: ferocioces armantur audacia quidlibet impudenter fingendi, et autoritatem omnem detrectandi. Haec tanta mala cum ingravescant indies magis magisque ac gliscant, et periclitetur veritas, precemur coniunctis et ardentibus votis filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον τοῦ ἀϊδίου πατρὸς, qui et pervasura haec in Ecclesiam praedixit, et solus erigere ac fulcire labantem religionis et bonarum artium statum potest, et adfuturum se perpetuo illi coetui pcomisit, in quo vox doctrinae coelestis pure sonabit, ut his Ecclesiae vulneribus ipse medeatur, ac reprimat late grassantem hypocritarum petulantiam, nec inter tantos Satanae furores sinat prorsus aut sophismatum praestigiis concuti unicum hoc salutis nostrae fundamentum, quod inenarrabili ipse misericordia et bonitate positum clementer restituit, aut sentibus et spinis erronearum opinionum obsepiri nobis, et praecludi aditum ad agnitionem veri illius fundamenti, aut barbaricis vastationibus, vel adversariorum hostilibus machinationibus disiici ac dissipari hos pene innumeris periculis expositos nidulos docentium ac discentium, in quibus delituimus hactenus umbraculo alarum Dei solius contecti et foti. Sed colligat sibi in his regionibus aeternam Ecclesiam, in qua conservet ac propaget haec sua dona, vocem Evangelii incorruptam et caetecarum artium lumen, quae non sunt tantum πηγαὶ καλῶν, ut apud Xenophontem Croesus ait, sed egregia Ecclesiae ornamenta, et adminicula necessaria explicationi purioris doctrinae, ac nervi ordinis politici.

Nec vero (ut de nostris studiis dicam) nulla est causa huius ruinae quae in conspectu est, innatum partim aetati tenerae ex communi studiorum fato, partim de contagio insectationum volitantium per ora hominum contractum fastidium bonarum artium, contemptusque ac neglectio cum

ex insito illo fastidio, tum ex odio profecta atque impatientia ardentioris et acrioris studii, et amore dissolutioris ac delicatioris vitae. Reductae ab exilio et restitutae aliquantulum artes initio mirifico sui desiderio incenderant et compleverant hominum animos, pertaesos barbariei, in qua irretiti insulsarum cavillationum intricatissimis nexibus tot sese annos proxima aetate frustra et pene nullo vel suo, vel aliorum cum fructu macerarant, omniumque in sese studia conatusque concitarant ac converterant. Tanto cum applausu exceptae, tantaque contentione certatim cultae ac celebratae recuperarunt nitorem pristinum, et nobis sese maiorum diligentia cultiores atque ornatiores exhibuerunt ac communicarunt.

Nos cum illuviem superioris aetatis et foede aspersas sordes nunquam aspexerimus, decora nunc earum politaque et venuste renitente facie nimis leviter afficimur.

Refrixit ardor ille ac deferbuit studium, contraque crevit delicata ac diffluens laborumque impatiens animi mollicies in degenere a maiorum vestigiis adolescentia, quae ut alioquin connata nobis conditione et impotentia vincula sibi iniici et metas circumdari ac repagula praescriptis severiore lege formulis aegre patitur, expetitque licentiam barbarica libertate vagandi, ut in vita communi contemptis legibus, ita in doctrinarum campis usitata methodo reiecta, sic imbecillitate degenerantis prorsus ac languescentis naturae aspernatur accuratioris studii et diligentiae exquisitioris laborem, abhorretque ac refugit, quae intentionem animi applicationemque exigunt paulo vehementiorem ac diuturniorem.

Iohannem Stoefflerum mathematicum, cuius et monumenta extant praeclara, et gravitas atque integritas in omni vita, sedulitas vero atque adsiduitas in operis scholasticis multorum celebratur sermonibus, quibus notis fuit, illum (inquam) salse reprehendentem in auditoribus suis *τὸ φιλόκαινον καὶ τὸ ἀψίκορον*, accepimus dicere solitum, se si Mathesin universam, vel haustu uno complecti, vel in pulticulae liquidioris formam excoquere posset, vix obtenturum apud suos, ut redeant toties, et recepto in os infundibulo moram perferant citra molestiam, eousque, donec universam instillasset, vel faucibus digito illevisset. Idem de nostris auditoribus quaeri iure possumus, qui cum ordimur autorum enarrationem, novitate allecti accurrunt frequentes, sed principio vix leviter degustato, ubi ad res ipsas perventum est, capti satietate aut absterriti impensioris et diuturnioris studii opinione, quam ex falsa difficultatis persuasione induunt, mox diffugiunt, neque ordine, neque integre artes discunt. Ne tamen rudes prorsus esse atque imperiti harum artium videantur, omissa fontium dulcissimorum inquisitione et cognitione, umbras captant et arripiunt aliquas alicunde ex temere et sine iudicio consarcinatis libellis, non tam ad usum aliquem in vita, quam ad ostentationem inanem, nec verae et solidae eruditionis gustum unquam consequuntur. Hans discendi perversissimam rationem reprehendi necesse est. Haec artium interitum adfert. *Διὰ ταῦτα*, inquit Plato, *ἡ ἀτιμία τῇ φιλοσοφίᾳ προσπέπτωκε.* Peperit hanc fatalis cum ruina studiorum tum ignavia seculi huius. Auxit vero contemptus, qui Thersitica et pene detestanda exagitatione optime meritorum professorum excitatus tantum invaluit, ut quandoque bonorum etiam confirmatos honestis opinionibus animos aut tentet, aut conturbet, ut vel cum dolore ingemiscant, vel efferantur in indignationem iustam ac fremant. Cum autem sit officii nostri praestare quantum fieri potest, non solum ut adolescentia recte instituatur atque adsuefiat ad veram et eruditam rationem discendi, adeoque ne quid thesaurus bonarum artium detrimenti capiat, verum etiam ut suo fungantur munere auditores, et recte atque ordine discendo proficiant, vos charissimos meos auditores oro atque obtestor propter gloriam Dei, et propter Ecclesiam et consociationem generis humani, quibus artium praesidio opus est, ut deposita quam concepistis persuasione falsa, et emendata praepostera discendi ratione, et repudiata illa futili *σκιογραφίᾳ* Matheseos, quam nescio quibus autoribus in pervulgatis nimis libellis quibusdam sectamini, irrita pene diligentia magno cum studiorum vestrorum dispendio ac detrimento, quod experimur quotidie redeatis ad veros explicatos ac perpurgatos fontes, quos si mediocrem adhibueritis diligentiam et praestiteritis assiduitatem, qua vincetur difficultas omnis, si qua occurrerit, experiemini, et longe dulciores fore, et haustu faciliores, lutulentis istis ac turbidis lacunis, et semel perceptos perpetuo inhaesuros, ac progredi volentibus expeditiores ac planiores aditus ad reliqua omnia, ductu derivatorum inde rivulorum commonstraturos esse.

De Euclide referunt, cum obortis inter Athenienses et vicinos Megarenses dissidiis, Athenienses edicto publico cavissent, ut si quis Megarensium pedem Athenas intulisse deprehensus esset, ea res ei homini capitalis esset, Eucliden qui Megaris erat, et Athenis esse ante id tempus atque audire Socratem consueverat, post editum id decretum sub noctem priusquam advesperasceret tunica longa muliebri indutum et pallio amictum versicolore, et caput atque ora velatum e domo sua Megaris Athenas commeasse, ut vel noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque Socratis fieret particeps, rursusque sub lucem eadem veste tectum millia passuum paulo amplius viginti rediisse. Hunc ergo cum non piguerit vel cum capitis sui periculo tantum eundo redeundoque iter quotidie conficere, ut Socratis frueretur disputationibus eruditis noctis aliqua parte, vos non pigeat tot occasionibus invitatos, tot adiutos oportunitatibus, tot amantissimis monitis nostris, et obtestationibus impulsos, sedulitatem imitando Euclidis in summo et tranquillissimo ocio cognoscere, quae in his Elementorum libris congesta descriptaque extant verae Philosophiae fundamenta praecipua.

Non instituam commemorationem longam notorum et conspicuorum fructuum, qui ex mathematicis disciplinis ad totam Philosophiam, imo ad Ecclesiam et societatem generis humani redeunt uberrimi. Nec commonefactiones repetam, quae aures vestras circumsonant quotidie, sed ut earum vosmetipsos cogitatione excitetis et confirmetis ad ardentius impensius et constantius studium hortor. De Arithmetica praeclare Plato inquit: *Πάντα δὲ ἀπολεῖτε τὸ παράπαν, ὅταν ἀριθμητικὴν τὶς ἀνέλῃ.*

Fores enim ipsa aperit et praestruit ac sternit aditum ad reliquas disciplinas. Foribus vel occlusis atque obseratis, vel prorsus obstructis qua accedetur? vel quae erit eruditio sine noticia ordinis et numerorum.

Exercebitis ergo hanc primo omnium maxime, *Μᾶλλον δὲ εἰ καὶ ἄνθρωποι μέλλειν ἔσεσθαι,* si ut Plato inquit, fieri et esse homines vultis. At his ipsis quas custodit et discentibus aperit Arithmetica foribus cogitetis inscriptam esse *ἐπιγραφὴν* illam: *ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω.* Ingressi in arcem disciplinarum Arithmetica indice et ianitrice, ceu labyrinthi cuiusdam perplexis et errabundis implicabimini tramitibus, et opinionibus circumducemini incertis, atque a veritatis certae ac directae norma crebro aberrabitis destituti ductu Geometriae, quae *τοῦ ἀεὶ ὄντος γνῶσις* est, et methodi artifex, et extructis ac contextis demonstrationibus sola pene *τὸ ὕπαρ* evidenter profert, et quae sit vis demonstrationum in omnibus artibus, quae certitudo, quae discrimina certitudinis ostendit.

Physicas *θεωρίας* mutilari exclusa et omissa Geometria certo vobis persuadeatis. Earum enim non minimam partem a sensuum iudicio atque animadversione ordientem, rationum quidem physicarum argumenta declarant, *ἀποδείξεις* vero geometricae planae absolvunt ac stabiliunt. Neque assequuturos vos confidatis unquam, quid illo Platonis pulcherrimo significetur dicto, *τὸν θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν,* quo ceu pingitur admiranda gubernatio et totius naturae et generis humani, nisi eam artem, quae quid sit *γεωμετρεῖν* profitetur et explicat, consulueritis, quae vel sola, socia tamen sibi adiuncta tantorum conatuum et laborum Arithmetica, evolat in coelum, et humanas mentes humi abiectas, atque caligante gravatas caecitate, interque vepres et dumeta reptantes erigit, inque illam rursus coelestem sedem subvehit, et sapientissime constructae mundi machinae fabricam, propius monstrat, declaratis aliquo modo architecti consilio, in formando distribuendoque, providentia in conservando ac gubernando, denique exulantes animos in coelestem reducit patriam, et ad familiaritatem coelestium adeoque ad agnitionem Dei architecti et rectoris ac moderatoris tantorum operum perpetui ac sapientissimi traducit, explicato rato statoque ordine orbium coelestium, et pervestigatis motuum certissimis ac constantibus legibus, mira quidem varietate distinctis, sed concinna tamen inter sese harmonia congruentibus, mensurataque mole corporum et spaciis quibus disiunguntur ac distant, tanta demonstrationum evidentia ac certitudine, ut quantumvis furenter reclamantibus, vi extorqueat assensionem de providentia Dei. Hae artes de observationum et eruditae experientiae documentis Astronomiam condiderunt, quae cum illas suas ceu genitrices ac nutrices divelli a sese ac secludi nunquam patiatur, latissimum multiplicis doctrinae campum aperit, quem ingredi nec numerorum doctrina excultum, neque instructum praesidio et apparatu geometricarum *ἀποδείξεων* cum

nefas sit, recte Plato censuit σοφώτατον ἀνάγκη τὸν ἀληθῶς ἀστρονόμον εἶναι. Quicquid enim est in humana sapientia explicatae evidentiae et citra ambiguitatem certae ac firmae, hoc omne Astronomia arithmeticos et geometricos complexa fontes coniungit, et ad Dei architecti sapientiam proferendam atque illustrandam refert, et vere in has artes grata de Deo fama sparsa est. Hae ipsae quoque terrenum artificiosa dimensione ac distributione descripserunt orbem, et perfecerunt, ut depingi scita imitatione atque exprimi tabulis, utque uno contuitu pene momenti spacio percurri tota vel minutissimorum locorum varietas ac diversitas, imo ut tota immensitatis mundi idea effingi animo, et machinis αὐτομάτοις miro rotularum nexu coaptatis repraesentari motus coelestium corporum possint. Has si alas animis accommodaveritis vestris non Dedalaea cera assutas, sed solida cognitione agglutinatas et firmatas, non ut Aristophanes ludit saltus metiemini pulicum, sed remigio earum quotiescunque libuerit et quandocunque fuerit opus, tum in coelum efferemini ad αὐτοψίαν pulcherrimorum corporum, quae sine illis non maiore cum admiratione et intelligentia aspicitis, quam intuebatur canis Aesopicus exquisite pictam tabellam, tum in historiarum lectione aut commemoratione, cum sedes indicantur verae Ecclesiae et loca rerum gestarum, rapidissimis cogitationum motibus, et maria tranabitis et orbis terreni pervagabimini amplitudinem.

Omitto Astronomiae encomia, et percensere desino reliquas artes, quarum aliquae ex his ceu ex fontibus rivuli derivatae, his sublatis exarescerent protinus ac deficerent, ut mechanicae artes, ὀπτικαὶ, κατοπτρικαὶ, γεωδετικαὶ, κανονικαὶ, λογιστικαὶ et aliae: Aliquae alio his cognationis vinculo devinctae, si adiumentis quae inde assumunt spoliarentur, amitterent et perspicuitatis atque evidentiae suae lumen, et stabilitatis praesidium, et normam certitudinis. Denique πρὸς πάσας μαθήσεις ὥστε κάλλιον ἀποδέχεσθαι ἴσμεν που ὅτι τῷ ὅλῳ καὶ πάντι διοίσει ἡμμένος γεωμετρίας καὶ μὴ, ut gravissime Plato inquit. Quod etsi παραδοξότερον videbitur, tamen verissimum est.

Sed neque inquies opera eadem ac foelicitate perdiscuntur artes mathematicae qua caeterae, sed et studium requirunt longum, assiduum atque intentum, et multi temporis accuratam exercitationem: neque contingit omnibus facultas ingenii capax earundem, quae si desit, ut deest plurimis, quorsum attinet intendere nervos et vires nihil effecturos et annixuros frustra: neque foret e re atque usu vel nostro privatim, vel Ecclesiae ac Reipublicae, in uno hoc disciplinarum genere, quod totum sibi hominem ab omnibus aliis abductum rebus deposcit ac vendicat, omissis aliis consenescere.

Praestare itaque ut si cum iactura defluentis temporis, pereuntis operae, et neglectarum interea caeterarum artium frustra sit in uno desudandum atque elaborandum, aut non attingere id, aut velut in transcursu obiter salutatum relinquere, et ad alia contendere utiliora, captuique accommodatiora nostro. His qui talia obiiciunt, Platonicum illud oppono: ταῦτα ξύμπαντα οὐχ ὡς ἀκριβείας ἐχόμενα, δεῖ διαπονεῖν τοὺς πόλλους, ἀλλὰ τίνας ὀλίγους. Τῷ πλήθει δὲ, ὅσα αὐτῶν ἀναγκαῖα, καὶ πῶς ὀρθότατα λέγετε μὴ ἐπίστασθαι μὲν τοῖς πολλοῖς αἴσχρον. Haec omnia, inquit de Arithmetica, Geometria et Astronomia disserens, non exacte multi perdiscent, sed pauci.

Reliquam multitudinem quae necessaria sunt, rectissimeque dicuntur turpe est nescire. Initia harum artium vera, recte explicata, respicientia demonstrationes, aut ex demonstrationum fontibus methodica serie deducta, qualia in libris Elementorum Euclidis traduntur, et praeceptionibus arithmeticis de praecipua numerorum doctrina, et qualia in Ptolemaicis scriptis vel usitatis libellis hypotheseon Procli aut theoriarum, ac doctrinae sphericae de primo motu ex Ptolemaicis fontibus ad eum sunt exposita modum, ut ad demonstrationes alludant, percipi sine ullo magno negocio possunt, et in communi vita ac caeteris artibus usum habent, et cognosci ab omnibus recte, integre ac solide debent ex illis libris, non ex inepta, quae vulgo Scholasticorum manibus teritur quaestionum farragine, quibus evacuatis scientia desinit omnis ac deficit. Turpe est hominem scholasticum aut nunquam attollere in coelum oculos, aut vel oscitantia tali ac negligentia, vel ἀναισθησίᾳ tanta, circumvecta perpetuis motibus coeli corpora et illucescentia quotidiano exortu terris, extinctaque rursus decubitu contueri, ut ne semel quidem de eruditis ac veris causis perpetuae vicissitudinis dierum et noctium augescentium ac deficientium stata lege, permutatis alternatim vicibus, deque anni ratione quadrifariam

aptissime distincti, et menstrua variatione Lunae, deque caeterarum stellarum ortu cogitet atque occasu, imo ut vix attendat ὅπη ζόφος, ἠδὲ ὅπη ἠώς, ut apud Homerum dicitur, quod multis usu venit. Etsi causas mediocriter intelligat, non consideret tamen e quibus illae desumptae sint fontibus, quibusve nitantur atque insistant fundamentis, et an sufficiant, quae si non simul comprehendantur, et mediocri ceu communiantur consideratione, reliquum omne quantumvis magno partum acquisitumque labore confestim excidit.

In his prius experiri ingenii vires conveniebat scholasticos, quam vel desidiae imbecillitatem naturae praetenderent, vel quererentur de difficultate. Nam et per se iniquissimum est pronunciare priusquam inspexeris, et extrema ignavia est abiicere ac damnare totum studium, priusquam vel leviter degustatis elementis periculum feceris, et animi est mollicies iniusta, nihil laboris velle suscipere, nihil perferre molestiarum in discendo, cum quidem militia quaedam sit versari in literis, et Respublica nobis maximarum rerum curam commendarit, quas tueri sine acerrima animi contentione nequimus. Falso etiam difficultas elementaribus demonstrationibus affingitur, in quibus et commodissimus ordo, quo illae inter sese velut in cathena annuli connexae devinctaeque cohaerent, adeo ut nulla eximi pene nisi tota serie interrupta ac dissoluta possit, et syllogisticae ratiocinationis evidentia vel a primis ordiens principiis, vel ad ea sese revolvens, levat laborem, ac multum perspicuitatis addit, praesertim si consideretur quae in quavis demonstratione καθ' ὑπόθεσιν assumantur, quae ostendenda proponantur praemissis ac ceu concessis quibusdam, denique ex quibus deducatur et conficiatur ἀπόδειξις principiis, et quo progrediatur ordine. Elementis vero mediocriter perceptis, quae in reliquis artibus inde petuntur et exaedificantur, demonstrationes adeo se et cognitu faciles et explicatas praebent, ut dulcescant. Ingeniorum dissimilitudinem non parvam esse scimus. Generosae et heroicae naturae, quae ad illas summas artes divino aliquo afflatu et ἐνθουσιασμῷ rapiuntur, ut avidius haec appetunt, sic arripiunt facilius, perinde ut hi, qui natura ad scribendum carmen ducuntur, citius syllabarum et pedum mensuras percipiunt.

Non autem in his resistunt initiis, sed in abstrusiora magisque recondita harum disciplinarum, et naturae impetu et acumine ingeniorum penetrando, plura gignunt ex se, plurima alia ex his elementis procudunt ac contexunt. Multum tamen ut in caeteris artibus diligentia et studio etiam mediocria ingenia navant atque efficiunt, et longe maior est numerus naturarum mediocrium quam excellentium, quarum opera carere non potest communis vita.

Imo si qui non totos se huic studio dedent, his ipsis tamen non parum profuerit, cum ad excitanda formanda et acuenda iudicia ac methodi vias discendas, tum ad intelligendas artes alias, et autorum scripta, exerceri aliquantulum in Euclideis Elementis, et ad argutos ac varios ratiocinationum modos, quorum in demonstrationibus usus est, adsuefieri.

His enim in tractandis aliis materiis apprime iuvabantur. Elementarem ergo doctrinam requirimus ab omnibus, qui in scholis discendi gratia versantur. Hanc ut mediocri labore, adsuefactione et exercitatione consequi ac comprehendere mediocres omnes et non prorsus stupidi possunt, sic a plurimis eam ignorari, ut Plato recte statuit, turpissimum est. Praestantibus naturis, quibus peculiaria adiumenta ad instaurandas vel exornandas has artes Deus largitur, relinquimus et commendamus tum extruendarum ex his initiis caeterarum artium accuratius studium, tum observandorum erudita animadversione motuum coelestium, atque accommodandarum τοῖς φαινομένοις καὶ τηρήσεσιν hypothesium, et ostendendae hypothesium ad φαινόμενα congruentiae curam impensiorem et difficiliorem. Vos inventis his fruamini, ac memineritis ideo in hac vos statione collocatos esse, ut doctrinam utilem generi humano dicendo discendoque excolatis, et cum a maioribus accepta, tum parta a vobismetipsis tradere posteris annitamini, ac Deo vos hoc officii debere, ut solidi aliquid ac perfecti expetatis in doctrinis, quod prosit Ecclesiae et Reipublicae, non captetis evanidas umbras turpis lucri, aut stultae ostentationis causa, quae ut sunt velut σκίαι ἐν ὕδασι καὶ ἀμφισβητήσιμον ὄναρ, ita depositis libris effluunt ex animis atque avolant. Memineritis etiam fortitudinem his studiis coniungendam esse, quae per obvias difficultates via vi facta perrumpat atque eluctetur, nec ob firmatos animos vestros sinat vel inflecti ad segniciem atque socordiam, vel frangi prorsus adversationibus hypocritarum, aut turbari ca-

lumniosis insectationibus et corruptis iudiciis rudis et ingratae multitudinis, quae si redarguenda susciperemus aut confutanda, vereor ne paulo minus efficeremus, quam apud asinum proficiebat ille, de quo in proverbio dicitur: ὄνῳ τίς μῦθον ἔλεγε, ὅδε τὰ ὦτα ἐκίνει. Utrem enim pro cithara gaudet habere Midas. ἀλλὰ καὶ περὶ ὁμολογουμένης ἀνοίας, οὐδὲν ἂν καινὸν λέγοιτο τίς, ut apud Thucididem Alcibiades inquit. Relinquatis et hypocritis suas delicias, quibus et delectantur mirifice, et sese ceu saginant. Et quidem si δημοκόλακες illi parcerent veritati coelesti, facile pateremur eos frui blandimentis suae scurrilitatis cum ea voluptate, quam inde sibi somniant, vel ad satietatem usque, ac titillare tum sese mutuo inter se, tum affectus sui theatri, cui assentantur insectatione bonorum virorum, ac vituperio optimarum artium, ὄνος γὰρ ὄνῳ κάλλιστον καὶ σῦς συί. Sed his non magis moveamini quam artium ipsarum dignitate, publica utilitate quae inde uberrima proficiscitur ac manat, et mandato divino, ac praestetis vos ἀκροατὰς γνησίους, καὶ οὐ νόθους, id est, φιλομαθεῖς, φιλογυμναστὰς, φιληκόους, φιλοθήρους καὶ μνήμονας, ζητητικούς, ἀκράτους καὶ πάντα φιλοπόνους.

Etsi autem absque omni dubio et innata nobis prima harum artium principia, quas κοινὰς ἐννοίας vocant, radii sunt sapientiae divinae de aeterna luce in animos nostros transfusi, et demonstrationes inde erutae ac propagatae sunt certissima atque immota veritas, quam generi humano Deus notam esse, et de sua sapientia testari irrefragabiliter voluit, tamen cum utile sit considerare, quibus modis inter horrendas collisiones et tristes ruinas eversorum imperiorum ac deletarum Rerumpublicarum: tot millibus annorum haec studia Deus foverit ac conservarit, saepe profligata revocarit, proiecta desertaque resuscitarit ac restituerit, pauca quaedam de sedibus horum ac cultoribus ex historiis repetam. Studia enim ut imperia et Respublicae κατὰ τίνας τεταγμένας περιόδους (ut Aristoteles inquit) quae admirabili et arcano consilio Deus dispensat, et sedes mutant atque hospitia, et praecipitata eversaque concidunt, et resurgunt instaurata atque efflorescunt, et recollectis receptisque viribus vigent aliquandiu atque consistunt, quod repetita inde usque ab initio series historiarum docet. Sacrarum literarum vetustissima ac certissima monumenta primam Ecclesiae sedem, in qua fuerunt sancti patres, artiumque physicarum et mathematicarum patriam primam collocant in eo mundi angulo, qui velut umbilicus cogniti veteribus atque habitati orbis complectebatur Palaestinam, Phoenicen et Aegyptum. Ex eo cum deductis inde coloniis ac distributis in terrarum orbem familiis, quod crescentem generis humani multitudinem loci angustia non caperet, semina harum artium simul evecta esse, et plantata post alibi atque exculta minime obscurum est.

Certe si vel vetustate obsoletae, vel corruptelis deformatae periclitarentur, inde restitutas esse Graecorum testantur annotata, quae vetustate biblicis historiis proxima sunt. Praecipua autem astronomica et arithmetica inventa Aegyptiis, geometrica Phoenicibus tribuuntur. Collegia enim sacerdotum velut scholae publicae mandato institutoque divino in Palaestina, exemplo Palaestinorum, vel veteri potius consuetudine ex sanctorum patrum inveteratis deducta moribus in Aegypto, cum religionis et sacrorum cura medicae artis professionem atque exercitia et culturam mathematicarum disciplinarum semper coniunxerunt, exploratisque accurata et intenta notatione cursibus luminum, anni rationem descripserunt, et metas constituerunt, ac menstrua digesserunt tempora in dies festos, et operas oeconomicas, docendoque haec studia conservarunt.

Ab his gentibus ad alias anni descriptionem defluxisse, et ex harum observatis atque institutis correctam esse, atque ad iustas metas revocatam, si quando aberrasset temporum lapsu progressuque, consensu historiarum omnium certum est.

Aegyptum vero quam exterae gentes frequentius adierunt studiorum causa, Graecae literae magis celebrant. De medicationibus Aegyptiis Homeri carmen notum est. Et vetustissimos reges Sesostrim unum Aphrica, alterum Thulen Europa peragrata ac circumnavigata, illum Aphricam, hunc Europam describi et typis effingi, posteros vero accuratiore studio totius terrae ambitum ac metas, spacia maris infusi in terram, fluminum fontes et cursus, regionum intervalla, et urbium insignium loca, praeterea coeli et stellarum figuras exquisitas depingi tabulis, et in templis ac firmissimis arcibus deponi adservarique curasse, cum alibi tum in Argonautico carmine ostenditur. Addunt hoc alii, Thulen regem ultimam pervestigati a sese septentrionis insulam tan-

quam navigationum suarum terminum suo exornasse nomine, quod tamen verisimilius est ab antiquissimis Baltici littoris accolis Germanis illi tributum esse, inde, quod fuerit limes vergentis in Boream plagae mundi. Limitem enim Germani vocant Thuel, veteri Saxonum lingua. Nec video in quem alium usum inusitatae ac prodigiosae altitudinis, ac molis pyramides tantis sumptibus reges Aegyptii construxerint, nisi ut ex illis in regione plana alioquin ac patente, coelum quoquo versus liberius conspiceretur, et consideraretur artificum diligentia exactius, organorum convenientium ope. Inde Aesculapius medicam artem in Graeciam invexit, cuius posteri avitae professionis possessionem quasi per manus haereditaria traditione acceptam, a maioribus retinuerunt, succedentibus in vestigia parentum liberis annis amplius mille ducentis, instituto procul dubio et consilio Aesculapii, qui hanc ceu alligationem studiorum ad suae familiae posteros velut in Aegypto ad Collegia sacerdotum prospexit profuturam esse, vindicandae tuendaeque puritati doctrinae, et arcendis atque amoliendis occasionibus novarum corruptelarum. Nomen Aesculapii Aegyptium prorsus est, quidquid Graeci comminiscantur, et vel ex *oez* Keleph conflatum, vel ex *aesch* Keleph, alludit ad ea, quae de capra et cane, quorum illa nutritus, hoc custoditus fingitur, et de flamma quae ex eo invento primum ac conspecto erupit, in Graecorum seu fabulosis, seu historicis annotatis commemorantur. Filii celebrantur eius duo Podalyrius et Machaon, quorum uterque expeditioni Troianae interfuit, sed alter Podalyrius cum Ilio deleto redirent Graeci, tempestate Syron, quae in continenti Cariae urbs est, incolumis delatus, ibi consedisse traditur. Alter Machaon in prelio ab Euripylo Telephi filio interfectus est. Eius liberi nati matre Anticlea Dioclis filia, qui Pharas in Messeniaca tenuit, Nicomachus, Gorgasus, Alexanor, Sphyrus, potiti avitis principatibus in Messeniaca, Epidaurio Aesculapii, Pharensi Dioclis, artem in Graecia avitam et docendo et medicando factitarunt usque ad reditum Heraclidarum in Peloponnesum. Heraclidae enim repetito et recuperato avito regno, ex quo fuerant ab Eurystheo primum, et deinde hoc ab Iolao in Attica trucidato, ab Atridis ut invadentibus ac rapientibus regnum Argivorum excussi, cum alios Peloponnesi dominos, ut Tisamenem Orestis filium Spartae et Mycenarum regem, et Nelidas Nestoris posteros partis Messeniacae dominos, tum hos Aesculapii nepotes deiectos de fastigio gubernationis et ditione ac sedibus exutos tota pepulerunt Peloponneso. Transiit Tisamenes in Achaiam, eamque occupatam comitatui suo distribuit, colonis Ionibus partim caesis, partim pulsis, partim servatis quidem, sed aequali sortitioni subiectis. Nelidae Athenas commigrarunt, et recepti aequo iure, sed ab omni principatu exclusi in vita privata Paeonidarum et Alcmaeonidarum familias condiderunt, sicut aliquanto ante Aiacis posteri ibidem consederant, a quibus Cimon et Miltiades orti fuere. Aesculapii nepotes contenti artis avitae, haereditate scholas tres medicas aperuerunt celeberrimas, in Coo unam, alteram in Cnido, tertiam in ora infima Italiae, quam Graeciam magnam vocarunt.

Harum tertia minus diu floruit, fortassis armis crescentis Romani imperii dissipata. In reliquis duabus, ut dixi amplius mille ducentis annis studia medica et mathematica viguerunt, posteris Aesculapii ea gubernantibus et religiosa fide maiorum dogmata et decreta tuentibus ac custodientibus. In Coo natum Hippocratem decimum octavum ab Aesculapio referunt. Post Hippocratem pene ultimos reperio Praxagoram et Aristotelem, in quibus familiae desierunt, vel deficientibus, vel degenerantibus posteris, et alienis in scholas illas, ac societatem studiorum ascitis, qui cum non essent ab ineunte aetate in his educati artibus, nec principia velut cum lacte nutricum suxissent, rectissime explicatam doctrinam, vel non assequuti inventa maiorum inscitia ac ruditate, vel ut potius reor, et ut nunc fit, ambitione ac malicia corruperunt. Ita factum, ut cum excidisset cultura et professio artis medicae limitibus familiae Aesculapii et cessisset alienis, mox in diversas imo contrarias distracta opiniones, ac dissensione et discrepantia docentium foede lacerata pene conciderit. Estque incertis iactata atque agitata dubiisque sententiis ars nobilissima ad Galenum usque qui discussis ac refutatis deliramentis inepte medicantium, Hippocraticae doctrinae nativam ideam ex tricis aspersarum et circumfusarum opinionum evolutam atque expeditam restituit. Sed ad Aegyptum revertor, in qua antiquitus angustioribus inclusum limitibus solis sacerdotum familiis et collegiis incumbebat studium rerum bonarum ac disciplinarum.

Quare de Pythagora referunt, quod ut consequeretur locum in collegio sacerdotum Memphitico, et disceret illa occasione disciplinas Aegyptias, etiam circumcidi more Aegyptio et usitatis genti sacris initiari ritu solenni non recusarit. Fuit hic Pythagoras in Samo natus patre Mnesarcho, avo Euphrone, abavo Hippaso Phliasiorum Principe, qui reversis in Peloponnesum Heraclidis, expulsus a Regnida nepote Temeni fratris Cresphontis atque Aristomachi filiorum Cleodaei, profugit in Samum. Debet huic grata posteritas magna ex parte, quae de differentium numerorum et naturis, et analogiis miro ingenio excogitata, atque ad usus multiplices varietate admiranda accommodata, et firmiter ac solide demonstrata, sineque dubio de thesauris sapientiae Aegyptiae deprompta, et opera discipulorum atque asseclarum eius adservata ad manus nostras pervenerunt. Eudoxum etiam qui octoëterida Graecis instituit, adaptatis lunae menstruis periodis ad solis annuos circuitus ex anni Aegyptii ratione, cum Platone annos tredecim apud Aegyptias Thebas, quas Diospolin postea vocarunt, sacerdotibus audiendis tribuisse Strabo autor est. Postquam vero occupata ab Alexandro Aegyptus, illo extincto, et sociis regna partitis, cessit Ptolemaeo Lagi filius Philadelphus, neglecta superstitione Aegyptiorum et collegiorum pervetustis ritibus ac legibus, scholam Alexandriae aperuit publicam, eamque et conquisitis undique collectisque magno sumptu praestantissimorum autorum scriptis in omni genere et accersitis conductisque professoribus optimarum artium, ita instruxit et exornavit, ut facile omnes orbis terrarum frequentia, celebritate nominis ac famae, et studiorum varietate superarit. Ibi demum accedi frequentarique studiorum gratia cepit ab omnibus gentibus. Fuit hoc Philadelphi studium magno Principe dignum, totique profuit posteritati. Quare ei cum propter alia tum vel hoc nomine praecipue gratia debetur, quod Graecam nobis sacrorum Bibliorum interpretationem suppeditavit, quam missi rogatu ipsius ab Eleazaro Pontifice Hierosolymitano interpretes septuaginta confecerunt. Ab Atheniensibus *αὐτόγραφα* poëmatum Homeri et Sophoclis quindecim talentis emit, suoque exemplo Pergamenos reges Eumenem et Attalum ad aemulum comparandae bibliothecae studium provocavit, qua nisi Antonius Triumvir Alexandriam translata compensasset, quod de Alexandrina a Caesarianis militibus in oppugnatione urbis incensa conflagrarat, periisset quidquid extitit tunc celebrium scriptorum. Nam circiter ducenta millia voluminum habuisse bibliotheca Pergamensis scribitur.

Etsi autem saepe tum a successoribus Philadelphi flagitiosissimis hominibus, ac praecipue ab Evergete Secundo, quem et Phisconem et *κακεργέτην* vocarunt, tum ab exteris gentibus graviter afflicta fuit Alexandria, atque imprimis a Romanis, quos seditiose tumultuantium inter se regum libido ac lascivia, et contumacia superbae gentis pertaesae petulantis dominationis Ptolemaeorum attrahebat, non tamen decus hoc studiorum et ornamentum amisit. Neque post Antonium et Cleopatram ad Actium devictos Augustus, neque post domitam et compressam penitus effrenem licentiam gentis Aegyptiae, et abrogatas leges patrias atque abolitum anni celebratissimi usum, Diocletianus studiorum cursum impedivit. Imo enituit postea magis magisque atque inclaruit Alexandria, aucta, imo absoluta ultimis, quae addi tunc poterant accessionibus lucis ac doctrinae coelestis, cuius in ea urbe semina primus sparsit Marcus Evangelista, Divi Petri ex sorore nepos, unus septuaginta discipulorum Christi. Et fovit conservavitque disciplinas pene in eodem retentas vestigio, usque ad Sarracenicos motus. Ex hac profecta sunt omnia liberalium artium genera, quibus nunc fruimur, haec fovit, excoluit, atque absolvit vere divina Ptolemaei, Theonis, Procli, Galeni et aliorum plurimorum ingenia, quorum illi Mathesin, hic artem medicam exacto studio descriptam et elaboratione summa expolitam nobis reliquerunt. Tandem cum Mahometicus furor occupata magna parte Orientis, in Aegyptum etiam pervasisset, et Sarracenica potentia novae superstitionis progressu amplificata invaluisset, armis Sarracenicis capta ac deleta Ecclesiae et studiorum honestorum domicilium esse desiit. Veruntamen ne tunc quidem excidit Aegyptus omni spe recuperandi decoris antiquissimi, quanquam et servitute tristi ac deformi, et barbarie terra oppressa, sed cum deferbuisset aliquantulum bellorum ardor et consiluissent strepitus armorum, quae exclusa motibus illis fuerant studia, revocata coli denuo multis in locis ceperunt. Nam et Alexandria instaurata est authoritate et opera Pontificis cuiusdam (fuit enim in principio Sarracenici regni in Aegypto penes Pontifices, quos Caliphas vocarunt, summa potestas,

ante Saladinum regem et Sultanorum successionem, qui Saladini posteritate sublata, regnum vi rapuerunt, atque ex Mamalucis ut vocant, id est, religionis et professionis Christianae desertoribus legi cooptarique voluerunt) et aliquanto post in Maroco oppido regni Tunetani celeberrimo Mansor rex praemiis maximis propositis, bibliothecis conditis, et aedificiis in scholae usum magnifice extructis, studia rursus in honorem adduxit atque admirationem, perfectique ut ceu reviviscerent in illis locis: et inde cum Hispaniae magnam partem excussis Gottis, Vandalis, Alanis et Suevis, qui eam veteribus colonis oppressis, circa annum a nato Christo quingentesimum obsederant, in Hispaniam excitatis Cordubae et Hispali gymnasiis omnium disciplinarum propagavit. Sed quae vicerat barbaries et in omnia illa loca inundarat, Graeci sermonis usu sensim attrito primum, post e scholis extruso prorsus, cum barbarico sermone aliquid barbaricarum opinionum invexit, etsi ex Graecis fontibus doctrina hausta erat. Crescentibus enim imperiis victi vere ut se ad mores naturasque inflectunt eorum, qui dominantur, sic et characterismos naturarum atque ingeniorum opiniones sequuntur, et imitantur idiomata sermonis. Ex his scholis prodierunt illi, quos recens aetas ante restitutam in his terris linguam Graecam autores ac praeceptores usurpavit ac celebravit, Arabum Philosophi, Rhasis, Hali, Serapion, Averroes, Avicenna, Alfraganus, Albategnius et alii, quibus autoribus Philosophia literis Arabicis descripta ac conservata, in Aegypto quidem usque ad ea tempora, quibus Selymus Sultanorum potentia destructa, et Alexandria capta sustulit atque abolevit quicquid supererat studiorum, et disturbatis doctorum collegiis, summotisque quos metuit, praecipuas familias ex urbe abductas transtulit alio, anno a nato Christo 1517: In Hispania usque ad Ferdinandum avum maternum Caroli quinti, qui anno a nato Salvatore nonagesimo secundo supra millesimum quadringentesimum regibus Beticae Mauris oppressis potius regno et Metropoli urbe Granata, subditis in fidem suam receptis leges Christianae religionis imposuit, post abrogatam Mahometicam superstitionem, emendata etiam philosophicorum studiorum ratione, annis elapsis fere septingentis, ex quo Miramolinus Maurorum Princeps Hispaniae fere omnis domitor regnum illud stabilierat. Sed multo ante cum leges ac conditiones pacis victoribus Mauris et reliquis in Austria Gottis intercessissent, redierant a Mauris medica ac mathematica studia ad vicinos, atque in latinum coepta sunt traduci sermonem, indeque communicari reliquis Europae gentibus, et tandem Alphonsus rex evocatis e Corduba artificibus, institui observationes novas motuum coelestium, emendari hypotheses veteres collatis inter se omnium temporum observationibus, condi canones motuum, denique repurgari disciplinas mathematicas, ac restitui cum medica arte curavit. Ita post longam barbariem non minima pars Philosophiae ex Arabum repetita est libris, et in has terras reducta, praesertim cum Graecia a Sarmatarum irruptione vim passa esset, et conflictantibus inter se perpetuo Byzantinis regulis, quorum erat in angustum coacta potentia Sarracenorum armis, vel non adiri posset vel contemneretur. Italia vero a detrimentis, quae Gotticae irruptiones intulerant nondum respirasset, et Orienti late dominaretur Mahometicus furor. Tales sunt expertae vices studia harum artium in Aegypto, quas cum legimus aut cogitamus, de causis etiam fatalium poenarum ac mutationum, quae a nobis oriuntur praecipuae complectamur, ut sunt neglectio et contemptus veritatis coelestis, et licentia quidvis faciendi, libidines impunitae et securitas.

Non applaudamus novitatis studio erroris cuiuslibet praestigiis, nec discedamus temere ab explicata doctrinae coelestis et caeterarum artium norma, quam alii aliter nunc depravant vel ad suas inflexam opiniones, vel ad vulgi affectus attemperatam, ut tunc accidit, cum Mahometica deliria animos hominum novitatis specie captos irretiverunt et occuparunt, quae eo avidius excepta sunt ac retenta pertinacius, quod concessa quadam σεισαχθεία severioris disciplinae nervos laxarunt, sed amemus veritatem simplicem et studium Sophistices detestemur, et maiori cura ac diligentia invocato auxilio divino regamus nosmetipsos, ac precemur ardentibus votis filium Dei, ut nos tueatur, nec quam reddidit nobis lucem doctrinarum, eripi rursus Turcicis armis, aut domesticis furoribus sinat. Quae fuit studiorum nutrix tot annis, et scholarum pene omnium metropolis, et verae Ecclesiae sedes Alexandria, nunc hostium Dei et honestatis omnis, hominum impurissimorum stabulum est, et schola blasphemiarum ac turpitudinis, et licentiae barbaricae. Coloniae autem veterum Aegypti scholarum prae-

cipue celebrantur Rhodus, Ionia Asiae minoris, magna Graecia, Tarsus. Ex Ionia enim rursus Attica schola, et Massiliensis profectae sunt. Rhodia schola Aegyptiis vestutate proxima fuit, quae et situs opportunitate, et amoenitate ac temperie coeli, et artium omnium atque imprimis mathematicarum cultura, semper cum Aegypto certavit. Allusit ad haec venuste Pindarus, fingens Iovem Rhodiis aureo imbre pluisse, quod primi in Europa editam a sese Minervam excepissent, et decretis de cultu editis coluissent sacrificiis, nullo tamen adhibito igne, quem quod Athenienses postea addidissent Minervam Athenas praetulisse, scilicet quod Rhodii occupati studiis gravioribus pervestigandorum motuum coelestium, eloquentiam minus exercuerunt quam Athenienses, etsi inter tria rhetorum genera Rhodii etiam recensentur.

Habuit in Rhodo suas observationes Hipparchus. Nec opinor Colossum solis, qui inter septem mundi miracula commemoratur cylindri aut obelisci figura, in alium fuisse fabrefactum tanta altitudine usum, nisi ad συμπαρατηρήσεις stellarum, et praecipue inerrantium. Fecisse hunc Chareten Lyndium Lysippi discipulum septuaginta cubitorum altitudine Plinius autor est, qui et terrae motu prostratum, cum iaceret miraculo fuisse prodidit. Sed erectum rursus ac restitutum Sarraceni longo tempore post, cum imperante Constante Heraclii filio Rhodum expugnatam diripuissent, crudeliter demoliti confregerunt. Aereas de eo massas noningentis camelis Iudaeum quendam asportasse, historiae recentes referunt, unde aestimari magnitudo potest. Ferunt etiam Aristippum, cum amissis naufragio fortunis omnibus ipse cum paucis ad littus Rhodium tabula vectus pervenisset salvus, et obambulans in littore geometricas figuras conspexisset machinis quibusdam insculptas, iussisse socios bono animo esse, quod hominum vestigia reperisset, gratulatumque sibi et reliquis, quod non in littus barbaricum eiecti essent, confirmasse humanitatem erga hospites et naufragos, non defuturam illis hominibus, apud quos harum artium studia tractarentur. Tarsus tantopere celebratur, ut si non excelluisse, aequasse tamen vel Alexandriam, vel Athenas praecellentium ingeniorum copia, quos multis terris praestantissimos suppeditavit, et flore ac vigore studiorum tradatur, sed indigenas fere, non exteros aluit ullos. Haec Paulum Apostolum electum vas misericordiae genuit et erudivit. Utraque et Rhodus et Tarsus cum armis Romanis late imperantibus cessisset, αὐτονομίαν propter studiorum celebritatem retinuit concessione consensuque populi Romani. Utraque immunitatibus donata est, ab Antonio Triumviro Tarsus, a Tiberio Caesare Rhodus. Pythagoram autorem et propagatorem Matheseos in magna Graecia exceperunt longo ordine Philosophi praestantes, quorum aliquos Sicilia, aliquos ipsa Italia produxit, aliquos insulae vicinae. Inter hos commendantur praecipue Telauges Pythagorae filius, Empedocles, Epicharmus, Architas Tarentinus, Alcmaeon Crotoniates, Hippasus, Philolaus, Eudoxus Cnidius, Platonis comes, cuius supra mentio facta est, Timaeus. Ionicae scholae autorem suarum disciplinarum agnoscunt, ac profitentur Thaletem Milesium genere et origine Phoenicen, qui Astyagis Medorum regis seculo ante monarchiam Persicam eclipsim Solis praedixit. Ex his derivatae sunt Attica et Massiliensis. Thaletem secuti sunt longa serie plurimi, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Socrates, Plato. Hunc Aristoteles excepit, et Speusippus seu potius Xenocrates. Qui ad Aristotelem ab Academia Platonis discedentem se contulerunt, Peripateticorum sibi nomen indiderunt. Reliqui sequuti Xenocratem successorem in Academia, nomen Academicorum usurparunt, et recensentur ordine his nominibus. Polemon, Crantor, Arcesilas mediae Academiae autor, Lacydes, Evander, Agesilaus, vel ut Cicero Egesinus, Carneades novae autor Academiae, Clytomachus, Pyrrhus, Heraclitus Tyrius.

Hi digressi a Platonis vestigiis Academiae veteris dogmata corruperunt. Quare qui secuti sunt aliquanto post Platonis sectatores, non Academicos sese suspecto nomine, sed Platonicos vocari voluerunt, coniunxeruntque rursus cum Academia veteri peripateticas scholas. Claruerunt ex illis, cum alii tum vero Aristarchus, Ammonius, et alter huic ὁμώνυμος cognomento κακκὰς vel κακκοφόρος, Plotinus, Amelius, Iamblichus, Plutarchus, Syrianus, Proclus Lytius, cuius et hypotheses extant astronomicae et μετάφρασις τετραβίβλου Ptolemaei, Marinus et plures alii, uno alterum excipiente in eadem statione, velut in acie continua quadam successionis serie pene inde usque ab exordio monarchiae Caesarum ad initia motuum Sarracenicorum.

Constat enim Iamblichum metu Iuliani apostatae mortem sibi ipsi conscivisse, cum inquisito τῆς ἀλεκτρυομαντείας praestigiis Iuliani successore, et mutilo nomine confecto Imperatorem decepisset, dubitantem Theodotus, ne vel Theodorus, vel Theodosius ad imperium vocaretur. Collapsis vero post Antoniorum imperium Athenis, quorum secuto pene ultimas naturam periclitatam fuisse vires in bonarum artium cultura atque ornatu existimo, et tandem deletis Sarracenico furore in Aegypto Alexandria, in pervastata Asia Tarso, et aliquanto ante Antiochia a Valentis exercitu exusta, in qua recens studia literarum inchoata fuerant, et collecti bonorum librorum thesauri non contemnendi, quae adhuc remanserant alicubi in Asia, Graecia et Italia studia Byzantium trepidatione quadam, seu desperatione potius confluxerunt, quo sedem imperii Constantinus collocarat. Praebuit haec urbs multis seculis hospitium exulantibus disciplinis, et earum professoribus, instructa sumptibus et opera Imperatorum bibliotheca centum viginti millium voluminum, quae Basilisco imperante, subito incendio, quod in foro aerario exarserat, correpta, periit tota. In ea fuisse perhibetur Draconis intestinum centum viginti pedes longum, cui totum Homeri poëma aureis literis inscriptum fuit.

Neque tamen qui secuti sunt Imperatores curam restituendae bibliothecae deposuerunt. Sed mox condi ceptae sunt, cum aliae in aliis Graeciae locis, tum vero Byzantii in Basilica regia, cui praefuit is, quem nominarunt οἰκουμενικὸν διδάσκαλον cum collegis duodecim. Eam Leo Imperator pater Copronymi cremavit. Praebuit illi saeviciae causam certamen de adoratione et cultu statuarum, quam idolatriam refragantibus Episcopis abrogatam Imperator volebat. Dicitur adhuc hodie in Olympo monte monasterium reliquum esse thesauro optimorum librorum dives ac celebre. Tandem vero a Turcis inde quoque profligata, ac pulsa studia cum exulibus transvolarunt in Italiam, unde et vicinis terris immenso Dei beneficio, et nobis sunt communicata. Massilia Phocensium Ionicorum colonia fuit, quam condiderunt illi elapsi e manibus exercitus Persici, qui sub Artaxerxe rege eruperat littorali Asiae iugum servitutis Persicae impositurus. Hanc propter legum et disciplinae severitatem atque insignem gravitatem morum Romani Athenis praetulerunt, et eo potius quam Athenas filios studiorum causa miserunt. Floruit multis annis venia donata a Caio Caesare post civile bellum, quod ad Pompeianas defecisset partes, et paulo post ministerio Lazari resuscitati a mortuis illustrata ac ditata, imo et Deo consecrata auctuario doctrinae evangelicae. Talibus vicibus iactata studia literarum, et saepe abiecta ac protrita, deinde ex intervallo alicubi resuscitata, commonefaciant nos, ut cogitemus esse Deum omnis sapientiae fontem et autorem ac conservatorem optimarum artium, et statuamus, non casu ac temere toties et renata esse studia, et rursus interiisse, sed Dei consilio providentia ac procuratione, quando ruinis imperiorum obruta conciderunt, reducta esse admirabiliter, quod sine artium praesidio imperia consistere nulla possunt, et agnoscamus haec tanta beneficia ac grati celebremus. Agnoscamus et causas collabentium artium, quae sunt et fuerunt praecipue omni tempore, aut contemptus verae religionis ac studiorum, aut malitia ingeniorum, ambitione et petulantia audacter ludens vel depravandis sophismatum corruptelis iis, quae recte tradita et recepta sunt, vel fingendis novis opinionibus, aut in doctrina sacra repugnantibus testimonio patefactae veritatis, aut in Philosophia abhorrentibus a ratione et communi sensu. Haec artificia vitemus atque execremur, et precemur etiam Deum ardentius, ne sinat nos ex hac luce doctrinarum extrudi in barbariem, quam hypocritarum rabies et petulantia molitur, et struit inter nos, et non procul nunc intentat nobis tyrannis Turcica, ac vigilantibus studiis praestemus ipsi, quoad eius fieri potest, ut contra barbariem defensa studia perdurent ad posteros vel auctiora, vel eo saltem ornatu et apparatu, quo a maioribus tradita nobis et commendata sunt.

Ut autem de Euclideis Elementis, quae explicanda suscipio, obiter aliquid moneam, Euclidem hunc Megaris natum vixisse Ptolemaei Philadelphi seculo affirmant. Idem ne sit cum eo, cuius antea meminimus, an vero diversus ab illo non disputo. Libros hos ex sparsim demonstratis elementis a Thalete, Ameristo fratre Stesichori poëtae, Pythagora, Anaxagora, Platone, Oenopide, Chio, Eudoxo, Menaechmo et similibus contexuit, et digestis in concinnum, ac pulchre cohaerentem ordinem elementaribus propositionibus, complexus est ceu rudimenta prima totius Matheseos de utraque quantitate, scilicet περὶ τοῦ πόσου καὶ τοῦ πηλίκου.

Sunt illa enim ut orationis integrae literae et syllabae, sic absolutioris Matheseos elementa, ex quibus texuntur ac conflantur infinita varietate demonstrationes aliae. Et ut literis non perceptis, nec cognita ratione colligendarum ac nectendarum syllabarum vel disponendarum, in formam orationis vocum, nemo discet legere aut perorare, sic sine his elementis non se speret quisquam in reliqua Mathesi, quae ex his ceu characteribus extruitur progredi, ac proficere posse.

Mathesis universa *κατὰ τὰ ὑποκείμενα νοητὰ καὶ αἰσθητὰ* recte in duorum generum differentes distinguitur species, quorum illud Arithmeticen et Geometriam, hoc *μηχανικὴν*, *ἀστρολογίαν ὀπτικὴν*, *γεωδεσίαν*, *κανονικὴν* et *λογιστικὴν* comprehendit. Prioris generis elementa hoc volumine Euclides exponit. Geometria rursus distinguitur in *γεωμετρίαν* sic dictam nomine generis, quam recentes *ἐπιπεδομετρίαν* vocant, et *στερεομετρίαν*. Geometrica elementa prioribus sex libris exponit Euclides hoc ordine. Primo de figuris rectarum linearum, et primis earum speciebus ac simplicioribus, nimirum de triangulis et parallelogrammis pertractat, et prima quidem libri parte de triangulis, altera de parallelis et parallelogrammis, tertia triangula cum parallelogrammis confert. Secundo libro *δύναμιν* lineae rectae explicat. Est autem *δύναμις* lineae rectae parallelogrammum cum angulo recto, vel *τετράγωνον*, vel *ἑτερόμηκες*, sed *τετράγωνον* verius, quam *ἑτερόμηκες*. Tertio ad circulos pertinentia elementa complectitur, et parte quidem priore de mutuis inter se sectionibus et contactu mutuo circulorum, deque linearum rectarum vel incidentium, vel tangentium aut sese mutuo, aut circuli ambitum ratione, altera de angulis, quos in circulis vel inter se rectae lineae, vel cum circuli perimetro efficiunt ac conformant, tertia *περὶ δυνάμεως* aut secantium sese, aut tangentium circuli ambitum rectarum linearum agit.

Quartus liber mechanicus totus problematis constat, et docet demonstrative regularia rectarum linearum schemata, aut inscribere circulo, ambitu circuli circumducto, aut perimetro circuli circumscribere. Quintus rationum ac proportionum doctrinam habet. Sextus rationes inter se planorum regularium schematum, triangulorum praecipue parallelogrammorum et circulorum ostendit. *τῆς στερεομετρίας* rudimenta posterioribus libris quinque absolvit. Undecimo de situ et habitudine inter se planorum, quibus angularia corpora includuntur, ex linearum rectarum in planis illis situ et angulorum, quos includunt ratione atque e converso, deque corporum ipsorum aequalitate atque inaequalitate pertractat. Reliquis tribus rationes, et analogias inter se corporum demonstrat, quarum *ῥητοὶ* aliquae, aliquae *ἄῤῥητοι καὶ ἄλογοι* sunt. Decimus quintus mechanicus est, et ut opinor mutilus. Arithmetica elementa in medios quatuor contulit, ac digessit libros. Septimo doctrinam de numeris, numerorum rationibus et analogiis. Octavo de similibus numeris, de nominationibus eorum et analogiis. Nono de praecipuis numerorum speciebus, de pari, impari, perfecto, abundante, diminuto complexus est. Decimus liber mixtus est, partim geometricus, partim arithmeticus. Accommodat enim Euclides magnitudinem ad multitudinem, in qua collatione seu applicatione manifestum est proportiones longe amplius patere in Geometria, quam numerorum doctrina. Hinc ortum discrimen proportionum, ut alia vocetur *ῥητὴ*, id est, nominata, ut multiplex sesquialtera. Alia *ἄλογος*, id est, innominata, ut radix quadrata de septem ad duo vel ad radicem quadratam de quinque. Sine hac cum in *στερεομετρία* analogiae ostendi et explicari non possint, praemisit Euclides arithmeticos libros reliquis mox geometricis elementis subiunctos. Sed de his omnibus inter praelegendum copiosius auditores erudiam.

Horum autem librorum enarrationem inchoaturus, oro Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani et Ecclesiae suae, ut nobis adsit sancto suo Spiritu, et iuvet ac gubernet studia et conatus nostros, ut ipsi grata fiant. Dixi.

No. 164. an. 1557.

De Erasmo Roterod.

In sel. Decl. T. IV. p. 778 sqq., Servest. T. IV. p. 706. et Richard. T. I. p. 659.

Oratio de Erasmo Roterodamo; recitata a M. Bartholomaeo Calkrenter Crossensi, 1557.

Semper mentes nostrae Deum intueantur, et cogitantes de continuis beneficiis, autorem agnoscant, et celebrent, et misceantur, crebri gemitus propter nostram indignitatem, et ardentibus votis petamus, nos luce filii Dei, Domini nostri Iesu Christi, et Spiritu sancto gubernari, nos protegi et servari. Sicut inquit Deus, se gestaturum esse Ecclesiam, sicut pastor teneros agnos gestat.

Maxime vero in publicis congressibus, significatio ostendatur gratitudinis et invocationis nostrae. Mecum igitur initio piis mentibus hanc primam et praecipuam orationis partem recitate.

Tibi omnipotens Deus aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, creator coeli et terrae et hominum, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, gratias agimus, quod immensa bonitate, cum alia nobis innumerabilia beneficia praestas, tum vero quod inter nos aeternam Ecclesiam voce Evangelii colligis, et servas inter nos coetus docentium et discentium tuam doctrinam.

Haec ingentia bona non casu sparguntur, sed vere sunt Dei et opera et dona. Ac nos quidem fatemur indignos esse tanta beneficentia, sed propter tuam gloriam, sit aliqua Ecclesia consentiens, te recte celebrans, te invocans. Sint honesta doctrinarum studia, simus et nos agni, quos in gremio gestas. Haec petimus ardentibus votis, quae ut propter filium mediatorem praestes, supplices precamur.

Consuetudo est autem honesta in his congressibus dicere, de aliqua doctrinarum parte, aut exempla commemorare, discentibus utilia.

Etsi autem pro mea tenuitate argumentum minus difficile eligere debueram, tamen cum his diebus, inter amicos, quaedam de horum temporum studiis disputari audirem, quo in sermone et Erasmi Roterodami mentio fiebat, huius viri historiam praecipue huc adferre decrevi, non ut in eo laudando, inepta ostentatione preconium stulticiae meae facerem, ut si velim Herculem aut Cyrum laudare: sed ut adolescentes adhortarer, ut scripta eius utilia legant, et virtutes ipsius proprias considerent, quas in tanta ingenii magnitudine, qua a Deo instructus fuit, habuit multas et egregias, in inveniendo acumen, et in eligendis argumentis et sententiis prudentiam et circumspectionem, in eloquendo sermonis copiam, lumina figurarum, venustatem et leporem, quo adeo excellit, ut ipsae Charites undique floribus conspersisse eius orationem videri possint.

Sunt autem legendi summi artifices, ut Homerus, Isocrates, Cicero et alii, non quod imitari omnia possimus, sed ut ea, quae transferre ad nos possumus, inde sumamus. Sermonem, rerum doctrinam, consilia in rebus disponendis, et si quem natura adiuvat, utcunque vestigia in eloquendo sequamur. Intelligamus enim dissimiles esse naturas, et tamen infirmiores, adiuvandos esse arte, bonis exemplis, et qualicunque assuefactione, ut fit in pictoribus.

Sic igitur de historia Erasmi dicam, simul ut de eius oratione, et de scriptis aliquid verecunde addamus, non ut indicavit Midas de Apolline, sed ut iuventus magis amet et legat utilia Erasmi scripta, quae multa sunt.

Continet autem et vita eius multarum virtutum exempla, sedulitatis, patientiae laborum, modestiae et beneficentiae. Quare de toto vitae cursu dicam, quantum ex fide dignis audivi.

Mentio fit Batavorum in multis historiis. Hi nunc Hollandi nominantur. Horum urbs est clara Roterodamum, in qua natus est Erasmus, ac domus exigua parentum hodie ostenditur. Natus est autem anno millesimo, quadringentesimo sexagesimo septimo, die vicesimo octavo Octobris, hora quarta ante solis ortum. Suntque in positu stellarum significationes ingenii, Eloquentiae et leporis non obscurae.

Literas Latinas et Graecas Daventriae didicit in schola Alexandri Hegii, qui familiaris fuit Rodolpho Agricolae. Ac solitus est ipse Erasmus narrare praesagium Rodolphi Agricolae de adolescentis studio. Forte ostenderat Hegius hospiti Rodolpho in scholam ingresso, adolescentum scripta. Cumque tyrocinium illud probaret, et gratularetur studiis, praetulit tamen Erasmicum scriptum caeteris, propter inventionis acumen, orationis puritatem, et figuras, apte ceu flosculos interspersos. Eoque scripto adeo delectatus est, ut ex lineamentis quoque, de indole coniecturam sumere cuperet. Iubet igitur vocari Erasmum, quem cum pauca sciscitatus esset, contemplans figuram capitis, et charopos oculos, hortatur ad discendum, inquiens: Tu eris olim magnus.

Processit itaque foeliciter in discendo, nec inchoata studia mors parentum abrupit. Sunt enim in Batavis et in Belgico sodalicia in monasteriis, et plura et magis dedita literis, quam in hac nostra Germania, quae Scholasticis libenter opitulantur.

Orbatum igitur parentibus Erasmum, sodales illi in monasterio Daventriensi, ad sese invitant, et orphano spem faciunt, se missuros esse eum Lutetiam, quod et aliquanto post factum est. In ea Academia non solum didicit, sed cum scripta ei aditum ad viros doctos et nobiles patefacerent, et mores essent modesti, et comitas mirifica, familiariter eum nobiles quidam sibi adiunxerunt, quos erudiit.

Narrat ipse in quadam epistola, adsiduitatem fuisse tantam discentium, ut in prandiis et coenis etiam soliti sint adhiberi lectores Latinorum scriptorum, in quibus cum locus obscurus occurrit, interpretationem et poposcit ab aliis, et cum opus fuit ipse adiecit.

Exercitia etiam styli talia fuerunt, non ut verba pauca mutaret in alieno scripto, sed ut integras orationes retexeret, ut discentes cernerent, in toto aedificio quid defuisset. Ac fama ingenii et facundiae ipsius cito ad aulam Belgicam pervenit. Ubi cum Iacobus Battus eum gubernatoribus commendasset, adiutus est aulae liberalitate.

Sed Angli eum ex Gallia secum in patriam adduxerunt, quo et propter Graecorum librorum copiam, quae ibi magna iam olim fuit: et quia tunc plurimi erant Episcopi in Anglia excellenter eruditi, libenter profectus est.

Cumque et vis ingenii magna esset, et eruditio eximia in Latina et Graeca lingua, docti et sapientes Episcopi, Cantuariensis et alii, statim ornare eum liberaliter ceperunt, praesertim cum iam aetas virilis aliquid adderet autoritatis.

Ibi duas tragoedias Euripidis vertit, de quibus ipse quid senserit, inde intelligi potest, quod cum Longolius coram dixisset, orationem ipsius humilem et summissam esse, ac deesse ei splendorem et grandiloquentiam, iussit eum experiri, an posset simili splendore, tragoediam Euripidis aut Sophoclis Latinam facere.

Datus est igitur ei locus publice docendi Graece et Latine in Academia Cantabrigiensi, quem ut Graecis libris uti posset, libentius accepit. Aliquanto post cum Regii medici filiis in Italiam missus est, ubi Medicos saepius audivit, quam Theologos aut Iurisconsultos, etsi hos quoque audiebat. Latinae linguae Professores non audivit, quod ibi praeter Baptistam Pium ineptum hominem, non alius Professor erat. Monstrosa oratio illius Baptistae fuit, imitatrix non eius sermonis, qui usitatus fuit Romae, inde usque a Terentii tempore ad Augusti aetatem, sed quo ante Decemviros Volscorum rustici usi sunt. Derisus est igitur ludis scenicis.

Hunc Baptistam cum semel audivisset, interrogatus Erasmus ab amico, quid iudicaret, respondit: longe vicit opinionem meam. Quinam inquit ille? subiecit Erasmus, antea ineptum esse iudicavi, nunc prorsus insanire eum comperi.

Cum igitur Bononiae librorum copia esset, instituit opus Proverbiorum grandius, quod postea Venetiis et auctum et ornatum in officina Aldi edidit.

Bononiae consuetudine hominis diserti Pauli Bombasii delectatus est. Venetiis cum in Aldi domo viveret, omnibus eruditis, et notus, et charus fuit, sed praecipue Marco Musuro Cretensi doctissimo viro, quem postea Leo Pontifex Romam accersivit, ad Graecae linguae propagationem.

In Academia Senensi etiam filium regis Scottorum Iacobi Alexandrum docuit, cuius mortem deplorat in proverbio: Spartam nactus es, hanc orna.

Edito opere Proverbiorum in Angliam rediit. Cumque propter eam editionem multi sapientes et docti viri eum magis admirarentur, magis expetiverunt eius familiaritatem Principes et Episcopi. Sed semper aulas sapienter fugit. Et contentus Warami et Montioii liberalitate, quorum sapientia et virtus fuit excellens, rediit in Italiam, ut Romae doctorum consuetudine frueretur. Ubi Cardinali Grimano Veneto familiaris fuit, cuius domus Academiae similis erat, quia et ipse eruditione ac modestia caeteris Cardinalibus antecellebat.

Eo tempore, quia viderat Italiae, et Galliae calamitates, ortas ab eo bello, quod Iulius Pontifex adversus Ludovicum Gallicum regem accenderat, scripsit querelam pacis.

Hanc cum praecipui viri legissent, qui bella non necessaria moveri dolebant, sermones et de Erasmo, et de hominum iudiciis ad Iulium perfe-

runtur. Fremens Iulius Erasmum accersit. Etsi autem Erasmus tyrannum norat, et eius vultu perterrefactus erat, tamen praeter omnium opinionem Iulius placide eum monet, ne de regum negotiis scriberet, Tu, inquit, talia non intelligis, ut Phalaris Simonidae dixit, *μέλοιεν δέ σοι μουσῶν εὐκλέεις πόνοι.*

Reversus ex Italia in Belgicum, scripsit Philippo, regi Hispaniae, Panegyricum lectu dignum, et propter memoriam regis Philippi, in quo multarum virtutum fuerunt initia, et propter orationis splendorem.

Cum autem in tot peregrinationibus, non solum urbes multorum, sed etiam sensus atque opiniones considerasset, et iudicium eius de multis magnis rebus confirmatum esset, et autoritatem fama eruditionis, et aetas adderent, videretque ingentia Ecclesiae vulnera, decrevit edere Novi Testamenti interpretationem magis Grammaticam, et addere admonitiones de vocabulis et de phrasi.

Hoc opere iudicabat duas res magnas et utiles agi. Futurum enim esse, ut studia emendarentur, et plures Latinam et Graecam linguam discerent, et paulatim exoriente luce veritatis, tenebrae evanescerent, et multorum errorum vanitas retegeretur.

Fuit foelix institutum, ac ego quidem existimo, divinitus et studia eius, et consilia ad hoc opus gubernata esse. Liber editus et rerum bonitate, et orationis suavitate, iuventutem ad linguarum et ad Grammaticae studia invitavit, seniores etiam de multis erroribus admonuit. Ut autem bonis viris gratus hic labor fuit, ita contra in omnibus gentibus Hypocritae monachi, metuentes suae autoritati et ventri, et haec nova studia opprimere, et ipsum autorem perdere conantur. Pugnant in aulis, in Gynaeceis, in concionibus, ut Erasmus tollatur e medio. Fingunt crimina et fabellas gratas suo theatro, ut veritati in Ecclesia omnibus temporibus Hypocritae adversantur. Sed armaverat Deus Erasmum sua gorgone, videlicet, Eloquentia, qua fortiter repulit hostes.

Postea totum doctrinae ecclesiasticae corpus, voce reverendi viri D. Lutheri repurgatum est, quam ad rem praeparatio fuit, quod libri apostolici et veteres historiae iam in manibus hominum erant.

Etsi autem de quibusdam controversiis, quaedam fuisse iudiciorum dissimilitudo inter Lutherum et Erasmum videtur, tamen nihil dubium est, Erasmo totam hanc partem emendationis placuisse, quae taxat errores de ritibus humanis in Ecclesia.

Constat etiam eum saepe dixisse, in interpretatione Sacrorum librorum vinci a Luthero omnes et veteres et recentes interpretes, nec *ἐξηγητικὰ* scripta meliora esse Lutheri enarrationibus, quae Prophetas enarrant, quas quidem et ipse Erasmus legi sibi a coena iubebat. Sed in contentiosis scriptis interdum eum horridius quaedam exaggerare, ne quid de causa largiri videatur.

Notum est etiam colloquium boni Principis, et sapientia praestantis Ducis Friderici et ipsius. Cum enim controversiae de doctrina recens motae essent, et Dux Fridericus prospiceret, quanta tempestas impenderet, et neque falsa spargi permissurus esset, neque veras et necessarias emendationes metu periculorum opprimi vellet. Erasmum de re tanta consuluit. Quo in colloquio, cum ante exordium, ut in primis congressibus aliquid hilaritatis ostenditur, dixisset Dux Fridericus: Propter quas causas monachi adeo irascuntur Luthero? Erasmus inquit: Duo magna peccata admisit, attigit coronam Papae et ventres monachorum.

Deinde secuta est seria deliberatio, in qua Erasmus genus doctrinae dixit pium esse, sed optare se, quasdam non necessarias quaestiones et horridiores praeteriri, et placidius disputari. Mortuus est Erasmus in invocatione Dei. Et civis esse Ecclesiae Basiliensis voluit.

Nec vero mirum est, in tanta mole controversiarum, alicubi inter homines etiam bonos, aliquam incidere dissimilitudinem iudiciorum. Sed hanc disputationem omitto. Multa sunt autem signa modesti animi in Erasmo. Potuisset apud Pontifices accipere magna premia adsentationum, si ambitionem studiis praetulisset. Et profuisse eius labores ad excitanda studia linguae Latinae et Graecae manifestum est. Vivet etiam in his utilibus operibus, in novi Testamenti interpretatione, in eo libro, qui est velut copiae cornu, in quo tam varia est, et dulcis Proverbiorum interpretatio, quem librum, ut saepe multumque legatis, valde vos adhortor.

Sermonem etiam ac figurarum exempla multa ex eius oratione sumere poteritis.

Etsi enim Critici quidam delicias esse immodicas, et interdum figuras intempestivas esse di-

cunt, et in compositione negligentiam reprehendunt, tamen bona minent, copia bonorum verborum. Et haec ipsa foecunditas, quae reprehenditur, laus est ingenii, concedatur etiam aliquid genti, et primae institutioni in Gallia, ubi lingua patria multum habet deliciarum.

Grata fuit Demetrii Phalerensis oratio, et non amisit Atticae orationis formam, etiamsi plusculum habuisse deliciarum dicitur. Sic et Erasmica grata sit, et Latina esse censeatur, etiamsi flosculi densiores sunt, ut in prato.

Haec de forma orationis ideo brevius dico, quia vos ipsos crebra lectione operum ipsius experiri dulcedinem eius volo. Aliquid vero succi, et in vestrum sermonem derivabitur, si saepe ea legetis.

Cum igitur in Erasmo, et vis ingenii magna fuerit, et fuerint in eo multae egregiae virtutes, et cum studia linguarum necessaria Ecclesiae et vitae civili, plurimum adiuverit, gratis mentibus eius memoriam conservemus, ipsius monumenta legamus, et grati eum celebremus.

Simul etiam Deo gratias agamus, quod linguarum cognitione Ecclesiam instruxit, et lucem suae doctrinae nobis praebet, et his Dei beneficiis pie utamur. Dixi.

No. 165. an. 1557.

De aphorismo VI^to Partis II.

In select. Declam. T. III. p. 808 sqq., Servest. T. III. p. 761. Richard. T. II. p. 217.

Quaestio explicata a Doct. Paulo Luthero. (d. 29. Iul. 1557.)

Initio gratias ago Deo aeterno, Patri Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, conditori generis humani, et Ecclesiae suae, fonti omnis sapientiae, quod immensa bonitate me in hac Ecclesia nasci, educari et erudiri voluerit, in qua charissimi patris mei, piae et sanctae memoriae, voce et scriptis doctrina coelestis ex superiorum temporum plus quam Cimmeriis tenebris evoluta atque illustrata, nunc pure lucet et sonat in magna parte Germaniae. Deinde quod his proximis annis, cum eiectis nobis ex solo patrio, ac misere dissipatis, terror armorum hostilium internecionem minitari videretur atque intentare, restinctis ardoribus belli, scholam hanc velut de collectis ex naufragio tabulis restituerit atque erexerit, meque cum moestissima matre incertis diu iactatum sedibus, et longo ac periculoso exilio fatigatum, ceu postliminio reduxerit in hanc scholam, ad audiendam rursus vocem doctrinae, cuius semina et rudimenta patre autore et magistro velut cum lacte matris suxeram antea, atque combiberam a teneris. Ad quam quidem redii libentius, non eo tantum, quod patria esset et custos sepulchri paterni, et puerum me sanctissimis opinionibus imbuisset, quarum uberiorem et confirmatiorem cognitionem desiderabam, sed multo magis quod doctrinam a patre et aliis, Dei beneficio et auxilio, recte explicatam, tanquam sacrum depositum, pio studio et religiosa fide conservaret, ac tueretur incorruptam. Profiteor autem stans ad tumulum patris, me huius Ecclesiae civem esse, et amplecti toto pectore consensum doctrinae, quam cum scholae hac Ecclesia oppidi constanter vivo patre confessa est, et nunc eandem post ipsius obitum sonat, docendoque propagat, nec discedam Deo iuvante ab hoc consensu unquam, donec vixero.

Si vero quaerat aliquis, cur artem Medicam potius, quam patris exemplo doctrinam sacram sim sectatus professione, (studio enim et cura discendi in neutro mihi defui unquam), illi respondeo. Nec temere me et inconsulto, nec meo solius consilio, sine prudentiorum autoritate et consensu, aut in hoc studii genus ingressum esse, aut postquam id suscepissem, vagatum in eo sine ratione et ordine temere.

Sed cum natura me pater duci ad cognitionem mirandae varietatis rerum, quas hoc mundi domicilium, velut theatrum quoddam contemplandas nobis exhibet, et cum quadam alacritate ac voluptate, inchoare considerationem naturae, puerum adhuc animadverteret, delectatus hoc meo studio, non autor tantum, sed hortator etiam et impulsor fuit, in eo ut pergerem ac perseverarem.

Saepe cum de his studiis philosophicis familiariter cum amicis colloqueretur, prae caeteris artem medicam praedicabat maxime. Hoc patris iudicio magis accendebar, praesertim cum et causas, quas addebat, intelligerem.

Non enim suavitate doctrinae, et magnitudine utilitatum, quibus de toto genere hominum haec meretur optime, tam se capi ac moveri aiebat, quam cognatione cum doctrina sacra. So-

Iam enim hanc post sacrarum literarum divina voce patefacta testimonia (quae sola quis et qualis sit Deus, et quae Dei voluntas, expresse docent) post illa, inquam, evidentius caeteris artibus convincere animos hominum, et confirmare certius de Deo, prolatis collectisque ex miranda corporum nostrorum fabrica, et ex tanta in rebus nascentibus distinctarum virium varietate, illustribus et conspicuis vestigiis providentiae, sapientiae, potentiae et bonitatis divinae. Et in populo Dei autoritate et mandato divino semper familias sacerdotum, cum doctrina coelesti studia atque exercitia artis medicae, et cognatarum coniunxisse.

Dedidi me itaque artis medicae studiis, et insita quadam propensione incitatus, et invitatus doctrinae pulchritudine, et gravissima patris autoritate confirmatus, in quo si quid consequutus sum, quo serviam et prosim aliis, laetabor vel de successu foelici, tamquam de uberrimo impensae operae fructu, et Deo gratias agam. Certe non umbras captare evanidas, sed fontes exquirere atque introspicere studui.

Cum autem petenti mihi tributum sit studiorum testimonium publicum, et scholae consuetudo requirat, ut de aliquo argumento in hoc loco verba faciam, quod vel desumptum sit ex aphorismo aliquo, vel explicationem aphorismi contineat iustam et integram, delegi certo consilio aphorismum sextum partis secundae, cuius verba sunt: Quicunque dolentes parte aliqua corporis, dolorem fere non sentiunt, iis mens aegrotat. Utitur Hippocrates voce *γνώμης*, quam et ipse *διάνοιαν* alibi appellat, et Galenus *διάνοιαν* hoc in loco interpretatur.

Quid vocet igitur seu *γνώμην* seu *διάνοιαν* Hippocrates, et cur hac affecta sensus in reliquo corpore hebetetur inquiremus, exposita prius et Philosophorum et Medicorum, de anima sententia.

. Aristoteles (ut ab hoc ordiar) suis quibusdam adductus rationibus, Animam nominat: *Ἐντελέχειαν σώματος φυσικοῦ, ὀργανικοῦ, δυνάμει ζωὴν ἔχοντος,* qua *περιφράσει* non quae sit animae idea et substantia explicat, sed illud se animam vocare indicat, quod corporis est *ἐντελέχεια.* Etsi autem de huius vocis significato, productis utrinque magnis argumentorum agminibus docti inter se acerrime dimicarunt, cum alii Ciceronis interpretationi patrocinentur, alii hac reiecta aliam quaerant: tamen cum de re primum inquirendum mihi esse videatur, ex qua cognita vocabuli significatum rectius intelligitur, omissa illa disputatione, de re pauca dicam.

Animadvertit Aristoteles experientia duce, et magistra ratione, in omnibus corporis partibus *δυνάμεις* reliquas vita languescente paulatim deficere: eadem extincta concidere subito atque emori, caeteris aut affectis, aut prostratis, non protinus vitam extingui, etsi paulatim absumitur.

Idque manifeste conspicitur corpore *ἀτροφίᾳ* laborante aut *μαρασμῷ,* hepate confirmata intemperie, quae hydropen parit: cerebro autem vel vulnerato lethaliter, vel apoplexia aut epilepticis paroxysmis correpto. Nutrice facultate aut cessante aut aegre et difficulter munus suum obeunte, si vita supersit, nec sensum amittit membrum motumve, nec putrefactionem experitur. Si vita abscedat, ut in *νεκρώσει, σφακέλῳ, γαγγραίναις,* succedens protinus putrefactio, ex occupata parte reliquas vires omnes elidit, et dissoluta compage mixti, atque elementorum coalitu divulso et dissipato, corrumpit membri formam. Sic in membris aut stupore gravatis, aut paralysi enervatis, aut *παραπληγίᾳ* velut truncatis, concidit motus, et sensus abit omnia atque evanescit, vita tamen remanet, de qua tantisper donec vel scintillula reliqua est, ab interitu et corruptione nihil periculi est. Consideravit et hoc Aristoteles, vita in corde extincta, confestim eodem momento reliquas vires omnes in corpore universo collabi atque interire.

Non autem e converso cum oppressis reliquarum virium fontibus ac sedibus, ut cerebro et hepate, vitam simul opprimi. Neque enim ullae quantumvis laethales cerebri laesiones aliter vitae vim inferunt, nisi strangulando ac suffocando cor, motu pectoris impedito, et prohibita atque interclusa respiratione. Eademque caeterarum affectionum ratio est, quarum nulla nisi vitam in corde vel sua vi, vel alio modo corripuerit atque enecarit, mortem corpori consciscit.

Haec cum observasset Aristoteles, vitam a reliquis viribus, quas nominat *θρεπτικὸν, ὀρεκτικὸν, αἰσθητικὸν, κινητικὸν, κατὰ τόπον* et *διανοητικὸν* discrevit, nimirum, quod vita reliquas complexa omnes, cum viget, excitat, vivificat, fovet et conservat in toto corpore et singulis partibus, cum moriens destituit, ceu perimit omnes.

Vocat ergo reliquas vires *δυνάμεις*, quod requirunt *ἐντελέχειαν*, excitantem ipsas, vim vivificantem *ἐντελέχειαν πρώτην*. Vires ipsas excitatas iam, et sese exercentes, suasque functiones peragentes *ζωὴν* seu vitam, quae potentia corpori inest. Nec vocat animam aliud quidquam, quam vitam ipsam seu vim vitalem, et vivificantem in corpore organico, physico, quod vitam *δυνάμει* habet, non *ἐνεργείᾳ* seu *ἐντελεχείᾳ*, sine quo ceu fomite et fomento nullus est sensus, motus nullus, nulla nutritio, nulla denique virtus, ne quidem in aliqua trium praecipuarum partium, quae caeterarum virium sedes sunt et principia. Non sensum ulli parti cerebrum communicat, nisi vivat. Usus est autem voce *ἐντελεχείας*, ut ostendat se illud nominare animam, quod est *ἐντελέχεια πρώτη δυνάμεων* corporis, id est, quod in corporis physici organis latentes adhuc, et ceu sopitas vires excitat, ac velut de potentia (ut ita dicam) in actum reducit primo ac per sese. Hoc vero nil praestat aliud, nisi vita sola. Cumque ex corde tanquam primo principio fluere ac diffundi vitam in reliquum corpus constet, et reliquas vires ex hoc primo fonte educit Aristoteles, ut sensum et motum, quod scilicet ex vitae principio pendeat *ἐνέργεια δυνάμεων* cerebri, et dubitat ex certo ne loco agitet, et regat anima corpus velut gubernator navim, an vero in totum sit fusa corpus, cum inquit: *ἔτι δὲ ἄδηλον ἢ οὕτως ἐντελέχεια τοῦ σώματος ἡ ψυχὴ ὥσπερ πλωτὴρ πλοίου.*

Anima igitur Aristoteli aut est tantum forma (ut ita dicam) substantialis cordis, seu in corde substantiali principium vitae, aut communicata toti corpori vita, quae est *δυνάμεων* caeterarum *ἐντελέχεια*, quod potius videtur velle Aristoteles. Si est in corde ceu substantiale principium vitae, quid est aliud, quam quid *ἐντὸς τελειοῦν καὶ ἐνεργοῦν τὶ ὅπερ ἐν πλοίῳ πλωτήρ*? Si est vita ipsa diffusa in corpus universum (alterutrum enim horum duorum, ut sit, necesse est), cur non recte *ἐντελέχειαν* interpretatus est Cicero continuatam et perennem motionem, cum sit anima, nil nisi *ἐντελέχεια δυνάμεων* corporis, id est, ipsa agitatio virium a vita ex corde continuo fluente? Quanquam non refragor, si perfectionem vocent, imperfectarum *δυνάμεων*, quae sine *ἐνεργείᾳ* imperfectae prorsus sunt, et vocat *πρώτην ἐντελέχειαν*, ut a vita latentes *δυνάμεις* excitante actiones ipsas virium discernat, quas excitatae et promentes sese edunt atque exercent.

Cumque contra Platonem disputat *ψυχὴν ἀκίνητόν τι εἶναι*, hoc vult, *ψυχὴν* non esse illam excitatarum virium *ἐνέργειαν*, quam ipse *ζωὴν* nominat, ut *ἀπὸ τῆς ψυχῆς* distinguat, Sed causam praecedentem, quae est vita in omnes partes distributa. Haec cum de Aristotelis opinione praemiserim, addam pauca de Galeni sententia, cuius Plato autor est. Sequuti hanc Medici tres specie et locis distinctas constituerunt animas, quarum *ἡγεμονικὸν* seu *λογιστικὸν* in cerebro, *θυμικὸν* seu *θυμοειδὲς* in corde, *ἐπιθυμητικὸν* in hepate collocarunt. Plato actiones distinguens communes omnibus *δευτερούργους τῆς ψυχῆς κινήσεις*, proprias singulis *συγγενεῖς καὶ πρωτούργους* nominat. Hoc rursus Galenus distinguens, quasdam *ἔργα τῆς ψυχῆς καθ' ἑαυτὴν*, quasdam *ἐν τῷ πρός τι* nominat. Tribuit autem Galenus *τῷ λογιστικῷ* totam vim sentiendi atque intelligendi cum motrice facultate, nec rationalem animam a cerebri temperie videtur divellere. Caeteri cum de ortu et conditione eius animae, quae mentis et rationis compos est, dubitent, Plato solus et a corporis conditione separat, et forinsecus accedere, neque interire cum corpore affirmat. Etsi autem et sacrae literae nos in Ecclesia docent, de parte intelligente hominis, quod sit Spiritus intelligens, a corporis natura diversus, tamen vires eius praecipuas cum cerebri praecipuis viribus, mentem intelligentem cum sensibus utriusque, voluntatem cum motrice virtute coniunctas esse certum est.

Itaque de actionibus animae rationalis cerebro copulatis Medicorum more, tanquam de solius cerebri actionibus, servata Ecclesiae sententia, de substantia eius, recte loqui nos posse iudico.

Cum ergo cerebrum fons sit proximus, et proximum organum, cum motuum omnium, tum mirandarum cogitationum, et virtutis sensitricis (etsi et vitam a corde, et aliam vim maiorem a parte hominis altera intelligente accipit) liquet manifesto, cur dicat Hippocrates mentem aegrotare, si dolor non sentiatur in parte vel inflammatione affecta, vel tumore obsessa, vel alioquin afflicta, nec alia compareat evidens causa, sensum membri obtundens vel auferens. Est enim *ἀναισθησία* argumentum laesae virtutis, cerebri et nervorum, vim sentiendi e cerebro deferentium. Laeditur autem cerebri virtus, vel temperie depravata, aut solarum qualitatum contrariarum ex-

cessu, aut coacervatorum humorum vicio, vel continuitate soluta.

Haec declarandi aphorismi causa, qua potui brevitate exposui, et oro reverenter, ut et argumenti et orationis tenuitatem boni consulatis, quod facturos vos de humanitate vestra et aequitate, atque erga me benevolentia singulari certo mihi persuadeo.

Oro etiam Deum aeternum, patrem Domini nostri Iesu Christi, per et propter filium, ut adsit Ecclesiae suae, et in hac schola servet ac defendat studia doctrinae coelestis, ac caeterarum artium et totum vitae et studiorum nostrorum cursum regat ac gubernet, et conatus in medicando nostros atque industriam fortunet. Dixi.

No. 166. an. 1558.

De Gregorio Nazianz.

In Orat. T. V. p. 50 sqq., in Orationibus postremis Mel. p. 53. et apud Richard. T. III. p. 738.

Oratio de Gregorio Nazianzeno; recitata a M. Iacobo Lechnero Austriaco, Decano, **20.** *Febr.* **1558.**

Honestae causae sunt horum congressuum, nam et renunciationem testimoniorum decet esse publicam, et convenire senes tanquam censores, ut audiant qualia sint iuniorum studia, utile est, et ipse conspectus multorum eruditorum in hac frequentia accendit animos iuniorum ad cogitationem de studiis doctrinae. Convenimus autem non tantum ad haec spectacula, sed multo magis ad precationem. Quare initio ad hanc meam commemorationem gemitus et vota vestra adiungite: Gratias agimus Deo aeterno, patri Domini nostri Iesu Christi, creatori generis humani, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto, quod voce Evangelii inter nos aeternam Ecclesiam colligit, et hactenus nos clementer servavit, et studia doctrinae apud nos rexit, eumque oramus, ut deinceps nos servet et gubernet, et non sinat extingui lucem doctrinae suae, et semper inter nos aeternam Ecclesiam colligat.

Deinde cum honeste institutum sit, ut in his congressibus dicatur aliquid ad excitandos iuniores ad discendum, aut ad formanda iudicia, decrevi historiam recitare Gregorii Nazianzeni, quae et disputationes multas continet, et exempla digna memoria. Libenter enim huc historias veterum Scriptorum adferimus, ut ad cognoscendam Ecclesiae antiquitatem, et ad considerandas diiudicationes maximorum certaminum iuniores invitentur. Et prodest intueri omnium temporum Ecclesiam, ut piorum iudiciis de doctrina confirmemur, et exemplis erigamur. Ut cum videmus omnibus temporibus cymbam filii Dei horribilibus tempestatibus quassatam esse, et tamen divinitus servatam, non frangamur animis illa tristissima specie, existimantes prorsus abiectum esse genus humanum a Deo, sed sciamus tamen semper aliquas servari reliquias, quae sint vera Dei Ecclesia, et hanc gestari manibus filii Dei, ne prorsus opprimatur, sicut apud Esaiam dictum est: Ego vos gestabo etiam in senecta, Ego feci, ego salvabo vos. Nec dubito quin omnes qui Ecclesiam amant, his historiis delectentur, in quibus recitandis, etsi deest splendor, quem adhibuit vetustas in panegyricis, quem pauci imitare possunt, etiamsi velint: tamen etiam brevis commemoratio multas admonitiones offert utiles partim studiis, partim moribus.

Nec vero quicquam dulcius est, quam cum illis viris quasi colloqui, quod fit, cum in his narrationibus confirmamur ipsorum sententiis de doctrina, et exemplis, quae in similibus aerumnis aut consilium ostendunt, aut certe moesticiam leniunt. Videmur enim iniuste petere, ut extra communem quasi legem, nobis nihil insuave accidat, cum quidem sciamus, quare tota hominum natura ingentibus miseriis onerata sit, et illos viros meliores asperiora tulisse.

Ac in ipso initio huius historiae hoc exemplum nobis gratum esse debet, quod scimus Gregorium Nazianzenum natum esse patre Episcopo, et scribit ipse tam felix fuisse coniugium, ut aliud tranquillius non viderit. Matrem etiam narrat, quia propter prudentiam et sanctissimos mores magna eius autoritas apud omnes honestas matronas erat, multorum dissidiorum semina in urbe Nazianza et vicinia extinxisse.

Est autem Nazianza oppidum Cappadociae vicinum Caesareae, in qua natus erat Basilius, cum quo postea huic et amicitia perpetua, et studiorum societas fuit, ut postea dicam. Cum autem domi a parentibus disceret Prophetarum et Apostolorum enarrationes, Ecclesiae historiam et iudicia sanctorum virorum de gravissimis con-

troversiis, viderant enim parentes longi temporis certamina, quia egressi sunt annum nonagesimum: pater simul curavit, ut ad domesticam doctrinam adiungeret adolescens studia Eloquentiae et Philosophiae, eumque primum Alexandriam misit, quae tunc fuit arx doctrinarum in toto genere humano praecipua. Fortassis et eo libentius filium eo misit, quia tunc post longum exilium senex Athanasius eo redierat, cui Ecclesia recte sentiens in urbe Trevirorum hospitium annos octo dederat.

Cum autem eloquentiae exercitia maiora esse Athenis, et sonum Graecae linguae suaviorem ibi esse audiret, et ipse natura magis ad ea studia duceretur, Athenas post aliquot annos profectus est. Ibi Basilium nosse cepit, et cum patria communis esset, et similia essent studia, similes voluntates, et quaedam naturarum adiunctio, spretis aliis sodaliciis huic uni familiaris fuit. Narrat enim et tunc Athenis fuisse corruptissimos mores et insignem iuventutis petulantiam, quia multi divites Scholastici plus dediti erant ludis, spectaculis, conviviis et obscoenis voluptatibus, quam doctrinarum studiis, plures etiam palam Athei, et multi magicis artibus dediti erant. Ab his cum ambo abhorrerent Basilius et Gregorius, quia domestica disciplina ad veram Dei agnitionem, et ad honestos et castos mores adsuefacti fuerant, sese coniunxerunt, et simul in studiis doctrinae processerunt. Ex ea familiaritate orta amicitia, deinde nunquam interrupta est, ut sunt durabiles amicitiae, quarum honesta sunt initia. Et verum illud est, *ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴστην ἔχει φύσιν.* Eo tempore venit Athenas et Iulianus nondum Imperator, sed iam ex schola accersitus ad regendam Galliam, et sperans imperium. Hic confirmavit etiam improborum audaciam Athenis, quia Ethnicis sese venditabat, et Magos consulebat, et Christianos aspernabatur. Ex his moribus tunc quoque coniecturam fecerunt multi, rapturum esse dominationem, et renovaturum saeviciam adversus Christianos, ut non multo post accidit. Estque insignis et luculenta descriptio gestuum Iuliani apud Nazianzenum, ex quibus vaticinatus est, qualis futurus esset.

Etsi enim magnae sunt latebrae pectorum in improbis et astutis, et artificiosae sunt ironiae et consiliorum occultationes: tamen naturae perversitas ex monstrosis gestibus et aliis signis animadverti potest. Verba Nazianzeni de Iuliano haec sunt: Tunc mea coniectura non fuit vana. Fecit enim me vatem morum ipsius inaequalitas et admirationis magnitudo. Non enim mihi videbantur signa bonae naturae esse, crebri flexus colli, humeri per vices subsultantes: oculi vagabundi et truces, et quales sunt in furentibus, pedes instabiles et crebrae geniculationes: nasus corrugatus ad significandum contemptum, ridiculae figurae vultus, cachinni altum crepantes: nutus et renutus sine sermone, sermones abrupti non completis sententiis, interrogationes inordinatae et sine causa factae, responsiones alienae a proposito, nec inter se consentientes. Sed quid singula scribam. Talem ante facta esse animadverti, qualem esse postea in ipsis factis vidimus. Haec cum vidissem, exclamavi coram multis, qui testes huius mei sermonis esse possunt: O quantum malum nutrit Romanum imperium. Hanc descriptionem hic inserui, ut adolescentes hac narratione commonefacti cogitent gestus recte regendos esse, et modestiae significationes considerent.

Discesserat Athenis Basilius, manu fratris eductus ex sede, in qua declamitabat, et iam Gregorio Athenae solitudo erant, quia casta mens fugiebat ethnica et alia sodalicia. Quare et ipse aliquanto post ad senem patrem redit, cum iam tricesimum annum attigisset. Tunc accepto baptismo pater adiunxit eum Presbyteris, ibi diremptis controversiis et restituta concordia secessit ad Basilium, qui et ipse cum Lector Caesareae fuisset, relicta patria propter obtrectationes, tunc in suo praedio cum aliquot auditoribus vixit. Ibi simul tredecim annis commorati sunt, non in ignavo ocio, sed in precationibus, et in collatione scriptorum, quibus universae Asiae Ecclesias erudiebant, et veritatem propugnabant adversus Arianos, Manicheos et alios furores. Quantum bonum sit habere fidelem *παραστάτην,* et velut Achatem, ex veteri proverbio notum est. Duobus pariter euntibus.

Multum igitur profuit Ecclesiae horum duorum coniunctio, cum alter alterum moneret et confirmaret, et ambo consentientes vicinorum concordiam retinerent. Sed utrunque Deus ex illo dulcissimo secessu in aciem et in magna praelia eduxit. Basilium patria vocavit ad Episcopi munus, ubi cum Imperatore Valente magna ei certamina fuerunt. Gregorium senex pater egressus annum nonagesimum sibi adiunxit, ut doceret

Ecclesiam in publicis concionibus. Ibi donec pater vixit, et deinde post mortem patris Ecclesiam feliciter rexit.

Etsi autem Valentis Imperatoris saevitia passim ex Ecclesiis pii Doctores pellebantur, tamen Gregorius non est pulsus. Et fortassis eum aliquo modo texit Olympii praesidis pietas, de quo scribit ipse, discedere eum relinquentem lacrymas civibus et memoriam beneficiorum non in columnis, sed in mentibus bonorum, et reditum eius optat. Magnum bonum est, concordia Pastoris et praesidis, Sed haec esse non potuisset, si aut Olympius ad tyrannum se inflexisset, aut Gregorius alterum pedem in Ecclesia, alterum in Curia habere voluisset. Laudanda est igitur prudentia Gregorii, quod animum praesidis non alienavit *πολυπραγμοσύνῃ*. Et ostendunt epistolae Gregorii mutuam inter ipsos benevolentiam fuisse eximiam.

Postea cum Ariani dominarentur Constantinopoli, vocatus est eo Gregorius, ut Episcopi munere fungeretur, et Arianos refutaret. Ibi mansit annos duodecim inter magna certamina nunquam animo fractus, etiamsi magnis contumeliis adfectus est. Primum in templo praecipuo ut Episcopus docuit, inde pulsus ab Arianis, locum, non docendi munus reliquit, cum quidem lapidibus etiam obrutus esset, sed in privata domo annos aliquot docuit, donec Theodosius Imperator Constantinopolin venit. Hic duxit eum in templum repressis Arianis, ubi deinceps docuit, donec ibi mansit.

Cum autem Ariani non potuissent eum pellere, exoritur alia pestis ad eum perdendum. Gregorius Cynico cuidam nomine Maximo persuaserat, ut doctrinam Ecclesiae amplecteretur, eumque ad Presbyteri et Lectoris munus evehit. Hic ut Cynicus et humana et divina iura oblitus, ardens ambitione adiungit se factioni, quae Gregorio erat inimica, et excutere senem, et in sese transferre Episcopi dignitatem conatur, pugnat factione, et pecunia, et profectus Alexandriam calumniis accendit Episcopum contra Gregorium. Sed praeses cui nota erat integritas Gregorii, eum inde pellit. Redit tamen armatus ab Alexandrino, et magnos tumultus ciet. Interea Theodosius optimus Imperator cum seditiosos et tyrannos in Europa magnis praeliis delevisset, et victor iam pacatum imperium teneret, tollere etiam dissidia ecclesiastica conatus est. Et exemplo Constantini Synodum indixit, quae secunda nominatur, ad quam convenerunt Episcopi centum et quinquaginta Constantinopoli, anno a natali Christi trecentesimo octogesimo tertio. Extat Decretum in quo profitentur Patres se amplecti Symbolum Nicenum, et ab eo non discessuros esse, et damnantur, qui negant *τὸν λόγον* esse *ὑφιστάμενον*, et qui negant Spiritum sanctum esse *ὑφιστάμενον*.

De his tantis rebus cum decreta facta essent, Maximi ambitio novum certamen movit. Hic factione Alexandrina stipatus se voluit Episcopum Constantinopoli creari. Gregorius placidissime inquit: Se si de doctrina accusetur, responsurum esse, et iudicium ipsis, qui tunc convenerant, summa voluntate permittere. At de Episcopi dignitate se prorsus nihil contendere. Sed magis petere, ut senex iam liberetur maximis laboribus, curis, contentionibus, quas sustinere in hac aetatis imbecillitate non posset. Addit etiam se malle ut Ionam e navi eiici, quam dissensionem de dignitate diutius durare. Hortatur ut idoneum eligant, et sint memores dicti prophetici: Diligite veritatem et pacem. Nam haec ipsa verba in eius oratione recensentur. Non vicit ambitio Maximi, et tandem severitate Theodosii sycophanta Maximus repressus est, et pierum sententiis creatus Episcopus Nectarius Tarsensis, vir eruditus et recte sentiens.

Redit igitur in patriam Gregorius, et ibi discordiis sedatis successorem eligi curat Eulalium. Ipse secedit in praedium paternum Arianza, ubi consiliis et literis multos rexit. Sed vocatus ad Synodos non accessit ad eas usus excusatione valetudinis, ut ostendit eius epistola, quam prodest notam esse, ut consideretur, quam periculosum sit Synodos convocare, aut ad eas accedere. Ad Procopium sic scribit: Sic adfectus sum, si verum scribendum est, ut omnes Episcoporum Synodos fugere velim, quia nullius Synodi exitum vidi bonum, aut magis finire eas dissidia, quam accendere. Nam cupiditas contentionis et dominationis vincunt rationem. Nec tamen existimes haec me odio scribere. Ac citius aliquis iudicans, accusabitur ipse, quam aliorum certamen dirimet. Ideo me in hoc secessu contineo, et ne turbetur precatio, tranquillitatem tueri studeo. Nunc autem et corporis infirmitas me excusat, assidue enim velut extremum halitum spiro, et meo corpore uti non possum. Ideo te oro, ut et tu mihi ignoscas,

et persuadeas Imperatori pio, ne me propter ignaviam non accedere ad caeteros existimet, sed veniam det imbecillitati, propter quam scit se mihi petenti, secessum potius quam aliud beneficium concessisse. Haec de Synodis in epistola scribit. Asperiora dicit in carminibus non quaeri veritatem, sed dominationem, et dilacerari orbem terrarum ambitione docentium, et ait eos Cercopum similes esse, id est, impostores, qui sophismatum praestigiis homines decipiunt.

ταῦτα μὲν οἷσι φίλον, καὶ κερκώπων κράτος εἴη,
αὐτὰρ ἐγὼ χριστοῦ πλήσομαι ἀτρεμέων.

Cercopum teneant ut quaerant regna superbi,
Sed Christi sit mens nostra quieta, domus.

Haec de vita eius legimus, quae exemplum est viri modesti, non discedentis ob officio propter iniurias, amantis veritatem et pacem. Ex doctrina vero ipsius testimonia petamus verae sententiae et enarrationes aliquas eruditas.

Constanter amplexus est Symbolum Nicenum, et adfirmavit eam esse veteris Ecclesiae doctrinam. Nec ab ea confessione discessit fractus ullis cruciatibus aut minis. Refutat Manicheos et hostes gratiae, *πᾶν κατορθούμενον παρὰ θεοῦ ἐστι, ἀλλὰ δέδοται τοῖς καλουμένοις καὶ οὕτω νεύουσι.* Et aliquoties has sententias repetit. Refutat et Novatianos et Catharos, taxat eos, qui negabant Deum efficacem esse voce Evangelii aut Baptismo, si minister sit indignus, ut in Aphrica Donatistae vociferabantur. Contra hos graviter et splendide inquit: Ut eadem est *σφραγὶς,* sive aureo sive ferreo annulo impressa sit, ita eandem esse vim ministerii in Ecclesia. Et quidem dulcissime ait, Deus est qui baptizat, minister tantum commodato dat manum. Colligit adpellationes filii Dei et enarrat, *λόγον* ait dici, quia sit *ἐξαγγελτικὸς* proferens vocem Evangelii ex arcano sinu aeterni patris.

Etsi autem desiderantur in eo interdum explicationes longiores, tamen quid de summa doctrinae Christianae senserit, si candor sit in iudicando, intelligi potest. Et hanc commemorationem de vita eius institui, non modo ut exempla morum ab eo petantur, sed etiam ut invitemus iuniores ad antiquitatis considerationem. Prodest scire, quae sit perpetua vox Ecclesiae. Etsi enim fides non humana autoritate nititur, sed dictis Dei, tamen iussit Deus nos audire docentem Ecclesiam, nosque vult ab ea et commonefieri et confirmari. Atque utinam illi, qui iactitant se vetustatem Ecclesiae tueri, non umbram eius ostenderent, sed ipsam proferrent integram. Nunc excerpunt mutila dicta, notha, recentia. Haec obtrudunt Regibus et Principibus titulis veterum, qui si adessent, hos impostores iuberent ut sacrilegos puniri. Scriptum est: Non dicas falsum testimonium, quanta igitur contumelia est veterum, producere eos, ad falsum testimonium dicendum. Id ne fiat, legendi sunt fontes, considerandum quid quisque adfirmet, qui libri quasi in alienas domos ut fures et *τοιχώρυχοι* penetraverint, et simus nos quoque memores dicti prophetici, quod citavit Nazianzenus: Diligite veritatem et pacem. Dixi.

Petitio ad Decanum.

Doctissime Domine Decane et Procancellarie dignissime. Est historia Nazianzeni expressa horum temporum et morum atque hominum huius seculi pictura. Antecelluerunt illa aetate caeteris in Ecclesia, autoritate, meritis, et doctrinae, eloquentiae ac pietatis laude, Basilius Magnus, et huius frater Gregorius Nissenus, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius Iconii Episcopus, et alii non multi, hi cum essent a prima aetate recte instituti in doctrina Ecclesiae, et philosophicis artibus praeclare exculti, et adsuefacti ad sapientem et perspicuam eloquentiam, et arderent studio inquirendae explicandaeque veritatis, magno studio ac contentione doctrinam apostolicam illustrarunt ac defenderunt, pervestigatis diligenter ac pensitatis testimoniis primae Ecclesiae, quae erant autoritate apostolica tradita, et de philosophicis studiis in Ecclesia retinendis, quae eiecta prorsus et sublata volebat grex indoctorum hypocritarum, pugnarunt acerrime.

Extat grave testimonium Gregorii Nazianzeni contra philosophicae doctrinae hostes in funebri oratione de Basilio Magno, cum inquit: Confiteri oportet omnes sana mente praeditos, doctrinam inter humana omnia primam ac praecipuam esse, non solum hanc nostram, quae ad Dei nos agnitionem deducit, et salutis nostrae continet atque explicat fundamenta, sed et alteram illam, *τὴν ἔξωθεν τῆς ἐκκλησίας,* quam multi *ὡς ἐπίβουλον καὶ σφαλερὰν, καὶ θεοῦ πόῤῥω βάλλουσαν* criminantur ac traducunt, *κακῶς εἰδότες.* Et

concludens eam partem addit: Non contemnenda est doctrina liberalior eo, quod aliquibus hoc faciendum videtur, sed potius σκαιοὶ καὶ ἀπαίδευτοι censendi sunt illi, qui in ea sunt opinione, ut optarint omnes sui similes esse, ut in sui similium frequentia latere, et iustam ruditatis atque inscitiae suae reprehensionem effugere possint. Basilius peculiari scripto edito, quae iam explosa erant ex scholis studia revocavit, excitatis ad ea colenda adolescentibus.

De eloquentia Basilii et Nazianzeni fuit iudicium vetustatis, Basilium λαμπρότατον εἶναι ἐν τῷ πανηγυρίσαι: Nazianzenum excellere in utroque genere, ὑπομνηματικῷ et πανηγυρικῷ, sed σταθερώθερον esse Basilio. Hos tantos viros impiorum hypocritarum cohors, quae dominabatur in aulis Imperatorum et Principum, sycophanticis calumniis, mendacibus insectationibus, nefariis et occultis molitionibus adeo exercuit, ut et Episcopatibus excusserit quosdam, et in exilium pulsos presserit aliquandiu. Sed quia opprimi veritas et innocentia non potest, ut maxime laboret aliquantisper, ideo paulo post, innocentia patefacta, revocati sunt ab exilio ac restituti honorifice. Haec eo commemoro, ut adolescentes exemplo et iudiciis tantorum virorum, quorum testimonia usurpat Ecclesia tanquam ἀξιόπιστα, confirmati, contemnant insulsa iudicia aliquorum, qui similibus artibus et scriptis studia philosophica nunc oppugnant, et sese ad studium ardentius exuscitent. Quid enim fit hoc tempore his dissimile? Cum itaque in vera Philosophia et doctrina Ecclesiae egregiam navasse operam cognoverimus hos doctos et honestos viros, et spes sit, operam eorum profuturam esse Ecclesiae et Reipublicae, tibi eos commendo, ac peto collegii nostri et ipsorum nomine, ut publica autoritate testimonium eis doctrinae tribuas. Hoc beneficio ipsos tibi in perpetuum devincies. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, conditorem generis humani et Ecclesiae, ut semper in his regionibus et inter nos aeternam sibi colligat Ecclesiam voce et Ministerio Evangelii sui, et nos omnes faciat vasa misericordiae et organa salutaria.

No. 167. an. 1558.

De Ludovico Bavaro.

In Oration. T. V. p. 72 sqq., in Orationibus postrem. p. 75. et apud Richard. T. II. p. 790.

Oratio de Imperatore Ludovico Bavaro; recitata a Georgio Cracovio Doctore iuris, cum decerneretur gradus Matthiae Colero, Aldeburgensi, Doctori iuris, Cal. Decembr.

Ne fieri quidem in doloribus aliter potest, quin exempla quaeramus, an alii similia tulerint, et causas et exitus similium calamitatum in aliis consideremus. Omnia enim iudicant homines aut regulis aut exemplis. Saepe igitur in hac publica moesticia universam antiquitatem intueor, et cum alios terribiles motus imperiorum, tum vero Germaniam aspicio, in qua ut in aliis gentibus multae saevae mutationes acciderunt. Sed praecipuae ortae sunt a Romanis Pontificibus, videlicet bella Henrici Quarti et Quinti, deinde Friderici Primi et Secundi. Post hos bellum Ludovici et Friderici Austriaci. Ac in his tumultibus non solum regni dilaceratio facta est, et debilitata potentia, et cognati Principes, ut Cadmei fratres inter sese dimicarunt: sed etiam Ecclesiae deletae sunt, et multae piae mentes in dubitationem et in exitium praecipitatae. Utilissimum est autem causas horum bellorum considerare, videlicet furias Pontificum, qui ut suam dominationem augerent, fuerunt et Europae et Ecclesiae ἀλάστορες, nam detectis fraudibus Pontificum multae partes doctrinae illustrantur, et praemuniuntur bonae mentes, ne similibus erroribus fascinatae pereant.

Ut autem hae historiae iunioribus notae fiant, prodest alias aliam partem recitare, cum integrae non possint uno tempore exponi. Nunc igitur de Ludovico Bavaro dicam, de quo haec disputata sunt. Possit ne esse Imperator, qui rite electus est a Senatu Electorum, nisi accedat confirmatio pontificia. Contenderunt tunc Pontifices, Petro non solum ministerium Evangelii mandatum esse, sed etiam traditam summam potestatem politicam, nec quenquam iuste tenere imperium, nisi adsentiente Petri successore. Haec ut indoctis persuaderentur, variae praestigiae mentibus atque oculis hominum offusae sunt. Refutationes opposuerunt viri docti, Dantes, Marsilius Patavinus et Occam Anglus, qui Heidelbergae concionatus est.

Discordia non tantum seditiones pariebat et bella, sed etiam multas animas trucidabat, quia Ecclesiae distrahebantur fulmine pontificio. Interea Ludovicus

Et causaque valens, causamque tuentibus armis,

etsi calumniis, pontificio fulmine et seditiosorum armis oppugnabatur: tamen vicit tandem, et inter exempla numerari potest, quae ostendunt iustae causae Deum opitulari. Haec praefatus sum, ut sciant iuniores ex hac historia disci posse doctrinam de discrimine ministerii evangelici et politicae potestatis, et alias quasdam doctrinae partes. Ut autem disputationum et occasiones et varietas magis intelligi possint, historiam breviter recitabo.

Pulcerrimus Senatus in genere humano est, Electorum consilium, et ut a Deo servetur et gubernetur optandum est. Et saepe profuit Europae eius Senatus concordia. Sed tunc discordia nescio a quibus orta, magni incendii causa fuit. Verum suspicor a Iohanne Rege Boiemiae ortam esse, qui Austriaco inimicus erat. Anno igitur millesimo trecentesimo quartodecimo, ardente Cometa et minitante venturas clades mense Octobri Electores, Moguntinus et Trevir. et Iohannes Rex Boiemiae, et Marchio Brandeburgensis Woldemarus, eligunt Imperatorem Ducem Bavariae Ludovicum, caeteri Electores in eodem consessu Coloniensis, Palatinus Rudolphus frater Ludovici et Rudolphus Dux Saxoniae, elegerunt Imperatorem Fridericum Austriacum.

Erant Ludovicus et Rudolphus Palatinus nati ex amita Friderici Austriaci. Sed cur consobrinum fratri praetulerit, nescio. Quam vero aegre tulerit Ludovicus fratris Rudolphi suffragationem, poena ostendit, quia intra biennium post electionem expulit eum ex patria. Expulsus Rudolphus fugit in Angliam, ubi exul post annos aliquot mortuus est. Coniunx eius Mechilda, filia Imperatoris Adolphi, cum filiis in Austria commorata est, ubi cum in exilio mortua esset, Ludovicus fratris filios ad se revocavit, eisque Heidelbergam et in Norico Ambergam, et alia quaedam oppida reddidit, sed haec aliquanto post acciderunt. Hoc autem loco commemoravi non solum brevitatis causa, sed etiam ut cogitetis, quantum mali sit civilis discordia, cum hic auditis, initium bellorum fuisse, fratris expulsionem.

Fuit et Rudolphus Saxoniae Dux consobrinus Friderici Austriaci natus ex Hagne ipsius amita, quorum nobis gratior sit recordatio, quia hic Rudolphus templum prius, quod in hoc loco fuit, ubi haec oratio habetur condidit, et apud matrem filiam Rudolphi Imperatoris in hoc oppido sepultus est. Hunc propter cognationem et praestantissimi avi Rudolphi Imperatoris memoriam praetulisse Fridericum non est mirum.

Mox autem post electionem coronatus est Ludovicus usitato loco in templo Aquisgrani, Fridericus Bonnae minore comitatu. Ac statim in duas partes Germania scissa est: Urbes Belgicae et caeterae usque ad Argentoratum adiunxerunt se Ludovico, et vicini Principes, inter quos virtute et autoritate antecelluit Fridericus Burggravius Noribergensis. Urbes Helveticae, quae tunc Imperatoribus nostris parebant et pleraeque Rheticae et Ulma Fridericum receperunt. Uterque etiam externis auxiliis se confirmavit. Fridericus Hungaros accersivit. Ludovicus Iohannem Regem Boiemorum virum industrium et bellicosum, qui odio Austriaci magis hunc adiuvit, quam Hungari adversarium. Tenuit imperium Ludovicus annos tres et triginta, mortuus in venatione anno climacterico, sexagesimo tertio aetatis suae anno, pacata Germania. Nam etsi non desinebat Pontifex moliri nova bella: tamen cum toties vicisset, et benevolentiam multorum Principum et civitatum iusticia et moderatione victoriarum consecutus esset, qui et ἀμνηστίαν omnium iniuriarum sanxerat, nemo ei bellum inferre tandem audebat. Fridericus anno octavo post electionem acie victus est et triennio in carcere retentus, nec diu postea vixit.

His octo annis variae vices fuerunt, dimicatum est aliquoties, et induciae factae sunt, et tentatae pacificationes, com honesti omnes dolerent, et Principes cognatos (erant enim consobrini Ludovicus et Fridericus) sitire cognatum sanguinem, et caeteros pollui innumerabilibus parricidiis. Et statim initio recitare libet, quod in hac tota historia sapientissime deliberatum est. Pacificatio sic instituta est, ut veteri more collegae essent pari autoritate, et uterque nomen haberet Imperatoris, et omnia edicta, omnes literae ederentur inscriptione utriusque, sicut M. Antonius et L. Verus collegae fuerunt, et deinde Valentinianus et Valens, et mox Gratianus et Theodosius. Hoc aequissimum consilium adparet a bonis, sapientibus et doctis viris ortum esse. Sed furiae pontificiae omnia pia consilia impediebant.

Pontifex Iohannes Vicesimus secundus contendit se iudicem esse huius controversiae. Ut Luna a Sole lumen accipit, ita ordinatam esse hominum gubernationem, ut a summo sacerdote Imperator autoritatem accipiat. Velle Deum caput esse summum in terris, Petri successorem, cui dictum est: Tibi dabo claves regni coelorum. Item: Pasce oves meas. Haec pontificii oratores in Regum et in Principum consiliis Periclea grandiloquentia tonabant.

Abiit biennium post electionem sine dimicatione: sed anno millesimo trecentesimo sedecimo Fridericus magnum exercitum ad oppidum Sueviae Eslingam adducit, quod ut aliae urbes infra Ulmam sitae, parebat Ludovico. Accedit eo et Ludovicus instructus copiis vicinorum Principum et auxiliis Bohemicis. Ibi cum utrique ad Necharum accedunt aquatum, praelium subita occasione committitur, in quo multis nobilibus viris utrinque partim captis, partim interfectis, aequo marte discessum est. Haec prima σύῤῥαξις et dolorem sapientibus auxit, qui Cadmeam victoriam metuebant, si saepius dimicaretur, et Duces contantiores ad praeliandum fecit. Itaque soluta obsidione Eslingensi quadriennio nullum magnum praelium factum est. Sed anno millesimo trecentesimo et vicesimo Fridericus Austriacus maiorem exercitum ad Argentorati viciniam adducit, ubi dissensio erat inter Episcopum et cives. Episcopus Austriaco se adiunxerat, cives Ludovicum receperant, qui ne suis deesset, ducit et ipse exercitum ad loca vicina castris hostium. Ubi quia duces utrinque nolebant haurire cognatum sanguinem, neutra pars ad dimicandum properabat. In his quasi induciis colloquuntur etiam multi ex utraque parte, et de pace et de coniugiis deliberatur. Sed Ludovicus confirmatis suorum animis Argentorati, adducit exercitum per saltum Hagaoensem, et civitates ad Rhenum munit praesidiis.

Rursus biennium sine praelio maiore abiit. Sed anno millesimo trecentesimo et vicesimo tertio Fridericus Austriacus decem millia Hungarorum et viginti millia Austriacorum in Bavariam ad Muldorff et Ottingam ducit, ubi peregrinae gentes oppida et pagos diripiebant et incendebant, et inermem turbam trucidabant, et honestas mulieres ac virgines rapiebant. Iam non cum civibus non procul a patria, sed cum Hungaris et vastationem barbaricam in media patria facientibus bellum erat. Non igitur contatur Ludovicus, ut antea, sed quantum potest, properat, accersit auxilia vicina, et armat suos. Veniunt ad eum Iohannes Rex Boiemiae, Fridericus Burggravius Noribergensis et Henricus Comes Hennebergensis cum magnis equitum copiis ex vicina Francia et Rhenana ora collectis, hunc exercitum ducit Ludovicus ad reprimendos Hungaros, quorum crudelitas maxime terribilis erat.

Expectabat autem Austriacus fratrem Lupoldum adducentem Rhetos et Suevos. Eo magis properabat Ludovicus non eo tantum, quia maius periculum futurum erat, si Lupoldus vir peritus rei militaris adduxisset Rhetos et Suevos, quorum non erat contemnendum robur: sed etiam quia Hungari adhuc securi inter populationes et adhuc contemnentes hostem facilius opprimi poterant. Cum igitur accessisset ad hostes Ludovicus, nec cederet Austriacus confisus Hungarico robore, opponit Ludovicus Hungaricis legionibus Boiemicas et equitibus Hungaricis Fridericum Burggravium et Hennebergium cum Francicis et Rhenanis equitibus. Magna caedes utrinque facta est, donec Hungari pulsi et dissipati sunt. Postea equites Austriaci aliquantisper defenderunt Fridericum, sed eo capto reliqua multitudo equitum et peditum fugit. Fratres duo Principes Austriaci, Fridericus Imperator et Henricus, capti sunt. Fridericum Austriacum cepisse dicitur eques, qui eum mox ad Burggravium adduxit. Lupoldus audita fama cladis magno cum dolore et suas copias et reliquias, quae ad eum confluxerunt in loca tuta reduxit. Factum est hoc praelium die vicesimo octavo Septembris, anno MCCCXXIII. anno post electionem utriusque octavo. Henricus Dux Austriae Iohanni Regi Boiemiae traditur. Fridericus triennio captivus retentus est in arce vicina oppido celebri Naburg.

Post victoriam Ludovicus pacem in Germania constituere conatus est, confirmat eorum benevolentiam, qui antea cum eo coniuncti fuerant et recipit adversarios, qui se dedebant, sancit ἀμνηστίαν omnium iniuriarum, et edicta de pace proponit. Etsi autem Lupoldus nec animum hostilem deponit, nec quiescit, tamen compesci facile poterat, cum Germaniae pars maior iam et tranquilla esset, et cum Ludovico coniuncta. Sed furiae pontificiae mox eo anno capto Friderico Ecclesias distraxerunt. Ea calamitas maiorem dolorem et Ludovico et omnibus honestis attulit,

quam antea Principum bellum. Conscientiae enim in pluribus in dubitationem adducebantur. Facit Pontifex Iohannes Vicesimus secundus decretum, in quo Ludovico praecipit, ut deponat dignitatem. Id nisi fecerit, et ipsum et omnes ei obtemperantes eiicit ex Ecclesiae communione, ut nominamus.

Initio obiecit Pontifex Ludovico haec duo crimina, primum quod Galeacio Mediolanensi opem tulerit contra pontificios. Secundum, quod nondum confirmatus a Romano Pontifice ausus sit facere Imperatoris officia. Respondit initio moderate Ludovicus se in electione iurasse, defensorem se fore iusticiae, ideo Galeacium in causa iusta a se defensum esse, deinde eodem iuramento se obligari, ut electus faciat Imperatoris officia. Ideo enim fit electio, ut certus sit defensor iusticiae et custos pacis in omnibus regionibus, quarum defensio Imperatori commendata est, et cogi mandato divino quamlibet potestatem suo loco facere ea, quae sunt sui officii. Nec potestatem gerendi gladii dari a Pontifice, sed a Deo, iuxta dictum: Reges gentium dominantur, vos non sic. Ideo adfirmat, se nec posse nec velle imperium a Deo datum deponere, donec Deus eum in hac militia servire velit. Haec responsio, si Pontifici non satisfecerit, se provocare ad legitimam Synodum? Hac responsione edita crevit contentio, his tantis disputationibus motis, unde sint imperia, et quae sit autoritas Episcopi, quae sit vis confirmationis pontificiae. Pontifex impudenter scribebat, Petro datam esse summam autoritatem non solum in ministerio Evangelii, sed etiam in politica gubernatione. Quare nemo possit esse Imperator, nisi confirmatus a Romano Pontifice. De hac quaestione multa scripta utrinque non solum privatorum hominum, qui aut illustrare veritatem bono consilio studebant, aut Pontifici assentabantur, sed etiam Imperatoris et Pontificis edebantur. Pontifex Ludovicum atrocissime damnat ac nominat Haereticum. Hoc dissidium duravit annos quatuor et viginti post captum Austriacum.

Tam longo tempore acciderunt et crebrae voluntatum mutationes, et cum alibi pontificia autoritas anteferretur Imperatori, alibi defenderetur Imperator: dubitatio moderatos homines duriter cruciavit, et accedebant seditiones et latrocinia, quae minus compesci poterant, cum autoritas Imperatoris labefactata esset. Inter hos tumultus tamen utcunque et imperii fastigium Ludovicus retinuit, et pacem in Germania defendit. Ludolphus Austriacus cum passim excitaret tumultus, nec tamen Ludovico par esset, tandem Argentorati mota mente extinctus est. Ita Deus acerrimos hostes Ludovici singularibus exemplis repressit.

Quarto igitur anno post victoriam Ludovicus in Italiam proficiscitur, ubi toto triennio commoratur, pacem in urbibus passim restituit. Romae autem ad Cardinalium, Episcoporum et praecipuorum virorum coetum, deinde et apud Senatum, in quo consessus fuit praestantium virorum ex familiis Principum Columnensi et Ursina et aliis, exposuit iniurias, quibus adfectus erat a Iohanne Vicesimo secundo. Nec prius coronari voluit, quam intellexisset eos probare et causam suam et voluntatem erga Ecclesiam Rempub. seque ostendebat iudicium illis permittere, quos iudicaret tanquam Synodum esse, quia eruditione, sapientia et virtute excellerent, et ipsorum sententias se pie secuturum esse. Adfirmabat amplecti se constanter doctrinam catholicae Ecclesiae Dei, et se maxime semper optasse et optare communem concordiam.

Ad haec et ecclesiasticum collegium et Senatus responderunt, se quoque iudicare, Iohannem Vicesimum secundum non recte fecisse, quod sine Synodo et sine legitima cognitione in re tanta decreta fecerit, cumque scirent eum alienum esse a falsis opinionibus, velle se cum ipso coniunctos esse. Docti etiam addiderunt manifeste falsum esse, Petro traditam esse summam potestatem politicam. Nec Carolum propter autoritatem pontificiam dici Imperatorem voluisse, sed quia iam Italiam, Germaniam et Galliam tenebat, reipsa Occidentis imperium eum tenuisse, et tamen titulum non voluisse admittere, nisi transactione facta cum iis, qui tunc titulum tenebant. Deus imperia stabilit et transfert, ut scriptum est, nec translatio illa mandata est Petro. Denique etiamsi pontificiam confirmationem accedere Pontifices velint, tamen debent habere iustas causas, si confirmationem denegent. Hac tota controversia sapienter disputata, fiunt Senatusconsulta et ab ecclesiastico collegio et a Senatu, ut corona imperatoria coronentur Ludovicus et eius coniunx Margaris, quae Frisiae et Hollandiae domina fuit. Coronatio facta est ritu solenni Romae die septimo decimo Ianuarii anni millesimi trecentesimi octavi a Stephano Co-

lumnensi, qui et Princeps et Cardinalis erat excellens virtute.

In his quae hactenus egit Ludovicus, moderatio eius laude digna est. Postea Romae creari iussit Episcopum Romanum Petrum Corbarium Franciscanum in agro Reatino, ac nominavit eum Nicolaum Quintum. Is et sua fulmina contra Iohannem Vicesimum secundum edidit. Hic rursus disputatum est: An ad Imperatorem ius pertineat adimendi dignitatem Pontifici, et alium constituendi, et quo ordine hoc fieri debeat? Sicut Otto Primus Pontifici cognita causa in Synodo dignitatem ademit. Nec dubium est Ecclesiam debere munus docendi adimere falsa defendenti, idque ordine faciendum est causa cognita. Sed Ludovicum optarim fuisse contentum iudiciis sapientum de iis, quae antea egerat, praesertim cum novum Pontificem non defensurus esset. Miser ille Nicolaus postea captus in Galliam missus est, ubi in carcere mortuus est. Sed animi irritati contumeliis difficulter frenare iram et vindictae cupiditatem possunt, praesertim donec fortuna est indulgentior. Nec post reditum ex Italia in Germaniam res memoria dignas Ludovicus gessit, placare Pontifices, qui fuerunt post Iohannem Vicesimum secundum conatus est. Sed Clementem habuit non clementiorem Iohanne Vicesimo secundo, quare et adversus hunc edicta edidit.

Infeliciter etiam implicuit se discordiae duorum regum Philippi Valesii et Eduardi Anglici, qui cum essent astutissimi, ambo eum ludificati sunt. Sed utrique accidit aliquanto post hoc quod dicitur: *γεραιὰ ἀλώπηξ μόγις ἁλίσκεται, ἀλλὰ ὅμως ἁλίσκεται.* Valesius etiam eo multum nocuit Ludovico, quod ab eo Iohannem regem Boiemiae abstraxit, qui fuerat antea *παραστάτης* ipsius in omnibus bellis. Disiunxit se a Ludovico et Trevirensis Elector, qui antea velut pectus eius fuerat, et omnium consiliorum gubernator. Idem deinde incitator et adiutor est Carolo Boiemico in petitione imperii. Tales amicorum inconstantiae etsi in quotidiana vita usitatae sunt, ut Plato inquit: *ζῷον φύσει εὐμετάβολον ὁ φίλος.* Et poëta dicit: Omnia vertuntur, certe vertuntur amores: tamen in dissensionibus civilibus multo crebriores et saeviores sunt voluntatum mutationes. Non tantum deseruntur amici, sed etiam ex coniunctissimis fiunt crudelissimi hostes. Quare talibus temporibus saepissime nos commonefaciamus de dicto Epicharmi: *νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.* Nec fiducia amicorum res non necessarias moveamus, nec deserti ab amicis, frangamur animis in causis iustis et necessariis, sed a Deo petamus et expectemus auxilium, sicut Propheta inquit: Pater et mater reliquerunt me, Deus autem suscepit me.

Etsi autem vivo Ludovico et elegerunt et coronarunt Electores quidam Carolum, tamen autoritas adhuc tanta fuit Ludovici et civitatum benevolentia erga eum tanta, ut armis Carolus nihil tentaret. Sed post eius mortem exercitum ex Boiemia ad urbem Ratisponam primum adduxit. Mortuus est autem Ludovicus anno proximo post Caroli electionem quinto Idus Octobris anno millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, cum annos tres et triginta inter magnas adversationes ita tenuisset imperium, ut in iurisdictione iustus, et suorum defensor non lentus esset. Et quod mirum est in viro magnanimo, cum tantis contumeliis irritaretur, nemini tamen unquam bellum intulit, sed semper tantum inferentes armis depulit, qua ex re adparet eum fuisse, ut de Lacedaemoniis Thucydides inquit: *φιλήσυχον καὶ δραστήριον*, quae virtus in Principe quanta sit, non obscurum est. Haec breviter de Ludovico Imperatore dixi, cum quidem libenter et plura historica et disputationes longiores adderem, si tempus pateretur.

Sed utilitatem huius historiae considerate. Monet, ut cogitemus in tantis miseriis humanae vitae, hoc quoque saepe accidere, ut tristissimae discordiae ab ambitione et aliis furoribus Pontificum et sycophantarum, qui venales linguas habent, quales nunc sunt Staphylus, Canisius, Cressanicus et similes, oriantur, in quibus hoc consilium rectissimum et tutissimum est, quaerere veritatem in fontibus, videlicet in Scriptis divinitus traditis, hanc constanter amplecti, et consilia et actiones dirigere ad normam divinitus monstratam, nec ira et cupiditate vindictae ab ea norma abstrahi, nec curiositate movere non necessaria, simul autem a Deo petere et expectare auxilium iuxta dictum: Commenda Deo viam tuam et spera in eum, et ipse faciet. Eo etiam historiae huius consideratio prodest, quia ostendit discrimen ministerii evangelici et potestatis politicae, quod notissimum esse omnibus oportet, et saepe cogitandum est.

Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos quoque in his tantis discordiis publicis gubernet et protegat, et faciat nos σκεύη ἐλέους et organa salutaria nostris animabus, Ecclesiae universae, familiis nostris et posteritati, Amen. Dixi.

No. 168. an. 1558.

De vita Bugenhagii.

Select. Decl. T. III. p. 819 sqq., Servest. T. III. p. 772. cf. Epp. Mel. d. 18. Aug. 1558. — Apud Richard T. III. p. 793.

Oratio de vita Rev. viri Dom. Ioannis Bugenhagii Pomerani, Theol. Doct. et Pastoris Ecclesiae Witeberg., a Petro Vincentio Vratislaviensi, Decano Collegii philosophici habita.

Gratias ago Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, creatori coeli et terrae, et Angelorum et hominum, una cum filio suo coaeterno, et Spiritu sancto, quod clementer nos servat et protegit, et praebet doctrinarum lumen, et toto pectore eum oro, ut semper inter nos sibi aeternam Ecclesiam colligat, et protegat et gubernet nos, ut salutaria doceamus et discamus, nec fingamus, aut stabiliamus ullas perniciosas opiniones. Ad hanc meam orationem, et vestra vota adiungite, et petite, ut filius Dei summus sacerdos noster sit πρεσβευτὴς, perferens nostram precationem ad aeternum patrem.

Recte autem institutum est, ut in his congressibus oratio habeatur, vel de aliqua parte doctrinarum, vel de exemplis cognitione dignis. Cum igitur de argumento deliberarem, et in hoc recenti luctu adhuc imago Reverendi viri Iohannis Bugenhagii Pastoris Ecclesiae nostrae oculis et mentibus nostris obversetur, non aliud argumentum anteferendum ipsius historiae censui, quae et de doctrina iuniores multa monet, et exempla continet vitae utilia. Cumque in hanc aetatem inciderit mutatio Ecclesiarum insignis, plurimum refert posteritatis, scire quales fuerint, qui doctrinam emendarunt et initio propagaverunt, et quorum Principum et gubernatorum studiis adiuti sint, ne caeco multitudinis impetu recepta doctrina putetur. Extant fragmenta certaminum veteris Ecclesiae, quae etsi sunt exigua, tamen de multis magnis rebus confirmant pios. Ut apud Ireneum et Tertullianum, qui antecesserunt Synodum Nicenam fere ducentos annos, leguntur illustria testimonia περὶ λόγου, apud Clementem refutatio est illorum, qui coniugium prohibuerunt, et sunt insertae dulcissimae narrationes. De recipiendis lapsis redeuntibus ad poenitentiam, confirmamur testimonio Petri Alexandrini, qui Meletio adversatus est. Ac optarim maiore cura, eruditorum et piorum historias, praesertim eas, in quibus certamina doctrinae narrata sunt, conservatas esse: has legi multo utilius esset, quam recentium Pontificum consilia, qui ut suam tyrannidem stabilirent, bella moverunt, quae in Italia et Germania magnas vastationes fecerunt. Nobis vero in Academiis praecipue curae sit posteris tradere doctrinae testimonia in historiis eruditorum et piorum, qui Ecclesias et studia gubernaverunt. Quare de vita nostri Pastoris hanc narrationem bona fide collegi, quam piis gratam et posteris utilem fore iudico.

Etsi autem Basilius inquit, de sanctis non opus esse commemoratione patriae, quia una sit communis patria, omnium nobilissima, Ecclesia, tamen sciri prodest maiorum disciplinam, ex quibus quisque natus est. Primum igitur de Patria nostri Pastoris dicendum est.

In littore Germanico ad Oceanum Arctoum, inde usque a flumine Vistula, quod notum est, versus occasum ad urbem Sundium longa regio est, quae nunc Pomeraniae nomen habet, fere mediam influit Viadrus, quae multis rebus ad vitam necessariis ita abundat, ut aliis gentibus multis frumenta, pecudes et pisces vendat. Quare et magnis et opulentis urbibus ornata est, in quibus nisi leges honestae severe defenderentur, multitudo tranquilla esse non posset, nec commercia cum peregrinis esse possent. Principes igitur et Magistratus iusticiam constanter tuentur. Et cum sint Ecclesiae ibi Dei beneficio recte constitutae, amantur etiam caeterae virtutes, vera Dei invocatio, coniugiorum fides et modestia. Sunt ibi et doctrinarum studia. Est vero et in ea regione magna frequentia nobilitatis, in qua multi nunc quoque usu militiae clari sunt, multi virtute et opibus ornati, domi consilia publica regunt.

Nec in ulla parte Germaniae plures ex equestri ordine doctrinas intelligunt, quam ibi. Fuisse eam regionem olim gentis Suevicae sedem, ex

Cornelio Tacito intelligi potest. Est autem et Suevica gens, ut Dai et Sacae, quibus unica fuit, ex Asia ad hoc littus paulatim progressa. Fuerunt enim in Asia Syevi, unde sunt Suedi, Suiones et Suevi. Permixti his et Heneti fuerunt, qui magnam oram in eo littore compleverunt, et adhuc tenent.

Horum pars Sidini fuerunt, a quibus Stetini appellatio reliqua est. Non procul a Stetino oppidum est Iulinum, ubi influit Viadrus in lacum, qui effunditur in Oceanum, et portus est commodissimus.

Quare ibi propter mercatum fuisse olim aiunt amplam urbem, quam Venetam nominant, et ruinae adhuc cernuntur. Nec miror, id nomen ibi celebre fuisse, cum certissimum sit, ibi Henetos et fuisse et esse. In eo oppido Iulino natus est Ioannes Bugenhagius in familia honesta et senatoria, die Iunii 24. anni 1485. anno ante Maximiliani coronationem. Et naturae robur significat coniunctio Saturni et Iovis in Scorpio. Simul autem et domestica disciplina et scholae consuetudine Bugenhagius in pueritia ad Christianam *κατήχησιν* adsuefactus est, et cum Grammaticen et Musicam didicisset, in Academiam Gryphesvaldensem missus est. Ibi et tyrocinium linguae Latinae melius habuit, et Dialecticen et elementa Physices didicit.

Erat natura non solum capax doctrinae, sed etiam avida, et accendebant aviditatem tempora, quia iam Hegii Daventriensis et Rodolphi Agricolae et Hermanni Buschii scriptis taxata erant Soloeca priorum temporum, et revocabatur iuventus ad diligentiam rectius loquendi, semina etiam Graecae linguae spargebantur. Haec velut aurora doctrinarum bonis ingeniis iucundissima erat. Flagrabat igitur adolescens studio discendi, et cupide legebat veteres linguae Latinae scriptores, et se in scribenda soluta oratione, et in componendo carmine exercebat. Cum iam vigesimum annum attigisset, in oppido Trepta docere iuventutem cepit, ubi, quia linguae Latinae exercitia meliora erant, quam in aliis scholis, fama frequentiam scholae ipsius augebat.

Cum autem adolescens studiose didicisset elementa doctrinae Christianae quantum tunc potuit, et haberet initia earum virtutum, quas filius Dei voce Evangelii et Spiritu sancto accendit, libenter et adsidue legit scripta prophetica et apostolica, et adhibuit enarrationes Hieronymi et Augustini, et miscebat precationem, qua se doceri et gubernari petebat, et vera pietate Deum colebat. Accesserunt et Erasmi lucubrationes, quae taxant Monachorum histrionicam, et statuarum adorationes similes Ethnicis. Cum igitur fontes legeret et veritatem quaereret, non fuit labor irritus. Fugiens illa tetra spectacula invocationis hominum mortuorum, regulam toto pectore amplexus est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies; et intellexit, Deum non velle coli histrionica externorum gestuum, sed iis virtutibus, de quibus ipse inquit: In praeceptis meis ambulate. Ut igitur et auditores ad veram pietatem flecteret, enarrare Matthaeum, et Epistolam ad Timotheum, et Psalmos in scholis cepit, et *κατήχησιν* iuventuti tradidit, in qua symboli et decem praeceptorum enarratio erat, in qua monstrabantur veri cultus Dei, et exempla Ethnicorum similia taxabantur, ac docendo proficiebat ipse. Adeo grata piis haec in scholis lectio fuit, ut ad eam audiendam accederent, et cives, et sacrificuli et Monachi, qui non erant *ἄθεοι*. Et quanquam Pastor non erat, sed tantum scholae praeerat, fuerunt tamen et hortatores amici, ut in templo concionaretur, quod ut facere posset, usitato more collegio presbyterorum adiunctus est. Pii eius concionibus et laetabantur et meliores fiebant. Et fama doctrinae ipsius, cum ab auditoribus, tum ab aliis late spargebatur. Et quia multos habebat auditores adolescentes, natos in equestri ordine, expetebatur eius familiaritas a nobilibus, ac praecipue ab eruditis, cum quibus, cum alias de Ecclesia, alias de patria saepe colloqueretur, hortantur eum plerique ad colligendam patriae historiam, quam ad rem cum et sumptibus et mandatis Principis opus esset, aulici rem ad Principem Bugslaum referunt, qui cum audiret eruditionem et virtutem viri praedicari, et historiam patriae sibi et filiis et consiliariis notiorem esse vellet, et natura munificus esset, consilium probat, dat mandata, ut monumenta vetera in aula inspiciantur, iubet ipsum Bugenhagium in collegiis et monasteriis quaerere historias et inspicere literas, et sumptibus eum instruit, qua in re cum biennium consumeret, seriem Principum, bella, Ecclesiarum constitutiones ordine et prudenter descripsit. Liber adhuc in aula custoditur, et cum a Principibus, tum a consiliariis saepe legitur. Nec diligentiam tantum et fidem pro-

bant hi, qui legerunt, sed etiam formam operis et orationem.

Circa id tempus et Reverendi viri Martini Lutheri certamina mota sunt, quorum fama statim universam Germaniam pervagata est. Erat, ut scitis, πρώτη σύῤῥαξις de indulgentiis, ingrata Monachis et aulae Romanae, sed quia fontes doctrinae de vera poenitentia seu conversione, et salutares consolationes monstrabat, omnibus piis in universa Germania, gratissima. Crescente igitur certamine doctrina Ecclesiae paulatim magis illustrata est. Legit scripta Lutheri Bugenhagius, et vidit ibi perspicuum discrimen ostendi, Legis et Evangelii, vidit iusticiam fidei melius exponi, quam ab Origene, vel a Thoma exposita est, videt congruere Augustini et Lutheri sententias, ac re tanta considerata, Lutheri enarrationem probat, deinde et hanc consolationem populo copiosius declarat, et in doctrina poenitentiae tenebras Ecclesiae saepius deplorat, et deliramenta Monachorum liberius taxat.

Ibi artificiis hypocritarum quorundam Principis animus ab eo fit alienior. Quare de migratione ex patria deliberat, praesertim cum audire Lutherum coram, et familiariter eum sciscitari quaedam vellet. Invitabatur etiam literis Petri Suavenii, cuius erat excellens eruditio, et qui iudicabat multum ei profuturam esse Lutheri familiaritatem. Venit igitur Deo haec consilia ita gubernante Ioannes Bugenhagius Witebergam, anno millesimo, quingentesimo, vicesimo primo, paulo ante iter Lutheri ad conventum Imperatoris Caroli V. qui eo tempore fuit in urbe Vangionum, addebat iam in viro docto et non rudi, aetas iudicii gravitatem. Agebat enim annum quartum et tricesimum. De multis igitur doctrinae membris cum Luthero colloquitur. Postea Lutherus rediens ex conventu abducitur in suam Pathmon, et circiter biennium hinc abest.

Interea ducit uxorem vir honestus et doctus Pastor Ecclesiae Kembergensis, qui cum iussus esset causas exponere, cur nec pontificia lege, nec voto impediantur coniugia divinitus probata, magnae hic disputationes ortae sunt, An tantum pontificia lege coniugium sacerdotibus ademptum sit? an accedat votum? An votum Monachorum sit maius vinculum? Consulitur Lutherus absens, qui mox propositiones de votis et deinde librum, qui extat, mittit: in quo, ut Alexander Gordium nodum dissecat, ita laqueos et legum impiarum et votorum impiorum una machera discidit. Erant tunc convictores D. Philippi Petrus Suavenius et Bugenhagius. Cum igitur in coena propositiones Lutheri Philippus accepisset, legit et relegit attente propositiones Bugenhagius, et cum aliquandiu tacitus magnitudinem rei cogitaret, tandem inquit: Haec res mutationem publici status efficiet, doctrina ante has propositiones tradita non mutasset publicum statum. Haec sunt initia liberationis Monachorum vere recitata.

Postea Carolostadius, ne tantum videretur Lutheri miles aut δευτεραγωνίστης, propria bella movit, alterum de statuis tollendis, alterum de legibus Moisi in forum recipiendis, ac statuas privati quidam seditiose ex templo tollebant. Quia vero aberat Lutherus, multorum animi clamoribus Carolostadii turbabantur, sed adversabatur ei graviter Bugenhagius, et seditiosas statuarum eversiones improbavit, et de iudiciis et legibus Romanis erudite ostendit, non oportere nostras politias transformari in Iudaicam. Hae controversiae cum agitarentur, redit huc Lutherus, ut dissidia tolleret et tranquillitatem huius Ecclesiae restitueret. Hoc tempore Bugenhagius Psalterium enarravit, et iuventutem utiliter docuit, et in tuenda concordia et pace huius Ecclesiae, moderationem et constantiam eximiam praestitit. Quare aliquanto post consentientibus suffragiis Senatus Academiae et Senatus oppidi, factus est Pastor Ecclesiae Witebergensis, quam Deo iuvante pie et foeliciter in magna varietate temporum gubernavit annos sex et triginta.

Nec a sua statione discessit propter pestilentiam et bella, Cumque ad magnas opes, et Episcopi splendorem in Daniam et in Pomeraniam, et quidem ab optimo rege et ab optimo Principe vocaretur, nunquam voluit hunc tenuem nidulum relinquere. Ac saepe dicentem audivimus, intelligere se quantum onus sit quaelibet Academia, quia inde difficilimarum controversiarum diiudicatio petitur, et liberum est dicere sententiam cuilibet, etiam ingratam alteri, se posse habere opes et otium, si sit alibi, et tenere talem locum, in quo suis sententiis non facile alii adversentur, sed tamen se ab Academia non discessurum esse, quia non dubitet hanc vocationem, ad solius ministerii evangelici labores et pericula factam, divinam esse, nec se alibi voluptates et opes quaesiturum esse, nec se amare tyrannides, sed aequabilem

ἀριστοκρατίαν, praesertim in qua possit fieri collatio iudiciorum cum bonis et doctis viris.

Nec tamen defuit aliis gentibus. Sed, ut olim nominabantur Evangelistae, qui in pluribus locis docebant, et Ecclesias constituebant, talis fuit et ipse Evangelista, vocatus Lubecam, Brunsvigam, Hamburgam, in Pomeraniam et in regnum Danicum, incorruptam Evangelii doctrinam ibi docuit, delevit idola et errores papisticos, et Deo iuvante Ecclesias pie constituit, quae quidem annos circiter triginta hactenus eandem Evangelii vocem pio consensu retinent.

Legimus ab Othone Bombergensi initio constitutas esse Ecclesias Pomeranicas, quem constat fuisse virum nobilem, comitem Andecensem, ex familia Ducum Meraniae, qui tenuerunt Voitlandiam, et cognatum Hedwigis Slesiacae, et Elizabetae Turingicae. Non constat quid docuerit, quod quidem maxime sciri oportebat, sed quod sit doctrinae genus, quod unum et incorruptum in omnibus locis tradidit Pastor Ecclesiae nostrae Ioannes Bugenhagius, notum est et ex illius scriptis, et ex monumentis illarum Ecclesiarum, quarum fuit οἰκίστης, in quibus omnibus expresse hoc adfirmat, se amplecti confessionem a Duce Saxoniae Electore exhibitam Imperatori Carolo in Conventu Augustano Anni 1530. Hoc totum doctrinae genus notum est ex confessione quae extat, et Deo iuvante ad omnem posteritatem perventura est.

Non instituo collationes, ut fit in Declamationibus, magnum decus est in bonis Principibus, honestam formam politiae, leges et iudicia reddere urbibus, ut multi honesti victores fecerunt. Aliud quiddam est, et maius Dei beneficium est, Ecclesias recte constitui, in quo beneficio cum Bugenhagius fidele organum Dei fuerit, magnum id decus esse, et gratitudinem ei sempiternam deberi, manifestum est.

Prodest et hoc testimonium de eius moribus posteritati, quod sciet, talis viri vocem hanc doctrinam fuisse, cuius mores probati fuerint optimis Regibus Danicis, Friderico et Christiano, et optimis Principibus Ducibus Pomeraniae, et tot urbium Senatoribus, sapientia et virtute praestantibus, qui nisi mores huius viri iustos et castos esse scivissent, non expetivissent eum, nec ad se et ad suos vocassent. Cumque res difficilimae sint, constituere Ecclesias, refutare adversarios, non abduci ab officio ambitione, iracundia, cupiditate vindictae aut pecuniae, nemo sine auxilio Dei tantas difficultates superare potest.

Fuit autem cursus Pastoris nostri sine labe, et foelix. Quare divinitus gubernatum esse, fatendum est, illustre testimonium de eius moribus, et hoc est, quod rex Danicus Christianus et regina Danica, cum quidem excellant pietate, iusticia, castitate et omnibus virtutibus, voluerint ab eo in precatione publica coronari, ad quam neminem certe adhibituri erant, nisi quem iudicassent Deum recte secum invocare, et ardentibus votis salutem regno petere, et habere castam mentem et castas manus.

Hactenus brevissime dixi de cursu Pastoris nostri, qui fuit et vitae ipsius et huius nostri seculi velut aurea aetas, cum videlicet ante bellum Caroli Germanicum Ecclesiae floruerunt et tranquillae fuerunt. Secuta est deinde ferrea aetas, in qua multae confusiones ex Principum et Theologorum bellis ortae sunt. In his captivitas Principum, huius oppidi obsidio, et caetera belli mala ingentem dolorem viro optimo in hac senecta attulerunt, ut Prophetae Ieremiae, clades et mors optimi regis Iosiae.

Nec tamen ita fractus est animo, ut aut fugeret, aut quidquam in Ecclesia mutaret, sed erexit se adsidua precatione, et hac consolatione moesticiam leniit, quod vidit tamen inter tantos fluctus Cymbam Christi mirabiliter a Deo servari, cui sit laus et gratiarum actio.

Deinde moto dissidio Flacico fuit in dolore non tam sua causa, quam propter Ecclesiam. Conscientia enim ipsius non erat sauciata, et impudenter sparserant quidam manifesta mendacia, quae sciebat refutari tempore. Nam neque in bello, neque postea vocem doctrinae, nec ullum in Ecclesia ritum mutavit; et quanquam ad alium dominum haec regio translata est, tamen semper voluit manere eandem Ecclesiam, et saepe dixit: Date Deo, quae Dei sunt, et Caesari, quae sunt Caesaris. Utrunque enim constanter praestitit, fuit alienissimus a seditiosis consiliis, et in retinenda doctrinae puritate firmus. Itaque ut de Severo Imperatore scriptum est, fuisse eum intentum in ea, quae agenda erant, et neglexisse populi fabellas, Ἐπιμελὴς ἦν τῶν πρακτέων, ἀμελὴς τῶν περὶ αὐτοῦ λογοποιουμένων, sic ipse cum illae sycophantiae spargerentur, propter eas tamen necessarios labores non omisit. Sed Ecclesiae causa doluit accendi odia et discordias de

maioribus rebus, cum quidem astutissimus signifer istius tribunicii agminis sciat, nobis coniunctione opus esse adversus communes hostes, et esse alias graviores controversias, de quibus nos placide deliberare oportebat, ut posteris testimonia non ambigua relinqueremus. Sed hos dolores Pastori etiam precatio et bona spes leniebant, ac saepe dictum Psalmi repetebat: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.

Non opus est de domestica eius vita prolixe dicere, quae nisi fuisset honestissima, ut antea dixi, non fuisset vocatus ad Ecclesias constituendas a tot sapientibus et piis Principibus et gubernatoribus. Hoc addam de Gradu.

Cum iuxta Academiae consuetudinem Casparum Crucigerum oporteret petere gradum Doctorum, et inclytae urbis Hamburgae Senatus huc misisset Reverendum virum Ioannem Aepinum, ut et ipse gradum peteret, aderat hic Dux Saxoniae Elector Ioannes Fridericus cum illustrissima coniuge, qui cum audivisset testimonium publicum Casparo et Aepino tribuendum esse, voluit, ut his Pastor noster adiungeretur, et addidit, se et disputationem et renunciationem auditurum esse, et levaturum eos sumptu. Etsi Pastor excusationem senectae adferebat, tamen quia verecundius erat in re tali non diu refragari, ait, se obtemperaturum esse. Postridie venit ad disputationem Princeps cum praecipuis consiliariis, et studiose audit Lutheri, Crucigeri, Pastoris et Aepini responsiones, de iusticia, de Ecclesia, de discrimine ministerii evangelici et potestatis politicae, in qua materia diserte voluit explicari, cur, cum violans politicae potestatis edicta peccet, non etiam peccet violans ecclesiasticam traditionem factam a pio Pastore. Fuitque ei pergrata nostri Pastoris oratio, qui dicebat, armatam esse potestatem politicam autoritate condendi proprias leges, non pugnantes cum Decalogo, et de his traditum est severissimum praeceptum. Necesse est obedire propter conscientiam, sed Pastoribus expresse prohiberi condere proprias leges. Sic enim dicitur: Nemo vos arguat in cibo, potu etc., nec posse hanc libertatem ullius creaturae autoritate tolli. Et ut in amplissima quaestione multa de dignitate politicae potestatis, et evangelici ministerii dicta sunt.

Quaerela etiam addita est, in qua narrabatur, cito in Ecclesiam irrepsisse superstitiosas opiniones, quae finxerint humana exercitia esse eximios cultus, quae tunc quoque a sanioribus taxatae sunt, ut Athanasius superstitiones reprehendit, inquiens: *καλὸν ἡ Ἄσκησις μετ' ἀληθοῦς γνώσεως καὶ συμμεξίας.* Vult intelligi exercitia non esse iusticiam, aut cultus, et vult moderata esse. Haec cum exposita essent, Princeps ipse gravissime dixit, se Deo gratias agere, quod haec discrimina perspicue in Ecclesiis nostris illustrata extent, et Dei praesentia in utroque gradu a piis agnoscatur et celebretur. Manifesta enim testimonia de Deo, et de providentia sunt ipsa lex in mentibus hominum lucens, et miranda conservatio societatis humanae in tam horrendis confusionibus, et imperiorum constitutio in tantis impedimentis. Quid enim mirabilius est, quam Romam inter adsidua tribunicia certamina stare posse. Bonis viris ad posteritatem virtutis testimonium est, cum a bonis Principibus ornantur, ipsis vero Principibus multo magis honorificum est, intelligere et amare doctrinas, et earum studia excitare et iuvare.

Fuit autem et postremus vitae Pastoris nostri actus Dei beneficio placidus. Cum ita languefactae essent vires postremo anno, ut concionandi laborem sustinere non posset, venit tamen quotidie in templum, et pia precatione Ecclesiam, et sese et nos Deo commendabat: veniebat etiam ad necessarias deliberationes. Tandem mense Aprili, decumbens sine magno cruciatu, quotidie precationes repetivit.

Saepe etiam suaviter cum amicis de spe salutis aeternae, et de posteritate collocutus est. Vigor mentis adeo fuit integer, ut octiduo ante mortem Doctorem Tilemannum Heshusium Heydelberga redeuntem mox agnosceret, et laetus gratularetur ei reditum, et sciscitaretur, an in Academiam Heydelbergensem migraturus esset, et ei fausta precaretur. Postea die vicesimo Aprilis, cum se quotidie filio Dei Domino nostro Iesu Christo commendasset, placide ex hac mortali vita decessit.

Nec dubitandum est, esse eum in numero illorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Quaerelas igitur funebres omitto, ac potius oro filium Dei, sedentem ad dextram aeterni patris, ac dona dantem hominibus, Pastores et Doctores, ut rursus Ecclesiae nostrae Pastorem tribuat salutarem, et nos omnes clementer gubernet.

Hanc vero narrationem volo testimonium esse de nostra erga ipsum reverentia, et Deo gratias agimus, quod huic Ecclesiae tam fidum Pastorem his turbulentis temporibus tribuit, iuventuti etiam eius memoriam tradimus, ut in eius cursu praesentiam Dei consideret, et agnoscat pios a Deo iuvari: imitetur etiam diligentiam ipsius in regendis moribus. Proderunt et libri ipsius legentibus, quorum lectio bonis non eo tantum grata erit, quia multa obscura dicta enarrant, sed etiam quia diligentia in quaerenda nativa sententia ostendit amorem veritatis in eo fuisse eximium. Dixi.

Petitio ad Decanum.

Spectabilis Domine Decane, et Vice-Cancellarie dignissime, Meminimus omnes Reverendum D. Pastorem, Doctorem Ioannem Bugenhagium Pomeranum, sanctae memoriae, saepe solere dicere, ad nullos se publicos ac solennes Collegarum ac Scolasticorum congressus accedere libentius, et maiore cum hilaritate, quam ad hos nostros, in quibus fit renunciatio eorum, quibus confertur titulus Magisterii Philosophici. Multa se aiebat commonefactum hoc collegarum consessu, conspectuque frequentis et attentae adolescentiae, magna cum suavitate cogitare de primae aetatis suae studiis, de emendatione post secuta, quae veteri et horridiore barbarie explosa, reddidit scholis fontes puriores disciplinarum omnium, de initiis ac rudimentis solidae eruditiones, de artium philosophicarum dignitate, de multiplici fructu, qui ex illis rediret praecipue ad Ecclesiam, quam harum artium praesidio carere non posse, se tot annis usu didicisse, atque experientia. Et argumenta orationum, quae recitarentur, dicebat multa sibi revocare in memoriam, quorum recordatione in hac senecta plus reficeretur, quam ullis aliis rebus. Delectabatur et collegarum sincera ac dulci concordia, quos et vera benevolentia coniunctos esse, et consentire iudiciis de tota doctrina nostrarum Ecclesiarum cernebat, hocque consensu incolumitatem scholae, et confirmatae veritatis stabilitatem, in hac schola niti intelligebat.

Inprimis autem videbatur serio ac vehementer animo commoveri ad verum et solidum gaudium, peneque exploratam ac certam concipere spem de puritate doctrinae, duratura in his regionibus ad posteros, cum videret subinde prodire ex hoc coetu aliquos instructos ingeniis, doctrina, facundia, et dotibus aliis, qui velut in vestigia decedentium succedentes, usui, ornamento, et praesidio Ecclesiae futuri, et pro veritate contra Sophisticen, ut fidi et constantes sancti depositi custodes essent propugnaturi. Miscebat etiam vota, precesque ad Deum, et suspiria crebra ac gemitus, quod hoc ipso loco honoribus auctos meminerat multos, quorum aliqui rabiosius aliquanto et virulentius, adhibitis omnibus mendaciorum et calumniarum machinis, incurrunt in hanc scholam, quam hostes ipsi et aliquanto plus nocent Ecclesiis nostris. De Staphylo, Paphlagone, et toto huius satellitio, crebro usurpare solebat, quod apud Ioannem legitur: Egressi sunt ex nobis, sed ex nobis non fuerunt.

Id vero aperte ostendit ac profitetur transfuga Staphylus.

Non dissimulat *ὁ βλάξ* Paphlago, qui hoc unum, quanta astutia, et quantis potest conatur viribus, ut explicatam Ecclesiarum nostrarum doctrinam paulatim aliis atque aliis sycophantice convulsis, ceu rationes explicatas dissipatis et confusis calculis, evertat aut labefactet. Eruta magno labore atque evoluta ex labyrinthis doctrinae monasticae et vere *ὀρθοτμηθέντα*, confringit ac convincit, non *κακοῦ μαγείρου τρόπῳ κατὰ πλάτωνα*, id est, inscitia, sed *πανουργίᾳ, καὶ θράσει, καὶ κοβαλικεύμασι χρώμενος*, ut apud Aristophanem est. Et dum velut Balaena Aristophanica concionatur gregi ovium, hoc est, suo theatro grunnitu rabiosi ac mordacis porci, armatus tridente, non ferit adversarios hostes Ecclesiarum nostrarum, sed velut conspirans cum illis lupino foedere, in eversionem nostri, spiculis sycophantiarum pungit foditque, ceu in acie oppositos iisdem ab Ecclesiis nostris antagonistas, ut hos dimicantes simul cum utriusque et paulatim languefactos, geminatis ictibus iugulet, et si quid probet in doctrina utrorumque nostra, et adversariorum non constat, et haud scio, an non irrideat utramque pariter. Quam oppugnet enim religionem, et quos oppugnet, Dei beneficio, manifestum est. Quam probet et colat, non facile quis dixerit.

Horum ergo exquisitam malitiam cum fremitu quodam detestabatur Reverendus D. Pastor, et vulnera deplorabat gemens, quae Ecclesiae infligerent, contraque crudeles et astutas eorundem molitiones Ecclesias harum regionum, et hanc

scholam ardentibus votis commendabat filio Dei, Domino nostro Iesu Christo.

Confidimus autem hos triginta octo doctos et honestos viros ita esse affectos, ut potius vestigia sectari praeceptorum, et honestorum ac piorum imitari exempla velint, in colendo tuendoque communi de doctrina consensu, cum hac schola et innumeris aliis, qui coniunctos cum hac schola se profitentur, quam cum infausta illa et degenere Titanum sobole arma inferre Ecclesiis et scholis amplectentibus ac tuentibus veritatem. Idque ut faciant, eos hortor et obtestor propter gloriam Dei.

Cumque privatim et public auditos censuerimus dignos, quos ornatos testimonii publici autoritate Ecclesiae ac Reipub. offeramus ac sistamus, si horum opera uti velint, tibi eos doctissime D. Decane commendo, ac peto totius collegii nostri et ipsorum nomine, ut autoritate publica Magistros eos Philosophiae crees et renuncies. Quo officio et collegio nostro gratum facies, et ipsos tibi in perpetuum devincies.

Oro etiam toto pectore aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, fonte sapientiae, ut Ecclesias pias ubique terrarum clementer foveat ac protegat, et prohibeat, ne restituta doctrinae coelestis lux, ac caeterarum artium novis sophismatum praestigiis, quae sycophantica et subdola ingenia petulantia, ambitione, odio et fraude cudunt et spargunt, obruatur aut extinguatur, et nos omnes regat ac servet. Dixi.

No. 169. an. 1559.

De congressu Bononiensi.

In Oration. T. V. p. 87 sqq., Richard. T. II. p. 679., et in Orationibus postremis p. 91. — De eadem re vid. Annales Mel. in Epp. Vol. IX. p. 706.

Oratio de congressu Bononiensi Caroli Imperatoris et Clementis Pontificis; recitata a Paulo Dumerichio Hallensi, Decano, 12. Febr.

Multa vestigia Deus impressit omnibus mundi partibus, ac praecipue homini, quae testantur esse Deum, et ostendunt qualis sit, et convincunt humanas mentes, ut fateri cogamur esse providentiam, et nos Deo curae esse, et quantum manet ordinis, legum, sapientiae, iusticiae, et honestae societatis, non solis hominum consiliis aut viribus, sed a Deo conservari. Haec scio verissima esse, et cum firmissima adsensione has sententias amplectar, tota mente et toto pectore ab epicureis, stoicis et academicis furoribus abhorreo, quorum sunt illae cyclopicae voces, quibus contemptus Dei significatur, etiamsi alii effrenatius, alii timidius loquuntur. Nec vero tantum hac physica cogitatione Deum agnosco, sed etiam Ecclesiae doctrinam confirmatam resurrectione mortuorum, eductione Israëlitarum ex Aegypto, et multis mirandis liberationibus veram esse credo, et Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem omnium rerum invoco in agnitione et fiducia Mediatoris. Cum igitur certum sit, aeternam Ecclesiam voce Evangelii per filium colligi, gratias ago Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, qui cum filio et Spiritu S. coelum et terram et genus humanum condidit, quod hactenus clementer nos et docuit et protexit, et eum oro toto pectore, ut non sinat apud nos extingui vocem Evangelii, sed semper inter nos aeternam Ecclesiam colligat, gubernet et protegat nos. Propter te Deus, propter te facias, ut recte agnoscaris et recte invoceris.

Sicut autem usitatum est, et maxime decet in his congressibus dici aliquid de doctrinis, aut de virtutibus, aut de honestis exemplis, dicam aliquid, non alienum a studiis nostris, de Bononiensi congressu Caroli Imperatoris et Pontificis Clementis, qui haec contentio de re maxima, videlicet de Synodo, quae ibi fuit inter viros excellentes sapientia, in historiis Caroli omissa est, quam ego quidem iudico maxime dignam esse memoria et consideratione posteritatis. Nec vero existimetis hanc narrationem fingi, ut Iunonis et Veneris altercationes in poëmate, sed vere institutam esse hanc deliberationem, adhuc multi norunt, qui interfuerunt, qui et sententiae summam, et verba quaedam nostris amicis narrarunt. Qua de re sententiae summam fideliter recitabo, etiamsi verba omnia referre non possum. Nec dubito illos sapientes et eloquentes viros tanta de re, multa prudentius et splendidius dixisse, quam ab ullo dici possunt omnium, qui nunc sapientiae et eloquentiae laude excellunt.

Ut autem hoc tempore potissimum hanc commemorationem adferrem, eo fit, quia recens mortuo Carolo, saepe cogito et de ipsius natura ac

fortuna, et de iis mutationibus, quae in imperio et quae in Ecclesia acciderunt. Existimo etiam sanos homines haec debere recordari, ut considerent ea, quae divinitus fiunt in imperiis et in Ecclesia.

Quis fuit regum multis seculis, ad quem opprimendum toties Europae potentia coniuncta sit? In tantis motibus, tamen Deus hunc Principem mirabiliter texit. Rex Gallicus cum haberet magnum exercitum ad Ticinum, a parvis copiis non solum superatus est, sed etiam captus. Deinde cum urbs Neapolis sex mensibus circumsideretur, rursus fracta esse Caroli potentia existimabatur. Exercitus Gallicus ibi lue periit. Haec et alia multa recordantes, praesentiam Dei in victoris defensione cernimus.

Qualis vero in his congressibus fuit victor? Res ostendit capto rege Gallico, et deinde capto Pontifice nihil crudeliter eum fecisse. Haec eius moderatio laude digna est.

Scio fore qui mihi ut probrum obiicient, quod in hac commemoratione non vitupero Carolum. Ego vero qua fronte possum eventus divinitus gubernatos vituperare? Et quae moderate ab eo facta sunt, neque occultari possunt, neque taxari, nisi quies calumniose ea depravare velit. Grati vero Deum celebremus, quod texit hunc Principem, et ita armavit autoritate et felicitate, ut Germania sub ipso mediocriter tranquilla fuerit. Quam ad rem initio etiam eius moderatio profuit, cum nollet pontificiae crudelitati morem gerere, sed flagitaret cognitionem controversiarum, et vellet re deliberata Ecclesiae saluti consuli. Ab ea moderatione quod postea discessit, et bellum Germanicum movit, deploremus calamitatem huius ultimae et delirae senectae mundi, et agnoscamus in omnibus partibus multum esse scelerum, propter quae poenae et venerunt et venient. Et oremus filium Dei, ut iustam iram leniat, et suae veritati opem ferat, et reliquias sui agminis servet. Ipse Carolus etiam expertus est illa consilia violenta sibi non fuisse felicia.

Sed non instituo orationem de omnibus eius factis. De congressu Bononiensi dicam, qui ostendit eum initio a violentis consiliis abhorruisse.

Vera sunt haec: Cum in Italiam anno tricesimo profecturus esset Carolus, deliberationes sibi scribi iussit de controversiis Ecclesiae. Responderunt quidam, prorsus nullam mutationem doctrinae, aut rituum faciendam, aut permittendam esse, nec ullam Synodum convocandam esse, sed tantum armis delendos esse omnes, et doctores et Principes, qui labefactare praesentem tranquillitatem auderent, quia plus mali sit in exemplo admissa mutatione, quam in morbo, cuius emendatio instituatur. Semel enim tentata mutatione, curiosa ingenia invitari ad maiores mutationes. Alii mitiores responderunt, Ecclesiam haec horrida et Laconica consilia non decere. Primum, quia alius finis sit Laconicae gubernationis, alius Ecclesiae: in Laconica tantum quaeri pacis conservationem, in Ecclesia anteferendam esse gloriam Dei. Cum autem manifestum sit, multas falsas opiniones errore, superstitione, avaritia, in Ecclesiam invectos esse, necessariam esse emendationem propter gloriam Dei. Deinde ne quidem fore pacem, quia semper futuri sint, qui aliqua reprehendent, idque tumultuosius facturos esse multos, quia sine publica autoritate et sine consensu gubernatorum id agerent: esse et manifesta libidinum scelera in coelibatu, quae tolli Deus praeceperit, quantum ferri a gubernatoribus possit. Postremo, Ecclesiam non debere tyrannicam esse, sed propter probabiles causas lenire iniusta onera. Athenis Solon veterum legum asperitatem mitigavit, et σεισάχθειαν effecit. Saepe et in urbe Roma, et in imperio mitigatae sunt nexorum calamitates. Quanto magis Ecclesiam decet lenitas, cui toties praeceptum est, ut parcat infirmis. Denique cum tot Principes ad Synodum provocent, et quidem, cum ubique terrarum boni et docti assiduis gemitibus petant Synodum, qualis tyrannis esset, sine ulla cognitione sevitiam exercere? Adiuncta sunt et exempla bonorum Principum, qui Synodos utiles Ecclesiae convocarunt, Constantini, Theodosii, Arcadii, Martiani.

Lecto utroque consilio, Imperator et natura mitis, et alienus a tyrannide, et non profanus, re diu cogitata et disputata cum sapientissimis viris, tandem praetulit sententiam iustam et mitiorem, et affirmavit, se in ea permansurum esse.

Cum igitur ventum est Bononiam, instituta deliberatione de pace Ecclesiae, cum consedissent Carolus et Pontifex, et hinc seniores Cardinales, Genutius, Farnesius, et alii, inde Principes Hispanici, et Italici astarent, Mercurinus longa et gravissima oratione voluntatem Caroli exposuit, et Synodum flagitavit. Huic Clemens, qui et sa-

piens et eloquens erat, et ad hanc tantam causam paratus venerat, in hanc sententiam respondit: „Credo ego te Carole Imperator, et tuo iudicio reverenter sentientem de invocatione Dei, et incitatum laudatissimorum Principum exemplis, bono studio Synodum flagitare. Sed hac de re, in qua plurimum est periculi Ecclesiae, prior esse mea deliberatio debet, et praecipua autoritas. Nam ut non disputem subtiliter de meo iure, hoc constat, Synodum Nicaenam iussisse ad Romanum Episcopum deferri controversias Ecclesiarum Occidentis, et nostram sedem indicere Synodos. Saepe igitur ante hoc tempus, et mecum ipse, et cum hoc Genutio, et Farnesio, et aliis deliberavi, quomodo Ecclesiae paci consulendum sit, priusne in Synodo res disputandae sint, an potius tantum armis opprimendi sint, qui discedunt a decretis et opinionibus antea receptis. Qua de re, cum censeam, non indicendam esse Synodum, initio peto, ne mihi aut opibus Romanae sedis metuere existimes. Ioannem vicesimum tertium aiunt poenituisse, quod Synodum Constantiensem convocaverat, cum eum ex summo fastigio deiiceret. Ego vero expertus variae fortunae vices, nuper etiam captus, cogito non solum honores et potentiam, sed hanc ipsam vitam quoque fugacissimas umbras esse, et tranquillo animo cedam de hac statione, quandocunque me vel Deus, vel casus aliquis inde abstrahet. Deinde nec de opibus Romanae sedis angor, quas attribuit nobis Ludovicus Caroli filius, et ut sumtus necessarios in gubernatione habeamus, et ut simus tutiores contra subita latrocinia. Sed velim hac sarcina Romanum Episcopum levari, si semper tales Imperatores haberemus, qualem te esse video. Non igitur Synodum propter has stultas cupiditates fugio. Neque hoc argumento moveor, quod magnifaciunt Iurisconsulti: Valere debere rerum iudicatarum autoritatem, nec antea decreta novis disputationibus labefactanda esse. Ego vero, si paci, si posteritati prodesset disputatio, nollem eam prohibere, ac tantum ad publicam pacem et salutem posteritatis mea sententia directa est. Ostendam autem ex ipsis dogmatum generibus mei consilii causas."

„Sunt dogmata, partim non solum falsa, sed etiam manifeste absurda, qualia sunt anabaptistica: Oportere facultates omnium communes esse, Magistratus, iudicia, legitimas poenas, imperia, res prorsus a Deo damnatas esse. Omnia fieri necessario, etiam scelera, nullam esse libertatem humanae voluntatis, renasci homines sine voce doctrinae, enthusiasmis cogentibus repugnantem voluntatem. Nuper etiam Samosatenica mota sunt de filio Dei, quae transformant Ecclesiae doctrinam in Mahometicam. Ut autem ad incendium restinguendum boni omnes mox concurrunt, sic concurrere omnes gubernatores oportebat ad opprimenda initia harum quaestionum, ac res pessimi exempli fuerit, de eis admittere ullam disputationem. Sedit Constantius Imperator, et praestigiatorem audire potuit, haec blasphema dicentem in Synodo: Pater est ἀσεβὴς, filius est εὐσεβὴς, dissimilis est ergo filius patri. Quae fuit haec lenitas, vel potius impietas, tales voces audire? Te ne Carole existimem, tam non dico lentum, sed vecordem esse, ut fuit Constantius, ut sedens in Synodo, sine ingenti dolore et indignatione, sophismata auditurus sis."

„Secunda classis est, ut ita dicam, dogmata inextricabilia. De his cum tolli certamina non possint, melius fuerit ea non agitari. Tales sunt quaestiones de adoratione panis, de oblatione, de sacrificio Missae."

„Tertia classis est: Dispensabilia Pontificis autoritate, ut laxatio votorum, concessio coniugii, emendatio superstitionis, in cibis, vestitu, et similibus ineptiis. De hac classe, cum res sint manifestae, nihil opus est disputatione Synodi. Si Reges et Principes petent harum rerum moderationem, sedes Romana uno edicto harum rerum omnium ἐπιείκειαν edere posset. Velim et ipse tolli superstitionem, et morum vitia, quae stultis legibus augentur. Sed ἀναρχίαν fieri nolo. Petatur a Romana sede emendatio, cui nolo adimi autoritatem, vetustae Ecclesiae sententia ei attributam."

„His classibus dogmatum consideratis, causa cernuntur, quare non sit convocanda Synodus. Reliquum est igitur, ut Carole armis pacem restituas. Italia domita tuis armis, quieta est, rex Galliae repressus, qui tecum non de stoicis paradoxis, aut iudaicis superstitionibus Monachorum, sed de imperio certavit. Quanto facilius Germaniae partem non magnam compesces, qua in re et posteritatem intuearis. Huius sedis autoritate extincta, sequetur ἀναρχία, in qua et laxatio disciplinae adferet barbariem in moribus, et petulantia ingeniorum gignet sine fine nova dogmata,

et moram in hoc incendio perniciosam esse cogitate."

Haec cum dixisset Pontifex, iubet Carolus, quia decreverat non discedere a sua sententia, Mercurinum refutate Pontificis orationem. Sed cum dicere Mercurinus caepisset, interpellat Pontifex, torvitate vultus et vocis tyrannidem ostendens, et his ipsis verbis obiurgat Mercurinum: „Quare tu mihi adversari audes, et Dominum contra me incitas?"

Hic surgit ad dicendum Carolus ipse. Mirantur Principes, quid iuvenis dicturus sit, et attenti audiunt omnes, fuitque haec gravissimae orationis summa.

Agnosco me iuvenem esse, et huius Mercurini, et aliorum sapientum consiliis uti me fateor, et debere me sapientiores audire iudico, et de hac ipsa deliberatione, quam scio pertinere ad gloriam Dei, et ad salutem universi generis humani, cum multis collocutus sum, qui excellunt sapientia, virtute et fide, qui sentiunt Ecclesiae opus esse Synodo. Nec tu ignoras voluntates omnium sapientum et bonorum in tota Europa, qui assiduis gemitibus Synodum flagitant talem, quae recte gubernetur. Quare cum re diu deliberata, et iis argumentis, quae tu opponis, diligenter cogitatis velim convocari Synodum, scito et Mercurinum, quae dixit, meis mandatis dixisse, et me ab hac sententia, donec vivam, non discessurum esse. Tuum consilium speciosum et plausibile profanis videri potest, sed meum et iustum est et Ecclesiae convenientius, et si me non impedieritis, Deo iuvante, spero generi humano salutare futurum esse. Nec illa terribili oratione tua abducor a sententia, quod non sit audienda disputatio de absurdis et inextricabilibus. Nam nec omnia, quae nunc disputantur, absurda sunt, nec sunt ullae inextricabiles quaestiones in Ecclesia de rebus necessariis. Audivi et ego mihi saepe Platonicum illud dici: „Ut parentum deliria ferenda sunt, ita in civitatibus et religionibus vitia quaedam dissimulanda esse." Modus est eius rei, et in imperiis et in Ecclesia. Fundamentum certe in Ecclesia retineri oportet. Et hae leges aeternae in imperiis et Ecclesia retinendae sunt, quae prohibent idolorum invocationes et libidinum confusiones. Irrepserunt autem in Ecclesiam quaedam invocationes contumeliosae contra Deum. Et turpitudo libidinum in conspectu est. Nec tantum horum malorum emendatio Synodum requirit, sed universae doctrinae integrum corpus colligendum est, quod una voce omnes gentes in omnibus templis sonent. Scis enim nunc de multis magnis rebus, etiam in tuis castris dissonos clamores esse. Cum sparserit haec aetas quaedam absurda, opponat Synodus illustria et firma testimonia, ut et hoc tempore et in posterum minus decipiantur homines, moniti argumentis a Synodo ostensis.

Illa autem vox Pontifice indigna est, quod ais, quaedam inextricabilia esse. Deus immensa bonitate se patefecit, et vult nos amplecti doctrinam, quam tradidit, quae si esset ambigua, inanis sonus esset. Placet mihi autem et Theodosii consilium, qui iussit in Synodo quaeri, et proferre testimonia sincerae vetustatis. Certe enim Ecclesiam doctricem libenter audio, ut Samson monuit: „Si non arassetis vitula mea, non invenissetis."

De dispensatione, quam offers, quanto haec fiet commodius in Synodo? Maior enim erit gentium concordia, si simul omnes talem ἐπιείκειαν recipient. Et illo dicto heroïco delector: „In communi pericula sit communis deliberatio." Nec defuturus sum meo officio rebus cognitis. Et ut cognitio possit ordine fieri, veterum Imperatorum exemplo adfuturus sum, et quantum potero perficiam, ut hae leges iustissimae serventur: „Utraque pars pariter audiatur." Et: „Sententiae non tyrannicis arbitriis ferantur, sed iuxta leges", videlicet iuxta doctrinam, quam certum est a Deo traditam esse.

Nunc quod iubes, ut sine diiudicatione bona et mala pariter deleam, id nequaquam faciam. Nolo enim ex Ecclesia tollere legitima iudicia, et constituere tyrannidem. Declaravi autem antea non obscure in bello, meam observantiam erga Ecclesiam et erga sedem Romanam, et erga te, quam ut deinceps praestabo.

Hac oratione audita, et Pontifex et omnes Principes ingenium et magnitudinem animi in Carolo mirati sunt. Ideo ne magis incenderetur Carolus, placide respondet Pontifex, se cum suo Senatu rursus deliberaturum esse.

Haec Bononiensis actio ostendit tunc quidem Caroli moderatam fuisse voluntatem, cui congruit et hoc, quod postea in conventu Augustano confessionem Ecclesiarum nostrarum sibi exhiberi iussit, quae omnia cogitemus ita gubernante Deo facta esse, ut Evangelii doctrina illustraretur et

propagaretur, quam propter gloriam Dei et propter salutem nostram studiose discamus, et agnoscentes immensa Dei beneficia, grati eum celebremus, et ab ipso assiduis votis petamus, ut nos in tantis confusionibus generis humani clementer gubernet et protegat, nec sinat nos implicar ierroribus, ei ex Ecclesia in tenebras ruere.

Te fili Dei Domine Iesu Christe, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos, invoco, ut nos doceas, regas et serves. Vera te loqui non dubito, vocantem omnes aerumnosos. Hac tua voce fretus ad te accedo, et peto et expecto a te auxilium et salutem. Dixi.

Petitio ad Decanum.

Revocat mihi in memoriam haec consiliorum Carolis Imperatoris commemoratio, eas quas saepe habui de Augusto Caesare, et hoc ipso Carolo, cogitationes. Multa reperio in his duobus Principibus similia, et quanquam potentia utriusque dispar, et rerum ipsarum ac temporum conditio, sub utroque fuit dissimilis: tamen in res motas iam et turbatas incidit uterque. Naturarum similitudinem, geneseon congruentia indicat: Uterque enim Capricornum ὡροσκοποῦντα, uterque cum Saturno Martem coniunctum habuit. Inde non obscura est causa similitudinis, morum, consiliorum, conatuum, eventuum, rerum gestarum, varietatis fortunae. Rediit in urbem Romam Augustus ex schola Rhodia, a literis ad imperium, post interfectum C. Caesarem, a quo fuerat adoptatus adolescens admodum, et ut caesis Hirco et Pansa consulibus succederet, creatus est consul annum agens decimum nonum. Eundem aetatis annum agens Carolus accitus est Electorum suffragiis ad imperii Romani administrationem. Magna bella gessit uterque terra marique pari propemodum eventu, et iisdem fortunae vicibus, contra domesticos magis quam exteros hostes. Variis fuit uterque petitus adversationibus et insidiis. Utrique praestantissimos et sapientia et virtute bellica viros Deus adiunxit, quorum consiliis, ductu, felicitate ac successibus res tantas gesserunt, Augusto Agrippam, Maecenatem, Drusum et alios: Carolo, Mercurinum, Granvelum, Antonium Levam, et Frounspergium. In utroque sapientia fuit excellens etiam admodum adolescente, et insignis post victoriam, moderatio. Ferunt Nicolaum Schonbergium Cardinalem Capuanum cum perfunctus legationibus apud tres reges, Carolum Hispaniarum, Franciscum Galliarum, et Henricum Angliae, rediisset Romam, et interrogatus esset a Cardinale S. Georgii: Quae reperisset in illis tribus regnis memoratu maxime digna, respondisse concinne admodum et breviter: Reperisse se in Galliis pulchrum regnum, in Anglia pulchrum regem, fuit enim forma Henrici regis eximia: in Hispaniis vero sapiens consilium regis. Quod et de ipso Carolo et Senatu regni intelligi voluit. Fuit et studium in utroque serium res commotas et fluctuantes componendi, et iam reparata et firmata pace, quam dissidia dissolverant, constituendi status alicuius duraturi ad posteros, et profuturi tranquillitati atque incolumitati imperii.

Deliberat Augustus de forma Reipublicae cum duobus sapientissimis viris Agrippa et Maecenate, utrum restitueret veterem formam Reipublicae, quae erat ex Aristocratia et Democratia mixta, an illam prorsus abolitam praestaret commutare in Monarchiam. Extant deliberationis illius capita apud Dionem exposita longis orationibus, in quibus multa disputantur graviter et sapienter in utramque partem: ita de dirimendis et sopiendis controversiis ecclesiasticis et emendandis Ecclesiis Synodi legitimae iudicio, deque instauranda concordia, et ante bellum Germanicum et post, cum sapientibus multa contulit Carolus in omnes partes accurate pensitata. Sed pari propemodum successu tentavit uterque quod diu multumque et sapienter cogitarat, et desperatione tandem consiliis abiectis ab incepto destitit, et sese ceu removit a Reipublicae administratione, Augustus petita Nola, Carolus monasterio, et in moesticia ac solitudine mortuus est uterque.

Exemplo est uterque, quam sit infelix humana sapientia, et quam irrita prorsus, si non regatur divinitus.

Eo libentius autem ego quoque Caroli Imperatoris mentionem facio, quod inter tantas occupationes gubernationis et bellorum, omnes scimus eum et amasse, et intellexisse, et coluisse atque exercuisse has nostras artes physicas et mathematicas, sic ut nec medicationibus uteretur, quas non ipse prius considerasset et examinasset, et de doctrina geographica atque astronomica plura nosset, quam multi alii his studiis praecipue de-

diti, et in honore haberet praemiisque afficeret, qui harum disciplinarum cognitione excellerent. Hoc iudicio de nostris artibus tanti Imperatoris moveantur adolescentes, ut studia Philosophiae magnifaciant.

Cum autem et hos triginta duos honestos et doctos viros more scholae auditos, compererimus in Philosophia praeclaram navasse operam, et speremus eos usui futuros et ornamento ac praesidio Ecclesiae Christi et Reipublicae, aequum censeo, ut iis honoribus qui autoritate Imperatorum doctis attributi sunt, a collegio nostro ornentur. Quare tibi eos doctissime domine Decane et Procancellarie commendo, et peto collegii nostri et ipsorum nomine, ut titulum eis et gradum Magisterii philosophici conferas. Quo beneficio ipsos tibi in perpetuum devincies. Oro etiam Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut Ecclesias harum regionum et hanc scholam nostram clementer tueatur ac protegat, et servet lucem doctrinae suae ac studia honesta, et nos omnes regat ac custodiat. Dixi.

No. 170. an. 1559.

De consideratione corporis hum.

In Oration. T. V. p. 106 sqq., in Oration. postremis p. 112. et apud Richard. T. II. p. 161.

Oratio (de consideratione humani corporis, seu de anatomica doctrina); recitata a Vito Winshemio, artis med. Doct., d. 25. Maii, cum gradus Doctoris in arte medica decerneretur Doctori Ioanni Moningero, Onoltzbacensi.

Ante annos centum et sex, die vicesimo nono Maii, captam esse urbem Constantinopolim scribitur, quae multis seculis vere urbium totius generis humani regina fuit, et non solum arx imperii, sed etiam doctrinarum et Ecclesiae praecipua sedes.

Eius tantae rei dies cum instaret, ac menti meae velut oculis obversarentur illa horribilis expugnatio, caedes Imperatoris et magnae multitudinis nobilium virtute praestantium, civium, matronarum, pudicissimarum virginum et infantum, libidinum confusiones, literatorum trucidatio, doctrinarum interitus, et contumeliae Christi, quae postea secutae adhuc in ea urbe dominantur: ne potui quidem sine dolore esse, cogitans et de illo tristissimo exemplo, et de horribilibus ruinis omnium imperiorum, quibus ostendit Deus iram suam adversus generis humani scelera, et de multis causis, quibus Germania similes poenas attrahit.

Qua in cogitatione tempora etiam considero. Instauratio a Constantino facta collocatur in annum a nato Christo ex virgine trecentesimum quintum, qui fuit ante mortem Constantini quintus annus. Excidium incidit in annum millesimum, quadrigentesimum quinquagesimum tertium. Intervallum est anni mille centum et octodecim. Congruit igitur fere duratio urbis Romae usque ad Totilam, qui eam destruxit. Ac singulari beneficio Dei multis seculis haec urbs Ecclesias in Asia et vicina Thracia et Graecia defendit, donec paulatim propter hominum delicta longius in Occidentem armis Turcicis Mahometica impietas invecta est, et hanc ipsam arcem imperii oppressit, sicut ante Constantinum praedixit Methodius Lyciae Episcopus.

Cum autem videamus post id tempus, quae ruinae in Graecia et Pannonia secutae sint, et latrocinia Turcica in vestibulo Germaniae conspiciantur, de posteris nostris cogitemus, et filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, precemur veris gemitibus, ut et nos servet, gubernet et protegat, et in his regionibus semper aeternam Ecclesiam sibi colligat, et propter suam gloriam posteritati et familiis nostris tribuat Ecclesias recte invocantes ipsum et politias mediocres et honestam disciplinam et doctrinarum lucem, et in his regionibus barbaricas vastitates fieri non sinat.

Credimus te, fili Dei Domine Iesu Christe induisse massam nostrae naturae, ne funditus totum genus humanum periret, et te, qui dixisti: Ego sum vitis, vos palmites, invocamus, ut nos et posteros nostros tibi inseras, ut sint palmites tui, semper te celebrantes. Idem vos omnes cum omnibus piis in hoc congressu precemini.

Utrumque autem praecepit filius Dei, invocationem et studia doctrinae, ac de studiorum neglectione comminatio tradita est, quam audientes cohorrescere omnes debent: Quia scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio mihi fungaris.

Cum igitur necessaria doctrinae studia esse sciamus, suo quisque loco conservationem doctrinarum adiuvet.

Etsi autem artes multae et diversae sunt, tamen una est omnium regina, sapientia Ecclesiae tradita, ad quam cognoscendam literis, linguis et artibus aliis opus est.

Ideo cum vos ad discendum hortamur, necesse est de pluribus artibus dici, et societas quaedam est doctrinarum, ut singulae multa ab aliis mutuentur, sicut singulae aliquas vitae partes regunt, et tamen vita omnes ordine complectitur.

Dicimus autem alias de aliis partibus, nunc usitatam adhortationem *de consideratione humani corporis, seu de anatomica doctrina* propter iuniores repetere decrevi, nec pudet eadem, quae saepe auditis, commemorare.

Quotidie enim in vestra invocatione haec cogitare debetis. Cum incipis precationem, cogitare debes, quid invoces, quis et qualis sit ille creator, quem alloqueris, quae de sese testimonia nobis tradiderit, in operibus creationis et in teipso, et deinde in aliis patefactionibus et missione filii.

Convincimur autem, ut statuere cogamur, esse Deum creatorem, et talem esse, videlicet mentem aeternam, sapientem, veracem, bonam, beneficam, iustam, castam, liberam, vindicem scelerum.

Cum aspicimus immutabiles noticias nobis insitas, quae recta et non recta discernunt, et habent in corde vindicem dolorem cum violantur, in his noticiis cum discernis bonum et malum, discis Deum procul a rebus malis omnibus seiungendum esse. Non igitur sit ingrata repetitio commonefactionum de utilitate doctrinae anatomicae.

Nec vero iam eos alloquor, qui se totos arti medicae dedunt, ut eam exerceant, hi sciunt amentiam esse velle curationes instituere sine consideratione loci affecti. Nos et positus, et origines et propagationes, et qualitates et συμπαθείας singulorum membrorum nosse, necesse est, scire etiam qui sint familiares singulorum morbi, quae propria remedia, qua in re etiam illustre testimonium providentiae divinae cernitur. Deus praevidens, quibus rebus vita hominum tuenda esset, sparsit in universam terram, velut in hortum et frumenta ad victum necessaria, et remedia, in quibus bonitas et sapientia conspiciuntur.

Nam ut fidelis et industrius Myropola distribuit in officina singulorum morborum remedia: ita Deus singulis membris certa auxilia accommodavit, quorum omnium distinctionem et usus nosse medicos oportet.

Sed hanc orationem non ad Medicos institui, sed ad coetum iuniorum, qui discunt ea doctrinarum initia, quae omnibus in vita necessaria sunt.

Affirmo autem prorsus omnibus hominibus ad curam tuendae valetudinis necessariam esse cognitionem aliquam doctrinae anatomicae. Ut cautio adhibeatur, ne membra laedantur, et ut morborum initiis cito occurrere possis, necesse est et positus eorum et naturas aliquo modo intelligere.

Meminimus hic anno ante mortem, reverendum virum Doctorem Martinum Lutherum subito καρδιωγμῷ periculose aegrotasse. Cumque ad eum venisset amicus, cui sciscitanti, essent ne cruciatus in calculi viis, respondit ille, supra eos vias esse, et cor peti, et cruciatus saeviores esse, quam sint, qui a calculo oriuntur, et λειποθυμίας impendere. Hic metuens cordi arteriam tangit, nihil ibi mali significabatur, cerebrum erat incolume, nihil erat apoplecticum, erat et cor incolume, et cruciatus non erant in calculi regione, sed cor premebatur. Ex loco igitur ratiocinabatur hic motum malorum humorum in orificio ventriculi esse, et ortum a frigore, erat enim tunc horrida bruma, iubet igitur mox offulam afferri calidam, et dari vinum non musteum, sed vetus. Ita, Deo iuvante, mox repressi sunt cruciatus illi, et ostendit eventus in coniectura non fuisse erratum: ita saepe magna pericula subito incidunt, quibus nisi arte mox occurras, prius vincit naturam morbus, quam accersi medicus potest. Quoties scholastici incidunt in periculosas insomnias, alias ex cruditate, alias ex lucubrationibus, alias ex animi doloribus. Cum cruditas est causa, ventriculus fovendus est, cum cerebri aestus prior causa est, longe aliis remediis utendum est. Haec commemoro, ut cogitetis singuli, vobis opus esse ad tuendam valetudinem, et nosse membrorum distinctiones, et considerare, quantum fieri potest, quibus rebus singula seu laedantur, seu iuventur. Ac manifestum est multos interire hanc considerationem negligentes.

Quam multi stolidi in itineribus extinguuntur, ubi Medicos habere non possunt, quia nihil auxilii opponere possunt, cum locum affectum ignorent. Exempla multa narrare possem. Profecto enim valde errant, qui nihil interesse inter marinos scopulos et membra humani corporis existimant, nec curam ullam tuendae valetudinis, nec diligentiam adhibent. Adfert hoc quoque doctrina anatomica, ut consideres, quam fragiles sint machinulae corporis humani, in quibus et fons est vitae et praecipuae actiones fiunt: nutritiones, motus sensuum, et motus locales, cogitationes, et recordationes. Quam molle est cerebrum? quod tamen est domicilium plurimarum et maxime admirabilium actionum. Cor etsi septum est certis Thalamis, tamen vel exiguo halitu venenato subito interfici potest. Pulmo, epar, ventriculus, splen, quam varias et periculosas offensiones experiuntur. Quid usitatius, quam extingui homines lacerato epate, cum aut in aestu avidius biberunt, aut alioqui plusculum ingurgitarunt. Quam facile rumpuntur venae et nervi?

Vidi robustum adolescentem, et quidem ingenio praestantem, vehementiore saltu rupta vena in pectore statim extingui. Aspiciatur ergo membrorum fragilitas, ut diligentia in nobis excitetur ea tuendi, et virtutes assumantur, quae sunt moderatio in cibo, potu, laboribus, et omnibus motibus. Non contemnite dictum Pauli, quod iubet corpus honore affici. Non tantum foveri iubet, ut fovemus pecudes, sed praecipit maius officium, ut corpora nostra honore afficiantur, honos autem tribuendus est propter usus divinos. Erat homo post creationem ante lapsum domicilium Dei, fulgebat in homine Deus ipse accendens lucem, qua vere agnoscebatur, et flammas in corde sparserat, quae motus tales ciebant, qualis est ipse Deus. Etsi autem in lapsu his tantis bonis orbati sumus, tamen in ipsis primis parentibus in conversione restitui haec bona coeperunt, et fit idem in omnibus, qui vere ad Deum convertuntur. Ut filius Dei *λόγος* alloquitur primos parentes, et admirandam et dulcissimam promissionem ex sinu aeterni patris profert, et rursus fulget in eis, et effundit in corda Spiritum sanctum: ita conversi nunc quoque sunt domicilium Dei, et corpora nostra sunt organa multarum excellentium actionum divinarum, ut in castitate et tota gubernatione Ioseph, et praeliis Davidis et similibus. Ut autem omnes modesti homines cogitant magna scelera esse, violare templa Dei, et aras hominum manibus extructas: ita longe verius magna scelera esse statuamus, viva Dei templa, in quibus vere Deus habitat, lucet, et se generi humano ostendit, violare. Necessaria est autem ad curam conservationis consideratio membrorum, ac ut intelligas, quid Deus in singulis proprie agat, necesse est eorum discrimina nosse. Lucent in cerebro noticiae, ardent in corde piorum affectuum flammae, armantur nervi ut externa membra cieant, haec ut aliquo modo agnosci et discerni possint, membrorum et actionum distinctiones aliquo modo sciri necesse est. Dixi de cura tuendae valetudinis multo brevius, quam res poscit. Nunc et de altera utilitate dicam, quae ad omnes homines pertinet, ad viros et mulieres. Necesse est aliquo modo intelligi discrimina potentiarum animae, de quibus et Adam sub frondibus pomiferae alicuius arboris sedens concionatus est, explicans dictum: Sub te erit appetitus tuus. Nunquam hac doctrina vera Ecclesia caruit, sed alias magis alias minus perspicue tradita est. Nunc quoque videtis, quanta sit insulsitas multorum, qui cum de libero, arbitrio disputant, non discernunt potentias, et vere sunt *ὄνοι ἄγοντες μυστήρια,* nec vero discerni potentiae possunt, nisi membra et eorum officia aspicias. Inquit Paulus: Impios detinere veritatem captivam in iniustitia, id est, veras noticias in cerebro, quibus tamen cor non obtemperat: sedes igitur noticiae quaerenda est, videlicet cerebrum, et cogitandum est noticiam in cerebro lucem esse, velut in oculis sua quaedam lux est. Ut fulget in Davidis cerebro noticia: non moechaberis, at cor alibi collocatum ardens errantibus motibus non obtemperat, et velut tyrannus noticiae recta monenti repugnat, unde alibi manet vera sententia, alibi recipiuntur contraria incendia. Retinet tamen senatus in cerebro hanc autoritatem, ut nervis mandare possit, ne tyranno obtemperent, sed manus contineant, ne alienam coniugem attingant, ut cum iubet Cambyses interfici Croesum, hunc tamen ministri abscondunt et servant. Explicari haec discrimina non recte possunt, nisi membra et eorum officia distinguas, quam ad rem copiosa doctrina opus est, de cerebro, corde, nervis, gradibus adpetitionum, cogitatione, seria electione, *προαιρέσει*, simulatione, de dolo, de culpa, de actionum causis: harum rerum considerationem in vita necessariam

esse omnibus notissimum est, quae doctrina anatomica de membris et eorum officiis carere non potest. Hae utilitates moveant bonas mentes, ut discant hanc doctrinam, quae si minus moverent homines, tamen propter confirmationem asseverationis de Deo et de providentia, fabricatio membrorum aspicienda esset. Non confluxisse hanc rerum naturam ex Democriti atomis manifestissimum est, et ex immotis noticiis, quae hominibus insitae sunt, et ex ingenti dolore, qui sequitur violationem illarum noticiarum ordine immutabili. Harum rerum aspectio illustre testimonium est de Deo et de providentia, quae tamen ita propius aspicientur, cum ipsa fabricatio membrorum etiam consideratur. Quid mirabilius est quam in cerebrum tot noticias tam varias multarum artium et rerum includi posse? Talis massa sine mente fieri non potuit, quia certe nunquam sapiens natura ex coecis atomis oriri potest, non enim potest effectus toto genere praestantior esse causa. Nihil de homine praedicari maius potest, quam quod et vox divina saepe affirmat: Hominem esse imaginem Dei; et sapientes omnes dixerunt, ut in poëmate scriptum est:

Exemplumque Dei quisque est in imagine parva.

Est autem similitudo intelligenda in noticiis recta et non recta discernentibus, quae sunt in cerebro, et in iis motibus cordis, qui cum Deo congruunt, qui sunt reliqui in hac quanquam depravata natura, *στοργαὶ* et dolor, qui scelera sequitur. Ut autem ingens amor est parentum erga sobolem, ita in Deo verus est amor erga filium, et nos qui filio adiuncti sumus, sicut scriptum est: Sumus *κεχαριτωμένοι ἐν ἠγαπημένῳ*, et vult nobis conditor eas *στοργὰς*, quas in nostri cordis penetralia insevit, commonefactiones esse, de suo amore, quo nos complectitur, quod cum sit verissimum, cogita quantum hoc sit, quod te sic amat Deus, ut tui parentes, et ostendit amorem, cum filium misit, ut solveret *λύτρα* pro nobis, ostendit etiam aliis ingentibus beneficiis. De his rebus cum consideratio membrorum hominis, et propriarum in eis actionum nos commonefacit, quaerimus etiam, unde sint in hac imagine Dei contrariae sordes, cur conditorem haec languefacta natura vicissim non amet, et petimus ut detersis sordibus imago restituatur, quae cum non sit frustra condita, rursus erit similis archetypo pura et nitida, et in ea tanquam in speculo clare fulgebunt radii divinae sapientiae et iusticiae. Sed nullius eloquentia satis exponere potest, quam multae commonefactiones in aspectione membrorum proponantur, quarum subinde plures animadvertent studiosi, cum in hanc doctrinam ingressi fuerint, ad quam etiam dulcedine cognitionis invitemur. Iucundum est videre aedificia recte facta et apte distributa, quanto iucundius est contemplari aedificium sui corporis, in quo vides, quanta arte singula membra et formata et collocata sint. Consilii locus velut in specula summus est. In medio robur est, quia cor fons est caloris vivifici et affectuum, qui sive consilio obtemperant, sive ruunt coeci in hac languefacta natura, tamen sunt acerrimi. Habet tamen senatus ministros nervos, qui externos gestus regunt, et errantes cordis impetus cohibere possunt. Imus locus attributus est culinae, ex qua tamen arte cibi in totum corpus vehuntur. Haec machinarum distributio certe sapientiam conditoris ostendit, quem grati celebremus, et precemur, ut nos, qui et opera ipsius et domicilia sumus, et ab eo propter filium diligimur, clementer servet, gubernet et protegat. Quantum etiam decus est humanae naturae, quod Deus hanc ipsam figuram induit *τῷ λόγῳ*, quem genuit ante mundi fabricationem, et proferre iussit arcanum decretum de restitutione naturae, in qua huic filio, qui est *χαρακτὴρ ὑποστάσεως* aeterni patris, similes erimus. Cum igitur inserti simus tuae massae, fili Dei Domine Iesu Christe, te veris gemitibus precamur, ut nos surculos tuos serves, gubernes et protegas. Dixi.

No. 171. an. 1559?

An virtutes sint habitus?

Separatim prodiit Witeb. 1559. vid. Strobelii bibl. Mel. No. 530. Recusa in Oration. T. V. p. 117 sqq., Richard. T. II. p. 301. et in Orationibus postremis p. 124. Cf. Epp. Mel. d. 8. et d. 19. Aug.

Oratio (de dicto Aristotelis virtutes esse habitus seu ἕξεις) *recitata a Iohanne Hermanno, artis med. Doct., cum gradus doctorum in arte medica decerneretur Doctori Andreae Rosae, Suinphordiano Franco, 3. Augusti.*

Multa sunt in natura rerum vestigia Dei illustria, quae testantur hunc mundum non coeco casu ex

Democriti atomis confluxisse: sed vere esse mentem architectatricem, sapientem, veracem, beneficam, iustam, castam, liberam, vindicem scelerum. Maxime vero illustria testimonia in nobis ipsis circumferimus, noticias numerorum et ordinis, immotum discrimen honestorum et turpium, horribiles Erinnyas conscientiae post delicta.

Hanc sapientiam et iusticiam aspicientes convincimur, ut fateri cogamur esse Deum conditorem sapientem et iustum. Sed valde dolendum est, quod cum adeo prope cernamus Deum, ut fere manibus contrectari queat: tamen adeo ferrea sunt hominum pectora, ut adsensionem non firmiter retineant, et iniustas cupiditates Deo anteferant.

Quam mira opera sunt in mentibus, cogitatio, ratiocinatio, diiudicatio?

Quod est illud amplum theatrum memoriae, capax tot et tam variarum imaginum atque artium, et tam cito proferens, cum impressa imago reposcitur?

Quae celeritas in gubernatione, cum cogitatio mandat nervis, ut motus cieant quos elegimus?

Haec si quis non aspicit, nec miratur, et existimat temere nata esse, nec fabricationis autorem, nec fines considerat, is vere est rigidior omnibus scopulis in mari et in terra ubicunque positis.

Profecto utilis est disciplina et ad confirmandas mentes de Deo, et de providentia, et ad excitandum studium virtutum, saepe et haec et alia multa testimonia de Deo cogitare.

Quid mirabilius est conservatione societatis humanae in tantis disputationibus?

Hanc tamen conservat Deus, manifeste retrahens latrones ad poenas, ut dicitur: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit.

Exempla igitur poenarum ostendunt, et irasci Deum sceleribus, et custodem esse legitimae societatis.

Sicut Ixion in rota iacens apud Pindarum, clamat: Discite iustitiam moniti, et non temnere divos.

Cum autem ut dixi, prosit aspici artificiosam fabricationem hominis, quam doctrina Medicorum praecipue illustrat, constitui iam de hac quaestione disputare. Recte ne dictum sit ab Aristotele, *virtutes esse habitus seu ἕξεις*, ut quaeramus et quid sint habitus, et ubi sint, et quid intersit inter noticias et virtutes.

Nam haec explicatio ex fontibus doctrinae Medicorum sumenda est, et prodesse hanc considerationem ad mores regendos manifestum est. Sicut vox divina inquit: Sub te sit adpetitus tuus.

Ac noticias quidem alias esse actiones, alias esse habitus fatendum est.

Actio est cum in praesenti cogitatione formatur imago rei cogitatae motu cerebri, et sua quadam spirituum vibratione, ut cum lingua format sermonem.

Etsi propius haec non cernimus, neque exponi illustrius possunt, tamen noticias esse formare imagines in cerebro non dubium est: idque opus quo mirabilius est, eo magis testatur Deum conditorem esse.

Noticiae vero, quae sunt habitus, sunt imagines saepe repetitae, et altius impressae cerebro, ut cum *σφράγις* eadem saepe cerae imprimitur. Ita cum saepe video peregrinum, imago imprimitur altius et fit firmior.

Haec de noticiis minus obscura sunt, quam cum de actionibus virtutum et habitibus dicitur.

Sed tamen actionum externarum causae, utcunque monstrari possunt.

Achilles quanquam iratus, tamen manus cohibet, nec interficit Agamemnonem.

Huius actionis causa pingitur in ipso poëmate. Retrahi Achillem fingit Homerus a Pallade, id est, cogitatio legis in cerebro docet, non interficiendum esse summum ducem.

Huic admonitioni cum assentiretur, mandat cogitatio nervis, ut retrahant manus. Et nervorum talis est natura, ut impulsiones a cogitationibus factas recipiant.

Non est talis ventriculi natura, ut obtemperet cogitationi mandanti actionem.

Esse autem hanc libertatem in homine reliquam, ut nervi obtemperare cogitationi, et ciere motus locales possint, manifestum est.

Utcunque igitur intelligi hoc genus actionum potest, quod nominatur rectio locomotivae, et apud Galenum *κίνησις προαιρετική*.

Etsi autem actio dicitur honesta in Achille manuum repressio: tamen cor flagrat ira, nec dici potest ibi esse habitum, qui regat iram, seu mansuetudinem.

Quid igitur, et ubi sunt illi habitus, quos Aristoteles nominat Virtutes? Diserte locutus est Paulus toties dicens: Homines non fieri iustos

operibus legis, quia videt actiones illas fieri posse, quae sunt rectio locomotivae, quae quidem nominat legis opera, quia lex regit cogitationem. Nominat et literam, quia haec cogitatio est velut obscura scriptura, illita cerebro. Non est lux in tota anima splendens, nec est incendium ardens in corde.

Non igitur gloriosa virtutis adpellatione utitur loquens de obedientia, quam utcunque ratio praestat in rectione locomotivae.

Ecclesia prorsus de virtute nos rectius docet, quae adfirmat eam esse motus Spiritus sancti, effusi in corda renascentium, confirmantis agnitionem Dei, et incitantis ad tales motus, qualis ipse est. Ut in Ioseph castitas, est motus Spiritus sancti, confirmans agnitionem Dei in cerebro, accensam verbo Dei, et repugnans insidiis Diaboli, et illecebris ardentis dominae.

Nec recuso uti hac phrasi, virtutem esse ipsum Deum, seu ipsum Spiritum sanctum, ut Psalmus inquit: Fortitudo mea Deus es tu.

Et quidem in tanta infirmitate nostra, agnoscamus nobis opus esse Deo rectore, et immensa beneficia filii Dei intelligamus, et Deo gratias agamus, cum pro caeteris beneficiis, tum vero et pro hoc dono, quod nos gubernat et munit Spiritu sancto, ne aut infirmitate nostra labamur, aut Diaboli odiis et insidiis evertamur.

Nam et diligentia regendi locomotivam sine auxilio Dei facile excutitur.

Et agnoscunt sapientes saepe hallucinari homines in deliberatione, saepe recte deliberata excuti novis persuasionibus, saepe vinci adfectuum fluctibus.

Hinc illa sunt: *οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός.* Item: Non est iustus in terra, qui cum multa iuste faciat, non etiam peccet. Et Simonideum illud: *οὐ ῥᾴδιον γενέσθαι τετράγωνον.* Et apud Senecam haec sunt:

> Qua terra patet, fera regnat Erinnys:
> In facinus iurasse putes.

Aut illud Menandri: Omnes vivunt mali.

Agnoscamus ergo infirmitatem nostram, et auxilium a Deo petamus, sicut Dominus praecipit: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Et grati ingentia beneficia Dei celebremus.

Haec dulcissima Ecclesiae doctrina multo illustrius ostendit, quid sit virtus, quam illa Aristotelis, ut ita dicam, scenica virtutis simulatio seu umbra.

Quid igitur? Nihil ne dicemus esse habitum seu *ἕξιν*, cum de virtutibus loquimur.

Ad id priusquam respondeo, dicam, quid in Philosophia virtus nominari rectius possit, quam habitus.

Primum, in omnibus non monstrosis, *στοργαὶ*, cum accedunt iudicium et moderatio, de qua dicitur: *ὡς ἡδὺ συνέσει χρηστότης κεκραμένη.*

Deinde heroica excellentia, quae tamen non est omnium, ut Achillis, Alexandri, Iulii fortitudo.

Utrunque autem et *στοργαὶ* et heroica celsitudo animi, sunt inclinationes a Deo conditae in hominum cordibus. Et quid sint, utcunque monstrari in exemplis potest, et gignunt actiones externas praeclaras. Dissimilis est fortitudo Iulii praeliantis et Antonii. In Iulio non tantum cogitatio imperat externis membris, ut pugnent: sed est in corde ingens incendium, quo et iuvatur cogitatio, et impelluntur ac velut armantur externa membra.

In Antonio cogitatio imperat externis membris, quae utcunque vel adsuefactione vel imitatione fit excitatior. Qua in re hoc quoque considerandum est, quod quanquam heroica virtus, vere Dei opus est, tamen et ipsa facile extinguitur. Et multi heroici viri in magnos furores incidunt, et fiunt tristia spectacula generi humano.

Hercules furens interficit coniugem et filios. Alexander postremis annis, quam tetra belua est? Cum antea nihil in eius toto regno praeter ipsum pulchrius esse propter iusticiam, temperantiam et modestiam.

De Themistocle factum est praeconium in conventu multarum gentium: Sapientia eius servatam esse Graeciam.

Talis cum esset postea se obscenis voluptatibus dedidit, turpiter etiam ad hostes fugit, et tandem sibi mortem conscivit.

De Alcibiade versus pronunciatus est: *ἔπτηξ' ἀλέκτωρ δοῦλον ὣς κλίνας πτέρον.*

Denique talium virorum et vitia et poenae dederunt occasionem Herodoto ut dixerit: Neminem esse mortalium neque fore, cui non ab initio malum admixtum sit, maxima vero maximis.

Attrahit autem poenas in summis viris fiducia sui, qua elati Deum negligunt, et multa iniuste faciunt.

Cum igitur nec heroica virtus stabilis sit, confugiamus ad filium Dei, et ab ipso gubernari nos petamus, qui dixit: Ego sum vitis, vos palmites.

Postquam utcunque exposui, quam rem Ecclesia monstret, cum virtutem nominat: et, quid Philosophia virtutem nominare possit, nunc quaeramus, et quid sit Aristotelica ἕξις, et ubi sit, et quis sit eius usus.

Ut noticiae quae sunt habitus, ut artes, fiunt crebra impressione imaginum in cerebrum: ita consentaneum est in corde et nervis eo tendentibus crebra impressione spirituum fieri firmitatem, praesertim cum doctrina et στοργαὶ accedunt.

Thrasibulus est clemens in victoria civili, et sancit ἀμνηστίαν, quia ex doctrina sapientum, et ex suae aetatis exemplis et veteribus historiis, didicit, non retineri imperia nimia asperitate, et sine ἐπιεικείᾳ: Adficitur etiam misericordia erga patriam, cognatos et cives, inter quos naturale foedus est. Et erat urbs Attica domicilium legum, et propugnatrix universae Graeciae contra barbaros, talem urbem conservandam esse cogitabat.

Haec omnia flectunt cor eius, ut repugnet irae, parcat inimicis, et tollat causas novorum bellorum, videlicet repetitiones veterum possessionum.

Sed etiam si quid est ille habitus, seu impressio spirituum in corde, res languida est, et facile vincitur incendiis malorum affectuum.

De vitiis quae res sint facilius est iudicare. Sunt enim ardentes et indomiti adfectus undecunque oriuntur. Nam in hac depravata natura multae sunt causae malorum motuum.

Domitianus est saevus ex vitiosa crasi, quia corpus venenata bile abundat.

Ideo cum sit suspicax, infidus, omnia metuens, et sit instructus potentia, tollit eos, quibus irascitur. Nec causae quaerendae sunt in monstrosis naturis. Sed ruunt, quia tales sunt, et accedunt Diabolorum impulsiones, ut in Caligula, Nerone et aliis innumerabilibus.

Confirmantur autem pravi adfectus consuetudine, et facile fiunt habitus tenacissime haerentes: ut in Gangrena aut similibus morbis, pravitas humorum tempore confirmata, corrigi non potest.

Magis igitur in vitiis intelligi potest pravos adfectus, tempore confirmatos, deinde habitus esse, quam in virtutibus.

Quia non tanta incendia adiuvant virtutes, quanta sunt vitiosi adfectus.

Prosunt tamen expetenti virtutem, crebra doctrinae cogitatio, vigilantia, et intentio in vitandis causis lapsuum: et in Ecclesia piis plurimum prodest precatio, quae recte Deum invocat, et petit ut in mente λόγος lucem gubernatricem accendat, et in pectore Spiritus S. ardens confirmet adsensionem, qua divinae voci creditur, et motus tribuat tales, qualis ipse est.

Tunc fortior est gubernatio, cum et cogitatio nervos recte ciet, et simul boni motus in corde armant omnia membra.

Haec doctrina quotidie in invocatione cogitanda est, quae quidem melius intelligetur, cum simul corporis membra contemplaberis, in quibus et testimonia sunt de Deo, et sunt vulnera, quibus quae remedia Deus condiderit, considerandum est.

Nominat Paulus legem Paedagogum, quod etiam cum de non renatis dicitur: tamen sciendum est, quae membra Paedagogus doceat et coërceat, et praecipi a Deo disciplinam, et severe etiam in hac mortali vita externa delicta puniri.

Vos vero in Ecclesia Dei non solum obtemperare ut Ethnicos oportet: sed audienda est vox Evangelii, ut agnitio filii Dei in mentibus accendatur, et praestetur obedientia προηγουμένης πίστεως, ut Evagrius recte locutus est: Fiat invocatio veri Dei, et petatur auxilium in conversione in toto cursu vitae, in studiis verae doctrinae.

Haec qui facient, experientur suos gemitus, et vota sua non esse irrita, et sentient in veris doloribus et trepidationibus, salutares consolationes et auxilium Dei.

Haec ipsa experientia ostendet discrimen inter doctrinarum genera. Inter Aristotelicam ἕξιν, quae est umbra virtutis, et veras virtutes.

Oro autem vobiscum toto pectore aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, qui cum filio suo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto, creavit coelum et terram, et certo aeternam Ecclesiam voce Evangelii colligit, ut propter filium Dominum nostrum Iesum Christum nobis sit propicius, et gubernet nos Spiritu suo sancto, et protegat ac regat harum regionum Ecclesias, et doctrinae studia, et politias, et cum aliis vitae praesidiis etiam medicationes felices tribuat. Dixi.

No. 172. an. 1559.

De Charitum appellationibus.

In Oration. T. V. p. 130 sqq., apud Richard. T. II. p. 310. et in Orationibus postremis p. 138. Cf. Ep. Mel. d. d. 18. Oct. h. a.

Oratio de Charitum appellationibus; recitata a Decano philosophico (Esromo Rudigero), 15. Augusti.

Iustissimum est, nos, cum omnibus aliis honestis actionibus, tum vero in his congressibus qui doctrinarum causa fiunt, ordiri orationem ab invocatione Dei, qui fons est sapientiae et iusticiae, et ut haec sua summa bona in nos spargat, vult ipse in tota aeternitate in nobis lucere. Mecum igitur initio reverenter et castis mentibus et piis linguis hanc orationem recitate.

Tibi omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator generis humani, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu tuo sancto gratias agimus pro omnibus beneficiis tuis, in quibus et haec sunt, lux tuae doctrinae, et vox honestarum artium, et huius Academiae conservatio, et ardentibus votis precamur, ut deinceps quoque nos doceas, gubernes et protegas, et omni tempore inter nos tibi aeternam Ecclesiam colligas, Amen.

Nunc qua de re dicturus sim, ut consuetudo postulat, exponam. Difficilis mihi de argumento deliberatio fuit. Nam in hos congressus oratio adferenda est nec inanis nec molesta. Ego vero re ipsa comperi verum esse illud Ennianum: Aeger animus semper errat. Cum mihi ad communem moesticiam, quam dissidia et calamitates publicae omnibus modestis hominibus adferunt, accesserit ingens dolor domesticus, accidit mihi quod dicitur: ὅπου ἀλγεῖ ἐκεῖ χεῖρα ἔχει, ut etiam si esset aliqua in hoc genere facultas mea, tamen hoc tempore meo ad tales commentationes idoneus esse non possem. Externos hostes habent Ecclesiae nostrae crudelissimos, Tyrannos Turcicos et Pontificios. His relictis dimicamus inter nos, ut Cadmei fratres. De hac calamitate eo non libet dicere, quia dolorem vestrum augere nolo, et magnitudo mali superat omnium hominum eloquentiam. Saepe igitur mandata divina, et de concordia, et de modo retinendae concordiae inter gemitus et lacrymas cogito. Quid potest dici maius hac gravissima voce Iohannis: Deus dilectio est, qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in eo? Inde iudicetur quid de furiis illis sentiendum sit, quae aut praestigiis sophismatum recte tradita corrumpunt, aut ardentes odiis infirma membra truncare quam sanare malunt, et his duobus modis Ecclesiam distrahunt. Prorsus abesse ab Ecclesia sophisticam oportuit. Simplex, perspicua, et immota veritas est: Non Deus volens impietatem tu es. Adeoque necessaria est obedientia Deo debita iuxta ipsius voluntatem in lege expressam, ut donatus sit hominibus filius, qui fieret victima, quia nostra natura obedientiam amisit. Cur filius fit victima, si obedientia non est necessaria? In hac quaestione cum veritas sit perspicua, tamen impudenter eam oppugnant quidam ludis sophisticis, ut qui stare solem, et terram moveri disputarunt. Et possem exempla plura commemorare. Alii vero in causis levioribus odio serviunt, cum parcere infirmis deberent. Sunt enim et in vera Ecclesia tenella membra et infirma, praesertim in hac opinionum, et in hac disciplinae confusione. Valde multa accidunt, quae leniter sananda erant. Si quis non pugnax induit vestem lineam, cur tanquam parricidium et veritatis proditionem exagitas?

Talia multa cum hoc tempore cogitarem, venerunt mihi in mentem vetera dicta et facta multa, quae sunt commonefactiones de concordia, et de coniunctione civium tuenda. Scribit Aristoteles, in mediis urbibus fuisse Gratiarum templa, ut cives commonefierent de mutua benevolentia, de beneficentia, de gratitudine, de condonatione offensionum. Pauca igitur de veteribus appellationibus Charitum dicam, quia hoc argumentum gratius fore existimo querelis et accusationibus.

Etsi autem commenticia numina Ethnicorum detestanda sunt, quorum multa ex allegoriis nata sunt: tamen quid initio significatum sit, studiosos historiarum considerare decet. Leges naturae nobiscum nascuntur, hae ostendunt homines inter se devinctos esse rerum et officiorum compensatione, et deberi pro mercibus aequalia precia. Haec compensatio iusticia nominatur. Quaedam vero beneficia et officia gratis tribuenda esse, quae etiamsi privatim illis quibus tribuuntur, non sunt debita, tamen generis humani conservationi debentur. Haec communicatio alias beneficentia,

alias misericordia, alias ἐπιείκεια nominatur. Non debet Iulius M. Marcello hosti acerrimo reductionem in patriam, sed Reipub. debet conservare multos honestos cives. Intelligit autem humana ratio has leges, ordinem divinum esse, et Deum his officiis coli velle, ideo leges ipsas honesta praecipientes, figuris picturarum aut statuarum antiquitas ostendit, ut solemus pro tyranno Draconem pingere, sed remota numinum adpellatione allegoriam enarremus.

Quod Iovis filiae dicuntur Charites, significatum est, Leges de iusticia et beneficentia divinas esse. Mater Eurynome est, quia beneficia ad multos perveniunt, et quidem totam societatem humanam conservant. Parentes alunt sobolem, cives communicant res necessarias contractibus, et multa praestant officia non debita. Alii patrem nominarunt Solem et matrem Aeglen, quod vitam foveant et ornent iusticia et beneficentia.

Nomina vero usitata Charitum haec sunt apud Hesiodum et Pindarum, Aglaia, Euphrosyne et Thalia. Tres enim a plerisque numerantur. Lacedaemonii duas tantum pinxerunt, quia compensationem mercis et precii, dati beneficii et redditae gratiae, significare voluerunt. Sed cum tres nominantur, compensatio inter duos, et uberior in referente gratiam significatur. In nominibus multae sunt commonefactiones. Aglaia est pulchritudo. Primum enim pulcra, id est, iusta officia, et iustae societatum causae esse debent. Prohibetur ergo scelerum societas, ut scriptum est: Non sis socius alienorum scelerum. Et similes in legibus prohibitiones multae sunt, societates et pacta non debere esse scelerum vincula. Ideo Pericles dixit: Μέχρι βωμοῦ φίλος ἔσομαι. Et in Mimo dictum est: Bis peccat qui peccanti obsequium accommodat.

Collega triginta tyrannorum Athenis Theramenes fuit, et quidem autor eius status, qui initio patria necessarius fuit. Sed cum collegae honestis civibus vitam et facultates eriperent, et filias virgines, in atriis cruore patrum madentibus, saltare nudas cogerent, adversari eis coepit, et mori maluit, quam iniustam crudelitatem adiuvare. Fecerant decretum Lacedaemonii, ne quis Atheniensibus exulibus hospitium praeberet gerentibus arma ad recuperandam patriam. Thebani quanquam Lacedaemoniorum socii erant, contrarium decretum fecerunt, nulla ut domus eis clausa esset. Collega et affinis erat Licinii Constantinus, sed ingens bellum Constantinus adversus collegam suscepit, ut Ecclesias et nobilissimos cives contra iniustam saevitiam tueretur, quo in bello Marcellinus narrat auxiliis Francicis praecipue Constantinum adiutum esse. Denique nota regula est, coniunctiones et amicitias debere causas honestas habere. Absit autem sophistica, nec aut in foederibus, aut in distractionibus falsae causae praetexantur, ut sunt usitatae ironiae: ac plectuntur homines οὐ διὰ ποδὸς ἁμάρτημα ἐν χορείᾳ, quod tamen ostenditur. Ideo autem nudae pictae sunt Charites, ut simulatio omnis absit inter amicos et socios, et vero candore animorum, beneficia et officia petantur et tribuantur.

Pertinet ad causas honestas et haec, ne beneficentia sit inordinata rerum dissipatio aut profusio, ut coenae Antonii et Cleopatrae. Denique late haec doctrina patet, ut facile ex praeceptis de iusticia et liberalitate intelligi potest.

Regit igitur causas coniunctionum prima inter Charites Aglaia. Secunda Euphrosyne voluntatis in dante et accipiente ingenuitatem postulat, ut dicitur: Hilarem datorem diligit Deus. Et veteres Graeci dixerunt: Χαρίτων δέ τε θυμὸς ἄριστος. Seneca scribit, Fabium quendam beneficium ab homine duro aspere datum, nominasse panem lapidosum, quem esurienti accipere sit necessarium, vescendo tamen insuavem. Saepe et mora utilitatem corrumpit, ut dicitur: Gratia, quae tarda est, ingrata est. Et qui superbe dant, longa expectatione cruciant, ut in aulis Seneca fieri dicit, ubi ait, iniurias praecipites esse, lenta beneficia. Nec tantum in dante virtus est, sine superbia, sine contumelia, sine captatione dare, sed comiter et tempestive, ut intelligi possit moveri cum cogitatione humanarum calamitatum, misericordia et sincera benevolentia. Sed etiam ab accipiente absint avaricia et insidiae, habeat honestas causas petitio, nec sit similis stellionum imposturis. Recte Tiberius, astutissimus senex, cum multi peterent ab ipso ut solveret aes alienum, quod ipsi debebant, iussit eos in senatu causas dicere, cur tantum aeris alieni contraxissent. Hac veluti censura deterruit alios, ne haec πλεονεκτήματα ab Imperatore peterent.

Quid usitatius est perfidiosis amicis, qui familiaritates aliquorum adpetunt, vel ut abutan-

tur illorum officiis, vel ut multa speculentur ad eos ipsos evertendos, a quibus in familiaritatem admissi sunt. Haec Sinonis aut Sexti Tarquinii artificia cum vix caveri ulla vigilantia possint, bonis conscientia honestae voluntatis tamen postea solatio est. Sed illi Deum vindicem esse insidiarum et violatae fidei debitae amicis experientur, ut vere dictum est a poëta:

Si tu oblitus es, at Dii meminerunt, meminit fides.
Quae te ut poeniteat postmodo facti faciet tui.

Tertia inter Charites Thalia est, quae significat germinantem, videlicet gratitudinem, precium pro merce, officia pro officiis. Sed haec tertia proh dolor, procul alias sequitur, moesticiam et vultu et sordida veste ostendens. Ostendit enim vita communis quam rara sit pro magnis beneficiis gratitudo. Primum quam turpiter ingrati omnes sumus Deo, cuius beneficia in fabricatione nostri corporis, in donatione vitae, in missione filii, patefactione doctrinae, collectione Ecclesiae, nutricatione et assidua protectione, quotus quisque vel tenuiter considerat.

Alphonsum Regem Neapolitanum sapientem Principem narrant, si quando iratus fuit alicui ingrato, solitum sese ab illius vituperatione revocare, his verbis: Ego vero cur huius culpae tantopere succenseo, qui meam accusare potius deberem, cum Deo multo magis ingratus sim, qui innumerabilia bona mihi tribuit. Sed oro eum, ut hac confessione meae culpae leniatur. Hoc sapientissimi Regis exemplum saepe recordemur, et nostram ingratitudinem deploremus. Singuli deinde parentes vestros intueamini, et cogitetis quanta res sit *στοργὴ* in cordibus eorum erga vos, quanta sollicitudo, quantum laborum et dolorum in educatione, in morbis, et aliis periculis. In hac consideratione saniores omnes valde pudebit ingratitudinis suae. Quanta contumacia est adversus Magistratus, Pastores Ecclesiarum et fideles Doctores. Miserat Carolo Magno Imperator Constantinopolitanus inter alia regia dona librum Dionysii graecum accurate scriptum, fuit enim olim Regium talia dona, et dantes et accipientes magnifacere. Nunc quanta sit huius temporis barbaries, recens exemplum ostendit. Non enim multo ante mortem inclytus Rex Daniae Christianus misit automaton argenteum motuum coelestium, et artificiose factum, ad Ducem Moscoviorum, ut nominant, acturus de pace Livoniae. Cum reverenter exhibitum esse *αὐτόματον*, barbaro illi fuit *ἄκαιρος εὔνοια*, qui cum alia dona retineret, hoc pulcherrimum opus cum contumelia etiam reddi iussit, quia non sit pium considerare motus coelestes. Hinc et gentis et ducis barbariem aestimate. Sed multo humanius Francus noster. Hic ut liber multis notus fieret, iussit eum in Latinum sermonem transferri. Fuitque interpres Iohannes Scotus, qui tunc Lutetiae studia doctrinae gubernavit.

Etsi autem interpretatio nequaquam est nitida, tamen fides autori non defuit, qui commonefactus eius libri lectione, postea quasdam vitiosas adorationes taxavit. Id cum aegre ferret auditorum turba, impetu in senem facto, qui sedulo eos longo tempore docuerat, et comprehenso effodiunt oculos. Talis gratia fideliter docentibus saepe redditur. Addo et narrationem de hospite ingrato memoria dignam, quae apud Senecam extat. Philippus Macedo audacem militem habuit, quem ut haberet obsequentiorem in periculis, petenti maiora praemia dedit quam caeteris. Cum autem in saeva tempestate misisset eum speculatum loca quaedam, rediens miles naufragium facit, et in mari periisset, nisi rusticus in vicino littore, conspecto illius periculo, propere in cymbam descendisset, et eum dum inter fluctus iactatur excepisset. Cumque semianimem in villam suam vexisset, triduo eum officiose recreat, et recreatum viatico instruit. Ille discedens promittit se beneficium eius Regi praedicaturum esse, et perfecturum ut ei gratia referatur. Reversus ad Philippum narrat naufragium, beneficia liberatoris sui astute occultat, et ut norunt aulae versum Hesiodi:

αἰδὼς οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει.

Audacter poscit pro labore praemium, et narrat in eo littore villam esse, quam tanquam monumentum sui periculi sibi donari petit. Rex donat et mittit quaestorem, qui ei possessionem tradat. Dolet se rusticus ex suo et maiorum suorum fundo expelli, et quidem benemeritum de milite. Exponit igitur Quaestori integram facti narrationem, quam miles, quia negare non poterat, fatetur veram esse. Censet igitur Quaestor mandata differenda esse, et iubet utrunque secum ad Regem proficisci. Audit Rex possessoris meritum, et officium eius laudat, et iubet eum retinere villam, quae et maiores ipsius et ipsum vagientes exceperat. Militem iubet cum ignominia

dimitti inustis in fronte stigmatibus, hospes ingratus. Tales hospites multi sunt, proh dolor etiam in Academiis, in quibus multi non tantum gratiam, sed pecuniam etiam debitam non solvunt.

Tradidit autem Paulus regulam de compensatione honestissimam. Nemini quidquam debeatis, nisi dilectionem. Iusticia nominatur, dare quod civili obligatione debetur. Id Paulus fieri praecipit. Nec vult turbari vitae ordinem et iudicia, deleri honestas leges, defraudari homines praetextu Christianae societatis. Sciamus enim et civilem obligationem divinam esse. Est autem et naturalis obligatio divina, quae beneficentiam et gratitudinem animi complectitur, de qua dicit: Semper deberi dilectionem. Sit in bonis mentibus perpetua cura tuendae honestae coniunctionis et concordiae publicae in Ecclesia et in imperiis, et iuvandi cives, quantum fieri potest, sit etiam *ἐπιείκεια*, sapienter ferantur et tegantur quaedam incommoda, ne totum corpus pereat ut in senili corpore morbi quidam tolerantur, qui sine maiore malo tolli non possunt. Non patitur hoc tempus longiorem orationem, et ego tantum etymologias utcunque enarrare volui, quod tamen fieri non potest, nisi et a rebus ipsis et hominum moribus in vita petantur exempla.

Legimus autem et singularem picturam fuisse Charitum in vetustissima urbe Eliaca, quarum prima Rosam gerit, altera Myrtum, tertia Astragalum seu Talum. Artifices multa ingeniose significarunt in publicis monumentis. Rosa significat pulcritudinem et fragrantiam. Nihil iusticia, beneficentia, studio tuendae coniunctionis in bonis causis, pulcrius et dulcius est. Myrtus foecunditatem significat. Accipiens beneficium reddat vicissim seu officia, seu rerum precia. Astragali significant incertos eventus, inconstantiam voluntatum in amicis et ingratitudinem. Rarae sunt firmae .et durabiles amicitiae, ut non diuturna fuit Pompeii et Iulii amicitia. Nec sine causa nec sine exemplis dixit Plato: *φύσει εὐμετάβολον ζῶον, φίλος.* Eamque ob causam praeceptum traditum est, *μέμνησ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.* Sed de hac sapientia loquantur alii seniores et peritiores. Nos, quicunque erunt eventus, iusta discamus et faciamus, intelligamus et amemus gratitudinem, simus officiosi, ubi possumus aliis benefacere, non turbemus vitae ordinem, non laceremus Ecclesias, et simus memores dicti: Labor vester non erit inanis in Domino. Deus recta facientibus dabit placidos exitus, etiamsi incurrent in eos multi, iniustis odiis ardentes, ut modestissime dicam.

Apud Homerum assidet Vulcano Charitum una in officina, quo figmento sapiens poëta multa significavit et quod artium opera sint utilia et iucunda communi vitae, et quod in ipsis operibus nitor et venustas esse debeat, nec sint hominum thalami similes porcorum stabulis, et vero quod artifices deceat officiosos et placidos esse, non asperos, non morosos, non avaros, non invidos. Quanto magis in Ecclesiis et Academiis habitare Charites oportebat, ne doctrinae illuvies et barbaries alienet homines, ut sunt paradoxa Stoicorum, quae adfirmant omnia necessario fieri, bonas et malas actiones: et illa fanatica, impium esse magistratus gerere, exercere iudicia, bona opera non esse necessaria, neve docentium ambitio popularibus clamoribus idola stabiliat, aut odia iugulent innocentes. Plato solitus est dicere ad Xenocratem, quod tristiore et rigidiore natura esset, volens eum excitare ad comitatem, suavitatem et *ἐπιείκειαν*, quae in communi consuetudine necessariae sunt, *σπένδε χάρισιν.*

Hanc adhortationem vos quoque memineritis, sed concinne intellectam. Rectius autem dicemus *σπένδε τῷ χριστῷ,* qui certe vult vos unum in ipso esse. Propter Deum et Dominum nostrum Iesum Christum amemus iusticiam, et concordiam publicam, et si quae dissensiones sunt, de his placide candide, sine odiis, sine *φιλονεικείᾳ*, sine sophistica dicantur sententiae, et sit iudex Ecclesia. In his tantis negociis conspicitur verum esse, quod ait Theocritus, nihil sine Gratiis amabile esse, *τὶ γὰρ χαρίτων ἀγαπητὸν ἀνθρώποις ἀπανεύθεν ἀεὶ χαρίτεσσιν ἅμ' εἴη.* Quid alienius est, quam res optimas, veritatem, pacem, concordiam, Deum ipsum, inter furias quaerere. Longe alia ad Deum via est, qui adfirmat se habitare in spiritu contrito, humili, et timente sermonem divinum. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, qui sedet ad dextram aeterni patris, ut dona det hominibus, ut nos omnes gubernet et protegat, et effundat in nos spiritum gratiae et precum. Dixi.

No. 173. an. 1559.

De arcendis a coena s. etc.

In Orationum T. V. p. 153 sqq., Richard. T. III. p. 406. et in Orationibus postremis p. 163., etiam separatim edita Witeb. 1559. Cf. Strobelii bibl. Mel. No. 529.

Oratio habita a Rev. viro D. Georgio Maiore, Theol. Doct. et Profess., cum Paulo Ebero, Ecclesiae Vitebergensis Pastori, et tribus aliis gradum et testimonium Doctorum in Theologia tribueret. 7. Decembris.

Tibi Deus omnipotens, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, creator coeli et terrae, angelorum et hominum, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo crucifixo pro nobis et resuscitato, et Spiritu sancto tuo veraci et casto gratias agimus, cum pro omnibus beneficiis, tum vero pro hoc summo bono, quod filium nobis misisti, et propter eum aeternam Ecclesiam inter nos quoque tibi colligis, et veris gemitibus te oramus, ut semper inter nos aeternam Ecclesiam colligas, et nos clementer gubernes, idque propter tuam gloriam facias, sicut dixisti: Propter me, propter me faciam, ut non adficiar contumelia, quia certe auditores tuae doctrinae sumus, et te verum Deum, qui te patefecisti misso filio invocamus, et tuae Ecclesiae cives sumus, et discedimus ab omnibus hostibus filii tui et Ecclesiae tuae. Non abiicias nos ad te confugientes, quanquam sumus deformia ἐκτρώματα, et hanc Ieremiae vocem ad te adferimus: Nostrae iniquitates merentur poenas. Sed tu propter nomen tuum nostri miserearis. Quare ceu vagabundus viator a nobis discessurus es? Maneto in domicilio tuo, quae vocem doctrinae tuae et expetit et discit.

Haec initio praefari nos iustissimum est, quia hi congressus non solum propter disputationes, sed multo magis propter precationem instituti sunt.

Addenda est autem et propter iuniores disputatio. Et quia recens huc missa est quaestio: An ad coenam Domini admittendi sint, qui a iudicibus petunt defensionem aut poenam, seu ut actores, seu ut rei, cum scriptum sit: Relinque munus tuum ante altare, ac vade, ac prius reconcilieris fratri tuo, et postea donum offeras: Esto consentiens adversario tuo, etc.

Hanc quaestionem explicari decrevi, non ut in malis confirmetur prophanitas, sed ut piis consolatio necessaria ostendatur, et error eximatur. Ac meminimus ante annos fere quadraginta viro clarissimo Doctori Hieronymo veram interpretationem pergratam fuisse, cum quidam ex Ecclesia universum agmen forense eiicerent.

Optandum est omnino, ut censura divinitus instituta severe exerceatur in Ecclesia, sicut scriptum est: Si non annunciaveris impio, sanguinem eius de manu tua requiram. Sed tamen antecedere debet cognitio, et sit certa iudicii norma, nec fiat illud quod dicitur: Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Est autem vera iudicii norma haec: Arcendi sunt a coena Domini omnes, qui in delictis externis perseverant, pugnantibus cum voce divina, de quibus convinci possunt. Nam Ecclesia non inspicit latebras pectoris, sed iudicat externa facta, et normam habet Decalogum recte intellectum, quem et Paulus intuetur, inquiens ad Corinthios: Non sit societas cum scortatoribus, defraudatoribus, idolorum cultoribus, conviciatoribus ebriosis, raptoribus.

Cum nominat idolorum cultores, comprehendit omnes, qui in externa professione aut invocatione primam Tabulam violant, ut multi sunt Epicurei, item Pyrrhonii, qui dici Neutrales volunt, multi pertinaciter et rabiose pontificia idola defendunt, multi fanatica Anabaptistarum deliramenta et similia. Denique omnes, de quibus Iohannes inquit: Omnis qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet.

Minus obscurum est, quae facta pugnent cum secunda Tabula. Qui iniuste laedunt aliorum corpora, qui ostendunt cupiditatem nocendi et odia minis aut aliis signis, qui sunt polluti vagis libidinibus, qui res aliorum rapiunt aut furantur, aut exercent iniustos quaestus, ut foeneratores, et qui in contractibus quoquo modo alios defraudant.

Item qui calumniis et ementitis conviciis famae aliorum nocere student.

Ebriosos etiam adiungit, qui dediti helluationi, omittunt sui officii labores, nec corporibus tribuunt debitum honorem, sed volentes ea corrumpunt, et impediunt invocationem et deliberationes.

Cogitate quam multa tetra vitia nominarit Paulus, adversus quae censuram exerceri voluit, quod si fieret, quanti labores essent iudiciorum ecclesiasticorum?

Sed proh dolor, in hac ἀναρχίᾳ iacent Ecclesiarum iudicia, pii pastores non adiuvantur a potentibus, quorum multi ne iudicia metuant, nulla constitui volunt. Multi specie iudiciorum habent satellitia assentatorum, qui falsis opinionibus fucos inurant, confirment idola, et multas iniustas dominorum cupiditates. Talis est enim generis humani miseria, ut dicitur:

> βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται
> πράττει δ' ἄριστα ὁ κόλαξ, δεύτερος
> ὁ συκοφάντης.

Postquam vero consideravimus, quinam arcendi sint a communione, iam addatur altera regula, quae paucis syllabis comprehendi potest. Recte doceat Pastor, et damnet omnia vitia interiora et exteriora. Cumque de arcanis iudicare non possit, admittat ad coenam Domini omnes, qui sunt ἀνέγκλητοι.

Hac una voce complectimur externam obedientiam iuxta utramque tabulam Decalogi. Sit professio verae doctrinae cognita multis, et firma sit coniunctio cum vera Ecclesia in invocatione. Sint mores iusti et casti, sit in officio diligentia, sit in victu temperantia, sit modestia in regenda iracundia et aliis adfectibus.

Tales admittendi sunt ad coenam Domini, nec sunt arcendi propter militiam, aut forenses disputationes. Nam hae res sunt partes politici ordinis, quem et instituit, et conservat, et approbat Deus. Maxime admittendi sunt ad coenam Domini Constantinus et alii milites iam in acie trucidaturi ingentem Licinii exercitum.

Excipit Melchisedek redeuntem ex praelio Abraham, et eum ad sacrificium admittit, eique benedicit.

Haec cum de militibus manifesta sint, fatendum est, et iudices, et eos qui iudicum cognitionem flagitant, cum re optima divinitus ordinata utantur, non arcendos esse a societate piorum.

At nemo litigat, nisi iratus et ardens odio. Scriptum est autem: Dilige proximum sicut teipsum.

Etsi multi adferunt odia, cupiditatem nocendi, et sycophantias ad iudicia, tamen haec sunt vitia ab ipsis accersita. Ut autem amicissimi de maximis rebus dissimiles habent opiniones, et aliorum petunt et expectant decreta: ita boni de haereditate, de contractibus et aliis negociis dissentire possunt sine odii acerbitate et cupiditate nocendi.

De re maxima de successione in regno florentissimo duo fratres filii Darii dissentiebant, Artabazanes et Xerxes. Nec tamen mutua benevolentia extincta est, sed arbitrio patris sese reverenter uterque subiecit, frenata cupiditate, ne ultra leges efferretur.

Vidimus ipsi duos fratres Duces Bavaricos Guilelmum et Ludovicum, cum propter testamentum patris de successione dissentirent, sine odiis expectare Imperatoris Maximiliani sententiam, nec suavissimam familiaritatem, nec officiorum et donorum vicissitudinem intermittere.

In acie duo Principes amicissimi Hector et Polydamas diversa consilia habent, ac primum consilium Polydamantis Hector antefert suo. Deinde alia in re suadenti quiddam indignum non obtemperat, cum quidem dicit Polydamas:

> Quamvis aegre audis Hector me recta monentem,
> Non populi tamen est cum damno gloria Regum
> Amplificanda, salus potior sit publica civi
> Seu tunc consilium cum poscit curia nostrum,
> Seu cum stant instructae acies, pugnaeque cientur
> Nunc quoque dicenda est melior sententia nobis:

Dissentiebant inter se non de asini umbra Fabius et Scipio, de traiiciendo exercitu in Africam, et senex Fabius prioris belli exemplis terrebatur, denique rectius erat eius consilium. Nec tamen Scipionem oderat. Miltiades praeliandum esse censebat, caeteri Duces praelium dissuadebant, non odio, sed alia moti probabili opinione.

Quoties videmus amicissimos in senatu aliquo diversas sententias acerrime propugnare, qui, cum idem spectent, videlicet salutem publicam, vias tamen diversas ad eam esse putant. Dissentiebant sine odio Paulus et Petrus.

Cum igitur sine odio et sine cupiditate iniuste nocendi, possit esse opinionum dissimilitudo, et saepe graves dubitandi causae sint, et speciosa argumenta in utraque parte, licet deferre controversias ad sapientes gubernatores, cum quidem hunc ordinem et instituerit Deus, et audiri nobis dubitantibus velit.

Reverentia est Deo, legibus et magistratibus debita, horum vocem anteferre privatae opinioni et cupiditati. Ut cum singulari pugna dimicant inter sese Aiax et Hector, quiescit uterque exercitus spectator virtutis duorum fortissimorum Ducum: ita dum inter sese argumenta utriusque partis sapienter proposita dimicant, retineantur in-

clusae cupiditates propter mandatum Dei, et propter hunc ordinem divinitus sancitum.

Haec docendi sunt homines, ut odia, et cupiditatem iniuste nocendi reprimant, et agnoscant ordinem divinum, et propter Deum reverenter audiant leges et magistratus. Haec doctrina ad pietatem, ad regendos mores, et ad pacem publicam conducit. Nec sunt haec Stoica, seiungere odia et disputationem forensem, sicut in senatoria deliberatione seiungi odium et alias pravas cupiditates necesse est. Lex enim sit gubernatrix, non coeca cupiditas.

Docet igitur nos filius Dei de rebus maximis, cum iubet accedentem ad aram prius reconciliari fratri. Cultus esse ostendit, non ritus sacrificiorum in impiis, sed vult praelucere fidem, vult corda habere novae obedientiae semina, sicut in Hosea inquit: Misericordiam volo non sacrificium, et agnitionem Dei, non holocausta. Itaque ante ritus sacrificiorum reconcilieris fratri, deposito odio, abiecta etiam controversia, si scis te iniusta petere. Sed si res dubia est, amanter paciscamini vos legis vocem expectaturos et audituros esse. Saepe enim controversiae non ad te unicum, sed ad totam familiam, aut ad pacem publicam pertinent, ut illa Ducum Bavariae, de qua dixi.

Eadem est sententia dicti: Esto consentiens adversario tuo cito, videlicet deposito odio et abiecta controversia, si scis te iniusta petere: vel si res dubia est, amanter paciscamini vos legum et iudicum vocem expectaturos et audituros esse. Et quidem Graece legitur *ἴσθι εὐνοῶν*, sis benevolus.

Iam cogita quam necessarium sit hoc praeceptum in Ecclesia, in vita politica, in oeconomica. Quam multa horribilia incendia vidimus in Ecclesia orta sine ullis veris causis, tantum accensa *φιλονεικείᾳ* et odiis, deinde astute quaesitae sunt *σκιογραφίαι δικαίου*, sicut Plato nominat. Discessit ex nostris Ecclesiis Staphylus odio quorundam iniusto, finxit causas conscientiam, se veteris et perpetuae Ecclesiae vindicem esse velle, cum sciat multa nova idola *καὶ βδελύγματα* a Pontificiis defendi prorsus ignota veteri Ecclesiae. Manifestum est alios quosdam odio nostri, non veris causis absurdas sententias defendere. Praeterea, ut in febre, cum in lingua biliosus humor redundat, et reliquos humores diluit, dulcia etiam gustanti fiunt amara: ita mens livida facile in alieno sermone invenit quod displiceat. Nec vero potest esse pax, nisi in diiudicando sit sanitas, et candor adhibeatur, qui interdum obscure aut ambigue dicta concinne interpretetur. Exempla passim obvia sunt. Scripsit alicubi *Lutherus*, duo esse Sacramenta divinitus tradita, caetera addita esse humana autoritate, scelerate Staphylus vociferatur, Lutherum dicere, coniugium humana autoritate institutum esse, cum tantum de appellatione Sacramenti Lutherus disputet: An coniugium, quod omnes constanter adfirmamus divinitus institutum esse, nominandum sit Sacramentum novi Testamenti? Res perspicua est. Et tamen ille sycophanta peregrinam sententiam adfinxit. Tales ludi sunt adversariorum, quos ut filius Dei amans veritatis compescat, precemur. Circumspectione nostra vitari tales reprehensiones non possunt, ut dicitur: *οὐδὲν ἀλεξιφάρμακον τοῦ συκοφάντου δήγματος.* Sed non tantum haec impudentia ostendit eos malae causae patronos esse, et indulgere odiis: Verum et parricidia tot annorum illustria signa sunt odii. In Hispania, in Gallia, in Belgico, et multis locis aliis magna saevicia in pios exercetur. Et Episcopus Trevirensis nunc ad veterem Trevirorum urbem, quae et olim fidum hospitium Ecclesiae fuit, exercitum admovit, ut pios ibi interficiat. Haec considerare vos decet, ut cogitetis, quae et ubi sit Ecclesia, et qui sint veri fontes dissidiorum, ut Ecclesiae coniunctionem omnibus officiis tueamini. Ac ut in civili consuetudine discerni cives et hostes oportet, et ne infinitae fiant distractiones, quaedam in civibus insuavia sapienter toleranda et lenienda sunt, ut tolerat Scipio Tribunos: ita in Ecclesia pii coniuncti in vera invocatione, qui etiamsi infirmi sunt, tamen sunt dociles, discernantur ab atheis et idolorum defensoribus, qui cum universam Ecclesiae doctrinam inanem fabulam esse statuant, tantum eo retinent usitata idola, quia vident simulationem superstitionis adferre opulentiam, et nervum esse potentiae. Adversus illam Titanum sobolem coniuncti sint verae Ecclesiae cives, non praelientur inter sese ut Cadmei fratres, sed cogitemus in hoc agmine Christi plurimos esse teneros et languidos comites, qui ita ducendi sunt, ne defessi extinguantur, sed ut paulatim sequentes confirmentur, ad quos etiam vere pertinet vox Psalmi: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Talibus parcendum est, nec odio exulceranda sunt

eorum vulnera, quae paulatim mitioribus remediis sanari possunt.

De tali studio tuendae coniunctionis et ad suos cives hoc modo scribit Demosthenes, cuius verba libenter recito, quia prodest omnibus notissima esse: *παρακαλῶ δὲ εἰς ταῦτα, οὐ τυχὼν αὐτὸς τοιαύτης φιλανθρωπίας παρ᾽ ἐνίων, ἀλλ᾽ ἀδίκως καὶ στασιαστικῶς εἰς τὴν ἑτέρων χάριν προποθεὶς, ἀλλ᾽ οὐδὲ τὴν ἰδίαν ὀργὴν ἀναπληρῶν τὸ κοινῇ συμφέρον οἶμαι δεῖν βλάπτειν, οὔτε μίγνυμι τὰς ἰδίας ἔχθρας εἰς τὰ κοινῇ συμφέροντα οὐδὲν, ἀλλὰ ἐφ᾽ ἃ τοὺς ἄλλους παρακαλῶ, ταῦτα αὐτὸς οἴομαι δεῖν πρῶτον ποιεῖν.* Id est: Adhortor alios ad deponenda odia, cum quidem simili humanitate multi erga me non sint usi, qui me iniuste et seditiose inimicis propinarunt, sed iudico non explendam esse vindictae cupiditatem cum pernicie publica, nec privata odia miscenda esse negociis publicis, sed me primum hanc moderationem, ad quam alios adhortor, praestare debere. Haec ille civibus Atticis concionabatur. Quanto plus est esse Ecclesiae civem, in qua filius Dei severissime hoc mandatum praecipit: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Has commonefactiones cum saepe audiatis, et exempla nostra in tolerandis iniuriis conspiciantur, sit haec oratio brevior. Precor autem toto pectore filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut efficiat, ut omnes, qui in Ecclesiis nostris docent, unum sint in ipso. Dixi.

No. 174. an. 1559.

De dicto Pauli Ephes. IV.

In Orat. T. V. p. 165 sqq., in Orationibus postremis p. 176, et apud Richard. T. III. p. 487.

Oratiuncula de dicti Pauli Ephes. IV, recitata (d. 7. Decbr. 1559.) *a D. Paulo Ebero.*

Quoniam iubemur aliquid hoc loco dicere, etsi nos hic confessus amplissimorum et doctissimorum virorum ad dicendum timidiores reddit, conscios nobis infantiae nostrae, quae nihil adferre potest dignum talium auditorum sapientia, eruditione et iudicio confirmato maximarum rerum usu et experientia: tamen rursus erigit nos eorundem perspecta humanitas et aequitas, quos cum Scholarum consuetudinem norint, et sciant, nos has partes non sumere nobis ultro, sed delatas, atque impositas salvo officio recusare non posse, speramus veniam daturos nobis, praeceptorum mandato, ut decet, obsequentibus, et nos pro more scholarum pauca dicentes, patienter audituros esse, quod quidem etiam ut faciant, et collegarum meorum, et meo nomine reverenter et officiose peto.

Constitui autem pauca dicere de insigni dicto Pauli ad Ephes. 4.: Ascendit in altum, captam ducens captivitatem, et dedit dona hominibus. Ex quo dicto in magnis saepe doloribus consolationem hausi.

Sumpsit autem id Paulus ex Psalmo 68. ubi magnifice describitur gloriosus triumphus victoris Messiae Domini nostri Iesu Christi, redeuntis in coelum, post devictos hostes:

Hunc victorem regressum in sua, hoc est, in altum seu coelum, unde ad hunc conflictum cum hostibus generis humani sese dimiserat, post illam pompam triumphalem dicit Psalmus accepisse dona distribuenda hominibus, pro consuetudine Imperatorum triumphantium, qui reversi ex terra hostili, magnifico cum apparatu ingressi urbem, ante omnia ascendebant in summum templum, ubi cum sacrificassent, *σωτήρια*, et gratias Deo egissent pro victoria, distribuebant donativa in milites et congiaria in cives, ut omnes illa victoria laeti fruerentur et iuvarentur. Ea dona qualia fuerint et adhuc sint, quae quotidie ab hoc triumphatore Christo distribuuntur, exponens Apostolus Paulus ait: Ab ipso dari alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores et Doctores, quae sane expositio mirifica est, et rationi absurda atque etiam ridicula videri potest.

Si enim huius triumphantis magnitudinem, potentiam, opulentiam, munificentiam spectes, nihil ab eo expectare muneris potes, nisi magnificum, amplissimum, preciosissimum. Est enim hic victor non ut alii, imbecillis homo tantum, sed simul Dei filius, opifex et gubernator coeli et terrae, possidens omnes thesauros summorum et coelestium bonorum.

Quid igitur censes dari ab immortali, nisi aeterna bona? a ditissimo, nisi amplissima? a Deo denique nisi divina? hoc est, sua magnitudine ac bonitate immensa et infinita bona?

Quae igitur sunt illa dona, quae hic talis et tantus victor, tam munificus, et ob ipsum victo-

riae successum liberalior, suis distribuit, quos unice diligit, pro quibus tanta pericula et mala subiit et sustinuit?

Dedit, inquit Paulus, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, alios Doctores.

Haeccine sunt illa egregia dona, quae ex alto conferuntur, a tam potente, magnifico, liberali triumphatore Christo, sedente ad dextram aeterni patris, et verbo potentiae suae omnia sustinente? An hic fructus omnis et finis universi illius belli censeri debet, quod filius Dei tanto cum molimine gessit cum hostibus generis humani, in quo morte ipsius victoria parta est? An haec sola utilitas ex tam celebri victoria, et tam glorioso triumpho filii Dei expectari debet, scilicet ut sint inter homines alii Apostoli, alii Pastores, alii Doctores.

Quid vero ipsi Apostoli sunt, qui inter hos, quos Paulus praedicat esse dona triumphatoris Christi, primi numerantur, et donis linguarum et sanationum et aliorum miraculorum divinitus ornati excellunt? Quid sunt inquam illi ipsi Apostoli? nisi homines communi sorte totius generis humani aerumnosi, fragiles, mortales. Imo quid Apostolus Paulus de se et collegis suis, hoc est, de Apostolis universis sentit et scribit? 1. Corinth. 4. depingit suum collegium mirificis coloribus, miserrimam conditionem et tristissimam speciem esse summorum in Ecclesia, ostendens, cum dicit: Puto autem quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit ceu morti destinatos, quia spectaculum facti sumus Mundo, et Angelis et Hominibus. Nos stulti sumus propter Christum, nos infirmi, contempti, famelici, sitibundi, nudi, contumeliis omnium expositi, vagantes incertis sedibus, quaerentes nobis victum manuum laboribus, maledictis et blasphemiis proscindimur, et odiis omnium ordinum infestamur, denique *καθάρματα* huius mundi facti sumus: *καὶ πάντων περιψήματα.*

Hoc cum de Apostolis universis dicat Paulus, qui ipse omnium iudicio inter Apostolos facile primum locum obtinet, revocemus nobis in memoriam, quid de se ipse peculiariter dicat. Quam misere deplorat suam infirmitatem, palam profitens, se non facere bonum quod velit, sed malum quod nolit? Item sibi esse infixum palum in carnem angelum Satanae, a quo durissime caedatur colaphis.

Quam vero tristi et tetra imagine se ipse deformat et abiicit Paulus, cum se vocat *ἔκτρωμα*, hoc est, immaturum et imperfectum foetum, seu molam abortu eiectam?

Tales cum se ipsos esse dicant ipsi Apostoli, qui inter illa dona triumphalia primi recensentur, quid de reliquis sentiendum est, Pastoribus et Doctoribus, qui non illis tantis donis spiritus ornati sunt?

Mirum igitur videri potest, cur audeat Paulus hos miseros, aerumnosos, abiectissimos et contemptissimos homines vocare dona illa, quae hic tantus victor et triumphator Dominus noster Iesus Christus ceu praecipuas manubias et fructum totius gesti a se belli, victoriae et triumphi sui inter homines distribuat.

Sed statuamus gravissimo consilio Paulum ita hunc Davidis locum interpretatum esse, ut per illa coelestia dona, quae victor Dominus noster Iesus Christus in coelum revectus distribuenda accepit hominibus, intelligat Apostolos, Prophetas, Pastores et Doctores. Causam igitur huius interpretationis quaeramus. Ita fiet et Davidis dictum, et Pauli declaratio illustrior.

Notum est in Ecclesia, quomodo primi parentes circumventi insidiis saevissimi latronis Diaboli, et spoliati sint illis coelestibus bonis, quae ad imaginem Dei formati, in creatione acceperant, et insuper sauciati sint incurabilibus et prorsus lethalibus vulneribus. Sed filius Dei immensa bonitate misertus generis humani, ita foede deformati et avulsi a Deo, et in aeternum carcerem irae Dei, et mortis conclusi ab hoste Diabolo, ideo humanam naturam assumpsit, ut inflicta vulnera sanaret, et bona nobis a Diabolo erepta, restitueret.

Haec bona sunt: remissio peccatorum, gratuita acceptatio et reconciliatio, donatio Spiritus sancti, vera agnitio Dei, pax et laeticia in Deo, inchoatio conformitatis cum Deo, certissima spes vitae et consuetudinis aeternae cum Deo, ubi coram perfruemur infinita luce, sapientia et gloria divina.

Haec bona prius amissa per primum lapsum filius Dei Dominus noster Iesus Christus recuperavit, fracto, exarmato, spoliato, et aeternis vinculis constricto Diabolo, eaque bona reddit omnibus ipsum fide sequentibus et amplectentibus.

Haec sunt verissima illa dona seu manubiae seu congiaria, quae victor et triumphator noster

Iesus Christus receptus in coelum suae Ecclesiae impertit ac distribuit.

Cur igitur Paulus, cum vellet illud dictum Psalmi interpretari de donis distribuendis, non fecit potius mentionem horum vere coelestium et aeternorum bonorum, quae sola digna sunt a tanto domino et victore donari? Cur maluit dona vocare homines aerumnosos, suam ipsorum multiplicem infirmitatem deplorantes, et morti obnoxios?

Causa est verissima, quod divus Paulus respexit ad modum, quo communicantur nobis haec coelestia et aeterna bona, quae non aliter nobis tribuuntur, nisi per ministerium verbi. Admirando enim consilio et certissimo decreto constituit Deus, voce Evangelii prolata per filium ex sinu aeterni patris, et sonante per Apostolos et non aliter, salvos facere homines, et participes reddere aeternorum beneficiorum, quae sua morte, victoria, resurrectione et laeto triumpho peperit, et impetravit generi humano Dominus noster Iesus Christus, sicut inquit ipse Paulus: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Ideo Paulus dona illa triumphantis Christi sapienter exponit ipsos Apostolos, Pastores et Doctores, quia per illos sonantes doctrinam a filio Dei acceptam, conferuntur et distribuuntur illa coelestia bona omnibus, qui audito verbo credunt, et parta bona a filio Dei et oblata per ministros fide sibi applicant.

Estque hoc dictum Pauli oppositum perniciosissimo errori Stenckfeldii et aliorum enthusiastarum, qui vel verbum vocale prorsus extenuant et contemnunt, vel docent neglecto verbo expectandos esse raptus violentos.

Nobis vero et doctrina proponitur et consolatio.

Doctrina est qua monemur, ut magnificiamus et veneremur ministerium Evangelii, et vere statuamus per illud, et non aliter, nobis donari illa coelestia bona, parta sanguine et morte Domini nostri Iesu Christi, iuxta Pauli dictum: Quos elegit, hos et vocavit. Item: Fides ex auditu est.

Consolatio multiplex continetur hoc brevi dicto Pauli. Primum quod filius Dei ipse sit custos Ecclesiae, et conservet ministerium, excitatis subinde piis ac salutaribus Doctoribus. Ideo enim ascendit in altum, inquit Paulus, ideo sedet ad dextram Dei patris, ideo regnat, ut det ministros, quorum voce colligatur Ecclesia genere humano.

Deinde singulis vocatis ad munus docendi in Ecclesia haec ingens consolatio proponitur, Quod Paulus vult eos certo statuere, filium Dei *λόγον* velle efficacem esse per ministerium ipsorum, sicut inquit alibi: Labor vester non erit irritus in Domino.

Sumus nos sane aerumnosi, sumus miseri, sumus spreti in mundo et conculcati et vere *ἐξουθενημένοι*, sumus etiam infirmi et multis sordibus foedati, ac prorsus ut Psalmus loquitur: *νήπιοι καὶ θηλάζοντες.* Imo revera sumus, ut Paulus de se inquit: *ἐκτρώματα.* Tamen sciamus filium Dei per nostram infirmam vocem efficacem esse et per hanc stultam praedicationem salvos facere credentes verbo, sicut inquit: Virtus mea in infirmitate perficitur.

Ita hoc loco Paulus inquit, Apostolos, Pastores et Doctores esse illa dona, quae filius Dei acto triumpho suae Ecclesiae distribuat, hoc est, esse illa ipsa organa, per quae illa coelestia et in aeternitatem duratura bona hominibus impertiat.

Hac nos consolatione et in communibus aerumnis, et in sensu infirmitatis propriae erigamus et sustentemus.

Te vero fili Dei, *λόγε καὶ εἰκὼν ἀϊδίου πατρὸς,* collector et custos Ecclesiae tuae oramus, ut nos miserrimos homines verissime infantes et lactentes et vocatos tamen ad hoc difficile munus, ut tuam vocem in Ecclesia sonemus: regas ipse Spiritu sancto tuo, doceas, confirmes, et sustentes in hac magna infirmitate nostra, et in hac tristi confusione postremae aetatis mundi, ut simus organa salutaria, per quae sanctificetur nomen tuum, plurimi perducantur ad societatem regni tui, et aliqua tibi in genere humano grata fiant, Amen. Dixi.

No. 175. an. 1560.

De Gregorio Pontano.

In Orationum T. V. p. 182., apud Richard. T. II. p. 628. et in Orationibus postremis p. 194. Etiam separatim edita Witeb. 1560. 8. 4½ pl.

Oratio de Gregorio Pontano, Doct. Iuris, Cancellario Ducum Saxoniae Electorum, habita a Vito Winshemio seniore, artis medicae Doct. et graecae linguae Profess., cum decerneretur gradus Doctoris artis medicae Casparo Peucero, Budissino, 30. Ianuar.

Et providentiae divinae testimonia plurima in medicatione quotidie cernimus, cum ordinem in rerum natura, *συμπαθείας* et *ἀντιπαθείας* contemplamur, et simul ingentem hominum infirmitatem in morbis non sine magno dolore aspicimus. Hanc habet medicus assiduam scholam monitricem de invocatione Dei. Quod igitur saepe intuens aegrotos veris gemitibus peto, ut Deus conditor generis humani nobis opem ferat, leniat aerumnas, et servet aliquos honestos et pios coetus, idem nunc quoque precor, ut hanc Academiam, quae a palam atheis, et a fanaticis varie oppugnatur, clementer gubernet et protegat, et Deo gratias ago, quod hactenus eam contra hostium rabiem defendit.

Cum autem dicturus in hoc loco de argumento deliberarem, et hoc ipso tempore saepe ad adolescentem filium viri clarissimi Gregorii Pontani medicationis causa accederem, quia multa de patris virtute et meritis cogitabam, non aliud argumentum ipsius historiae anteferendum esse censui. Prodest enim publice, tanti viri, cuius consilio res maximae, quae in nostram aetatem inciderunt, gubernatae sunt, exempla nota esse. Et cum non solum huius oppidi, Academiae et Ecclesiae civis fuerit, sed etiam multa beneficia huic oppido, Academiae et Ecclesiae tribuerit, iustum est, gratam de ipso commemorationem publice et privatim facere. Cumque singulari benevolentia multos ex nobis privatim complexus sit, hoc quoque decet, gratitudinem suo loco ostendere.

Ego nunc historiam eius recitabo, quam extare ad omnem posteritatem utile est, nec, ut fit in Panegyricis, attollam res parvas in maius, quod propter ingenii imbecillitatem non possum, sed res ipsas, quarum amplitudo et splendor superat etiam eloquentium facultatem, nudas et breviter exponam. Nam et haec qualiscunque expositio ostendit eum fuisse gubernatorem salutarem Ecclesiae et patriae, donec ipse quidem velut in navi clavum tenuit. Ad hoc opus praecipuum in communi societate habuit Pontanus non illa tantum instrumenta, quae Pericles requirit, *σύνεσιν πολιτικὴν καὶ δύναμιν ἑρμηνευτικήν*, sed etiam veri Dei invocationem, veritatis amorem, constantiam in veris sententiis, insticiam, irae moderationem, candorem, et caeteras virtutes, quae sunt testimonia praesentiae Dei, et quibus secundos eventus tribuit Deus. Primum autem de studiis et tyrocinio eius dicam, quia necesse est doctrina excultos esse eos, qui consilia in foro et in curia gubernant.

Natus est Gregorius Pontanus ex honestis parentibus in oppido vicino Witebergae, cui a Ponte nomen est, ubi et pater diu praecipuum magistratum gessit, qui postea tamen senex hic habitare maluit, ut esset assiduus auditor Lutheri, et cogitatione dulcissimae doctrinae de filio Dei sese consolaretur, et ad veram invocationem et celebrationem Dei accenderet. Quanquam igitur et senecta et morbis impediebatur, tamen saepe hoc longum iter a suis aedibus ad auditorium usque cupiditate audiendi Psalmorum enarrationem emetiebatur. Quia vero et ipse iuvenis mediocriter didicerat initia doctrinarum, amabat doctrinas, et cum rem familiarem amplam haberet, tribus filiis studia distribuit, ita ut unum vellet procedere in doctrina Ecclesiae, secundum in iure, tertium in arte medica. Horum filiorum studia aliquandiu seni voluptati fuerunt, sed duobus extinctis, Gregorius, qui ius civile discebat, superstes fuit. Hic primum in Academia Francofordiana virum excellentem eruditione et eloquentia Doctorem Plankebergium audivit, quo tempore, cum Francofordiae mediocria studia essent linguae Latinae, ipse quoque ad iuris initia adiunxit exercitia styli, scripsit carmen et solutam orationem, quia natura ad eloquentiam et splendorem in dicendo incitata, lectione et imitatione Ciceronis et Virgilii delectabatur. Senex etiam dicebat, se interdum Virgilii carmen legentem non sine voluptate imagines Principum et veteris imperii formam in eo contemplari. Etsi autem Plankebergium propter eloquentiam diligebat: tamen cum huc ex Erfordia migrasset Doctor Henningus, fama iurisconsulti, ad quem omnes difficillimae causae fere totius Germaniae deferebantur, motus Pontanus huc venit, non solum ut publice docentem audiret, sed multo magis ut in eius familiaritate cognosceret ipsius iudicia, et legum applicationes. Libenter Henningus, cum ingenium, aviditatem in discendo, et eloquentiam in eo considerasset, admisit eum in familiaritatem,

monstrat controversias, quae ad se deferebantur, multa cum eo disputat, saepe etiam instructum consiliis mittit ad erudita Principum iudicia. Talem cum haberet Doctorem et monitorem annos aliquot, ut Papinianum Ulpianus, et simul hic audiret ingenio et eruditione excellentem Doctorem Hieronymum Schurffium, adeo in hoc doctrinae genere processit, ut a Principibus etiam consuleretur, ὅττι καλὸν φίλον ἐστὶ, Musas cecinisse in nuptiis Cadmi et Harmonies dicitur. Cum autem ad eruditionem, prudentiam, iusticiam, adiuncta est eloquentia, nihil ea copulatione pulchrius est, quae cum in Pontano conspiceretur, plures eum Principes et civitates accersebant, ac de caeteris virtutibus, quae magis in gubernatione conspectae sunt, postea dicam. Prius de eloquentia, quae ei patefecit aditum ad Rempublicam, dicendum est. Etsi autem scio mediocres homines non solum ineptos, sed etiam fatuos dici, cum velut Critici aut Aristarchi de excellentibus viris iudicant: tamen eius rei modus est: Vult Deus agnosci excellentiam virtutum, quia de ipso testimonium est, ut vere inquit Seneca: Nulla magna virtus sine Deo est. Eo igitur haec commemoratio referatur, ut celebremus Deum, cuius radios esse excellentem ingenii vim, artes, et virtutes eximias adfirmamus, et ei pro his donis, quae tribuit propter gubernationem, gratias agimus. Nolle etiam fateri bona, quae oculis cernuntur, livor est. Et ego non tam meum iudicium, quam sapientum sermones recenseo, quos audivi dicere: Neminem se vidisse, in quo plura essent naturae bona, quae partim necessaria sunt in oratore, partim sunt ornamenta, quam in Pontano. Ingenium fuit doctrinae et capax et avidum, prudentia et circumspectio singularis. Nec erat hallucinatrix natura, ut sunt multae deerrantes ad parerga. Sed rectitudo in eo iudicii erat, et id formare eruditione studuit. Didicit iuris publici et privati doctrinam, et adiunxit cognitionem scriptorum propheticorum et apostolicorum, et omnium Ecclesiae certaminum et temporum, non tantum, ut se ad dicendum instrueret, sed multo magis, ut Deum recte invocaret, quod scimus eum serio et sine hypocrisi fecisse. Ad hanc rerum doctrinam accedebat divinitus ei donata non solum profluens sermonis copia, sed etiam splendor in verbis et figuris, vox grandis et virilis, quae etiam in magno exercitu exaudiri potuisset. Proceritas corporis, et species ἀξιωματικὴ, gestus sedatissimi, ut in nullo vidimus, et gravitas tanta, ut saepe intuentes eum dicentem cogitaremus illud de Solone, quem aiunt non exertis manibus extra pallium dicere solitum. Haec erant eo pulcriora, quia videbantur tantum nativa esse, et ostentationis nihil animadverti potuit.

Erat oratio in confessionibus publicis et consiliis tota gravis, sine verborum deliciis, saepe etiam moesta sine affectione: rectas sententias constanter propugnabat, etiamsi interdum ingratae erant potentibus, melioribus sententiis et scriptis sine φιλονεικείᾳ cedebat. Utriusque enim rei multa exempla meminimus: veritatem, iusticiam, et salutem publicam suae gloriae et suis commodis anteferebat: alienissimus a populari adplausu et a πολυπραγμοσύνῃ, ut qui sentiret gubernationis molem, et non vellet eam sibi augeri, nec parerga accersenda esse et relinquenda ἔργα. In privatis vero colloquiis eruditorum nihil eo dulcius erat: avide audiebat historias Ecclesiae et imperiorum, et multas ipse recitabat tum lectas, tum auditas: quoties insignes sententiae ex veteribus Ecclesiae scriptoribus proferebantur, mox eas sibi scribi iussit, ut cum ex Basilio dictum de Sola fide audivit. Miscebat disputationes de obscuris controversiis, ut aliorum audiret concinnas explicationes, condiebat et hilaritate talia colloquia, asperso candido sale, non enim deerat ei lepos in sermonibus hilarioribus.

Haec breviter recitavi de ingenio et studiis eius, quae vera esse multi norunt, et verecunde sine collatione oratorum dicta sunt, quam aliis relinquo. Ad utramque formam orationis idoneus fuit, ad grandiorem et splendidiorem, qua utebatur, cum illo sono opus erat in Principum consessibus, et ad alteram tenuiorem et Atticam formam in privatis colloquiis et deliberationibus. Etsi videor ineptus, qui in hac narratione Eccii mentionem facio, tamen libet adiicere. In conventu Augustano cum ad Principes quaedam de synodo indicenda accurate diceret, non procul sedentibus Eccio et Philippo, Eccius scribit in parva pagella haec verba: Cuias est iste? adscribit Philippus: Est civis Witebergensis. Rursus adscribit Eccius: Profecto est eloquens. Sed redeo ad seriem historiae.

Cum Dux sapiens Fridericus Elector, et eius Consiliarii sapientes et eloquentes viri Fabianus a Feilisch et Fridericus a Thun aliquoties Pontanum audivissent, et ingenium, eruditionem,

eloquentiam considerassent, et mores scirent bonis viris probari, vocat eum Dux Saxoniae Fridericus in aulam, et Cancellarii munus ei commendat, quod scitis praecipuum esse non solum in praetoriis negociis, sed etiam aliis gravioribus deliberationibus. Constat autem in iudiciis regendis industriam et aequitatem eius ita probatam fuisse sapientibus ac bonis Principibus, nobilitati et civitatibus, ut omnes eum pariter diligerent, sed praetoria negocia omitto. Dux Fridericus eum coloniam secum duxit, ubi colloquio interfuit Ducis Friderici et Erasmi Roterodami. Ibi et Alexandro Legato pontificio respondit, petenti, ut Dux Fridericus Lutherum traderet certis Episcopis, qui eum carceri includerent. Ita initia aulicae militiae Pontani inciderunt in primam σύῤῥαξιν Lutheri et Pontificiorum. In hac militia deinceps annos circiter triginta plurimum curarum et laborum sustinuit. Nec omnia conventuum praelia hic recitari possunt: sed quaedam attingam, ex quibus de caeteris coniectura fieri potest. Wormatiae cum de maximis rebus Dux Fridericus cum Mercurino saepe deliberaret: multa cum Pontano Mercurinus familiariter locutus est de Caroli Imperatoris voluntate, quam ostendit alienam esse a crudelitate, et conari ut synodus indicetur non solum propter has controversias, sed etiam ut plura Ecclesiae mala corrigantur. Et narrabat Pontanus Mercurinum hoc epiphonema addidisse: Bene fecerunt Principes Germaniae, quod Carolum elegerunt Imperatorem. Experientur enim et sapientem et bonum fore.

Secutus est Conventus Augustanus anno 1530. qui velut epitasis fuit certaminum Ecclesiae huius temporis. Ibi Carolus, qui iam Italiam armis domitam victor tenebat, quanquam incitabatur, ut nostris bellum inferret: tamen incumbens in cogitationem de synodo, ut antea Mercurinus dixerat, postulat exhiberi a nostris doctrinae confessionem. Quam multae res deliberandae tunc inciderint, longum esset dicere, quo tempore praecipuas deliberationes ita rexit Pontanus, ut sapientiam eius, fidem et constantiam probaverint optimi Principes Dux Saxoniae Iohannes Elector, et caeteri in hac causa coniuncti.

Cum autem ante exitum conventus nomine Pontificiorum orationem habuisset, praesente Carolo, Elector Marchio Ioachimus Primus, atrociter minitantem nostris, quam coram audiebant Dux Saxoniae Iohannes Elector, Georgius Marchio Brandeburgensis, Ernestus Dux Luneburgensis, et Wolffgangus Princeps Anhaltinus, iussus est a Duce Saxoniae Electore Pontanus respondere. Huic Pericleae orationi Marchionis ita respondit Pontanus in senatu Principum, ut veteribus Apologeticis Iustini et aliorum piorum anteferri haec responsio possit.

Voluntas, inquit, Ducis Saxoniae erga clementissimum Imperatorem Carolum in electione conspecta est. Deinde omnium horum Principum in reprimendis Turcis et seditionibus, et constat nulla in re defuisse eos paci publicae. Adfirmant etiam semper se memores fore divini mandati: Date Deo, quae Dei sunt, et Caesari, quae sunt Caesaris. Non privata cupiditate ulla, non curiositate, non errore, non coeco impetu doctrinam, de qua confessio exhibita est, amplexi sunt. Sed cum eam diu audivissent, et fontibus diligenter consideratis, et collatis testimoniis sincerae antiquitatis, intellexissent veram esse, non voluerunt agnitae veritati adversari, memores severissimae comminationis divinae, in qua dicitur: Blasphemiam non remitti. Quare et propter gloriam Dei, et propter propriam salutem, et propter alios, qui studium habent pietatis, quorum multi sunt electi, Deo iuvante, hanc doctrinam et profitebuntur ipsi, et in Ecclesiis suis doceri curabunt. Cumque manifesta sit impudentia Pontificiorum, qui nullos errores et nulla vitia in suis opinionibus et moribus esse vociferantur, flagitant omnes pii veris gemitibus in tota Europa, ut in synodo legitima instituatur emendatio: Idem petunt et hi Principes, et sperant clementissimum Imperatorem, qui videt necessariam esse emendationem Ecclesiae, sine cognitione non esse arma sumpturum, ut errores, libidines, et alia vitia Pontificiorum stabiliat, et alienae impietati et saevitiae gratificetur, et veritatem, quae gloriam filii Dei illustrat, et saluti animarum necessaria est, opprimat, praesertim cum spem de synodo ostenderit. Reverenter igitur Principes et universam Ecclesiam et sese clementissimo Imperatori commendant, quem orant, ut etiam cogitet, in hac delira mundi senecta generi humano maiores confusiones impendere, quae caveri melius possunt lenitate et ἐπιεικείᾳ, quam si maiores dissipationes armis fiant, sicut in bellis Bohemicis accidit, nec veritas opprimi poterit, etiamsi Principes aut populi aliqui oppressi fuerint, *emergeret tamen veritas, nec deleri a portis inferorum poterit.*

Haec cum pene ad verbum Pontanus dixisset, et aliqui frementes maius certamen moturi essent, Moguntinus ait: non esse mirum atroci fratris orationi responsum esse durius, nec prodesse longiorem contentionem. Interfatur ergo Caesar, et dici iubet, se facturum esse, quod Christianum Imperatorem facere iustum sit, atque ita senatum dimittit.

Hic cum fuisset exitus eius conventus, postea Moguntinus et Palatinus Ludovicus cum Carolo Imperatore de pace Germaniae colloquuntur Moguntiae. Ibi cum quidam asperius loqueretur, Caesarem habere alia regna, etiamsi Germania vastata esset: interpellat hunc Caesar, inquiens: Haec non iussi te dicere. Nolo enim fieri vastitatem in Germania, quia et patria est, et ab ea summum decus accepi. Et Imperator saluti orbis terrarum, quantum potest, Deo iuvante, consulere debet. Ita pacem certis conditionibus fecit, quae duravit ab anno tricesimo usque ad quadragesimum sextum. Non confero oratorum eloquentiam, materias confero. Consumpta est eloquentia Periclis, Demosthenis, Ciceronis, in incitandis civibus ad bella. Quanto maius decus est, eloquentiam conferre ad illustrandam gloriam filii Dei, ad Ecclesiae et patriae pacem: in quibus rebus praecipue totius Pontani cursus consumptus est.

Ante tricesimum annum commenticio foedere Principes moti, arma ceperunt. Erat panicus terror universae Germaniae incussus: sed re inquisita Pontani diligentia exercitus dimissi sunt, et tumultus initia sedata sunt. Possem plura exempla salutarium consiliorum recitare. Agnoscamus autem in rebus tantis foelicem sapientiam Dei beneficium esse, et Deo gratias agamus. Tamen et organis Dei suus honos debetur, et suo loco dictum Euripidis congruit: Praecipua laude civem dignum esse, non qui in ludicris spectaculis antecellit: *ἀλλὰ μάχας κωλύων λόγῳ.*

Nolo autem vulnera nostra contrectare commemoratione belli, quod anno 46. secutum est. Tantum hoc dicam, quod scio eum in deliberatione illa dixisse: Comitem se fortunae Principum fore, qualiscunque eventus esset. Belli suasorem non fore. Ac si quis multa disputat de praecedentibus occasionibus, is cogitet nos iam de hominibus loqui, in quibus multiplex est infirmitas. Imo singuli cogitemus nostra vitia poenas mereri, quae proh dolor, et magna et multa sunt, et petamus ut propter filium mediatorem aeternus pater in ira misericordiae recordetur, et moestissimae Ecclesiae opem ferat, nec sinat fieri infinitas dissipationes. Non hoc tantum verum est: Quicquid delirant reges plectuntur Achivi. Sed saepe etiam propter populi vitia minus foelices sunt boni gubernatores. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos propter suam gloriam gubernet et protegat. Redeo ad narrationem.

Pacis tempore praecipua cura fovit Ecclesias: inspectionis, in qua reditus liberaliter attributi sunt multis Ecclesiis, ipse suasor fuit, cumque eam labefactare antinomica factio conaretur, perfecit, ut iudicium convocatis piis et doctis viris constitueretur, in quo inspectores defensi sunt. Ex eo certamine natae sunt eruditissimae propositiones Lutheri contra Antinomos. Cumque doctrinam Ecclesiae recte intelligeret, et Deum recte invocaret, nec spargi errores, nec dissidia accendi sinebat. Maximeque oderat Thrasones, qui ut videantur alios subtilitate vincere, ludunt verborum deliciis, ac *τερατολογίας* quaerunt, *καὶ θαύματα ῥημάτων,* quae mentes in dubitationes et errores adducunt, ac narrare possem in quibus materiis de sophistica gemens questus sit.

Magnae virtutes in eo et hae fuerunt, quod expugnari se pecunia nunquam passus est, nec ambitiose unquam in aliis aulis favores aucupatus est, ac saepe audivimus recitantem veterem versum: Nemo potest dominis pariter servire duobus.

Odia et obtrectationes sapienter et Fabiano more tulit, quanquam non erat lentus, et querebatur ira langueficri sui corporis vires. Sed Magistrum se moderandae irae, primum habuisse Ducem Saxoniae Fridericum narrabat. Dicebat item nolle se precationem, et alias res necessarias laxantem frenos cupiditati vindictae, impedire, ac saepe repetebat vocem Christi: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.

Domestica vita casta et sobria fuit. Cumque pater ei amplam haereditatem reliquerit, magis eam frugalitate auxit, quam stipendiis, inde scio saepe eum mediocri pecunia sine ostentatione pauperibus opem tulisse. Quotidie aliquid temporis sacrae lectioni et precationi tribuit. Et in hac

extrema senecta egressus septuagesimum annum, cum sese, Ecclesiam et familiam quotidie ardentissimis precibus filio Dei commendaret: tamen cum vires corporis aetate magis quam morbo defecissent, placide decessit. Nec dubitamus eum inter hos esse, de quibus dictum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Haec de Pontano brevius et tenuius dixi, quam virtutum ipsius decus meretur: sed iudico utile esse iuventuti honestas imagines plurimas intueri, et plerunque historiae multarum rerum doctrinam continent.

Adhortor autem iuniores, ut cum tales historias legunt vel audiunt, cogitent filium Dei sedere ad dextram patris, et dare dona hominibus, et gratias ei agant, quod aliquos dat salutares gubernatores, et petant se quoque organa salutaria a filio Dei fieri, seque praebeant remiges Deo gubernanti non ignavos, ac doctrina se instruant, et ad honestos usus praeparent. Sciantque Deum velle hac diligentia coli. Et execrentur manichea et antinomica deliramenta illorum, qui vociferantur: Bona opera non esse necessaria, cum quidem tanta sit eorum amentia, ut quid sint bona opera et mala, non intelligant. Oro autem filium Dei, ut nos gubernet et protegat. Dixi.

Praesentatio.

Clarissime D. Doctor, et Vicecancellarie, Praeceptor observande: Veritas ipsa sibi testimonium tribuit ubique, inquit Galenus. Non igitur in praesentia longa commemoratione utar, quod in rebus ambiguis et ignotis fieri solet. Nota enim est huius amici nostri M. Caspari Peuceri doctrina non huic tantum Academiae, sed toti Germaniae et exteris quoque nationibus. Morum vero et vitae honestas omnibus nobis notissima, de quibus quod hoc in loco pauciora dico, id facio propter ipsius modestiam et verecundiam. Nam quod de Amphiarao Aeschylus dixit: *οὐ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,* eo animo et ipsum esse scio, mavult esse bonus, mage quam bonus esse videri.

Intercedunt autem et aliae gravissimae causae, atque necessitudo vetus, ut ipsum quocunque tempore iuvare et ornare debeamus, quod ut libentius faciamus, etiam pietas erga praeceptorem nos adhortatur. Gaudeo igitur praeberi mihi qualemcunque occasionem declarandae gratitudinis et observantiae cum erga ipsum, tum et erga praeceptorem optime meritum, et te eodem animo esse certo scio. Quod vero ad examen et disputationem attinet, satisfactum esse scis legibus Academiae. Quare cum in hac publica testimonii et gradus renunciatione etiam tua autoritas accedere debeat, reverenter a te peto collegii nostri, meo et amici nomine, ut M. Casparo Peucero concedas facultatem, ac, ut vocant licentiam suscipiendi gradum et insignia doctoris in arte medica, id gratissimum collegio nostro erit, et optimum ac doctissimum virum immortali beneficio ad perpetuam observantiam et gratitudinem tibi devinxeris. Dixi.

No. 176. an. 1560.

Explicatio Aphorismi XLII. etc.

In Oration. T. T. p. 196 sqq., apud Richard. II. p. 245. et in Orationibus postremis p. 210.

Explicatio Aphorismi XLII. Partis secundae Aphorism.

Cum hunc consessum vestrum oculis intueor viri clarissimi, virtute, eruditione, dignitate atque amplitudine praestantes, deque excellenti doctrina vestra, et mea mecum cogito imbecillitate, animadverto dicturo mihi quaedam hoc in loco non tam attentione, quam favoris et benevolentiae vestrae studiis opus esse. Quae quidem ut non difficulter mihi praestetis, duo vos movere debent. Nam neque privato consilio has dicendi partes sumpsi, sed mandato et autoritate legum, quam colere et tueri decet omnes, qui eam, in qua vivunt, Rempublicam conservatam cupiunt, et cum tranquillitate ac dignitate, florentem et stabilem: neque exemplo hoc novo facio, sed obtempero laudatissimae consuetudini, quae sapienti maiorum consilio introducta, et a multis ante me celebrata, et ipso commendata fructu et necessitate semper huc usque viguit. Me vero etiam recordatio consideratioque summae humanitatis et aequitatis vestrae, qua ex hoc ipso loco auditos a vobis ante me plerosque memini, in spem optimam erectum confirmat, ut eandem ego multo magis a vobis aequitatem expectem, quam exhibitam aliis recordor, qui in dulcissima vobiscum multorum annorum coniunctione et consuetudine

vitae, in communicatione mutua honestorum officiorum et sententiarum amica collatione, singulorum privatim erga me eximiam benevolentiam argumentis non obscuris perspexi, et reipsa multoties sum expertus, cuius me opinionis de vobis fructum ut percipere sinatis, et referre ex hox consessu hodie, vos vehementer pro mea erga singulos observantia oro. Cum autem neque ego ad dicendum sim instructus, et argumentum de quo disseri scholastico more oportet, non tam compositae orationis copia et splendore illustrari atque ostentari, quam orationum fundamentis discuti, et absque ocioso ornatu simplici oratione explicari velit, ut fit in disputationibus, non ero prolixus.

Dicam ergo pauca de quadragesimo secundo Aphorismo partis secundae, cuius verba sunt: Fortem Apoplexiam solvere impossibile est, imbecillem facile. Occasionem de apoplexia cogitandi accuratius, praebuerunt mihi, quae grassantur vulgo, et plurimos correptos interimunt, epilepticae et apoplecticae affectiones, quarum et invasiones sunt tam praecipites ac subitae, et impressiones tam vehementes ac saevae, ut videantur velut *ἐπιδήμια νοσήματα,* a peculiari coeli et aëris constitutione commoveri in iis corporibus, quibus inest aptitudo quaedam ac propensio ad easdem ex languefacta cerebri virtute et coacervatorum longo tempore superfluorum reduntantia. Neque improbo coniecturas eorum, qui causis harum aegritudinum ex Saturni et Martis infausto, noxio et minaci positu petitis, aliquanto ante de earum periculis monuerunt. Sed proh dolor, quantum ingluvie, crapulis, intempestivis commessationibus, his causis externis et coelestibus instruimus et cumulamus ceu penu materiae idoneae in corporibus nostris? Quantas addimus, cum stupemus ebrietate, aut insanimus ambitione et odiis, aut in magnis animis doloribus impatientia, vel in subitis commotionibus praecipiti ac fervida iracundia extra nos rapimur, tunc inquam quantas suppeditamus occasiones iisdem causis, ut in nos invadant vimque expromant atque exerceant suam? Sed coelestibus causis omissis, de propioribus et nobis insitis quaedam disseramus. Galenus recte et concinne universas verae apoplexiae proximas causas complexus est duobus generibus, cum inquit: Fieri apoplexiam ex defectu sensus et motus in corpore universo, eo quod virtus animalis diffundi in nervos, et in membra motui ac sensui destinata traiici nequeat (vel *διὰ φλεγμονώδη τίνα διάθεσιν ἐν αὐτῷ τῷ ἐγκεφάλῳ συστήσασαν*, vel *αὐτῶν τῶν κοιλιῶν ἐμπιμπλαμένων ὑγρότητος φλεγματώδους*) scilicet cerebro, vel obsesso affectu praeter naturam, qui sit inflammationi similis, vel oppleto obturatoque phlegmaticis humoribus intus, qua ventriculorum alvei, et anfractuum multiplices ac mirando contextu impliciti ductus, et ceu incisi in substantiam ipsius tenues pori, si ab infarctu humorum liberi sint, patent agitatorum spirituum discursui et traiectioni.

Hae causae fiunt illustriores, cum et discrimen ac series caeterarum, quae has proximas antecedunt, gignunt, cient, impellunt, et ipsius morbi origo consideratur ac natura. Apoplexia in illorum est morborum numero, quos ex impulsu aliquo incitati, ac cum defluxionis impetu ruentes humores, seque in cerebrum inferentes, et lapsu concitato ac subito vel in cava eius spacia excussi atque ingesti, vel detrusi impactique in venas et arterias, quibus et membranea cerebri involucra intexta sunt, et pertextum est corpus ipsum, parere consueverunt. Causarum gignentium una est externa et evidens: altera interna et corporibus insita: tertia, quam *συνεχῆ* et *προσεχῆ,* id est, continentem vocant. Externarum quaedam per sese ipso insultu vel illisu apoplexiam faciunt, ut cum validiore ictu fractis et collisis ossibus cranei et cerebri massa ea compressione coacta atque coarctata, aut laqueo interclusis vel compressis iis venis, quae *σφαγίτιδες* et iugulares nominantur, protinus cessante motu, cor respiratione intercisa suffocatur. Quaedam rursus internas causas vel gignunt, augent ac coacervant velut pabulo suppeditato, quod vita praestat luxui dedita atque helluationibus, vel collectas ante alterationum quarundam immutatione praeparant, ut cum exhalitibus crudis densati coactique humores et intra craneum detenti a calore lentorem paulatim contrahunt et tenacitatem, vel genitas, congestas ac praeparatas impellunt agitantque, ut cum quieti humores aut vehementis iracundiae fervore vel aëris circumfusi ardoribus dissoluti ac fusi, aut expressi et velut exclusi astrictione meatuum ab asperiore frigore, aut copia elisi irruunt in cerebrum. Internae causae quas *προηγουμένας* et antecedentes vocant, et quarum ab externis origo est, sunt humores, qui vel in ipsis rivulis venarum capitis, his scilicet

atro crassoque et melancholico sanguine refertis, aut extra venarum ductus intra craneum et cerebri membranea involucra, quacunque patet aliquid et vacat, inque ipsis sinubus cerebri continentur, confecti et continua accessione aggestioneque materiae novae aucti ex iis halitibus, qui de ventriculo, hepate, venis in habitum totius corporis digestis, assidue in cerebrum velut tectum fumosae domui supra positum efferuntur. Ab his humoribus tantisper donec quiescunt, nihil admodum periculi est. Si a quocunque externo incitati principio explicent et dilatent sese subitoque et confertim inundent in cerebrum, periculum adferunt, quo liberatur aeger, si natura victrix repulsos hos excutiat per nares, palatum, os et meatus alios, ut fit in catarrhis. Si non excutiat, sed oneri succumbat, sequuntur *παραλύσεις*, aut *παραπληγίαι*, aut apoplexiae, aut aliae his cognatae aegritudines. Sed de Apoplexia dicemus. Si ergo qui venis insunt humores, ex amplioribus ramis depellantur atque adigantur in angustissimos surculos, protinus impletos hos distendunt, inque tumorem attollunt universos, adeoque ipsum simul cerebri corpus, in quod defiguntur et penetrant, moxque ipsa tumoris mole, quaeque fere statim humorum infarctum consequitur inflammatione, denique erumpentis nonnunquam sanguinis effluxu in sinus laxiores, cerebro inferunt *διάθεσιν* phlegmonae similem, ut occupatum atque obsitum undiquaque videatur inflammationibus. Haec *διάθεσις* partim comprimendo atque coarctando cerebri meatus, impediendoque motum diductionis et contractionis, necessarium et ad alios usus et ad impulsus spirituum ac traiectus in nervos, partim opplendo poros, et si osculis venarum humores excidant, ipsas etiam cavitates laxiores, facit ut nulla defluente virtute animali extinguatur sensus et motus in reliquo corpore. Si qui extra venas fluitant validiore adactu in ipsos sinus cerebri atque anfractus subito confertimque impingant, totosque occupatos expleant, sique in poros etiam ipsos cerebri ac nervorum subeant atque penetrent, qui fere talibus omnibus languent ante largiore imbuti et tenaciore humiditate. Tali ergo infarctu humores viscidi cum obstant atque officiunt cerebri motui, tum irruptionem et transitum spirituum animalium in nervos inhibent. Hoc modo ingesti atque impacti humores vel venarum rivulis vel alveis cerebri, quod et sectio ostendit apoplecticorum post obitum, fiunt apoplexiae *αἴτιον συνεχές*. Proxime enim eam, quae apoplexia proprie dicitur, *διάθεσιν* efficiunt, *στέγνωσιν* scilicet, seu coarctationem meatuum cerebri omnium. Cuius differentiae sunt *πύκνωσις καὶ ἔμφραξις*. *Πύκνωσιν* tumor praeter naturam inflammationi similis, ex affluxu humorum per venas: *ἔμφραξιν* infarctus humorum in alveos et plicas cerebri ex affluxu extra venas efficit. Ex his liquet manifesto: cum apoplexiae ortus sit ex humorum defluxu, discerni oportere tempora, et considerari initia incipientis, consistentis, et absolutae atque completae fluxionis. Incipiens *προφυλακτὴν*, consistens partim *προφυλακτὴν*, partim *θεράπευσιν*: absoluta *θεράπευσιν* solam exigit. Praestant id autem ante usum *τῶν τοπικῶν* tum *κενώσεις* simplices, tum *ἀντισπάσεις*, tum *παροχετεύσεις*, usu quidem phlebotomiae, scarificatus et similium, si ex venis sit mali origo: catharticorum vero, enematum, apophlegmatismorum, errhinorum, vehementis ligaturae, acrium frictionum, si extra venas.

De absoluta, id est de facta apoplexia loquitur Hippocrates, quam, si fortis sit, dicit curatu esse impossibilem, si mitior et remissior, non facilem. Indicium fortissimae apoplexiae est extreme laborans respiratio, quam molitur et peragit cerebrum impulsu musculorum thoracis. Cum enim reliqui musculi totius corporis omnes in apoplexiis concidant et conquiescant, soli qui thoraci serviunt, quamvis difficulter, moventur tamen adductione et relaxatione sui aliquantulum attollentes et submittentes rursus pectus, idque fit propter respirationis necessitatem, qua nervorum virtus quanquam impedita et languens incitatur, corde refrigerationem sui flagitante, expulsione acrium fuliginosorum halituum et frigidioris aëris haustu. Est et fortis apoplexiae argumentum, sed minus sevae, anhelitus inaequalis et inordinatus atque intensus, et ex intervallis sese tum intendens, tum remittens. Denique quanto facilior est, aequabilior et lenior respiratio, tanto minus periculi est.

Fit autem fortis apoplexia a plena perfectaque obstructione ab humoribus copiosis, simulque aut crassis, aut cum crassicie lentis, morbi magnitudine respondente magnitudini causae. Curationem autem non admittit, magna ex parte propter suffocationis periculum, quod fere citius

strangulatu extinguitur cor, quam exonerato et ab omni obstructionis impeditione expedito cerebro, thoraci motus liber reddi et restitui respiratio possit, tantoque difficilius curatur, quanto et humorum copia, et crassicies ac tenacitas maior fuerit, et hi meatus omnes arctius obsederint, et adhaeserint pertinacius. Neque enim propter copiam diminui et exhauriri cito, nec propter crassiciem per angustos narium et faucium ductus prolici et educi, nec propter adhaerentem lentorem revelli ac provolvi facile possunt. Quapropter cum repugnet, et ἔνδειξιν aliam ostendat causae morbum facientis conditio, tamen propter vehementiam et violentiam affectus, et periculi, quod vitam petit, magnitudinem, extrema statim inter initia oportet adhiberi remedia, ut si non liberetur, attamen allevetur cerebrum, et cor a periculo suffocationis vindicatum concedat tutiorem moram reliquiis morbi perducendis ad convenientem maturitatem, et extirpandis atque obterendis. Sed prolixior sum, quam convenit. Uberior enim tractatio alio pertinet. Vos, viri clarissimi, ut quae dicta sunt a me boni consulatis, pro vestro candore et perspecta mihi erga me benevolentia, vehementer oro. Dixi.

No. 177. an. 1560.

De Ecclesia Christi.

In Orationum T. V. p. 215., Richard. T. III. p. 91. et in Orationibus postremis p. 231. Etiam separatim edita Witb. 1560. Vid. Strobel. bibl. Mel. no. 551.

Oratio de Ecclesia Christi, recitata a Mag. Matthia Gunderamo Cranacensi, Decano, Nonis Martii.

Tibi omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, qui coelum et terram et homines et omnes creaturas, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu tuo sancto creasti, et immensa bonitate propter filium colligis aeternam Ecclesiam, gratias ago, quod hactenus nos clementer gubernasti et protexisti, Teque oro, ut semper inter nos aeternam Ecclesiam tibi colligas, et non sinas inter nos extingui lucem Evangelii, agnitionem filii tui et veram invocationem propter gloriam tuam, O omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, per et propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum serva inter nos reliquias, te vere agnoscentes et celebrantes, et nos facito σκευὴ ἐλέους, et organa quae in omni aeternitate vera gratitudine et laeticia te celebrent.

Haec vota primum facere nos in his publicis congressibus decet, quia certe convenimus, ut propter gloriam Dei, studia doctrinarum nostro loco iuvemus. Ideo et vos et nos adiungamus gemitus nostros ad precationem filii Dei, quam, in illo mirando agone suo recitat, inquiens: Sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. Idem cum ipso mecum petite: Sanctifica nos, omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, in veritate tua, sermo tuus est veritas. Ut autem usitatum est, de aliqua doctrinae parte dicere, sumpsi utilem commonefactionem de Ecclesia, de qua cum recens quidam vociferari ceperint, Ecclesiam invisibilem esse, quo ex sermone sequitur ἀναρχία et multiplex incertitudo de doctrina, de testimoniis temporum et synodorum, de coniunctione civium Ecclesiae tuenda, et de societate invocationis: necesse est extare veram et perspicuam sententiam. Si enim nulla est visibilis Ecclesia in hac vita, quomodo agnoscentur et ministri Evangelii et auditores? et quae Ecclesiae iudicia erunt, de quibus scriptum est: *Dic Ecclesiae?* Quae erit testimoniorum autoritas, de temporibus? de receptis libris? de controversiarum iudiciis? Quomodo discernemus cives et hostes, quorum expetenda et tuenda sit societas? qui fugiendi sint? Quales in invocatione tenebrae erunt, si non distingues invocationem tuam ab invocatione hostium Christi, de quibus ipse inquit: Non adsumam nomina eorum in labiis meis? Cum igitur certitudo quaerenda sit, recte de his tantis rebus homines docendi sunt. Primum constituenda est definitio Ecclesiae visibilis in hac vita, congruens cum imaginibus, quae a filio Dei traditae sunt, de Sagena, in qua sunt boni et mali pisces, et cum hac appellatione: Dic Ecclesiae.

Affirmo igitur Ecclesiam visibilem in hac vita, coetum visibilem esse, amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, in quo sunt multi electi ad aeternam salutem, et renati voce Evangelii et Spiritu sancto, etsi sunt in eodem coetu alii quoque non sancti, sed tamen in pro-

fessione externa vocem doctrinae eandem sonantes cum sanctis.

Cumque nomino amplectentes incorruptam Evangelii doctrinam, complector et legitimum usum eorum rituum quos Deus quolibet tempore instituit, et excludo idola et pertinaciam defensionis idolorum.

Nec cavillatione turbemur de vocabulo Evangelii: Complector hoc nomine doctrinam poenitentiae et aeternae promissionis, imo et capita in symbolis collecta, sicut Apostoli appellatione Evangelii utuntur, de tota ministerii sui doctrina. Quia si legis adpellationem insererem prolixa distinctio partium legis addenda esset. Sapienter dicunt Iurisconsulti, periculosas esse definitiones, quia non est remedium contra sycophantae morsum, invenire facile possunt monstrosae, virulentae et calumniatrices naturae, quod arrodant. Nec a Musis illa depravationum artificia, sed a Sphinge oriuntur. Sit candor in interpretatione, ubi vere explicatio adiuncta est, quae calumnias perspicue refutat, et simus memores honestissimae vocis Thucydideae: *διαβολὰς μὲν, οὐ σώφρον οὔτε λέγειν τινας ἐς ἀλλήλους, οὔτε τοὺς ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι.* Ac plane adfirmo, tanquam demonstrationem, quae iudicari ratione potest, tenendam esse hanc sententiam: Nequaquam esse Dei Ecclesiam eos coetus, qui contrariam doctrinam legi morali defendunt. Ut Ethnici fingebant turbam Deorum: multi fanatici probaverunt libidinum confusiones: Pontificii et Mahometici leges coniugii delent. Comprehendo igitur in definitione Ecclesiae et legem moralem recte intellectam. Etsi autem Ecclesia non cernitur ut regnum pontificium, in quo incurrunt in oculos, Pontificum splendor, dignitatum gradus, opum ostentatio, purpurae, satellitia, denique omnia illa quae Daniel complectitur, cum ait: Colent Deum Maozim, auro et argento. Tamen conspicitur Ecclesia, ut honesta aristocratia, seu pius coetus docentium et discentium Christianam *κατήχησιν*, qui tametsi non iisdem parietibus inclusus est, sed dispersus, eandem tamen verae doctrinae et piae invocationis vocem sonat. Hunc coetum oculis et auribus distingui posse ab omnibus, qui aliam vocem sonant, manifestum est. Paulus inquit: *ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις.* Quale spectaculum Ecclesia esse potest, si non cernitur? Quomodo praehendi corpora et interfici possunt, si distinctio neque oculis neque auribus agnoscitur? Cum regnarent in Iudaea Herodes, Pharisaei et Sadducei, qui ordinariam gubernationem tenebant, horum certe conspiciebantur satellitia et gladii. Nec distinctio nulla inter hos et veram Ecclesiam sensibus accipiebatur.

Erant vera Dei Ecclesia Zacharias, Elizabeth, Anna, Ioseph, Maria, soror Mariae, et alii multi, qui horum doctrinam audiebant, quam cum Pharisaei et Sadducei dissentire a suis opinionibus intelligerent, Zachariam interficiunt, quod facere non potuissent, si distinctio nulla sensibus acciperetur. Non vagatur Ecclesia inter Andabatas in tenebris, sed est ut Paulus inquit, *θέατρον* hoc est spectaculum mundo, angelis et hominibus, seu ut Salomon inquit: Acies ad praeliandum instructa, habens sua quaedam signa, arma et classica. Manifestum est dici signa monstrantia Ecclesiam: Vocem ministerii evangelici incorruptam, et ritus divinitus traditos, qui in oculos incurrunt, confessionem et invocationem a caeteris gentibus distinctam. An, cum Iuliani milites alii sacrificarent idolis, alii sacrificare nollent, distinctio nulla conspiciebatur? Sed nubeculam, cui involvunt Ecclesiam, obiiciunt populo isti Platonici. Quod creditur inquiunt, non videtur: Ecclesiam esse creditur. Non igitur videtur. Hoc vafrum involucrum evolvamus. Multae sunt propositiones, quarum etsi cernuntur subiecta, tamen praedicata fide adduntur, ut cum dicimus: Sol est a Deo creatus, haec nostra corpora revocabuntur in vitam. Hic fides assensio est, qua integram propositionem amplectimur. Ita subiecta in his propositionibus accipi sensibus dicimus: Homines sonantes vocem Evangelii sunt Ecclesia Dei, seu coetus, in quo sunt electi. Et tamen fide praedicatum additur. Distinctio inter agmen martyrum et tyrannos oculis iudicari potest: audimus confessionem et invocationem piorum, videmus eorum corpora lacerari ferro, uri flammis et multis modis cruciari. Hic fides addit praedicata: Tales placent Deo, tales praestant Deo gratos cultus, tales sunt haeredes coelestis Ecclesiae. Hac responsione perspicue evoluta est obiectio illorum, qui Ecclesiam fingunt esse Platonicam ideam.

Postquam vero constitutum est et conspici Ecclesiam in hac vita, et quae sint signa non fallentia: iam addenda est necessaria doctrina. Mandatum Dei esse scias, ut verae Ecclesiae te adiun-

gas fide, confessione, invocatione et officiis, quae ad eius conservationem Deus praestari iussit. Vult Deus te suae Ecclesiae civem et communis militiae socium esse, non hostem, non parricidam, non desertorem et transfugam. Ideo scriptum est: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Item: Beati qui habitant in domo tua Domine. Et Psal. 26.: Unum hoc petii a Domino, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Nec vero tantum fiat adiunctio ad hanc veram Ecclesiam, sed etiam studium sit in omnibus tuendae coniunctionis, quale esse in bonis et fidelibus civibus omnibus decet. Discernamus hostes et cives. Adversus hostes simus vigilantes et acres, erga cives placidi, benefici, obliviscentes iniurias, ne distractiones non necessariae fiant. Non enim loquimur de Ecclesia huius vitae, ut de corpore, in quo nihil sit morborum, sed habet etiam vera Ecclesia, retinens fundamentum, non exiguas infirmitates, ut, multum caliginis erat in discipulis Baptistae et Christi, in illa aurora, ante manifestam missionem Spiritus sancti, et tamen in eo coetu erant electi ad aeternam salutem. Vocetque nos ad societatem Ecclesiae haec dulcissima consolatio, quod certum est, in eo coetu electos esse ad aeternam salutem. Nec in numero electorum esse illos, qui huic coetui nunquam inseruntur, iuxta dictum Pauli: Quos elegit, hos et vocavit. Quomodo autem in tanta confusione generis humani, in tam variis opinionum dissidiis fieri adiunctio ad veram Ecclesiam potest, si distinctio hominum sensibus non accipitur? Deinde quomodo fient iudicia iuxta mandatum Christi: *Dic* Ecclesiae, si iudices conspici non poterunt? Sed hoc ipsum consilium Alcibiadaeum est. Cum enim vidisset Alcibiades Periclem silentio et gestu significantem novas curas et sollicitudines, interrogat causam, ille respondet: se cogitare quomodo rationes referret. Imo vero inquit audax adolescens: cogites quomodo non referas. Id isti faciunt: Vociferantur nullam conspici Ecclesiam, ut iudicia deleant, et sibi tyrannidem in Ecclesia sumant, gignant dogmata monstrosa, quae nemo sanus probat et frenos cupiditatibus laxant. Huic licentiae quaeruntur latebrae velut Orci galea, seu potius ut Cerastae se abdunt, qui se luto involvunt et cornua exerunt, ut incautos viatores saucient: sic isti se factionibus muniunt, et ex suis latebris, quos volunt, iugulant. Ut igitur in vera Ecclesia iudicia retineantur, conspici eam tuendum est. Et quanquam bonis mali mixti sunt: tamen semper aliquis coetus est veritatis custos. In secunda Ephesina synodo, quae nominatur λῃστρικὴ, Byzantium Episcopum recte sentientem calcibus ita percussit Antiochenus in publico consessu, ut intra triduum senex extinctus sit. Erant tamen alii recte sentientes, et vicit tandem veritas. Haec cogitanda sunt quoties recitamus dictum: Credo esse Sanctam Ecclesiam Catholicam, laeti Deo gratias agamus, quod in tantis dissidiis propter filium servat aliquem coetum, in quo sunt electi ad societatem coelestis et aeternae Ecclesiae. Deinde sapienter consideremus, quae et ubi sit vera Ecclesia, et in eum coetum nos includamus, et coniunctionem eius tueri studeamus. Laetemur etiam nos ad aliorum recte invocantium preces, adiungere nostros gemitus et vota, quae filius Dei, qui est πρεσβύτης, pro nobis, ad patrem aeternum perfert. Et quidem in precatione intueamur pios alios, qui simul precantur, sicut Dominus inquit: Ubi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Et quidem vult nos Deus mutuis consolationibus erigi, sicut ad Petrum dicitur: Et tu conversus confirma fratres tuos. Multi sancti viri habent familias, coniuges pias et dulcissimam sobolem. Hanc vult Deus a parentibus doceri et inseri Ecclesiae, vult eos esse in eo coetu, in quo sunt aliqui electi. Haec dulcissima consolatio piis parentibus excutitur, si cogitandum est, nullam esse visibilem Ecclesiam, nec sciri an familiae suae sint Ecclesiae cives.

Etsi praestigiis disputationum magni in his quaestionibus tumultus excitari possunt: tamen nos manifestae voci divinae obtemperemus, firmissime statuentes, hoc agmen veram et visibilem Ecclesiam esse in hac vita, quod sonat Evangelii vocem incorruptam, et in hoc agmine esse vere electos ad aeternam coelestis Ecclesiae societatem, et velle Deum, ut huius Ecclesiae cives simus Nos et Nostri, et cum ea invocationem nostram coniungamus. Haec certa et firma sunt, et piis ad consolationem et ad veram invocationem utilia. Praestigiis vero contrariarum disputationum opponamus haec gravissima dicta: Quae Deus praecepit, sancte cogita. Item: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Certe enim disputationum oportet esse metas aliquas. Et vocem suam Deus tradidit, ut metas nobis circumdaret, ne Pyrrhonio more vagabundae mentes fine errent.

Tantum hoc tempore de Ecclesia dixi, ad consolandos pios, contra illorum clamores, qui cum non velint quaeri Ecclesiae societatem, non solum ἀναρχίαν et dissipationes publice efficiunt, sed etiam privatim singulos praecipitant in perniciosas dubitationes. Cum autem vos iuniores audiatis, controversias gravissimas, non posse sine eruditione diiudicari et exponi, et oriri plurimas hallucinationes ab indoctis, excitate vos ad discendum propter gloriam Dei, et propter salutem communem et vestram, et studiis miscete precationem, sicut scriptum est: Subditus esto Deo, et ora eum. Et sicut usitate dicitur: Labora et ora. Quae si facietis, non dubitate studia vestra salutaria vobis et aliis futura esse. Saepe etiam cogitemus huius ultimae, languidae et delirae senectae mundi mala quae praedicta sunt, ut cura, sedulitas et precationes intendantur, sicut Dominus inquit: Orate ut possitis effugere venientia mala. Crescit rabies Diabolorum, quia poenae eorum summae nunc propiores fiunt. Hi petulantiam ingeniorum accendunt, armant tyrannos et sophistas, ut idola maiori crudelitate stabiliant, quam antea. Scitis enim in Gallia, Hispania, Belgico, horribilem saevitiam exerceri. Nec simus adeo ferrei, ut nec de magnitudine periculorum, nec de praesidiis cogitemus. Sed primum Deo gratias agamus, quod nobis aliquantisper mediocria Halcyonia tribuit, et tribui ea sciamus, ut doctrina propagetur. Deinde magnitudine periculorum commonefacti, in discendo et invocando simus ardentiores, nec somniemus humanam diligentiam huic magnitudini periculorum parem esse. Sed simus memores vocis filii Dei, qui inquit: Sine me nihil potestis facere. Ut autem ostendit nobis imbecillitatem nostram: ita rursus et consolatur nos et auxilium promittit invocantibus inquiens: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus, non ait repugnantibus et petulanter ruentibus in omnia scelera, sed coniungit petitionem et promissionem, cum ait: Petite et accipietis. Vult Deus invocatione se coli, et ab omnibus creaturis discerni, et vult in invocatione filium agnosci, sicut ipse inquit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Dixi.

No. 178. an. 1560.

De dicto 1 *Paralip.* 17.

In Oration. T. V. p. 230., Rich. III. p. 250. et in Orationibus postremis p. 246.

Oratio (de dicto: Aspicis me in forma hominis) recitata a Paulo Ebero, Past. Eccl. Witeb., cum gradus Doctorum Theologiae decerneretur Rev. viro M. Davidi Voit. die 29. Martii.

Etsi quotidie de mirando consilio redemptionis generis humani in omni invocatione cogitandum est: tamen anni tempus nunc omnes pios admonet, ut maior sit intentio, et omnia miranda facta, quae in hoc tempus incidunt, considerentur.

Cras prima dies erit, qua mundus ante annos quinquies mille, quingentos et viginti duos conditus est.

Die 17. Maii prima dies erit diluvii ante annos ter mille octingentos sexaginta sex.

Die 15. Aprilis prima dies erit egressionis ex Aegypto, ante annos ter mille sexaginta quinque.

Die 25. Martii filius Dei crucifixus est ante annos mille quingentos viginti sex.

Consentaneum est et Abel initio Veris interfectum esse, et Isaac eodem anni tempore oblatum esse, cum typi essent Christi. De Baptista expresse scribitur, circa Pascha trucidatum esse.

Haec miranda spectacula intuentes, agnoscere et deplorare nostra peccata, et Deo gratias agere pro patefactionibus, et pro misso redemptore filio, et excitare corda ad invocationem debebamus.

At proh dolor, ut in saevis morbis post intervalla redeunt atrociores paroxysmi, ita hoc tempore in multis furorum incrementa sunt et εἰσβολαί, ut Medicorum verbis utar. Helluantur, concurrunt non ad convivia, sed ut humanum cruorem hauriant, denunciant sibi mutuas lanienas.

Haec nos senes, ac praesertim nos, quibus Ecclesiae gubernatio commendata est, non possumus sine ingenti dolore aspicere, qui quidem et causas, et secuturas poenas horum furorum cogitamus. Disciplina magis magisque laxatur imma-

nitate opinionum, quae ut scriptum est, vertunt *τὴν χάριν εἰς ἀσέλγειαν*. Invitantur ergo diabolicae furiae, et hi morbi poenae sunt prophanitatis. Has poenas deinde ruinae imperiorum, bella et vastationes comitabuntur.

Inter harum cogitationum fluctus hac velut ancora nos sustentamus, videlicet, promissione filii Dei, qui adfirmat, se reliquias Ecclesiae servaturum esse etiam in hac delira mundi senecta, sicut inquit: Etiam in senecta vos gestabo, et praecipit, ne officium docendi, et monendi nostros abiiciamus.

Quare primum ut mandato Dei obediam, omnibus auditoribus nostris praecipio, tanquam Ecclesiae huius pastor, ut iniustos impetus frenent, et sint modesti, et se ad piam meditationem et invocationem exuscitent.

Hortor etiam magistratus, ut illas pestes, quae sanari nolunt tanquam *ἀλάστορας* patriae, ex oppido eiiciant.

Deinde coetum piorum alloquor, inter quos multi sunt adolescentes tales, de quibus scriptum est: Sinite parvulos ad me venire, quia talium est regnum coelorum.

Hos iubeo mecum supplices ad Deum accedere, cui primum gratias agimus, quod filium misit redemptorem, quod Ecclesiam aeternam sibi colligit, quod nobis etiam filium ostendit, et nos Ecclesiae suae inseruit, et clementer nos et nostras familias hactenus protexit.

Precamur etiam veris gemitibus aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, ut propter filium semper inter nos aeternam Ecclesiam colligat, nos doceat, gubernet et protegat.

Hanc significationem gratitudinis et haec vota primum fieri in his congressibus decet.

Nunc et de parte aliqua doctrinae dicendum est; quae et ipsa ad excitandam gratitudinem et invocationem prodest.

In priore libro *παραλειπομένων*, ut nominamus, cap. 17. David gratias agit propter traditam promissionem redemptoris, quo in loco sententia insignis posita est, quae in libris Latinis negligenter reddita est, cum quidem grammatica in Ebraea lectione non sit ambigua. Brevitas dicti fecit, ut interpretes quasi praetervolaverit sententia. Lectio graeca propior est fontibus: *καὶ ἐπεῖδές με ὡς ὅρασις ἀνθρώπου, καὶ ὕψωσας με κύριος ὁ θεός.*

Meministis Bernardum Ziglerum, natum in familia nobili gentis Mysorum, virum excellentem ingenio, eruditione, iudicii rectitudine et fide, quo cum mihi dulcis amicitia fuit. Is affirmabat, sine ullis corruptelis hanc esse grammaticam et nativam interpretationem: *Et aspicis me in forma hominis, qui in excelsis es Iehova Deus.* Hanc interpretationem et Lutherus probabat, et lectores mediocriter eruditi in lingua Ebraea, et non prophani, agnoscere possunt, nequaquam peregrinam esse. Certe priora verba: Et aspicis me in forma hominis, congruunt cum Graeca interpretatione.

Hanc igitur grammaticam et non peregrinam interpretationem retineamus, et adiungamus dictis evangelicis, et pondera verborum consideremus.

Verbum Aspicis congruit cum dicto: Vidit Abraham diem meum, et laetatus est.

Appellationem formae imitatus est Paulus, cum ait: Qui cum esset in forma Dei, formam servi adsumens.

Cumque adfirmet hunc Messiam, quem alloquitur, vere esse Deum Iehova in excelsis, et dicat tamen eum conspici in forma hominis, agnoscit hunc dominum, quem alloquitur, vere adsumpturum esse humanam naturam, ut antea dictum est; Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et ad Abraham expresse dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ad haec dicta adiungatur adseveratio hic posita, de forma hominis.

Simul autem adfirmat, hunc Messiam esse Deum Iehova in excelsis, qui et semper adfuit Ecclesiae, ut expresse adfirmant Prophetae et Apostoli.

Ut igitur confessio extat de utraque natura in primo cap. Iohan. Ita in hoc loco tradita est confessio de utraque natura, ac ad confirmandos nos contra Ebionis, Samosateni, Mahometi, Serveti, et similium blasphemias, diligenter illustria testimonia de doctrina colligamus.

Postea et consolationes inde sumamus, de quibus mox dicemus. Prius enim commemoranda est historia Latomi Lovaniensis. Edidit is scri-

ptum contra Ecclesias nostras, quod extat, in quo expresse dicit: Patres, Adam, Abraham, Davidem et Prophetas, non aliam Dei noticiam habuisse, quam qualem habuerunt Xenophon et Cicero. Hos enim nominat, qui prorsus ignoraverunt promissionem redemptoris, et tantum habuerunt qualiacunque legis vestigia. Hic Latomus aliquanto post moriens, triduo ante mortem iacuit, horribili mugitu significans suos cruciatus, et exclamans interdum, se scientem veritati adversatum esse, ut pontificiis tyrannis gratum faceret.

Hanc historiam veram esse multi norunt, quam eo commemoro, ut hostes filii Dei, Tammerus, Staphylus, et similes, hoc exemplo moniti, iudicium Dei metuant.

Scripsit eadem Tammerus, quae Latomus, et confusionem gentium et Ecclesiae facit, fingit allegoriam de Christo, ait eum esse legis vocem. Adversus has blasphemias teneamus vera testimonia, de duabus naturis in Christo nato ex virgine, ut invocatio ad eum sit firma et ardens, et statuamus vere nos ab eo exaudiri, sicut inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Redeamus igitur ad dictum Davidis, et inde consolationes sumamus.

Aspicis me, inquit. Ita singuli ad eum confugientes, aspici se a filio Dei vere statuant. Sciant esse omnipotentem, ac intueri cordium gemitus.

Deinde sciamus nos placide et clementer aspici et erigi, quia hic filius nobis donatus est, ut sit mediator, ne in nos ira Dei effundatur, sicut ipse inquit: Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per eum.

Ipse est umbraculum tuum, ne ira Dei consumaris. Ac diligenter immoretur cogitatio nostra verbo Aspiciendi, et agnoscamus, immensum beneficium esse, quod hic Dominus vere nos miseros aspicit, curat, ac protegit nos, non tantum in communibus naturae periculis, sed etiam adversus tyrannos et diabolos. Deinde et in morte servat nos, ne opprimamur aeternis malis. Ideo inquit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Deinde quantum est, quod nos aspicit in forma hominis? Induit humanam naturam ita, ut cum esset sine peccato, tamen poenas nostrorum peccatorum, mortem et ineffabiles dolores sustineret.

Contemplemur nos ipsos, quam foedum sit spectaculum cadaver. Talis est hic Dominus pendens in cruce, et abiectus in sepulchrum. Fit similis nostris cadaveribus. Sic induens nostram formam, nos aspicit. Sed dum fit cadaver tuo simile, simul est Deus Iehova, et tuo cadaveri reddit vitam, et quidem liberatam a peccato, morte, et omnibus aerumnis. Et haec nostra turpissima cadavera, hoc Domino suam formam nobis tribuente fiunt templa et domicilia Dei in tota aeternitate. Non potest ullius creaturae eloquentia pingi haec antithesis formae hominis, cum Christus fit cadaver nobis simile, et nos vicissim induimur forma resurgentis Christi. Vult tamen Deus initia huius suae sapientiae et bonitatis cogitari, et hac cogitatione lucem suam in nobis accendit.

Praeterea formam nostram induit, cum prostratus coram aeterno patre, et sustinens iram Dei effusam in eum propter nostra peccata, sudat sanguinem. Nihil tristius hac forma cogitari potest. Sed hanc induit, ut λύτρα pro nobis solvat, sit redemptor et deprecator, sicut scriptum est: Eum qui non novit peccatum fecit peccatum, ut nos fiamus iusticia Dei in ipso. Sicut induit formam hominis, ut in se poenas nostrorum peccatorum transferat, nobis vero donet suam formam, quae est iusticia Dei, et vita liberata a peccato et morte.

Etsi autem magnitudo harum rerum superat omnium creaturarum sapientiam: tamen divinam vocem audiamus haec docentem, et veris gemitibus petamus, ut illucescat mentibus nostris vera filii Dei agnitio, qui in his suis doloribus non tantum est exemplum patientiae, sed est redemptor. Propter nos iram aeterni patris sustinet, et λύτρα solvit, ac nobis meretur liberationem, sicut inquit Paulus: Iustificati sanguine ipsius. Et alibi: Tu in sanguine testamenti tui educes vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

Hanc totam sapientiam rident Epicurei, Mahometici, Fanatici, Pharisaei, Pontificii, adversus quorum blasphemias doctrina nos muniamus, et ab ipso filio Dei confirmari nos petamus, cui gratias agamus, ut agit David, quod nos in forma hominis aspicit, quod propter nos induit massam naturae nostrae, quod factus est redemptor, quod

suam nobis formam donat, quod et merito et efficacia salvator est, quod a Deo nobis factus est sapientia, iusticia, sanctificatio, et redemptio. Pro his omnibus beneficiis tibi fili Dei Domine *Iesu Christe* crucifixe pro nobis et resuscitate, gratias ago, teque oro, semper ut nos aspicias, doceas, gubernes et protegas nos, et tua forma nos in tota aeternitate induas. Tibi nota est humanae naturae forma languida, plena caliginis et morborum, denique deformia cadavera sumus, nec ulla firma solatia novimus, nisi quod tu nos in forma hominis aspicis, et quidem iubes, ut ad te confugiamus, iubes a te peti et expectari auxilium, quod ita promisisti, ut sanguine et resurrectione tua promissiones obsignaveris.

Petimus igitur et expectamus a te gubernationem et salutem. Non est par certaminibus et periculis nostris ulla humana vigilantia et potentia. Insidiantur nobis astutissimi spiritus, ardentes horribili odio tui, hi tyrannos et sophistas incitant, ut idola stabiliant, tuos coetus recte docentes dissipent, tua membra occidant, bella iniusta moveant, et vastationes in genere humano faciant, deleant disciplinam et vocem tuae doctrinae. Et hi habent adiunctam maximam hominum partem. Videmus enim quanta sit multitudo Mahometica in toto orbe terrarum, quanta pontificia, quanta fanatica, videmus quanta sit saevitia. Adversus tot hostium genera, et contra tantos exercitus, quid sumus nos, qui verae Ecclesiae membra sumus, nisi paucae oviculae inter Draconum, Tigrium, Pardorum et Luporum agmina, seu quod erat Daniel inter leones? Hic quae praesidia habemus, nisi te fili Dei Domine Iesu Christe crucifixe pro nobis et resuscitate, qui aspicis nos in forma hominis, et es Deus in excelsis? Te invoco, ut nos doceas, gubernes et protegas?

Adhortor etiam senes et iuniores, ut pericula considerent, et sese ad diligentiam et invocationem exuscitent, nec illa immanitate dogmatum efferati, laxent frenos cupiditatibus, quae fingunt, nihil opus esse cogitatione doctrinae, diligentia in regendis moribus, precatione. Imo ne quidem novam obedientiam necessariam esse. Doleamus potius, et his et aliis blasphemiis, generi humano poenas attrahi. Cometae, terrae motus, chasmata, eclipses, signa sunt futurarum calamitatum. Et quidem talia signa his proximis annis multa vidimus. Sed blasphemiae non tantum significant venientes poenas, sed etiam attrahunt, iuxta dictum: Non habebit Deus insontem, quicunque vane usurpat nomen eius.

Simus igitur modesti, et vera et necessaria discamus, vitemus sophismatum praestigias. Sit etiam cura piis conveniens regendae vitae. Adseret, ut videtis, haec aëris siccitas sterilitatem, qua Deus temulentiam et ingluviem puniet. Et saepe concurrunt plures poenae, ut in versu dicitur: *ἥξει δωριακὸς πόλεμος καὶ λιμος ἅμ' αὐτῷ.*

Harum rerum cogitatione flectamus animos et ad modestiam et ad invocationem, quia mitigationem poenarum Deus iubet peti, sicut inquit: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.

Hanc commonefactionem adieci enarrationi dicti Davidis, quia id fit dulcius, cum nostras miserias aspicimus.

Considerent autem studiosi et hoc: Cum videant, cognitis fontibus, illustriorem fieri sententiam Davidis, magis amanda esse doctrinae studia. Dixi.

Praesentatio.

Reverende Doctor Georgi, domine Vicecancellarie ornatissime, Praeceptor, Collega et Compater carissime, cum Dominus noster Iesus Christus ad discipulos ait: Messis quidem copiosa, operarii vero pauci, Rogate ergo Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Utrunque monet, salutares Doctores Dei donum esse, eumque velle, ut agnita magnitudine huius beneficii, ardenter oremus, ut ipse det fideles et foelices Ecclesiae gubernatores. Videmus multos in messem, hoc est, in gubernationem Ecclesiae praetextu ordinariae successionis irrupisse, non operarios, sed ventres ignavos, voluptatibus deditos, et magis de hoc sollicitos, quomodo sibi sacerdotia et opes cumulent, quam quomodo Deo Ecclesiam colligant.

Rursus alios cernimus non expectata legitima vocatione, in messem irrepsisse, eo quidem praetextu, quod velint operari, sed dum sibi soli sapere videntur, et zelum singularem arrogant, aliorum legitime vocatorum et fidelium messorum operas turbant et impediunt, atque ita fit, ut eorum labor infelix sit, ut multis etiam perniciosus. Quare gravissimas causas habemus hoc tempore

orandi Deum, ut ipse extrudat operarios in messem suam, hoc est: det pios, sedulos, moderatos, fideles et salutares Doctores, qui et instrumenta ad gubernationem Ecclesiae necessaria afferant, ingenium, doctrinam, iudicii rectitudinem, et similia dona, et iis velint recte uti ad collectionem et aedificationem Ecclesiae, non ad dissipationem et destructionem eorum, quae ab aliis magno labore, fide ac felicitate extructa sunt.

Extrudit autem et vocat Deus operarios in messem suam alias inmediate, alias ut plurimum per homines pios et prudentes, qui praesunt Ecclesiae, quorum electionem ipse tamen guberuat et fortunat.

Hoc modo est vocatus ad munus docendi Evangelium a Senatu inclytae Academiae Regiomontanae, authoritate et voluntate illustrissimi Principis ac Domini D. *Alberti* Marchionis Brandeburgensis, Ducis Borussiae etc. Domini nostri clementissimi, hic pius et eruditus vir M. David Voit, cum prius illic in Schola disputatione publica et confessionem suam de toto corpore doctrinae piam edidisset, et suam eruditionem ac industriam illustrissimo Principi et doctissimis Professoribus Academiae illius probasset.

Cumque adducendae suae familiae causa reverti in has regionis constituisset, petitum est a nobis, ut nostri collegii testimonio publice ornatus ad inclytam Academiam Regiimontis remittatur. Qua ipsa petitione ostendit et illustrissimus Princeps, et inclytus Senatus Academiae Regiomontanae, se pium consensum in doctrina coelesti amare et tueri nebiscum velle. Quare aequissimum est, vos huic clementissimae et piae postulationi reverenter obsequi. Scis autem ornatissime domine Vicecancellarie, hunc M. Davidem multos annos nobiscum vixisse cum laude pietatis, modestiae et diligentiae in omni genere officii. Audivimus etiam publice et privatim ipsius confessionem de praecipuis articulis doctrinae coelestis, et deprehendimus profectum in studio Theologiae dignum honorifico testimonio.

Cum autem utili consilio antiquitus in Academiis eligantur viri sapientia, virtute et dignitate praestantes, qui sint inspectores studiorum, et gubernent publicorum testimoniorum collationem, quos Cancellarios vocamus, ei tu nunc, ut Decanus collegii nostri, vicem Cancellarii geras, hunc tibi reverendum virum M. Davidem Voit offero, et peto nostri collegii et ipsius M. Davidis nomine, ut ei tribuas potestatem, et ut vocant licentiam accipiendi gradum et insignia Doctorum Theologiae, et nobiscum Deum ores, ut huius candidati ministerium et totius vitae cursum clementer regat, fortunet et adiuvet, ut sit vas misericordiae utiliter serviens Deo et Ecclesiae. Dixi.

Responsio Vicecancellarii Doctoris Georgii Maioris.

Videntur fortassis hi congressus nostri et hae ceremoniae quibusdam pueriles, et quasi ludi scenici ac theatrici, sed sciendum est magnas et graves esse causas, cur hae ceremoniae et in veteri Testamento divinitus institutae sint, et postea ab Apostolis aliquae, cum ministerium verbi quibusdam commendandum esset, servatae sint.

Praecipit Deus Moysi, ut in publica consecratione Sacerdotum induat fratrem Aaronem vestimentis suis, imponat tiaram capiti, et filios eius induat tunicis lineis, et imponat eis mitram, qualis fere ritus a nobis servatur in iis initiandis, quibus publicum testimonium tribuitur, cum imponimus pileum, praebemus osculum, damus ius tenendae cathedrae, annulum et alia ornamenta ac privilegia ab Imperatoribus huic ordini concessa et attributa.

Ita cum ab Ecclesia Antiochena ad propagationem Evangelii Paulus et Barnabas mandato Spiritus sancti in Cyprum, Pamphiliam, Phrygiam et alia Asiae loca mittendi essent, sicuti refert Lucas: Convenerunt Prophetae ac Doctores, et cum ieiunassent et orassent, imposuissentque eis manus, dimiserunt eos.

Hunc ritum apostolicum et nos in talibus congressibus servamus, cum initio convenimus ad precationem, et deinde ministerium docendi Evangelii iis, quorum nobis explorata doctrina est, et perspecti mores publica voce coram Ecclesia commendamus.

Causae autem, cur hi ritus instituti sint, praecipuae hae sunt:

Primum, ne omnibus pateat aditus ad ministerium et publicum docendi munus, sed iis tantum, quorum explorata doctrina et vita perspecta

est, sicuti Timotheo a Paulo praecipitur, ministri probentur primum, deinde ministrent, ἀνέγκλητοι ὄντες.

Qualis enim barbaries esset, si homines non vocati, aut non explorati undecunque in Ecclesias irrumperent? Quantum etiam periculum esset?

Vult Deus Ecclesiam coetum esse honestissime ordinatum, ut Paulus inquit: Omnia fiant decore et ordine. Item Ecclesia ut castrorum acies ordinata sit. Non vult in ea esse barbaricas confusiones et ἀκαταστασίαν, aut illum morem Cyclopum, de quo dicitur:

ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός.

Secunda causa est quod Deus vult conspici a tota Ecclesia eos, quibus testimonia dantur, ut certa sit de eorum vocatione, et ipsorum doctrinam et mores probari toti presbyterio, et iis quibus gubernatio Ecclesiae commendata est.

Tertia causa est, ut et ipsi Doctores Ecclesiae sciant suam vocationem, et habeant illustria testimonia suae vocationis, quia conscientia secum disputans de vocatione, saepe duriter cruciatur, et cum hac voce reprehenditur, currebant, et non mittebam eos, magno in periculo est, et meminimus, quosdam qui in seditione rusticana ante annos 35 non missi cucurrerant, miserrime in desperatione periisse.

Quarta causa est, ut in his congressibus agantur gratiae Deo pro ministerio verbi et instituto et hactenus in his furoribus Diabolorum et mundi mirabiliter servato, et ut precemur Deum, ut porro servet et tueatur verbi ministerium a se institutum, et extrudat operarios in messem suam, et eos ipse Spiritu sancto suo ungat, et manus suas imponat, ut fructum copiosum afferant, et fructus ipsorum maneat.

Cum igitur hic reverendus vir M. David Voit ab illustrissimo Principe *Alberto* Marchione Brandeburgense, Duce Borussiae etc. cuius est excellens sapientia et pietas, ad docendum Evangelium Domini nostri Iesu Christi in Academia Regiomontana, vocatus sit, et audita sit publice eius confessio, et mores eius sint casti et honesti, et reverendi viri collegae mei, et suo et Magistri Davidis nomine petant, publico testimonio huius Ecclesiae, Scholae et collegii nostri eum ornari, ego autoritate, qua hoc tempore fungor, iudicio te M. Davidem dignum esse honorifico testimonio, et tribuo tibi licentiam et potestatem accipiendi gradum et ornamenta Doctorum in Theologia, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Postremo toto pectore ago gratias filio Dei, sedenti ad dexteram aeterni patris, qui dat dona hominibus, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, alios Doctores, quod hactenus Ecclesiam et hunc coetum docentium clementer servavit, quem oro, ut et porro nos omnes servet et protegat, et te Davidem eo oleo ungat, quo Regem et Prophetam summum Davidem per Samuelem unxit, et in tuo ministerio te ita regat, ut sis vas misericordiae et organum salutare tibi et Ecclesiae, Amen. Dixi.

No. 179. an. 1560.

De dicto Coloss. III.

In Oration. postremis p. 264. Oration. T. V. p. 245 sqq. et apud Richard. III. p. 837.

Oratio de dicto Pauli ad Coloss. III.: Sermo Dei habitet in vobis opulenter; recitata a Doctore Davide (Voigt, d. 29. Martii).

Si tantum eae res, quae alioqui in tali consessu doctissimorum hominum plurimum possunt, quales sunt praestantia ingenii, eruditio et eloquentia, hoc loco a vobis spectarentur et requirerentur, non solum summo timore afficerer ad dicendum accedens, sed etiam hunc universum conatum abiicerem. Agnosco enim illa non solum non summa, sed nec saltem mediocria in me esse. Cum autem sciam, idque explorate perceptum et cognitum habeam, obedientiae laudem non minoris a vobis fieri quam eloquentiam, mihi non dubium facit humanitas et aequitas vestra, vos mihi dicenti, cum iussus sim, veniam daturos et brevem orationem sine taedio et fastidio audituros esse, quod ut faciatis, consuetudo Scholarum vos hortatur, et ego a vobis idem reverenter et officiose peto.

Dicturus autem sum quantum in hac orationis meae macie, et in ista temporis angustia fieri potest, de dicto Pauli maxime insigni et memorabili, quod in 3. capite ad Coloss. extat: Sermo Christi habitet in vobis opulenter, cum omni sapientia. Inter praecipuas sententias huius epi-

stolae hoc dictum tanquam insignis gemma eminet, et quia multas gravissimas admonitiones continet commendantes doctrinae studium, diligenter et saepe considerandum est, nec tantum diligentiam in discentibus exuscitat, sed etiam consolatur nos, qui propter hoc studium et propagationem huius doctrinae non leves aerumnas sustinemus.

Primum ostendit Paulus mandatum divinum esse, ut doctrinam Christi recte discamus, et emphasis est insignis in his verbis: Habitet in vobis, et quidem opulenter. Familiarissime noti sunt, qui nobiscum habitant. Sciamus etiam vere in illo pectore Deum ipsum habitare, in quo cogitatur doctrina, in conversione ad Deum, et in consolatione et invocatione, sicut expresse Dominus inquit: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et veniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus. Placent igitur Deo, lectio et cogitatio doctrinae, et per eam Deus est efficax, et habitat in nobis.

Sed hic enthusiastae quidam reclamant: Absit, inquiunt, ut lectioni tribuamus haec incendia, quae proprie a Spiritu sancto oriuntur, qui, cum ipsi libet rapit suos quosdam, scriptos in fatalibus tabulis. Dolendum est hanc enthusiasticam imaginationem multorum studia languefacere, sed nos constanter muniamus nos luculentis testimoniis divinis, quae labefactari nullo modo possunt. Nota est vox Pauli: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Evangelium est ministerium Spiritus, Non hic quidem sentit inclusum esse Spiritum sanctum in literarum figuras, sed celebrat immensam bonitatem Dei, qui hunc ipsum ordinem et agendi modum instituit.

Sunt etiam alii, et hi quidem, qui opinionis errore sibi Atlantes videntur, dum se solos veritatis propugnatores esse iactitant. Horum simpliciter tale est acumen: Excludendum est meritum, ergo nihil loci habet aliqua diligentia et cogitatio. O detestandam licentiam, et mirabilem inscitiam disserendi. Vere et sine sophistica respondeo: Excludi meritum, non quod omnino nihil agamus, sed quia non satisfaciamus legi, et procul absumus a perfectione. Deinde excluditur meritum, ut promissio sit firma, et certa sit consolatio, et filio Dei suus honos tribuatur. Sed haec alibi copiosius explicantur. Paulus inquit: Fides ex auditu est, nec vult auditum esse sine cogitatione. Ideo in hoc dicto, quod nunc proposuimus, iubet sermonem Christi in nobis habitare, et quidem cum omni sapientia. Haec admonitio inseritur de diligentia, quae habet duo extrema, ignaviam et sophisticen. Non habitat sermo Dei in sacrificulis indoctis, qui legunt aut canunt sine intellectu. Ne habitat in sophistis haereticis, et praestigiatoribus, qui etiam legunt Prophetarum et Apostolorum libros, sed legunt eos sine sapientia: fontes non recte discunt, qui sunt in ipsis libris propheticis et apostolicis, ut Papistae non discernunt legem et promissionem gratiae, cultus divinitus mandatos, et superstitiones ab hominibus excogitatas: Anabaptistae confundunt doctrinam de iusticia aeterna in corde, et de vita politica. Fingunt Evangelium, barbariem esse, quae damnet ordinem politicum. Antinomi non discernunt peccata contra conscientiam ab aliis. Talia exempla cogitanda sunt, ut consideremus quare dicatur: Habitet in vobis sermo Dei cum sapientia. Sit vera diligentia in discendo, recte distinguantur membra doctrinae et collatio illustret veritatem, non sit recitatio ociosa *βαττολογία*, et omnino removeantur sophisticae praestigiae omnium haereticorum. Non potest autem rectitudo iudicii retineri sine cura discendi, et sine invocatione Dei. Quare et Psalmo 46. dictum est: Psallite sapienter. Ac saepe mihi multumque cogitanti de optima ratione discendae Theologiae, praeclarum videri solet, quod Lutherus, cuius honorificam mentionem hoc in loco fieri iustum est, et alias saepe dixit et in praefatione primi Tomi Germanici suorum operum paulo accuratius exposuit: Theologiam veram et salutarem tribus instrumentis egere, Meditatione, quam Paulus hoc in loco *ἐνοίκησιν*, alibi lectionem nominat: Precatione et experientia spirituali. Ac de precatione dicitur Psalmo 119.: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.

Cum igitur certum sit, Deo placere haec studia nostra, et Deum adesse docentibus et discentibus et ad coelestis Ecclesiae consuetudinem hac doctrina homines duci, leniamus nobis horum ingentium honorum cogitatione dolores nostros, et animos in hoc cursu studiorum confirmemus, quos quidem ut regat et confirmet ipse filios Dei *λόγος*, toto cum pectore oro. Dixi.

No. 180. an. 1560.

De lingua hebr. discenda.

In Orationum T. V. p. 253 sqq. et in Orationibus postremis p. 272. Apud Richard. T. I. p. 356.

Adhortatio ad cognoscendam linguam hebraeam a Mag. Henrico Mollero Hamburg., hebraico Professore habita d. 18. Martii.

Singulari beneficio Deus semper Ecclesiae tribuit linguae Ebraeae gnaros et interpretes, alias plures, alias pauciores. Notum est enim ab Origene Hexapla instructa esse, in quibus adiunctae sunt libris Ebraeis doctissimorum hominum in ea lingua interpretationes. Post Origenem Lucianus Martyr tempore Diocletiani Graecae lectioni ex Ebraeis fontibus emendationes addidit. Post hunc Hieronymus multum lucis attulit Latinae lectioni, partim factis novis interpretationibus, partim editis commentariis, qui sunt rivuli historiarum et enarrationum Ebraicarum. Post hunc aliquot seculis, cum Europa plena esset Monachorum, studia linguarum Graecae et Ebraeae neglecta sunt. Quod eo accidit, quia cum prima aetas non adsuefieret ad recte loquendum, non expetebatur incorrupta lectio sacrorum librorum, et Monachi plurimi prorsus illiterati, aut operas rusticas faciebant, ut adhuc in Atho monte faciunt, aut ventri serviebant ociosi, pauci literarum studiosi erant, et sumebatur doctrina ex lacunis, videlicet ex ineptis rhapsodiis, quas indocti utcunque collegerant de ceremoniis, qualia adhuc extant veterum Monachorum monumenta. Inde cumulabantur superstitiosi ritus et idola. Fuisse tamen linguarum studiosos inde apparet, quod et Carolus Magnus sanxit, ut Graecae linguae interpres esset in collegio Osnaburgensi. Eius edicti forma recitatur in historia viri clarissimi Crantii mei cognati. Deinde et in Synodo decretum factum est, ut praecipuae Academiae haberent Graecae et Ebraeae linguae interpretes. Circa ea tempora Liranus fuit, qui Prophetarum lectionem praeclare illustravit. Deinde labores Burgensis et Galatini secuti sunt, qui studiosis etiam prosunt.

Haec eo commemoravi, ut indiciis superiorum temporum iuniores commonefacti cogitent necessariam esse in Ecclesia linguarum Ebraeae et Graecae cognitionem. Id cum res ipsa ostendit, non opus est longa oratione. Gubernatorum severitate opus esset, ut cogerent eos, qui aluntur, ut Ecclesiae doctrinam discant, adiungere ad id studium linguas Graecam et Ebraeam. Qua in re primum hoc consideretur: Omnium consolationum summa et dulcissima haec est, scire ibi Ecclesiam Dei esse non posse, ubi manifeste reiicitur doctrina prophetica et apostolica, aut dogmata defenduntur manifeste pugnantia cum scriptis propheticis et apostolicis, sicut scriptum est: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Et ad Ephesios scribitur, Ecclesiam extructam esse super fundamentum Apostolorum et Prophetarum. Et dulcissime in Psalmo dictum est: Benedicite Domino in Ecclesiis de fontibus Israël.

Ut igitur impossibile est ethnicam et mahometicam multitudinem, et haereticorum agmina Ecclesiam Dei esse: ita necesse est in eo coetu vere esse electos ad societatem coelestis Ecclesiae, qui libros propheticos et apostolicos legit, audit, discit et complectitur, quos ut populus audire et intelligere possit, necesse est interpretes esse, quibus fontes noti sint.

Sequuntur autem haec incommoda, cum Doctoribus ignoti sunt fontes. Primum: Ignoti nulla cupido. Minus amantur et minus leguntur sacri libri ab iis, qui fontes non norunt, ut nemo Latinae linguae ignarus delectatur lectione Virgilii aut Terentii, aut aliorum, etiamsi in linguam nostram transfusi sint, semel inspecta postea abiiciuntur. Eodem modo fastidiunt indocti sacros libros, quod quidem multos fateri audimus.

Iam cogitate quantum mali sit, non delectari ea lectione, nec eam assidue repetere: ita fiunt mentes prophanae, crescunt dubitationes, languefit invocatio.

Secundum incommodum est Dubitatio. Nam qui fontes non norunt, de multis testimoniis retinent tristes dubitationes. Id quod in iis animadverti potest, qui minus sunt prophani. Hi saepe et anxie sciscitantur, quid sit in fontibus, sicut multos meminimus ignaros Graecae et Ebreae linguae, qui cum ex Psalmis aut undecunque ex sacris Libris proferuntur consolationes, aut confirmationes, studiose interrogant, quae sit nativa sententia in fontibus, quae sit phrasis quae figura. Sint igitur noti fontes, ut testimoniorum certitudo sit et in nostro agone et contra adversarios,

ut postea dicam. Nam etiamsi nostra causa fontes non expeteremus, tamen sciri eos necesse est, cum adversarii refutandi sunt. Quantum tumultuabantur Ariani prolato ex Salomone hoc dicto: *κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα.* Cum in fontibus sit verbum possedit, non fabricavit seu *ἔκτισε.* Sed de refutatione aliorum postea dicam. Nunc de domestico usu loquor.

Tertium igitur incommodum intuemini, quod in partibus librorum sequi necesse est, si lingua sit ignota. Multae Hallucinationes ex malis versionibus, item ex inscitia phrasis et figurarum oriuntur. Hic quantus campus taxandi falsas interpretationes patet? Sed ordiamur ab ipsis Iudaeis, quibus etsi lingua non ignota est, tamen iudicium de phrasi et figuris deest: Ideo multa stolide corrumpunt. Manifestum est Psalmum: Dixit Dominus, vaticinari de Messia, illi detorquent ad Abraham, et interpretantur, De torrente in via bibet, id est, ex Nilo. Apud Micheam legimus: Non intrabo in eam. In verbis nulla est ambiguitas, sed phrasis ignota est eis. Significat se non regnaturum esse in Samaria: Servabo, inquit, exiguas reliquias, sed regnum delebo. Ibi cum emphasin in verbo intrandi non cernant, fingunt peregrinas sententias. Scitis enim in qualibet lingua et proprias significationes singularum vocum, et usum in iungendis verbis, et allusiones in figuris sciri opertere, quam ad rem scientia formandae orationis opus est, quae Iudaeis deest. Sed omissis Iudaeis veniamus ad interpretes, qui in linguam Graecam aut Latinam sacros libros transfuderunt, quorum laudo et voluntatem et opera ipsa. Etsi enim saepe hallucinati sunt: tamen magna ex parte intellectum linguae Ebraeae conservaverunt: quare iudicandum est, eos bene meritos esse. Sed si quis ita laudat, ut fontes velit negligi, et ignaviam confirmet, is profecto dignus est odio.

Quam multi Psalmi adeo infeliciter redditi sunt, ut plurima membra non intelligantur, ut fit in Psalmis: Exurgat Deus. Item: Domine probasti me. Item: Nisi Dominus aedificaverit domum. Et quoties in Prophetis alienas sententias gignunt?

Apud Hoseam et Graeci et Latini legerunt: Sicut vastatus est Salmana a domo eius, qui vindicavit Baal. Haec prorsus *ἄσημα* sunt, cum lectio nativa sit perspicua, sicut Salman evertit Arbela. Minitatur Samariae excidium, sicut ille ipse Salman Rex Assyrius deleverat Arbela.

In Paralipomenis, ut nominamus, cap. 17. prioris libri, legimus: Fecisti me spectabilem super omnes homines Domine Deus. Graeci commodius: *ἐπεῖδες με ὡς ὅρασις ἀνθρώπου.* Sic enim Ebraice legitur: Et aspicis me ut forma hominis, qui es Iehova Deus in excelsis. Quid dulcius est hac sententia significante copulationem duarum naturarum in Messia? Et pondera sunt in verbis: Aspicis me: curas, protegis, servas. Et quidem indutus forma hominis, transfers in te mortem, et tribuis nobis tuam formam, ut tibi reviviscenti similes efficiamur. Haec lectio consolationem proponit, et commonefacit nos de similibus dictis: Eum qui non novit peccatum, fecit peccatum, ut nos fiamus iusticia Dei in ipso. Etsi autem propter brevitatem cavillator eludere testimonium de duabus naturis in Christo potest: tamen adiunctum aliis multis gratum est pie consideranti.

Apud Esaiam legitur: Definita consummatio exundabit iusticiam, id est: In fine politiae Iudaicae, qui praefinitus est, iusticia largissime donabitur. Hic quoque propter brevitatem quasi praetervolat sententia lectorem. Graeci igitur minus perspicue reddiderunt verba: *λόγον συντετλημένον ποιήσει ὁ θεός.* Etsi autem Graeca verba retinet Paulus, tamen sententia congruit cum fontibus, quibus inspectis, quid velit Paulus, melius intelligi potest, quam ex Graeca lectione. Et quidem multae phrases sunt in omnibus scriptis apostolicis proprie Ebraeis, quae sine usu Ebraeae linguae dextre intelligi non possunt. Denique negari non potest, magis obvias esse sententias in qualibet lingua iis, quibus ea lingua, quam audit, domestica seu familiaris est, et qui phrasin, figuras aut rationem formandae orationis intelligunt, quam iis, quibus haec subsidia desunt. Audivi Doctorem Theologiae enarrantem hoc dictum: Propter haec venit ira Dei super filios incredulitatis, magno boatu disputare de iis, qui nati sunt ex impiis parentibus. Hanc quaestionem movebat ignarus Ebraicae phrasis. Audivi alium, qui fingebat prodigiosam causam, quare Deus poneretur subiecti loco in hoc dicto: Deus erat verbum, Cum praedicatum debeat esse communius subiecto. Graecus articulus ostendit *λόγον* esse subiectum. Audivi alium, qui dicto

Iohannis ceu hamo pene strangulabatur: Peccatum est iniquitas. Disputabat quomodo iniquitas omnia peccata complecteretur, cum sententia sit obvia in Graeca lectione ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Definit peccatum antithesi normae. Cum enim lex sit norma ostendens recta, perspicuum est peccatum esse, quidquid ab illa norma discrepat, ut sunt usitatae definitiones privationum κατὰ ἀφαίρεσιν ἐναντίον. Ita saepe una vox in fontibus lectorem de magnis rebus docet. Ac recitari talia exempla multa possent.

Quartum vero incommodum inscitiam linguarum ingens sequitur, quod Refutationes omnes sunt languidiores, nisi proferatur sine ambiguitate, quid sit in fontibus. Osiander verbum Imputare in Genesi et Paulo transformabat in verbum infundere: Iusticia Abrahae imputata est, id est, infusa.

Etsi verum est, effundi Spiritum sanctum in corda credentium: tamen retinenda est consolatio, quae adfirmat nos propter obedientiam filii Dei iustos, id est, Deo acceptos esse, non propter infusam novitatem, sicuti Pontificii docuerunt, qui etiam hoc modo corruperunt dictum: Iusti sumus per gratiam, id est, propter infusam qualitatem. Retinenda est autem propria significatio vocabulorum imputationis et gratiae, quae Ebraeis notissimae sunt. Etiam nostro tempore scripserunt quidam, in Infantibus non esse peccatum, quia peccatum significet actionem. At scientibus phrasin Ebraicam notissimum est, id nomen significare malum pugnans cum lege Dei, et reum, sive sit actio, sive haerens in natura pravitas seu defectus.

Denique ut sit in Ecclesia certitudo, privatim et publice sciri fontes ab aliquibus necessarium est, qui caeteros et erudire et confirmare possint. Nec ignaviae excusationem quaeramus, quod cum exeant interpretationes non solum veteres factae negligentius, sed etiam recentes multae, non videatur operae precium collocare tempus in peregrinarum linguarum studium. Laudo et voluntatem interpretum et opera ipsa. Sed cum sint dissimiles, hanc ipsam ob causam fontes adeundi sunt, ut veram sententiam eligas, et videas non alienis oculis, sed tuis. Et ubi vox est eadem interpretum, tamen hoc fit, quod in veteribus versibus dicitur:

Et quanquam sapor est ablata dulcis in unda,
Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae.

Quanquam ego non solum dulcedine studiosos moveri volo, Certitudo expetenda est, cum quidem nulla interpretatio tam accurata fieri possit, quae pondera verborum et emphases ubique reddere possit. Est autem praesertim Ebraea lingua plena venustissimarum figurarum. Non aberravit interpres a sententia, cum dixit: Quia ponet animam suam pro peccato, περὶ ἁμαρτίας. Sed multo illustrius est Ebraeum אָשָׁם, quod retinuit Paulus, Eum qui non novit peccatum, fecit peccatum. Nec falsi crimen ducatur, quod fecit interpres: Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Sed multo plenius est, quod Grammatica certo reddi postulat, Iehova iustitia nostra. Quod etiam retinuit Paulus: Factus est nobis a Deo sapientia et iusticia. Huius generis exempla plurima recitari possent. Addo autem et hoc, quod scio eruditos et prudentes boni consulere: Fateamur nos homines esse, de quibus dictum est: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός. Interdum non satis intenti sumus, interdum etiam cum sumus intenti, tamen a proposito abducimur peregrina aliqua specie. Magni momenti sententia est in Psalmo: Osculamini filium. Id cur mutarint Graeci, ne suspicari quidem possum. Gravissima doctrina est in Iob: Vere scio quod non sit iustus coram Deo. Fortassis horridius hoc Ieronymo visum est, illivit ergo de suo: Non est iustus homo comparatus Deo. Videtis obrui nativam sententiam, et lectori peregrinam ostendi de re maxima. In Daniele addidit perniciosam particulam: Fortassis ignoscet Deus, cum in textu sit asseveratio: Ecce erit sanatio delictorum tuorum. Non haec aut reprehendendi studio dico, aut quod velim interpretum censor seu Aristarchus videri, sed officii mei ratio postulat, ut his monitionibus excitem iuniores ad discendum. Et tamen pauca rudera ex ingentibus acervis protuli. Levius est superioribus erratis, quod in librum Amos irrepsit apud Graecos nomen sideris Rempha, quod in Actis apostolicis retinetur, vel quia sic vulgo tunc stella aliqua nominata est, vel quia literarum figuris interpretes decepti sunt. In textu est nomen κύων. Et consentaneum est, eum de Sirio loqui, cuius ortus initium erat anni Aegyptii die decima octava Iulii incidens in tempus exundationis Nili. Itaque a Sirio tanquam a numine, solenni ritu exundatio felix petebatur. Hunc idoli cultum taxat Propheta. Sed non omnia errata

iam colligere institui, tantum haec pauca recensui, ut iuniores cogitent de causis propter quas Ecclesiae necessaria est linguae Ebraeae cognitio, et sese ad eam discendam exuscitent. Certitudine opus est privatim et publice, et ambigua lectio non solum insuavis est, sed etiam prorsus abiicitur. Ut igitur et certae sint mentes de sententia propheticorum et apostolicorum scriptorum, et horum lectio propter certitudinem magis appetatur, lingua haec discenda est, quia ubi spernuntur libri prophetici et apostolici, ibi Ecclesiam esse impossibile est. Simus igitur memores huius dulcissimi dicti: Benedicite Domino de fontibus Israël. Ego quidem Deo gratias ago, quod me ad verae Ecclesiae societatem vocavit, et in hoc pio labore docendi linguam et interpretandi Prophetas servire voluit. Has operas cum sciam Ecclesiae necessarias esse, faciam eas Deo iuvante fideliter, et oro eum, ut nos omnes gubernet et adiuvet, ac ardentibus votis peto, ut semper in his regionibus aeternam Ecclesiam colligat, et membra nostra sanet, ac faciat, ut quam plurimi unum in ipso simus, Amen.

PROPOSITIONES MELANTHONIS

DE QUIBUS IN ACADEMIA WITEBERGENSI PUBLICE DISPUTATUM EST.

Mos erat in Academia Witebergensi, ut theses sive propositiones a Magistris proponerentur, de quibus studiosi publice disputarent. Eiusmodi propositiones non solum Melanthon sed etiam Lutherus et alii ediderunt.

Praeterea autem solebant etiam ii, qui gradum doctoris vel magistri appetebant, publice theses proponere et defendere, quarum magnum partem scripsit Melanthon. — Postea hae propositiones collectae et editae sunt partim in Operibus Melanthonis Basileensibus T. III. p. 290 sqq., partim a Peucero in opp. Melanthon. Witebergae editis T. IV. p. 435 sqq.

Primum prodierunt:

„Theologicae propositiones, Witebergae disputatae, cum praef. Martini Lutheri." Witeb. apud Joh. Clug. MDXXIII. (praefatio Lutheri data est d. 1. Jan. 1534.) — Continet praeter Melanthonis propositiones etiam unam disputationem Casp. Crucigeri, unam Johannis Pomerani, et unam Jo. Aepini.

Hoc volumen propositionum recusum est in opp. Mel. Basileensibus T. III. p. 290 sqq. Aliquas harum propositionum germanice edidit Spalatinus:

„Etliche christliche, tröstliche Sprüche, durch Herrn Doct. Martinum Luther und Herrn Magister Philipps Melanchton zu Wittemberg disputirt, durch Georgium Spalatinum verdeutschet MDXXXVIII." (In fine:) gedruckt zu Magdeburg bei Michael Lotther. 26 S. 4. Praefatio Spalatini data est: Freitags nach Scholastice, anno MDXXXVI. Continet propositiones:

1) Was ein Concilium für Gewalt habe.
2) Daß die Verhör und erkenntniß jnn Concilien allen Christen zustehe.
3) Von der gemeinen christlichen Kirchen.
4) Von dem weltlichen Regiment.
5) Von der tröstlichen Gewalt der Christlichen Kirchenschlüssel.
6) Warum den Christen die leibliche Uebung und Zucht nütz sey.

quae omnia latine leguntur in opp. Melanth. Basileensibus.

Novam collectionem propositionum Melanthonis fecit et edidit Petrus *Eisenberg*, Senator Hallensis, cuius liber sic inscriptus est:

„Propositiones *theologicae* Lutheri et Melanchthonis continentes summam doctrinae christianae scriptae et disputatae Witebergae inde usque ab anno 1516. Cum praefatione Melanthonis (ad Petrum Eisenberg, quam vide Vol. IX. p. 673.) Witeb. 1558." 1 Alph. 19 pl. 8. — Iterum Witeb. 1561. 8. 1 Alph. 21 pl.

Hunc librum (quem videre nobis non contigit) repetiit *Peucerus* in opp. Mel. Witeb. T. IV. p. 462 sqq. ubi etiam legitur epistola nuncupatoria Eisenbergii ad Paulum Praetorium, quam, quia nihil ad rem pertinens continet, hic repetere noluimus. Non autem omnes propositiones ex editione anni 1533. hic sunt repetitae, sed theologicae tantum, et eaedem alio ordine, videlicet secundum argumentum dispositae. Adjunxit Peucerus etiam alias disputationes a Melanthone scriptas.

Dedimus igitur hic: A) Propositiones Melanthonis ex Tomo IV. opp. Witebergae editorum p. 435—639., quibus B) adjunximus eas propositiones quae in Tomo Witebergensi non leguntur.

A) PROPOSITIONES

ex Tomo IV. opp. Melanth. Witeberg. p. 435—639.

Propositiones complectentes praecipuos Articulos doctrinae coelestis, traditae in Schola Witebergensi a D. Philippo Melanthone, ut essent materia disputationum contra praestigias pontificias et multas recentes.

I. Multa sunt illustria testimonia in natura, quae ostendunt esse Deum, et qualis sit, de quibus et Roma. 1. dicitur, Ut ordo corporum mundi, et motuum coelestium, conservatio specierum, et in homine noticiae discernentes honesta et turpia, et vindex conscientia: sed mens Christiana aspiciat patefactiones Dei, factas in eductione populi Israël ex Aegypto, in resuscitatione mortuorum, et in aliis miraculis, et in tota historia Domini nostri Iesu Christi. Habet et pia mens non ignara poenitentiae in suis consolationibus certa testimonia de Deo, sicut Paulus inquit, Roma. 8.: Ipse Spiritus testatur spiritui nostro, quod simus filii Dei. Et 2 Corinth. 1.: Dedit arrhabonem spiritum in corda nostra. Et recte dictum est ab Augustino: Credens scit se credere.

II. Ago igitur gratias Deo, quod se patefecit generi humano illustribus testimoniis, et vult agnosci filium mediatorem, et vera fide amplector totam doctrinam in Prophetarum et Apostolorum libris traditam, et comprehensam in Symbolo Apostolico, Niceno et Athanasiano.

III. Et iuxta hanc doctrinam credo esse aliquam veram Dei Ecclesiam, quae est coetus visibilis amplectens Evangelium, in quo coetu filius Dei mediator est efficax per ministerium, et multos regenerat Spiritu sancto, ut sint aeterna ipsius haereditas. Simul autem multi sunt in hoc visibili coetu non sancti, qui tamen professione doctrinae cum sanctis consentiunt.

IV. Non ludo praestigiis interpretationum, nec misceo religiones in unum chaos, sed in hac sola Ecclesia Domini nostri Iesu Christi adfirmo donari hominibus remissionem peccatorum, iusticiam, et salutem aeternam: et sententiam in singulis doctrinae membris fideliter retineo, qua in catholica Ecclesia Dei intelliguntur, et damno omnes furores damnatos iudiciis catholicae Ecclesiae Dei, videlicet, Ethnicos, Epicureos, Stoicos, Academicos et similes, item Iudaicos, Mahometicos, Ebioneos, Manichaeos, Arianos, πνευματομαχικοὺς, Pelagianos, Novatianos, Donatisticos, et magiam, et cultus idolorum, Ethnicos, et recentes Papae et Monachorum. Et Deo gratias ago, quod me ex his tenebris eduxit, et in suam Ecclesiam collocavit. Ac profiteor me esse membrum Ecclesiae Dei et Domini nostri Iesu Christi, et invoco Deum cum tota Ecclesia recte sentiente, quam non fingo ideam Platonicam, sed dico coetum visibilem esse, in quo sonat vox Evangelii incorrupta, cuius coetus membrum est haec ipsa Ecclesia harum regionum, in quibus vivo, etsi in hac quoque magna est infirmitas.

V. Homo conditus est a Deo sine peccato, et in creatione ornatus est illustri noticia Dei, et rectitudine voluntatis et cordis, congruente cum sapientia et voluntate Dei, et libertate voluntatis non impedita, fuitque templum Dei, placens Deo.

VI. Propter haec dona dici eum Imaginem Dei Paulus quoque testatur Ephes. 4.: Induite

novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iusticia et sanctitate vera. Gene. 1.: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Ergo fit mentio de ea imagine, quae congruit ad singulas personas, quae est mentis, voluntatis, sapientiae et iusticiae similitudo, nec tamen mihi displicet dici, totum Adam creatum esse ad archetypum filium Dei, qui est substantialis imago aeterni patris, et erat assumturus humanam naturam.

VII. Adam et Heva lapsi, ut recitat narratio in Genesi, peccaverunt abusi sua libertate, non coacti necessitate, nec Deus fuit causa eius lapsus, sed peccatum a Diabolo, et ab illis ipsis hominibus ortum est. Sicut Paulus inquit Roman. 5.: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, id est, in genus humanum. Et 2 Corinth. 11.: Serpens Evam decepit sua astutia. Et execramur Stoicos et Manichaeos furores de necessitate.

VIII. De spiritibus etiam dicimus, a Deo omnes spiritus intelligentes creatos esse sine peccato. Sed hos, qui nominantur Diaboli, suae voluntatis libertate peccasse, non coactos necessitate, nec Deus fuit causa eius lapsus, sed ab ipsis Diabolis ortum est eorum peccatum, ut expresse affirmat Dominus, Iohan. 8.: Cum mendacium loquitur, ex propriis loquitur, et est mendacii pater. Et in epistola Iudae: Angelos qui non retinuerunt originem suam, et reliquerunt domicilium proprium. Et Psal. 5.: Non Deus volens iniquitatem tu es.

IX. Primi parentes lapsi rei fuerunt aeternae irae, et amiserunt lucem et rectitudinem voluntatis et cordis, et desierunt esse templum Dei, et propter ipsorum lapsum tota posteritas nascens ex commixtione maris et foeminae adfert peccatum originis, ut appellatione usitata utamur.

X. Peccatum originale est carere iusticia originali, id est, luce in mente et rectitudine voluntatis et cordis, et gubernatione divina in nobis, propter quam depravationem, quae secuta est lapsum primorum parentum, et propter eorum lapsum nascentes rei sunt irae aeternae, nisi fiat remissio propter filium Dei, de qua postea dicetur.

XI. Damnamus Pelagianos et Anabaptistas, et similes, qui prorsus negant ullum esse peccatum originis, et fingunt naturam hominis esse integram, et posse legi Dei satisfacere, et fieri iustam lege. Damnamus et Monachos, qui etiamsi retinent nomen peccati originis, tamen postea dicunt, hanc naturam hominum posse legi Dei satisfacere, et lege iustam esse. Fingunt item lege non damnari peccatum originis, quia lex loquatur tantum de actionibus, non de iusticia vel iniusticia originali. Sed haec deliramenta manifeste refutantur dicto Pauli Rom. 7. cum citat ex Decalogo: Non concupisces, et adfirmat ibi damnari hoc malum, quod nunc nominamus originale peccatum.

XII. Voluntatem et iudicium Dei ex verbo ipsius cognoscimus, ideo cum quaeritur quid sit peccatum, inspiciatur verbum Dei, sicut et Paulus deducit nos ad verbum, inquiens, Rom. 3.: Per legem agnitio peccati. Et Iohannes inquit, 1 Iohan. 3.: Peccatum est quiddam pugnans cum lege Dei. Et Dominus inquit Iohan. 3.: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me.

XIII. Verum est, peccatum esse quiddam discrepans a sapientia et voluntate Dei, sed haec ipsa sapientia et voluntas Dei in verbo expressa est. Ideo cum de illa depravatione in nobis dicitur, fiat collatio ad verbum Dei. Non est in homine non renato assensio firma de iudicio Dei, non est agnitio filii Dei, non sunt timor et dilectio Dei, nec obedientia congruens ad caetera praecepta Decalogi. Haec collatio recte facta, ostendit quale et quantum malum sit peccatum originis, de quo dicit Paulus Rom. 8.: Sensus carnis inimicicia est adversus Deum, et simul monet quanta lux et quantum decus fuisset humanae naturae, si retinuisset integritatem, et quantus lapsus fuerit abiicere haec bona pro se et pro tota posteritate.

XIV. Lex Deo est sapientia aeterna et immutabilis in Deo, revelata in doctrina legis, praecipiens quales non esse, et quae facere, et quae omittere oporteat, seu postulans congruentiam cum sapientia et voluntate Dei, quae in verbo expressa est, et promittens bona obedientibus, et damnans omnes, qui non habent hanc congruentiam, quae est perfecta obedientia.

XV. Etsi lex erat noticia naturae addita in creatione, et post lapsum manserit in natura hominis, tamen quia propter depravationem caligo magna est in mentibus, ideo Deus eam et voce sua promulgavit, ut extet testimonium arguens peccatum, et postea docens iustos quales cultus approbet.

XVI. In hac depravata natura sine regeneratione manet in homine aliquo modo noticia legis, sicut insunt humanae menti noticiae numerorum, et aliae quaedam physicae noticiae. Manet etiam haec pars libertatis, quod mens et voluntas possunt imperare locomotivae, ut externa membra vel moveat, vel coërceat. Ut Achilles quanquam iratus, tamen ratione commonefactus potest imperare manibus, ne stringant gladium, et pedibus, ut ab Agamemnone discedant. Hanc partem libertatis voluit Deus in homine reliquam esse. Primum, ut intelligatur discrimen inter agens liberum et non liberum. Deinde, ut sciamus ipsum Deum esse agens liberrimum. Tertio, ut nos regamur disciplina. Quarto, ut consideremus magnitudinem depravationis in nobis, cum intelligimus libertatem esse mutilam, et cor non obedire legi Dei, et externam disciplinae gubernationem difficilem esse. Haec ut aliquo modo aspiciantur, nota sit puerilis doctrina de potentiis animae.

XVII. Severissime praecipit Deus externam disciplinam, et punit violationem atrocibus poenis in hac vita, et poenis aeternis, si non fiat conversio. Ac nota sint dicta etiam de praesentibus poenis, ut de cultu idolorum, blasphemia, magia, dicitur Exod. 20.: Puniam in tertiam et quartam generationem. Item, Levit. 20.: Ponam faciem meam contra eos, ut interficiam eos de medio populi. De homicidiis Matth. 28.: Qui gladium acceperit, gladio peribit. De furtis Esaiae 33.: Vaeh qui spolias, quia spoliaberis. De incestis Levit. 18.: Cavete ne et vos similiter evomat, cum similia facietis, sicut evomuit gentem quae fuit ante vos. Et quia in toto genere humano multipliciter et atrociter violatur disciplina, ideo cumulantur poenae, fiunt magnae gentium dissipationes et vastationes, sicut Esaias inquit, cap. 64.: Iniquitates nostrae sicut venti dissipaverunt nos.

XVIII. Etiam non renati, possunt aliquo modo externa legis opera facere, et sciantur causae quatuor, cur haec disciplina sit praestanda.

Primum quia Deus eam praecepit, cui simpliciter omnes creaturae debent obedientiam. Secundo, ut vitentur poenae. Tertio propter aliorum tranquillitatem. Quarto, quia est multiplex paedagogia et commonefactio, et perseverans in delictis contra conscientiam, non est conversus ad Deum, iuxta illud 1 Timoth. 1.: Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam.

XIX. Sed hic magna dissensio est rationis et Evangelii. Ratio admiratur disciplinam, quia est magnum decus, ut vere dictum est: Nec Hesperus nec Lucifer formosior est iusticia: ac somniat eam legi Dei satisfacere, placare iram Dei, mereri remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Et hac opinione in Israël cumulabant multi sacrificia, et semper fuit, est, et erit haec persuasio plurimorum hominum, homines esse iustos hac disciplina coram Deo: sed omnibus temporibus vox ministerii evangelici, quam sonabant Patres, Prophetae, filius Dei, Apostoli, et deinde aliqui recte docentes, taxavit et taxat Pharisaicas, Pelagianas, Philosophicas et Papisticas persuasione de lege, et expresse adfirmat, in omnibus hominibus, propter filium Dei, horrendam esse discrepantiam ad legem Dei, propter quam discrepantiam rei sunt, de qua Paulus inquit, Rom. 8.: Sensus carnis inimicicia est adversus Deum, nec potest legi Dei subiici. Et Ieremias inquit cap. 17.: Perversum est cor hominis et aerumnosum, id est, aversum a Deo, et varie ruens, et fugiens Deum tristi fremitu sine consolatione et fide.

XX. Inquit igitur Paulus: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo. Est igitur peccatum in omnibus hominibus praeter Christum in hac vita, nec possunt homines satisfacere legi Dei, nec disciplina aut ulla nostra opera merentur remissionem peccatorum, nec lege homines iusti sunt coram Deo. Sed lex ostendens peccatum, est ministerium mortis, ut Paulus inquit, Roman. 7.: Lex iram efficit etc. Manifestum est igitur nequequam in homine talem libertatem voluntatis reliquam esse, ut possit tollere peccatum et mortem, seu efficere interiorem obedientiam, quam lex Dei postulat. Et doleamus nos non satis intelligere depravationem et immunditiem in cordibus nostris.

XXI. Quia vero Deus immensa misericordia deprecante pro nobis filio suo unigenito, non voluit totum genus humanum perire, decretum factum est, ut per filium satisfieret iusticiae divinae, et redimeretur genus humanum, et promissio edita est, quae est vox Evangelii, comprehensa in his verbis Iohan. 3.: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam.

XXII. Haec promissio et vox Evangelii sapienter discernenda est a lege, et semper in conspectu sit omnium discrimen legis et Evangelii. Etsi enim suae quaedam sunt promissiones additae legi, tamen alia est promissio Evangelii propria, qua propter filium Dei gratis non propter legem aut merita nostra datur vita aeterna.

XXIII. Est igitur Evangelium praedicatio poenitentiae, et promissionis, in qua propter filium Dei, *gratis*, non propter ulla nostra merita donantur credentibus in filium, remissio peccatorum, imputatio iusticiae, Spiritus sanctus, per quem filius Dei vere est efficax in credentibus, et haereditas aeternae iusticiae et vitae.

XXIV. Una est lex moralis aeterna, quae est aeterna sapientia et voluntas in Deo, cuius suae sapientiae radios Deus in creaturas rationales transfudit, et quam sapientiam Deus expressit in Decalogo, et eius declarationibus saepe repetitis in scriptis propheticis et apostolicis. Est autem iudicium Dei adversus peccatum omnibus temporibus, et vox divina testificans, qui cultus Deo placeant. Forenses leges Moysi et ceremoniales, traditae fuerunt ad certum tempus, sicut Deus singulari beneficio voluit politiam Mosaicam certo tempore sedem esse suae doctrinae et Ecclesiae, ut esset certa natio, in qua extarent testimonia de patefactionibus divinis, et ubi nasceretur, conspiceretur, audiretur promissus Redemtor, et ubi extarent testimonia passionis et resurrectionis eius. Nam propter hos fines politia illa constituta fuit.

XXV. Unicus est filius Dei, deprecator pro nobis et mediator, redemtor humani generis, et salvator, quem norant patres edita promissione, et qui affuit patribus et Ecclesiae omnibus temporibus, sicut ipse inquit, Iohan. 5.: Pater meus usque modo operatur, et ego operor, quae ille facit, et filius similiter facit. Huius filii fiducia omnes agentes poenitentiam, et vere credentes in eum ab initio Ecclesiae usque ad finem acceperunt, accipiunt et accipient remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, Spiritum sanctum, aeternam iusticiam et vitam, non propter legem. Ideo Iohannes inquit, Iohan. 1. capite: De plenitudine eius omnes accepimus. Est igitur omnium Evangelium omnium temporum, praedicatio poenitentiae, et vox promissionum.

XXVI. Beneficia summa, quae filius Dei meruit et dat hominibus, sunt remissio peccatorum, imputatio iusticiae, donatio Spiritus sancti, per quem est efficax in credentibus, et donatio aeternae iusticiae et vitae. Haec bona comprehendit Paulus, inquiens, Roma. 5.: Gratia Dei et donum per gratiam unius hominis Iesu Christi, exuberat in multos. Gratia significat gratuitam remissionem peccatorum propter filium, et reconciliationem gratuitam, seu imputationem iusticiae. Donum significat totum reliquum beneficium, scilicet novitatem incoatam Deo efficiente, et consummandam in vita aeterna. Ideo postea dicit: Gratia regnat per iusticiam in vitam aeternam per Iesum Christum.

XXVII. Nulla ambiguitas est in hac propositione: Propter filium Dei habemus remissionem peccatorum, fide gratis, seu sola fide, id est, fiducia acquiescente in mediatore. Nec potest negari, dari nobis remissionem peccatorum propter meritum Christi, cum ipse dicat Matth. 20.: Filius hominis venit dare animam suam λύτρον pro multis. Et 1 Iohan. 1.: Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato. Et Hebrae. 9.: Sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum seipsum obtulit immaculatum Deo, purificat conscientiam vestram. Idque significarunt sacrificia Veteris Testamenti. Et Esaias inquit capite 53.: Ponet animam suam hostiam pro peccato. Haec dicta adfirmant nobis propter meritum Christi donari remissionem peccatorum, quod quidem est aequivalens precium, quia est filii meritum, qui est essentialiter iustus, sicut hic inquit epistola ad Hebraeos, Qui sese per Spiritum aeternum obtulit. Hic filius ingreditur in Sanctum Sanctorum, videt arcanum consilium aeterni patris, et sese subiicit patri.

XXVIII. Vocabulum fidei significat fiduciam misericordiae acquiescentem in filio Dei mediatore, quem constituit pater propiciatorem. Complectitur autem haec fides omnes articulos Symboli, et refert caeteros ad hos: Credo remissionem peccatorum, Credo vitam aeternam. Nec significat fides tantum noticiam, qualis est in Diabolis. Necesse est enim discerni hanc propositionem, Daemones credunt et contremiscunt, ab illa fide, quae pacem efficit, sicut dicitur Rom. 5.: Iustificati fide pacem habemus.

XXIX. Cum homo in veris pavoribus accipit fide propter filium Dei remissionem peccatorum, simul certo haec fiunt: Homo liberatur ex morte aeterna per filium Dei, et sentit consolatio-

nem accepto Spiritu sancto, et persona iam est reconciliata Deo, est in gratia, id est, accepta Deo ad vitam aeternam propter filium, et haeres vitae aeternae. Haec omnia coniungit Paulus, loquens de remissione peccatorum. Nec dicimus haec ociosa speculatione fieri, nec securitatem confirmamus in his, qui non agunt poenitentiam, sed simul doctrinam de poenitentia seu conversione recte proponimus, et dicimus, oportere in hominibus veros pavores esse, sicut scriptum est: Ad quem respiciam, ad contritum spiritu, et trementem sermones meos. Et addimus consolationem in voce Evangelii propositam, qua cum eriguntur corda fide, vere regenerantur homines, et fiunt domicilium Spiritus sancti, iuxta dictum Galat. 4.: Misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra, clamantem: Abba pater. Et simul pater et filius spirant Spiritum sanctum in corda nostra, iuxta dictum, Iohan. 14.: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus etc.

XXX. Quanquam autem renati sunt domicilium Dei, tamen semper in hac vita mortali in hominibus, manent tristissimae reliquiae peccati, multiplex caligo, et dubitatio, carnalis securitas, admiratio sui, frigus in dilectione Dei, et magnae sordes cupiditatum errantium, et omissiones et errata. Ideo semper indigent Sancti remissione peccatorum, sicut in Psalmis dicitur, Psalmo 32.: Pro hac orabit ad te omnis Sanctus. Item Psalm. 143.: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item Iob 9.: Non iustificatur homo coram Deo etc. Semper igitur fides accipiat remissionem propter mediatorem, et quidem propter meritum eius. Haec ita manifesta sunt, ut non dubitem, omnes veritatem et consolationem quaerentes assentiri.

XXXI. Cum Petrus in Actis dicit, cap. 10.: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum: Non hoc vult, homines tantum habere remissionem peccatorum, postea propriis virtutibus iustos esse, sed una forma loquendi complectitur remissionem peccatorum, id est, mali haerentis in natura, et malarum actionum praeteritarum, et personae totius acceptationem, cum qua semper fit donatio Spiritus sancti, et incoatio novitatis in nobis, quae postea erit integra in vita aeterna. Sic Paulus loquitur, cum nominat reconciliationem Rom. 5. Item cum nominat gratiam: Non estis sub lege, sed sub gratia, Roma. 6. complectitur haud dubie remissionem peccatorum et acceptationem totius personae propter propiciatorem. Est enim umbraculum filius Dei, non solum ut propter eum detur remissio, sed ut tota persona propter eum accepta sit, tecta imputatione iusticiae ipsius, ut postea dicemus. Ideo et Rom. 5. dicitur: Per illius obedientiam iusti constituentur multi.

XXXII. Nihil ambiguitatis est in vocabulis remissionis peccatorum et reconciliationis, sed de vocabulo iusticiae et iustificationis moventur certamina. Qui sic loquuntur, Iustificari significat ex iniusto iustum fieri, id est, ex non habente obedientiam legis, fieri habentem obedientiam, et non simul complectuntur remissionem peccatorum et reconciliationem, id est, acceptationem personae, non recte loquuntur. Quia certissimum est, Paulum non loqui tantum de mutatione qualitatum in nobis, cum inquit Roma. 3.: Iustificamur gratis ipsius gratia per redemtionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine eius. Hic cum Paulus usus sit verbo Iustificamur, et dicat, nos iustificari fide per sanguinem Christi, certe intelligit simul remissionem peccatorum, pro quibus sanguis effensus est, et reconciliationem, cum qua verum est coniunctam in nobis esse renovationem, quam efficit hic ipse Christus, Deus et homo, dans Spiritum sanctum in corda nostra. Sed tamen primum haec consolatio quaeritur, unde certo habeas remissionem peccatorum. Omittamus praestigias sophismatum, et reverenter teneamus hoc decretum divinum, hic in Paulo expressum, et satis ab ipso declaratum. Nam hoc vult Paulus, propter alium homines habere remissionem, postea vero nos esse iustos propter propiciatorem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, Deum et semen mulieris.

XXXIII. Usitata phrasis est Iohan. 14. et 11.: Ego sum Vita, Via, Veritas, Resurrectio, et tamen discerni oportet vitam essentialem in Christo a vita creata in renatis. Recte igitur dicitur, hanc phrasin effective intelligi: Ego sum vita, id est, efficiens vitam. Via, id est, ducens et regens. Veritas, id est, efficiens veraces, lumen accendens in mente et corde, quo agnoscitur et diligitur Deus. Resurrectio, id est, resuscitans alios qui crediderunt Evangelio.

XXXIV. Ita necesse est discerni iusticiam essentialem, quae est in filio, a iusticia nobis

communicata per imputationem et effectionem, ut cum dicitur 1. Corinth. 1.: Christus factus est nobis sapientia a Deo, iusticia, et sanctificatio, et redemtio. Haec oratio non hoc dicit, nos esse sapientes sapientia essentiali Christi, non luce communicata, aut sanctos non communicata sanctitate, cum alibi dicat: 2. Corinth. 3.: Transformamur in eandem imaginem.

De redemtione manifestum est, dici de merito seu de obedientia filii Dei, quae fuit precium pro nobis. Ita cum dicitur: Christus est iusticia nostra, non hoc dicitur, Nos esse iustos, quia filius sit ab aeterno iustus: sed quia nobis imputatur eius meritum ad remissionem peccatorum et ad reconciliationem, et quia efficit in nobis novitatem, quae postea erit consummata iusticia in vita aeterna.

Sic loqui Scripturam de merito Christi, et de effectione manifestissimum est, iuxta illa dicta Iohan. 1.: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi, videlicet, sustinens iram in ipsum effusam, et auferens remittendo et efficiendo novitatem. Item Gen. 3.: Semen mulieris conculcabit caput serpentis, id est, hic filius virginis tollet peccatum et mortem, et reddet insticiam et vitam aeternam, Et fides, qua iustificamur, hunc ipsum filium intuetur assidue pro nobis deprecantem.

XXXV. Comprehendi remissionem peccatorum in vocabulo iustificationis etiam ex illo dicto Pauli Roma. 4. manifestum est, ubi Paulus expresse inquit, sicut et David inquit, Beatitudinem esse hominis, cui Deus imputat iusticiam sine operibus, Beati quorum tecta sunt peccata. Ibi etiam nominat imputationem iusticiae, ut ostendat non solum remitti peccata, sed etiam recipi personam propter alienam iusticiam imputatam, scilicet mediatoris, Dei et hominis, ut postea dicetur, Per unius hominis obedientiam iusti constituentur multi, Roma. 5. Non quaeramus sophismata in verbo imputationis, Necesse est intelligi receptionem personae propter alienam iusticiam mediatoris: et tamen haec omnia vera sunt, simul efficere filium Dei novitatem per Spiritum sanctum.

XXXVI. Sed obiicitur hic, Oportet esse discrimen inter Saulem et Davidem, oportet aliquid esse in Davide, propter quod pronuncietur iustus, alioqui Deus esset iniustus? Respondeo: Fides facit discrimen, et ipse mediator fide apprehensus, dignitas propria non facit discrimen. David in vero agone tristi sensu peccati et irae Dei premitur, sicut inquit: Tibi tantum sum peccator, et malum coram te feci, ut tu iustificeris, et vincas cum iudicaris, Psal. 51.

XXXVII. Agnoscamus immensum Dei beneficium, et summa reverentia Deo gratias agamus, quod Ecclesiam sic discernit ab aliis creaturis, ut proprie faciat eam sibi templum et domicilium, et habitet in singulis sanctis, tamen semper praeluceat haec consolatio, quod propter filium Dei, Deum et hominem, habeas remissionam peccatorum, et persona reputetur iusta, fide, non propter proprias virtutes, quia simul retinenda est sententia: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, scilicet propriis qualitatibus seu operibus. Hanc veram consolationem retinere necesse est, quae quidem opponenda est iis, qui dicunt, Personam non esse iustam propter semen mulieris, cum necesse sit semper agnosci filium Dei, Deum et hominem propiciatorem et deprecatorem pro nobis.

XXXVIII. Nunc ad vocabuli enarrationem redeo. Legis more loquendo, vocabulum iusticiae significat congruentiam ad totam legem, et ita intelligitur in his dictis: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Rom. 3.: Non est iustus, ne unus quidem, id est, congruens ad totam legem.

XXXIX. Cum autem postea inquit Paulus: Nunc autem sine lege iusticia Dei manifestata est, sine ulla dubitatione significatur iusticia a Deo per Messiam reddita generi humano, de qua promissiones loquuntur. Daniel perspicue inquit cap. 11.: Delebitur peccatum, et adducetur iusticia aeterna. Ita hic iusticia est remissio et deletio peccati, et econtra reconciliatio seu imputatio iusticiae, qua nos Deus reputat iustos propter filium, et donatio et effectio illius iusticiae et vitae in nobis, quae erit aeterna. Loquitur enim Daniel de toto beneficio. Sicuti Rom. 5. Paulus: Per Christum gratia, et donum per gratiam. Nec potest vocabulum sic intelligi, iusticia Dei, id est, essentialis iusticia, quae in Deo est, non meritum redemtoris, de quo praecipue loquitur Evangelium, non remissio peccatorum danda propter meritum Christi.

XL. Usitatum est hic interpretari verbum, iustificamur, id est, ex iniustis efficimur iusti, et id intelligunt Thomas et similes de qualitatibus in nobis, ex non obedientibus efficimur habentes

obedientiam, ut si dicam, Aqua frigida fit calida. Illi cogitant conversum iustum esse propriis qualitatibus, et nihil dicunt de remissione peccatorum et de imputatione. Deinde Osiander, ne de nostris qualitatibus loquatur, dicit: Paulus fit ex iniusto iustus, id est, habens iam in sese iusticiam Dei essentialem.

Nos dicimus, ex iniusto fieri iustum esse, ex reo et inobediente fieri habentem illam iusticiam, de qua loquuntur promissiones, et de qua dicit Paulus: Iusticia Dei in Evangelio manifestatur, quae est remissio peccatorum, et imputata iusticia propter filium Dei, et aeterna vita et iusticia tunc cum consummabitur.

XLI. Complecti enim Paulum remissionem peccatorum et imputationem manifestum est, cum inquit Rom. 5.: Iustificati sanguine eius. Item: Per unius obedientiam iusti constituentur multi, id est, habentes remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, et incoatam novitatem, quae postea erit perfecta. Loquitur enim Paulus de integro beneficio.

XLII. Perspicue sic dici potest: Iustificari est ex iniusto iustum fieri, id est, ex reo et inobediente fieri habentem Christum, qui est iusticia nostra, sicut 1. Iohan. 5. dicitur: Qui habet filium, habet vitam.

Est autem Christus iusticia nostra, quia propter eius meritum, et per eum, habemus remissionem peccatorum, et imputatam iusticiam, et donationem Spiritus sancti, ut aeterna vita et iusticia in nobis restituantur. Haec omnia complexus est et Iohannes, inquiens: Qui habet filium, habet vitam, 1. Iohan. 5. Habetur autem fide, qua fit consolatio in veris doloribus, cum fides intuetur Christum passum, resuscitatum, regnantem, interpellantem pro nobis, et vivificantem nos, sicut et ad Philippenses 3. dicitur, Ut Christum lucrifaciam, et inveniar in eo, non habens iusticiam, quae est ex lege, sed eam, quae est per fidem Christi, quae est iusticia ex Deo propter fidem, ad agnoscendum eum et potentiam resurrectionis eius. Cum ait, quae est iusticia ex Deo, certe non intelligit essentialem in Deo, sed haec omnia, remissionem peccatorum, imputatam iusticiam, et incoatam aeternam vitam et iusticiam, quae postea consummabitur.

XLIII. Dictum est de consolatione, qua fide in veris pavoribus, id est, fiducia filii Dei gratis accipimus remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, donationem Spiritus sancti, et vitam aeternam. Hanc consolationem esse vocem Evangelii nihil dubium est.

Nunc addenda est doctrina de novitate et bonis operibus. In ipsa consolatione, in qua fit remissio peccatorum, vere fit regeneratio, qua cor in pavoribus vivificatur, ut Roma. 8. dicitur: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus, Abba pater. Et Galat. 3.: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et Galat. 4.: Misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Ita enim tollit peccatum et mortem filius Dei, et nos regno Diaboli eripit, ut prorsus abolito peccato et deleta morte, restituat in nobis vitam aeternam, iuxta illa dicta Oseae 13.: O mors ero mors tua, et o inferne ero pestis tua. Item 1. Iohan. 5.: Qui habet filium, habet vitam. Necesse est autem in hac mortali vita incoari novitatem, iuxta haec dicta 2. Corinth. 5.: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Item Apocal. 2.: Esto fidelis usque ad mortem.

XLIV. Verum est, patrem et filium spirare Spiritum sanctum in corda credentium, in consolatione, de qua dictum est, et alias nominatim de patre dicitur, alias de filio, ut apud Paulum: Misit Deus Spiritum filii sui, Galat. 4. Et Iohan. 14.: Rogabo patrem, et alium paracletum dabit vobis. De filio in Actis dicitur, cap. 2.: Dextra Dei exaltatus promissionem sancti Spiritus accipiens a patre effudit eum. Et Iohan. 15. coniunguntur personae: Cum venerit paracletus, quem ego mittam a patre, Spiritum veritatis, qui a patre procedit. Ideo in Iohanne dicitur, cap. 14.: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Et corda in petitione intueantur totam divinitatem, et petant propter filium Dei Spiritum sanctum.

XLV. Spiritus sanctus ciet in corde motus congruentes cum lege Dei, ideo dicitur Ierem. 31.: Dabo legem meam in corda eorum. Et Rom. 8.: Deus misit filium in similitudine carnis, et de peccato damnavit peccatum, ut compleatur ius legis in nobis, id est, ut solveretur debita poena, et nobis iusticia imputetur, et in nobis restituatur integritas, qualem lex describit. Idem dicitur Zachar. 12.: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Spiritus sanctus nominatur Spiritus gratiae, quia in consolatione testificatur nos esse in gratia, cum eluctantes ex pavoribus, acquiescimus in Deo per mediatorem, si-

cut Paulus inquit Roman. 8.: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus: Abba pater. Spiritus precum nominatur, quia agnita misericordia in mediatore proposita, exuscitat corda ad invocationem, et sic simul subiiciunt se corda Deo.

XLVI. Etsi haec obedientia voluntaria est, tamen hae propositiones verae sunt, Nova obedientia congruens Decalogo est debitum, sicut et Paulus loquitur, Roma. 8.: Debitores sumus. Item: Nova obedientia congruens cum Decalogo est necessaria. Item: Quicquid pugnat cum lege Dei, est peccatum, et quiddam damnatum a Deo, et non est iusticia, nec congruit cum Spiritu sancto. Quaedam autem talia sunt, ut, quanquam reliqua sunt in renatis in hac vita, tamen propter mediatorem condonentur, quia renati et retinent veram fidem, et repugnant illis peccatis, et in talibus manet Spiritus sanctus. Alia vero peccata contristant et excutiunt Spiritum sanctum, ut cum hi qui fuerunt renati amittunt fundamentum, et ruunt contra conscientiam. Tales propter illa peccata iterum fiunt rei aeternae poenae. Ideo Paulus expresse dicit 1. Corinth. 6.: Nolite errare, scortatores et adulteri, homicidae, idolatrae, non possidebunt regnum Dei. Item Coloss. 3.: Propter haec venit ira Dei super inobedientes. Et Matthaei 12. dicitur, Redire spiritus immundos in domum vacuam, quae fuerat antea purgata. Et 2. Petri 2.: Cum hi, qui effugerunt rursus contaminantur iisdem peccatis, fiunt eis posteriora peccata deteriora prioribus.

XLVII. Ideo execrandi sunt diabolici furores Anabaptistarum, qui dicunt, in renatis non esse reliquum peccatum, et sic nos a lege liberatos esse, ut iam nihil sit lex, sint concessa adulteria et homicidia, et alia pugnantia cum lege. Hos diabolicos furores erudite refutare discamus.

XLVIII. Sicut sapientia et voluntas Dei est aeterna et immota, ita et lex moralis est aeterna, quia Deus est talis, qualem se in lege describit, Et manet ordo immotus, ut creatura Deo obtemperet. De hoc ordine dicimus cum nominamus vocabula debiti et necessitatis. Nova obedientia est debitum. Item est necessaria, non quod sit coactione extorta, sed quia hic ordo immotus est, ut creatura Deo obtemperet,

XLIX. Quanquam igitur persona recipitur propter filium Dei, et per eum tanquam mediatorem et umbraculum tegitur: tamen non propterea Deus peccatum reliquum approbat. Sed has reliquias etiam deleri vult in morte corporis, reiicit etiam rursus personam ipsam non repugnantem peccato: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis, Roma. 8.

L. Manet sapientia Dei et lex, semper peccatum est quiddam damnatum, et corda ad Deum conversa, sentiunt veros dolores, quibus peccatum iudicatur. Imo Ecclesia horribilibus aerumnis subiecta est propter has reliquias, Nec venit redemtor, ut confirmet peccatum, sed ut prorsus destruat, restituta integra iusticia, sicut 1. Iohan. 3. dicitur: Apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli, scilicet peccatum et mortem. Et ipse Dominus inquit Matth. 5.: Non veni solvere legem, sed implere. Implet autem primo sua obedientia. Deinde satisfaciendo pro nobis in sustinenda poena, quam nos debemus. Tertio, efficiendo in nobis iusticiam, eam ipsam, de qua concionatur lex. Quarto, sanciendo legem, quia et approbat et illustrat eam. Damnandi sunt igitur et Monachorum et Anabaptistarum errores, utrique enim fingunt, in renatis non esse peccatum, etsi Anabaptistarum insania atrocior est, quia facta contra legem negant esse peccata etc.

LI. Interea tamen scire necesse est, doctrinam de liberatione a lege, iuxta dictum illud, Roma. 6.: Non estis sub lege, sed sub gratia, id est, conversi iam fiducia mediatoris ad Deum, id est, vere renati, non sunt damnati ut antea: placent enim propter mediatorem, qui et legi satisfacit pro nobis, et eam in nobis restituit, et quanquam adhuc haerent in nobis reliquiae peccati, tamen eas tegit imputata iusticia. Ac diligenter observandum est, quod nominat gratiam, et nos gratia placere adfirmat, quod significat iusticiam gratuitam, qua propter mediatorem passum pro nobis, et iam deprecantem pro nobis, placemus, sicut et alibi gratiam nominat, inquiens Roman. 5.: Quanto magis gratia Dei et donum per gratiam, propter unum hominem Iesum Christum exuberat in multos. Ac diligenter consideret lector vocabulum gratiae in talibus locis, ut hanc necessariam consolationem teneamus, quod in magna infirmitate conversi, tamen placeant propter mediatorem, Deum et hominem.

LII. Magis perspicue intelligitur liberatio a lege, quando integrum beneficium intuemur, tunc cum resuscitati habebimus iusticiam et vitam aeternam, sine peccato et sine morte, manifeste

cernemus nos non accusari a peccato, et esse iustos, non lege, sed sapientia, iusticia divinitus in nobis accensa, sicut Paulus inquit 2. Corinth. 3.: Transformari tanquam a Domino spiritu. Sed in hac vita durantibus reliquiis peccati, haec libertas incoata est, et interea retinenda est consolatio prorsus necessaria, quanquam in nobis multum est caliginis et sordium, sicut inquit Iohannes, 1. Iohan. 1.: Si dicimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, etc. Conversi ad Deum placeant sola fide, per gratiam, propter mediatorem Deum et hominem, iuxta hoc dictum: Non estis sub lege, sed sub gratia.

LIII. Plura de liberatione a lege, sumantur ex aliis scriptis longioribus. Nunc breviter pertexenda sunt, quae de renovatione dicere coepimus, ac plerunque docendi causa distribuo hanc materiam in hos quinque titulos:

I) Quod necessaria sit Nova obedientia.

II) Quomodo fieri possit in hac tanta infirmitate humanae naturae.

III) Quomodo placeat Deo.

IV) De praemiis.

V) De discrimine peccatorum, quae non sunt in renatis, et quae maneant in eis.

De necessitate dictum est: Et quomodo fieri possit, seu incoari nova obedientia, ostendunt etiam supra dicta: Ideo filius Dei apparuit, ut destruat opera Diaboli, peccatum et mortem. Colligit igitur Ecclesiam voce Evangelii, et Spiritu suo sancto accendit in nobis lucem fidei, et motus novos in cordibus, qui sunt incoata obedientia, et sustentat Ecclesiam, et depellit Diabolos horribiliter grassantes per se et per sua organa.

Cogitemus igitur promissiones divinas de auxilio, Matth. 11.: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos. Item Iohan. 10.: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Item Iohan. 15.: Dabo vobis paracletum, qui procedit a patre. Item Iohan. 14.: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Et apud Esaiam capite 7. nominatur filius Emanuel, id est, nobiscum Deus, vere adest, exaudit, iustificat, protegit, gubernat, vivificat, liberat ex morte et inferis, sicut inquit: O mors, ero mors tua. Consideremus infirmitatem et pericula nostra. Sciamus Deum immensa bonitate voluisse his malis opponere haec sua beneficia, quae per filium praestat, et ei gratias agamus, et ea ardentibus votis in quotidiana invocatione petamus. Hanc invocationem experiemur re ipsa non esse irritam, et in his exercitiis crescant agnitio Dei, lux fidei, spes et aliae virtutes, sicut dicitur Lucae 19.: Habenti dabitur.

Haec de possibilitate breviter dicta sint. Alibi saepe repetita est distinctio de libero arbitrio, hic locomotiva aliquo modo regitur, etiam in non renatis, ut regebant externos gestus Aristides, Scipio et similes. Sed sine voce Evangelii et sine Spiritu sancto non fit incoatio legis Dei in corde.

LIV. Quomodo placeat in hac tanta infirmitate hominum in hac vita, et inter has sordes nova obedientia, seu renatus? Hac quaestione anxie excruciantur homines, ut omnes experimur, et multae causae sunt dubitationum, magnitudo praeteritorum lapsuum, et conspectus praesentium sordium. David intuetur praeteritum lapsum, deinde poenas, in quibus accidunt tot tetra scandala, caedes, incesta contaminatio coniugum et aliae confusiones, retro etiam considerat exempla superiora, Saulis exitum, et multorum aliorum. Haec obiecta et alia multa concutiunt eum dubitationibus, quanquam est in eo incoata novitas. In hac quaestione utrumque consideretur, Primum agnoscamus nostram immunditiem. Secundo teneamus veram consolationem in Evangelio propositam.

Fatendum est in conversis ad Deum, id est, renatis in hac vita, reliquum esse malum, quod nobiscum nascitur, pugnans cum lege, scilicet magnam caliginem et pravas inclinationes, et hinc oriuntur multae flammae viciosorum affectuum, multi errores, multi lapsus ignorantiae et omissionis. Haec omnia sunt vere peccata suo genere. Ideo dicitur in Psalmo 143.: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Moyses Exod. 34. ac Iob 9. capite: Non iustificabitur coram te homo. Et Paulus Roma. 3.: Ut reus sit totus mundus Deo, et obstruatur omne os. Cum igitur manifestum sit, reliquum esse peccatum in vere conversis in hac vita, et Deus nos id velit vero dolore agnoscere, et ostendat consolationes, necesse est homines de hac tanta re recte doceri.

Hic primum hoc planissime affirmamus, cum in conversione homo accipit remissionem peccatorum fide, et sentit se acquiescere in mediatore, tunc in homine iam habitat Deus, et verissimum est dictum: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater, Roma. 8. Hic

si quis dicit, nos tantum loqui de imaginaria imputatione, non de regeneratione, quae fit Deo in nobis inhabitante, palam refutant eum testimonia omnium nostrarum Ecclesiarum.

Sed facta iam tali conversione et regeneratione, tamen haec quaestio manet: Quomodo placeas Deo, cum sentias tantam infirmitatem et immunditiem? Sentiunt sancti interdum aliquos novos motus, alii minus, alii magis illustres, sed tamen multo saepius omnes sentiunt suas trepidationes et dolores propter praesentes lapsus, et praesentem infirmitatem, et singulos in quotidiana invocatione cogitare de hac infirmitate necesse est, cum quidem et sentiant se conflictari cum tristi dubitatione. Hic proponitur haec consolatio comprehensa in his verbis, Roma. 5.: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Fide oportet statuere, placere personam propter filium Dei mediatorem, et summum sacerdotem, Deum et hominem, qui pro te satisfecit, et iam pro te deprecatur, sicut inquit Paulus, Rom. 8.: Qui et pro nobis interpellat. Haec fides est fiducia misericordiae propter mediatorem promissae. Ita Prophetae mentionem faciunt misericordiae, David clamat, Psalmo 51.: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Item Psalm. 6.: Domine ne in furore tuo arguas me, salvum me fac propter iusticiam tuam. Et Dan. 9.: Non propter iusticias nostras, sed in misericordia tua multa exaudi nos, propter Dominum. Sic ubique loquuntur Prophetae. Docent igitur conversos agnoscere propriam infirmitatem, et fide accedere ad Deum, et hanc fidem esse fiduciam acquiescentem in mediatore. Hanc fidem oportet praelucere in omni invocatione et in omnibus actionibus.

Hanc consolationem traditam esse in Prophetis et Apostolis manifestum est. Et cum hac consolatione corda eriguntur, simul fit vivificatio per filium, iuxta illud, Habac. 2.: Iustus fide sua vivet. Hanc doctrinam qui reprehendunt et dicunt, fidem non significare fiduciam misericordiae. Postea dicunt homines iustos esse Deo inhabitante, qui facit, ut iusta faciant. Hi quam consolationem conversis proponunt? aut quo pertinent omnia illa dicta de misericordia, in Psalmis et alibi, si fides non significat fiduciam misericordiae acquiescentem in mediatore. Nec propterea dicimus, nos per creaturas, per fidem aut alias qualitates salvos fieri.

Certissimum est Deum ipsum esse effectorem vitae et iustificationis et sanctificationis: sed tamen discerni causam et effectus, qui fiunt in nobis, oportet, sicut Paulus inquit 2. Corinth. 3.: Transformamur a Domini spiritu. Deus est efficax, ita, ut ipse fidem et vitam in nobis accendat.

Omitto autem cavillationes, et adhortor unumquemque, ut intueatur suam infirmitatem, et cogitet, unde vera consolatio petenda sit. Consideret etiam dicta prophetica, in quibus et confessio est nostrae infirmitatis, et mentio iusticiae Dei, Psalmo 18.: Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. Psalmo 32.: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, Beatus cui non imputat Deus peccatum. Loquitur Psalmus de conversis seu sanctis, et continet confessionem, consolationem, et precationem. Confessio est, qua fatentur conversi adesse adhuc peccatum, propter quod Deus iuste posset hominem damnare. Ideo postea inquit: Dixi, confitebor adversum me iniusticiam meam Domino. Haec confessio est in vero dolore et vera contritione fateri; quod simus rei et digni poena, et non fremere adversus Deum in poena, sed subiicere cor Deo, sicut apud Danielem dicitur, Daniel. 9.: Tibi Domine insticia, nobis autem confusio faciei. Huic confessioni additur precatio: Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Expresse nominat hunc praesentem sanctum, ut ostendat, se loqui de converso, qui sanctus est, id est, sanctificatur a Deo inhabitante, et tamen iam sentiens reliquias peccati, quaerit remissionem et iustificationem, quaerit autem fide: nam oratio sine fide est inane murmur, et fides ipsa est fiducia misericordiae, acquiescens in mediatore ostenso in promissionibus. Ita hic sanctus petit remissionem, et fide statuit se placere Deo propter mediatorem, quanquam cernit tristissimos lapsus praeteritos, et praesentem infirmitatem, ideo inquit: Dixi, confitebor adversum me iniusticiam meam Domino, et tu remittis impietatem peccati mei. Ac initio Psalmi summa huius consolationis recitatur, quae est generalis doctrina, et promissio ad omnes credentes pertinens: Beati quorum remissae sunt iniquitates, id est, omnes tales sunt, ut non sint beati, id est, iusti, et accepti Deo ad vitam aeternam, nisi Deo remittente peccatum, videlicet, praesentem immunditiem. Et ut promissio declaretur, addit verba tegendi et non imputandi, significans ad-

esse quidem peccata, sed ea tegi, id est, non imputari ad poenam aeternam, non pronunciari ut persona sit damnata. Et verbo tegendi significatur mediator filius Dei, qui est umbraculum, quo tegimur, quia ipse in sese derivavit iram, pro nobis satisfecit insticiae Dei, et iam quoque deprecator est, et propter eum nobis parcitur, et imputatur nobis ipsius iusticia, sicut Paulus inquit Rom. 5.: Propter unius obedientiam iusti constituentur multi. Item: Iam non estis sub lege, sed sub gratia, Rom. 6., id est, non estis captivi legis, sed tegitur vestra infirmitas gratuita misericordia, remissione et reconciliatione donata propter filium, et per eum. Item Rom. 5.: Gratia exuberat supra peccatum. Item Rom. 8.: Nulla nunc est condemnatio in his, qui ambulant in Christo Iesu.

Etsi igitur planissime affirmamus, in converso fieri regenerationem et vivificationem per filium: tamen non solum de effectione dicendum est, sed etiam de hac consolatione necessaria omnibus sanctis in conspectu suae indignitatis, et in vero agone, ubi necesse est scire, in iustificatione semper comprehensam esse remissionem peccatorum, et hac fide, id est, fiducia acquiescente in filio Dei, accipiendam esse, et haec fides nititur mediatore et summo sacerdote, Deo et homine. Haec ipsa consolatio est modus, quo fit regeneratio, sicut in summo agone sentit homo conversus se erigi consolatione, quando mens oppressa ingentibus doloribus, fide apprehendens mediatorem, sentiens se ex inferis et ex morte educi, et iam habere pacem apud Deum, sicut Psalmo 102. dicitur: Benedic anima mea Domino, qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui redimit de interitu vitam tuam. Quare in Psalmo 31. additur: Non est in spiritu eius dolus, id est, est confessio peccati, et vivificatio spiritus, cum fide accipitur remissio etc.

LV. Recitata consolatione necessaria omnibus in hac vita, videlicet quod persona placeat Deo propter filium Dei mediatorem et deprecatorem fide, qua apprehendi eum necesse est, et erigi corda in veris pavoribus: postea etiam sciamus, membra nostra praebenda esse, ut Deo obediant, nec ruamus contra conscientiam. Haec igitur incoata et quantumvis languida obedientia, tamen placet Deo propter mediatorem, sicut Petrus inquit, 1. Pet. 2.: Offerte hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum. Et Roman. 14.: Qui in his servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Hebrae. 13.: Per ipsum offerimus sacrificium laudis acceptum Deo, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini eius, beneficentiae et communicationis, ne obliviscamini. Et in his dictis simul comprehensa est fides, Per ipsum offerimus, id est, fide statuimus, et nos et haec opera propter mediatorem placere, et referimus ea ad hunc finem, ut Deo exhibeatur honos, et movet corda nostra filius Dei, et simul coram Deo est deprecator et summus sacerdos.

Huc pertinet dictum: Omne quod non ex fide est, peccatum est. Haec verba non tantum *νομικῶς* intelligantur, ut monachi enarrarunt, Omne quod non est ex fide, peccatum est, id est, quod prohibitum est lege Dei, ut adulteria, furta, usuras, dicunt non esse ex fide. Etsi autem verum est, peccatum esse quidquid pugnat cum lege Dei, tamen et haec evangelica sententia addenda est. Peccatum est omne, quod non est ex fide, id est, ex agnitione filii Dei, et fiducia statuente, quod propter mediatorem placeant persona et opus, ut opera Saul honesta, non sunt ex fide, id est, ipse fugit Deum, irascitur ei, et fremit adversus Deum, non acquiescit et non laetatur in Deo, propter mediatorem, quare nec invocat eum. Huc adde et alia testimonia, quae et docent, quomodo placeant bona opera renatorum, et adfirmant ea placere Deo, ut Psalmo 50.: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Singularis honos est, nominare nostram obedientiam sacrificia, et semper includuntur in hac appellatione et beneficia Christi.

LVI. De discrimine peccatorum.

Necesse est discerni peccata, quae manent in renatis in hac vita, ab illis lapsibus, per quos homo desinit esse templum et domicilium Dei, et desinit esse iustus, et fit reus poenae aeternae, sicut et Paulus discernit inter peccatum regnans et non regnans, Roma. 8.: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis, si secundum carnem vixeritis, moriemini.

LVII. Certissimum est, homines qui fuerunt renati et sanctificati, posse rursus labi, et amittere iusticiam et Spiritum sanctum, sicut Adam et Eva erant electi, et tamen in lapsu revera aversi sunt a Deo, et facti sunt rei irae aeternae, sicut Paulus inquit Rom. 5.: Per unius inobedientiam peccatum in homines pervenit. Et Deut. 9.: Adversus Aaron valde iratus est Dominus, ut deleret

eum, sed pro eo deprecatus est Moyses. Et Matth. 12. dicitur: Quando spiritus immundus redit in domum purgatam, fiunt novissima hominis deteriora prioribus. Item 2. Pet. 2.: Cum hi qui effugerunt inquinamenta mundi rursus inquinantur, fiunt eis novissima peiora prioribus.

Sunt ergo aliqua delicta, per quae hi, qui fuerant renati, desinunt esse iusti et domicilium Dei, et sunt rei aeternae poenae. Haec delicta sunt amissio fundamenti, id est, sive errore, sive petulanter aliquem articulum fidei abiicere. Item: Nolle credere remissionem peccatorum. Item: Facta contra conscientiam, quia haec meta necessaria est, Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam.

LVIII. Cum dicitur: Christus nos liberavit a lege, id dictum nequaqum hoc vult, legem nunc nihil esse, et non discerni recta et non recta, sicut furenter imaginantur Anabaptistae, quia certissimum est, semper in Deo manere naturam aeternam, discernentem recta et non recta, sicut manifeste inquit Psalm. 5.: Non Deus volens iniquitatem tu es. Item Matth. 5.: Non veni solvere legem, sed implere. Item Rom. 8.: Ut ius legis impleatur in nobis. Liberat igitur nos a lege, solvens poenam, et reddens nobis iusticiam, scilicet, remissione peccatorum, et reconciliatione, revera efficiens hoc in nobis, quod lex postulat. Ergo contraria legi faciens, facit contraria Christo.

LIX. Etsi igitur peccata manent in renatis in hac vita, tamen id peccatum nequaquam approbat Deus, imo semper indicat, et nisi filius Dei esset umbraculum, extingueremur iudicio Dei tanquam igni. Est igitur tale peccatum in renatis, scilicet reliquiae morbi nobiscum nascentis, et viciosi affectus, quibus tamen repugnamus, id est, dolemus propter hanc caliginem et immunditiem, et statuimus tegi haec mala per Christum, pro nobis deprecantem. Sic nominat Paulus haec mala peccatum non regnans. Sed qui non repugnant et obtemperant pravis affectibus contra conscientiam, desinunt esse domicilium Dei, et fiunt rei aeternae poenae, ac faciunt Christo contraria, et Spiritui sancto. Ideo dicit Iohannes, 1. Iohan. 3.: Qui facit iusticiam, iustus est: qui facit peccatum, ex Diabolo est. Item Galat. 5.: Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio etc. qui haec agunt, non possidebunt regnum Dei. Ezech. 33.: Cum recesserit iustus a iusticia sua etc. Haec mala nominat Paulus peccatum regnans, quod alioqui nominant peccatum mortale.

LX. Aliquid etiam de praemiis addam. Verissimum est dictum: Cum feceritis omnia mandata vobis, dicite: servi inutiles sumus, Lucae 17. Et Iacob inquit, Gene. 32.: Minor sum cunctis miserationibus tuis, id est, sum indignus tantis bonis, mea obedientia nequaquam est meritum, id est, aequale precium tantorum bonorum, quibus me cumulasti. Cum autem Deus immensa misericordia propter filium, et per eum velit Ecclesiam in hac vita colligere. Primum tenenda est haec firmissima doctrina et consolatio, Gratis, propter filium Dei, et per eum dari remissionem peccatorum, et iustificationem, et haereditatem vitae aeternae, non propter aliquod meritum nostrum. Deinde, cum in reconciliatis placeant bona opera, Deus discernit Ecclesiam ab impiis, addit etiam praemia bonis operibus, videlicet incrementa bonorum spiritualium in hac vita, et post hanc vitam, sicut dicitur Lucae 19.: Habenti dabitur.

Ac bona corporalia tribuit suo sapientissimo consilio, ad conservationem Ecclesiae. Cum enim colligantur electi in hac vita, opus est victu, valetudine mediocri, hospitiis oeconomicis et politicis, ut dicitur Psalm. 113.: Non mortui laudabunt te Domine. Imo propter Ecclesiam servatur reliquum genus humanum, ut dicitur Matth. 24.: Propter electos abbreviabuntur dies isti. Interea mirabiliter Deus Ecclesiae quanquam exulanti, tamen aliqua hospitia attribuit, ubi sunt honesti congressus publici, ubi vox Evangelii passim sonat, ubi fit educatio et institutio. Ideo Paulus inquit 1. Timoth. 4.: Pietas habet promissionem praesentis et futurae vitae.

LXI. Hic utile est considerare causas, propter quas et corporalium bonorum promissiones traditae sunt.

Prima est, ut doceamur de providentia et de fide, Ne statuamus haec bona casu spargi, aut tantum humana industria acquiri, sed vere etiam consilio Dei distribui, iuxta haec dicta Deut. 30.: Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Psalmo 126.: Nisi Dominus aedificaverit domum. Psalmo 103.: Omnia a te expectant, et tu das eis escam ipsorum in tempore oportuno, dante te escam colligent. Psalmo 144.: Oculi omnium in te sperant Domine. Proverb. 3.: Egestas a Domino in domo impii, habitacula iustorum benedi-

centur. Proverb. 10.: Benedictio Domini divites facit.

Postremo in precatione dominica a Deo petimus panem quotidianum, ut et haec bona vere et liberrime a Deo dari agnoscamus. Haec et similia testimonia nobis saepe proponamus, ut nos consolemur, et repugnemus stoicis furoribus, qui non leviter laedunt mentes.

Secunda causa est, Cum Deus Ecclesiam suam in hac mortali vita, et colligat et servet, addit promissiones, ut sciamus non interituram esse Ecclesiam in tantis difficultatibus, iuxta haec dicta, Matth. 6.: Primum quaerite regnum Dei, et caetera etc. Item: Scit pater vester coelestis vos indigere istis. Hic autem valde utile est, saepe cogitare dicta de Ecclesia, quae adfirmant, semper mansuram esse Ecclesiam, etiam in hac mortali vita, et docent, quae, et ubi sit Ecclesia in tanta multitudine contumacium, et inter tantos furores Diabolorum turbantium genus humanum, bellis, dissidiis, et aliis modis. Saepe dubitant etiam, an adhuc usquam sit Ecclesia Dei, aut quaerunt quae et ubi sit.

Hic sint mentes bene munitae testimoniis, Matthaei ult.: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Matth. 24.: Duo erunt in tecto, unus assumetur, et unus relinquetur. Et Esaiae 59.: Hoc est foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, et ab ore seminis tui etc. Ubi autem sit, docent haec dicta Iohan. 10.: Oves meae vocem meam audiunt. Item, Iohan. 10.: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est. Rom. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti etc.

Tertia causa est, Vult Deus exerceri invocationem et fidem petitione bonorum corporalium, iuxta haec dicta, Psalmo 50.: Invoca me in die tribulationis. Item: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Quarta causa, Vult Deus in petitione corporalium simul exerceri fidem, qua accipimus gratiam, per Dominum nostrum Iesum Christum. Nam in omni petitione fidem praelucere oportet, iuxta hoc dictum: Iustificati fide pacem habemus, et accessum ad Deum. Et sciendum est, omnes promissiones corporales propter aeternam traditas esse, et propter mediatorem ratas esse. Valet igitur petitio corporalium, nominato mediatore, et fiducia ipsius, iuxta dictum Iohan. 16.: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Haec doctrina de promissionibus et praemiis corporalibus, valde utilis est, et saepe cogitanda, ut in his tantis miseriis vitae exerceamus fidem, et petamus mitigationem, sicut omnium sanctorum exempla ostendunt, mulieris Cananaeae, Danielis, et similium etc.

LXII. Necessaria consideratio est, agnoscere Dominum nostrum Iesum Christum, secundum naturam humanam et divinam, redemtorem esse merito suo, et esse secundum divinam et humanam naturam iustificatorem merito et communicatione sui, et summum sacerdotem. Haec consideranda sunt, ut filio Dei debitus honos tribuatur, et nos teneamus veram et firmam consolationem.

LXIII. Pro vocabulo meriti, vox divina utitur his vocabulis multo plenioribus, *λυτρὸν*, *ἀντίλυτρον*, et *ἀπολύτρωσις*, ut Matthaei 20.: Venit filius hominis, dare animam suam *λύτρον* pro multis. Et 1. Timoth. 2.: Qui dedit sese *ἀντίλυτρον* pro omnibus. Et Rom. 3.: Per redemtionem quae est in Christo Iesu. Significat enim redemtio talem liberationem, quae fit aliqua compensatione, seu precio, seu merito. Voluit enim Deus iusticiae suae hoc modo satisfieri, ut poena derivaretur in aliquem, qui esset aequivalens precium.

LXIV. Est igitur Dominus noster Iesus Christus redemtor, quia tota ipsius obedientia in hac visibili conversatione, est precium pro nobis, idque recte intelligatur. Quanquam enim sola natura humana laceratur et moritur, sicut Petrus inquit 1. Pet. 3. Passus est in carne, tamen redemtor est, non tantum secundum naturam humanam, sed secundum naturam divinam et humanam propter quinque causas.

Prima, Hanc humanam naturam, in quam poena derivanda erat, oportebat esse sine peccato, et talem, in qua esset iusticia immutabilis.

Secunda, Oportebat esse aequivalens precium.

Tertia, Nulla creata natura sola potuisset sustinere hanc poenam.

Quarta, Nulla creatura videt arcanum consilium aeterni patris de singulis hominibus, sed filius solus ingreditur in sanctum sanctorum, id est, in arcanum consilium aeterni patris, et videt magnitudinem irae patris, et offert se, id est,

subiicit se irae Dei, et est deprecator pro singulis. Et in officio redemtoris includitur deprecator, sicut ipse inquit Ioh. 17.: Ego pro eis sanctifico me. Item Esaiae 53.: Et pro transgressoribus rogavit. Addo et quintam causam, Hanc humiliationem ipsius naturae divinae, quod patri in hoc mirando decreto obtemperat, et hoc arcanum Sabbatum servat, quiescit, nec exercet potentiam suam, ut vitet hanc passionem. Ideo scriptum est Psalmo 39.: In principio libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volo, et lex tua in medio cordis mei. Tribuenda est igitur haec gloria Domino nostro Iesu Christo, quod sit redemtor, non tantum secundum naturam humanam, sed secundum divinam et humanam, et cum precii magnitudinem cogitamus, crescat fides, consolatio et invocatio, iuxta haec dicta, 1. Petri 1.: Non auro redemti estis, sed precioso sanguine, tanquam agni immaculati, Christi.

LXV. Ut autem vere sit redemtor, non tantum persolvit poenam, sed etiam liberat nos a peccato et a morte aeterna, ideo et ipse revivisecit ex morte, et restituit nobis iusticiam et vitam aeternam. Haec nequaquam posset efficere ulla creatura, ideo hic redemtor est Deus et homo. Haec de redemtore diligenter consideranda sunt, et ut debitus ei honos tribuatur, et ut fides in consolatione et invocatione crescat. Ac diligenter considerandum est nomen redemtoris, ut Esaiae 59.: Et veniet Sion redemtor, his, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, et ego hoc foedus feci cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non discedent ab ore tuo, et ab ore seminis tui nunc et in aeternum. Et Iob inquit capite decimo nono: Scio quod redemtor meus vivit. Et postea de pulvere surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspicient eum, et non alius. Recte agnoscit Dominum, qui est liberator, et persolvet precium, et reddet ei iusticiam et vitam aeternam. Cum enim inquit: In carne mea videbo Deum, simul adfirmat restitui vitam et iusticiam aeternam, quae comprehenditur in hac descriptione, videbo Deum. Refutat et furores eorum, qui somniant Pythagoricam migrationem animarum. Inquit enim: Ego videbo, oculi mei, circumdabor pelle mea, etc.

LXVI. Redemtionis applicatio ad nos, est iustificatio, cum audita voce Evangelii, per fidem accipimus remissionem peccatorum, per redemtorem, et propter eum, et pater vere nos recipit, et filius, qui est Verbum aeterni patris, in nobis vivificat nos, et sanctificat Spiritu suo sancto. Et nos, quanquam adhuc in nobis haerent reliquiae peccati, tamen fide propter redemtorem, Deum et hominem, interpellantem adsidue pro nobis, accipimus remissionem peccatorum, et sumus iusti, accepti Deo, et reconciliati imputata nobis iusticia redemtoris.

LXVII. Est igitur iustificator Dominus noster Iesus Christus, secundum divinam et humanam naturam, merito et communicatione sui: Merito, quia semper statuendum est, nos propter eius obedientiam habere remissionem peccatorum, et iustos, id est, reconciliatos seu acceptos Deo esse fide propter ipsum, Roman. 5.: Iustificati nunc sanguine ipsius salvabimur per ipsum. Item: Reconciliati sumus Deo per mortem filii sui. Item: Per obedientiam unius iusti constituentur multi. Hebrae. 10.: Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Haec de merito dici manifestum est, cum expresse nominet oblationem corporis Christi semel factam. Ephes. 1.: Per quem habemus redemtionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum. 1. Iohan. 1.: Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato. Esaiae 53.: Livore eius sanati sumus. Haec et similia dicta loqui de Domino nostro Iesu Christo, Deo et homine, et de eius obedientia, manifestum est. Oportet igitur fide intueri mediatorem, Deum et hominem, et statuere, quod propter hunc vere sint tecta peccata nostra, iuxta illud: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Haec consolatio etiam post regenerationem omnibus sanctis in hac vita necessaria est. Nitatur fides merito et intercessione summi Sacerdotis Christi, iuxta dictum: Totius fiduciae certitudo est in precioso sanguine Christi.

LXVIII. In illa ipsa vero consolatione, qua nos audita voce Evangelii sustentamur, et in qua vivificamur, et ex doloribus inferorum liberamur, vere fit regeneratio ad vitam aeternam, nec fit ociosa speculatione, sed quanquam in aliis magis, in aliis minus sentiuntur hi motus, tamen sentiri eos non dubium est, iuxta dicta de terroribus, et de consolatione. Esaiae 38.: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Item Rom. 5.: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Eph. 4.: Accedimus ad eum cum fiducia. Aba. 2.: Iustus fide sua vivet.

Galat. 7.: Per legem legi mortuus sum, vivo autem non iam ego, sed vivit in me Christus.

Fit igitur regeneratio, cum audita voce Evangelii, filius Dei, qui est Verbum aeterni patris, est nobis iam veritas et vita, Iohan. 14. Movet corda nostra fide per Spiritum sanctum, ut credamus nobis ab aeterno patre remitti peccata, et nos recipi propter mediatorem, Deum et hominem, passum et resuscitatum. In hac consolatione vivificati, iam sumus domicilium et templum Dei, sicut dictum est Iohan. 14.: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Item Galat. 2.: Vivit vero in me Christus. Item Iohan. 10.: Ego vitam aeternam do eis. Item Iohan. 5.: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Item Iohan. 10.: Nemo potest rapere oves meas ex manibus meis. Item Iohan. 5.: Vos in me estis, et ego in vobis, Ego sum vitis, vos palmites.

Ac expresse semper damnavimus et damnamus Pharisaicas et Pelagianas tenebras omnium, qui fingunt, hominem iustum esse non regeneratum. Clamamus etiam assiduis gemitibus ad Dominum nostrum Iesum Christum, qui est Immanuel, et mirabili ac inenarrabili consilio Dei caput est, per quod sustentatur et vivificatur tota Ecclesia, ut sit efficax in nobis, et magis magisque nos transformet a claritate in claritatem Spiritu suo sancto. Ita communicatione sui filius Dei reddit nobis vitam et iusticiam aeternam in nobis, sicut inquit Iohannis decimo: Ego vitam aeternam do eis.

LXIX. Sed in hac mortali natura manent adhuc simul in nobis reliquiae peccati, multae et magnae. Vult autem Deus Ecclesiam praecipue intelligere, vere eum irasci peccato, vult non esse securam, etiamsi sunt in nobis initia regenerationis, semper vult crescere in nobis poenitentiam, sicut inquit Dominus Lucae 13.: Nisi poenitentiam egeritis, similiter peribitis. Huc pertinent hae conciones, saepe repetitae Exod. 34.: Coram te innocens, non est innocens. Psalmo 143.: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Cum igitur simul maneant reliquiae peccati in nobis, semper haec verissima et unica consolatio tenenda est, quod propter mediatorem, Deum et hominem, qui est umbraculum, et interpellat pro nobis, habeamus remissionem peccatorum, et placeamus Deo per misericordiam, et nisi fide apprehendatur haec consolatio, desinit homo esse domicilium Dei, et alii securitate carnali pereunt, alii statim oppressi desperatione extinguuntur. Necesse est igitur de hac consolatione, et de hac fide doceri homines.

LXX. Et congruunt dicta dulcissima Ieremiae 23.: Et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et hoc est nomen, quod vocabunt eum Deus iusticia nostra. Hic Deus, scilicet Messias, qui est et Deus et germen Davidis, est iusticia nostra, et donata nobis ad remissionem peccatorum, et reconciliationem, quam nobis meruit, et in nobis habitat, ut vitam aeternam et iusticiam nobis reddat, sicut in Iohanne dicitur: Gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Gratia, id est, remissio peccatorum, et reconciliatio. Veritas, id est, vera et aeterna sapientia, agnitio vera Dei, vita et iusticia aeterna per Iesum Christum nobis communicata est.

LXXI. Necesse est doceri renatos in hac vita, quanquam iam sunt templum Dei, tamen semper eos debere credere, quod propter filium Dei, Deum et hominem, deprecantem pro ipsis, placeant aeterno patri, non propter novitatem, quia simul adhuc in nobis haerent reliquiae peccati, multae et magnae, quod agnosci necesse est. Ideo Daniel inquit capite nono: Non propter iusticias nostras, sed propter Dominum exaudi nos. Et Roma. 8 : Filius semper interpellat pro nobis. Et Hebr. 7.: Semper vivens, ut interpellet pro nobis. Hac fide lucente in renatis, manent sancti templum Dei, hac fide extincta, ruunt vel in contemtum, vel in desperationem, et desinunt esse templum Dei. Hanc consolationem proponit, et doctrina de sacerdotio filii Dei.

LXXII. Christus est summus sacerdos secundum divinam et humanam naturam. Est enim hic summus sacerdos persona immediate a Deo ordinata, ut Evangelium proferat ex arcano consilio divinitatis, et sonet inter homines et offerat Deo sacrificium pro aliis, ad placandam iram, et sit deprecator assiduus pro eis, de quo et promissio sancita est, vere ipsius sacrificio placari iram Dei, et exaudiri eum pro nobis deprecantem. Haec comprehenduntur omnia in dicto Psalmi 110.: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchizedech. Est igitur summus sacerdos natura Deus, ut arcanum consilium de remissione peccatorum, et de modo restituendi genus humanum ex sinu aeterni patris proferat, et ut semper

Ecclesiam colligat voce Evangelii, sparsa in genere humano. Est homo, ut offerat sacrificium, derivata in sese ira pro genere humano, quam, ut sustinere posset offerens, est persona divina, sicut Hebraeos nono dicitur: Qui per Spiritum aeternum sese obtulit immaculatum Deo. Et in Psalmo 40.: Volui, et lex Dei in corde meo est.

Deprecator etiam est Deus et homo, nam arcanum consilium aeterni patris, de singulis hominibus videt hic deprecator, et pro singulis applicat ipse sacrificium, quod in natura humana semel factum est. Sicut Hebraeos decimo dicitur: Voluntate ipsius sanctificati per oblationem corporis Iesu Christi. Item: Habentes fiduciam intrandi in sancta per sanguinem Iesu. Vult igitur fidem nostram intueri hunc mediatorem, Deum et hominem, et niti ipsius sacrificio seu merito, et ipsius deprecatione, hoc cum fit, simul ipse est efficax in nobis, et vivificat nos.

LXXIII. Semper in hac vita in iustificatione comprehenduntur, simul et remissio peccatorum, et vivificatio, quae fit per filium Dei in nobis, sicut Rom. quarto expresse comprehendit remissionem peccatorum: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Verbum igitur iustificare, intelligatur ex reis, et non habentibus iusticiam Dei, fieri non reos, sed absolutos, et habentes Christum, qui et efficax est in nobis, et assidue pro nobis patrem interpellat, ut propter ipsius sacrificium sit placatus, et imputetur nobis eius iusticia. Hoc de Christi merito complecti necesse est.

LXXIV. Esaiae 53. dicitur: Noticia sui servus meus iustus, iustificabit multos. Hic non dubium est, dici de Messia, qui nominatur Servus, id est, minister, missus ad hanc obedientiam, ut vocem Evangelii, prolatam ex sinu aeterni patris, sonet inter homines, et fiat Victima, Redemtor et Salvator, sicut Esaiae 42. scriptum est: Ecce servus meus, quo delectatur anima mea. Hic minister Deus et homo, iustificabit multos, et remissionem peccatorum dabit, et dabit aeternam vitam et iusticiam. Complectitur enim integrum beneficium, sicut usitatum est in prophetico sermone. Paulus autem ita nominat beneficia Rom. 5. Gratia Dei, et donum per gratiam, quae est unius hominis *Iesu Christi*, exuberat in multos. Gratiam haud dubie nominat remissionem peccatorum, et reconciliationem gratuitam, qua sumus accepti Deo, propter mediatorem, de quo hic Paulus expresse inquit, per gratiam, quae est unius hominis *Iesu Christi*, ut testetur nobis et initio dari remissionem peccatorum, et postea, propter meritum mediatoris, Dei et hominis. Postea donum nominat consecutionem totius beneficii, videlicet vitam et iusticiam aeternam, quae datur nobis per filium, qui est verbum aeterni patris, et dat nobis Spiritum sanctum suum. Inquit autem Esaias, haec beneficia accipi hoc modo, videlicet, agnitione huius ministri iusti, id est, fide, de qua supra dixit: Quis credit auditui nostro. Haec fides intuetur mediatorem Deum et hominem, et est fiducia, qua in eo acquiescimus, quia ipse sua obedientia placavit iram aeterni patris, et dans remissionem peccatorum, simul in nobis est efficax, sicut inquit: Ego vitam aeternam do eis.

LXXV. Fides, quae intuetur mediatorem Deum et hominem, et nititur merito mediatoris, seu gratia, qua ipse acceptus est aeterno patri, propter quem et nos, qui sumus eius membra, accepti sumus. Haec inquam fides, quae nititur merito filii Messiae, est ipsa fiducia misericordiae, qua propter eum pater nos recipit. Et cum Prophetae ad misericordiam confugerint, de hac ipsa fide agnoscente et apprehendente mediatorem concionantur, propter quem promissa est misericordia, sicut Daniel inquit: Non propter nostras iusticias, sed in misericordia tua exaudi nos propter Dominum. Et Psalmo 6.: Domine, ne in furore tuo arguas me, salvum me fac propter misericordiam tuam etc. Et Psalmo quinquagesimo: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Ubi postea mediatorem significat, Asperges me Domine hysopo, id est, propter sanguinem filii tui remittas mihi peccata. Deinde etiam vere de efficacia in nobis loquitur: Cor mundum crea in me Deus etc. Ita ubique vox divina utrumque proponit, consolationem, qua propter mediatorem habemus remissionem peccatorum et reconciliationem. Deinde et sanctificationem et vivificationem, in qua filius Dei vere in nobis est efficax. Et haec nominat Paulus Gratiam et Donum per gratiam, quae est unius hominis *Iesu Christi*.

LXXVI. Quotidie in recitatione symboli, cum recitamus articulum: Credo remissionem peccatorum, fides confirmetur, et sic statuat, mihi quoque remitti peccata, Credo iuxta dictum in Actis capite decimo, quod omnes Prophetae testi-

monium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Et simul mens intueatur summam doctrinae de iustificatione, et complectatur totum symbolum. Scias propter filium Dei passum, crucifixum et resuscitatum, et per eum dari remissionem peccatorum, et recipi ab aeterno patre etc. Sicut in Iohanne dicitur: Pater diligit eum, et aeternum patrem et filium spirare Spiritum sanctum in corda credentium in illa ipsa consolatione. Sicut ibidem dicitur in Iohanne, capite decimo quarto: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Intelligatur autem remissio peccatorum, de continua remissione, etiam postquam renati sumus, sicut Roman. quinto dicitur: Gratia et donum per gratiam, quae est unius hominis Iesu Christi. Et sciant renati se quoque assidue accipere remissionem peccatorum, et nitatur fides propiciatore, Deo et homine.

LXXVII. *De Ecclesia.* Deus immensa bonitate, propter Filium, et per eum, colligit sibi aeternam Ecclesiam in genere humano, per ministerium Evangelii, et hanc vult incoari in hac mortali vita, iuxta haec ipsa dicta, Marci ultimo: Ite, docete Evangelium omnes gentes, et baptizate etc. Item, 2. Corinth. 5.: Superinduemur si tamen non nudi reperiemur. Item: Omnes manifestari oportet coram tribunali *Iesu Christi*, ut reportet unusquisque ea quae egit in corpore. Item Apocalypsis decimo quarto: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Describenba est igitur Ecclesia, in qua in hac vita sonat vox ministerii. Est igitur haec visibilis Ecclesia, visibilis coetus amplectentium Evangelium incorruptum, et recte amplectentium et utentium Sacramentis, in quo Deus per ministerium multos regenerat, suntque in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

LXXVIII. In tanta confusione opinionum, in tantis ruinis regnorum, saepe his dubitationibus concutiuntur animi, an sit aliqua Dei Ecclesia, quae, et ubi sit, et qualis sit. Necesse igitur est, bene confirmatas esse in singulis has sententias, quod et semper usque ad resurrectionem mortuorum aliqua sit vera Dei Ecclesia, et semper ratae sint promissiones credentibus, etiamsi saepe exigua est Ecclesia, Et quod oporteat unumquemque sese adiungere ad veram Ecclesiam, confessione doctrinae, et invocatione filii Dei, et statuere sese membrum esse verae Ecclesiae ubicunque est.

De duratione tenenda sunt haec dicta, Matthaei ultimo: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Matthaei vicesimo quarto: Propter electos abbreviabuntur dies isti. Semper igitur erunt aliqui electi, donec illucescat dies resurrectionis. Item: In adventu filii hominis duo erunt in agro, unus assumetur, et alter relinquetur. Matthaei decimo tertio: Sinite utraque crescere usque ad messem. Et postea: Messis consummatio seculi est. Primae Corinthios undecimo: Hoc facite in mei commemorationem, donec veniam. Haec perspicua testimonia, quae expresse loquuntur de duratione Ecclesiae in hac mortali vita usque ad resurrectionem, sint in conspectu, ut inter tanta scandala nos confirment, ne existimemus prorsus nullam esse Ecclesiam, cum tantae sint opinionum et morum confusiones, sicut et Prophetas excruciat haec cogitatio. Adiungamus autem et haec duo testimonia ex Esaiae 59.: Hoc est foedus meum cum eis, dicit *Dominus*, Spiritus meus qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum. Esaiae 46.: Etiam in senecta ego gestabo vos.

De adiunctione singulorum ad veram Ecclesiam, nota sint haec testimonia, et statuat unusquisque sese membrum esse verae Ecclesiae. Psalmo vicesimo sexto: Unum hoc petii a *Domino*, hoc requiro, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, ut videam voluntatem Domini, et visitem templum eius. Psalmo 84.: Beati qui habitant in domo tua Domine. Psalmo 91.: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebimus. Psalmo vicesimo nono: Odi Ecclesiam malignantium Domine, dilexi decorem domus tuae. Psalmo trigesimo quarto: Confitebor tibi in Ecclesia magna. Huc pertinent omnia dicta, quae praecipiunt audiri ministerium, et prohibent disiunctiones facere a vero ministerio, ut: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Ephesios quarto: Soliciti servare unitatem spiritus copulati pace. Hebraeos decimo: Non relinquentes congregationem vestram. Cum autem sciamus, et duraturam esse Ecclesiam, et nos oportere eius membra esse, necesse est simul considerari, quae et ubi sit vera Ecclesia, et qualis sit, et quae res ad eius unitatem requirantur.

LXXIX. Quod et ubi sit Ecclesia, ex definitione intelligi potest. Certissimum est enim illos homines et illos coetus non esse Ecclesiam Dei, qui aut prorsus ignorant Evangelium, aut aliquem articulum fundamenti, id est, aliquem articulum fidei, aut doctrinam Decalogi oppugnant, aut manifesta idola defendunt. Hic nota sint testimonia Iohannis quinto: Qui non honorat filium, non honorat patrem. Item, 1. Corinthios 3.: Fundamentum aliud poni non potest, quam quod positum est, quod est *Iesus Christus.* Item, Galat. 1.: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Tantum igitur illi homines et illi coetus sunt membra Ecclesiae, ubicunque sunt, qui amplectuntur Evangelii doctrinam incorruptam, et quanquam alii plus alii minus lucis habent, tamen necesse est eos retinere fundamentum, et omnes articulos fidei, doctrinam Decalogi, et non pertinaciter defendere idola. Huc pertinent dicta: Oves meae vocem meam audiunt. Item: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

LXXX. Hic iam sciri oportet, qualis sit vera Ecclesia. Libenter enim cernerent homines coniunctam forma regni politici, florentem imperio, sicut Episcopi transformant Ecclesiam in regnum politicum, sed habet Ecclesia quaedam vera signa, quibus agnosci potest: Vocem Evangelii incorruptam, legitimos usus Sacramentorum, et obedientiam debitam ministerio. Haec signa auribus et oculis iudicari possunt, quae quidem et necesse est considerari, ut sciamus, cui coetui nos adiungere debeamus. Nec dubium est, in his ipsis coetibus aliquos esse electos, etiamsi multi admixti sunt, qui non sunt sancti, iuxta dictum Esaiae primo: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus. Et ad unitatem Ecclesiae consensus in his tribus rebus necessarius est, videlicet, in doctrina fundamenti, in usu legitimo Sacramentorum, et in praestanda obedientia debita ministerio. Id est, Populus audiat doctrinam, obtemperet iudiciis. Complector enim iudicia cum nomino obedientiam debitam ministerio. Item ne faciat distractiones a communi societate Ecclesiae. Et cum nomino consensum in fundamento, requiritur consensus in articulis fidei et in Decalogo, etiamsi supra fundamentum alii aurum alii stipulas extruunt, et aliquid erroris habent multi, et aliquid est dissensionum. Manet enim aliquid caliginis et infirmitatis in sanctis, et Paulus inquit: Infirmos in fide assumite, Roman. decimoquarto.

LXXXI. Ad unitatem Ecclesiae nequaquam necessaria est similitudo ceremoniarum humanarum, ideo dictum est: Nemo vos arguat in cibo et potu, in ritibus dierum festorum. Hanc doctrinam sciri necesse est, ne alii condemnent alios propter dissimilitudines in ritibus humanis, ut sunt contentiones de pane azymo, de fermentato, de ieiuniis, de discrimine ciborum. Vult autem conspici Deus libertatem in his ritibus humanis, ne delabantur homines in errores pharisaicos, et putent tales externas observationes esse iusticiam Evangelii, item esse merita remissionis peccatorum. Iustinus respondet Iudaeo pugnanti de servandis ceremoniis, Christus est nostra lex: id dictum dextre intellectum dulcissimam doctrinam continet, sed ipse de ceremoniis loquitur. Christus est lex, scilicet impleta, ipse significatur agno mactato, et ipsum habentes habemus quod lex significavit, sicut et Paulus inquit: Legem fuisse umbram, Corpus autem esse *Christum.* Dextre autem accommodari ad totam legem potest. Christus nostra lex est, scilicet impleta, quia et merito,' seu imputatione et communicatione sui seu effectione iustificat. Exhibet igitur quod lex significabat, quia sumus iusti, id est, habentes remissionem peccatorum et reconciliationem propter mediatorem, Deum et hominem fide, et simul habentes ipsum qui in nobis est efficax, et vivificat nos ad vitam aeternam, sicut inquit: Ego vitam aeternam do eis.

LXXXII. In consideratione qualis sit Ecclesia, necesse est etiam scire, in hac vita admixtos esse sanctis multos non sanctos, item subiectam esse cruci et sparsam in diversa mundi imperia, nec Evangelio constitui unum aliquod regnum, quod corporalibus praesidiis defendat sanctos. Haec scire necesse est, ne offendat nos haec deformitas, quod multi non sancti sunt admixti Ecclesiae. Item, quod sine certo imperio sparsa est in mundum, et ingentibus aerumnis subiecta. Huc pertinent dicta Matthaei decimotertio de sagena missa in mare. Item, quod non constituat imperia, 2. Corinth. 10.: Arma militiae nostrae non sunt carnalia. Item de cruce: Si quis vult me sequi, tollat crucem suam et sequatur me. Hic prodest etiam causas cogitare, quare *Deus* velit Ecclesiam subiectam esse cruci.

LXXXIII. Deinde de potestate ministrorum Evangelii quaeritur, de qua usa est vetustas hac partitione. Alia est potestas ordinis, alia est potestas Iurisdictionis. Potestas ordinis est mandatum docendi Evangelii, administrandi Sacramenta, absolvendi non ut in iudicio, sed ut in ministerio, et ordinandi ministros. Sed potestas Iurisdictionis est iudicia ecclesiastica exercere contra reos delictorum, qui convinci possunt, et convicti puniantur non vi corporali, sed excommunicatione donec resipiscant. Est autem et cognitio necessaria, sicut iubet vox divina Deut. 17.: Audi et inquire diligenter, et cum verum erit certum punies etc.

Hic autem Romani Episcopi quatuor insignes errores addunt. I. Sumunt sibi potestatem instituendi novos cultus. II. Item obligandi conscientias peccato mortali, si qua ipsorum traditio violetur. III. Item potestatem interpretandae scripturae autoritate regia. IV. Item potestatem politicam transferendi regna mundi. Hae falsae persuasiones necessario taxandae sunt.

LXXXIV. Quod non habeant potestatem instituendi novos cultus ulli homines, manifesta vox divina est Lucae 17.: Frustra colunt me mandatis hominum.

LXXXV. Quod traditiones humana autoritate factas violare extra casum scandali non sit peccatum mortale, constat ex hoc dicto Coloss. 2.: Nemo nos arguat in cibo aut potu.

LXXXVI. De interpretatione scripturae sciendum est, Magnum discrimen esse inter politicum iudicem, et iudices in Ecclesia de doctrina. Quando lex est generalis seu ambigua, potest rex seu praetor facere interpretationem, et haec interpretatio valet propter officii seu loci autoritatem, Quia Deus armavit magistratum hac autoritate ferendi suas leges, et addendi interpretationes, cum opus est. Sed iudices in Ecclesia habent praescriptam vocem divinam: ab hac nequaquam discedendum est, iuxta dictum Galat. 1.: Si quis aliud Evangelium, docet, anathema sit. Semper autem in Ecclesia sunt aliqui seu multi, seu pauci, qui retinent veritatem, ut Zacharias, Simeon, Maria, Elizabeth. Cum igitur conveniunt iudices aliqui pii, recitant interpretationem veram quae est ipsorum confessio. Multi vero impii saepe contrariam fingunt, nec obligant hae sententiae caeteros propter loci autoritatem, sed aliqui dociles commonefacti a piis, moventur dictis propheticis et apostolicis, ut veram interpretationem amplectantur, non propter personas aut loci autoritatem, ut in controversia Samosateni moventur pii, ut statuant verbum esse personam, quia audiunt recte congruentia testimonia sine sophistica. Credunt igitur propter vocem divinam, non propter iudices.

Hactenus Philippus, etc.

DISPUTATIONES THEOLOGICAE

in schola propositae et fideliter explicatae, a Philippo Melanthone.

(I.) *De peccato originis.*

Peccatum originis est reatus, quo propter lapsum Adae et propter vicium, quod haeret in natura, post lapsum homines rei sunt coram Deo, iuxta illud: Nascimur filii irae, id est, rei aeternae poenae.

2. Cum vicium nomino, complector totam pravitatem, seu *ἀταξίαν* mentis, voluntatis et appetitus sensitivi, ut vulgo loquuntur.

3. Ea pravitas continet horribiles defectus, et pravas inclinationes.

4. Defectus sunt, ignoratio Dei, non ardere amore Dei, vacare metu, fiducia Dei.

5. Hos comitantur pravae inclinationes, amor nostri, superbia, seu admirari nostram sapientiam, consilia, ludere opinionibus fingendis de Deo, et cultibus, Quaerere humana praesidia contra voluntatem, Dei anteferre vitam, voluptates nostras, mandato et ordinationi Dei.

6. Hi defectus et inclinationes non sunt proprie sentientis potentiae, sed superiorum, mentis et voluntatis, tamen sequitur etiam ingens *ἀταξία* in inferioribus viribus.

7. *Anselmus* utrumque complecti voluit, defectus et inclinationes, cum ait: Peccatum originis est carentia iusticiae originalis.

8. Caeteri nomine concupiscentiae utrumque complexi sunt, idque expresse monet *Bonaventura.*

9. Significat igitur concupiscentia in hac quaestione, non substantiam creatam a Deo, sed morbum, qui accessit post lapsum, id est, *ἀταξίαν,* seu defectus, et pravas inclinationes in mente, voluntate, et caeteris viribus.

10. In Baptismo reatus tollitur, morbi manent, etsi frenantur a Spiritu sancto.

11. Nec existimetur leve malum esse, reliquum vicium.

12. Tria sunt gravissima testimonia, quae ostendunt magnitudinem huius mali. Dignitas victimae magnitudo, calamitatum humanarum, quibus subiecti sunt et sancti, propter hoc malum, item lapsus sanctorum, ut Moses dubitavit ad rupem, unde aquam elicere iussus erat, et duriter obiurgatur propter id peccatum. David quam graves lapsus habet? Aaron adsensit facientibus vitulos. Denique omnes sancti peccant securitate, diffidentia, superbia, impatientia et aliis multis flammis cupiditatum.

13. Non igitur hic morbus *ἀδιάφορον* quiddam est, sed vicium pugnans cum lege Dei, dignum morte aeterna, ubi non condonatur, et cum sanctis condonatur, luctari cum hoc malo fidem oportet.

14. Sententiarii non eodem modo senserunt omnes, *Bonaventura*, et quidam alii agnoscunt vicium in mente et voluntate esse, pugnans cum lege Dei. Laudat enim dictum *Hugonis*, qui ait: Peccatum originis est ignorantia in mente, et concupiscentia in carne.

15. Nec reprehendimus eos, qui recte sentiunt, ne illi quidem nostros improbaturi erant, cum negamus illum morbum *ἀδιάφορον* esse.

16. *Occam* mavult dicere peccatum originis tantum esse reatum, sine ullo vicio.

17. Reliqua turba aperte negat in voluntate vicium esse post acceptam gratiam, postea addit fomitem tantum in corpore esse, nec concedunt esse vicium.

18. *Franciscanus Coloniensis* etiam rem bonam esse putat, inquiens: Si carni praeciperetur, non concupisces, perinde esset, ac si Deus praeciperet Soli et Lunae, ne lucerent, Igni, ne arderet. Haec omnia agunt vi naturae impellente.

19. Quid magis asininum cogitari potuit, quam quod fingit concupiscentiam rem bonam esse, ut lumen Solis?

20. Discerni enim debent, substantia a Deo creata, et vicium, seu *ἀταξία*, quae postea accessit.

21. Formale peccati proprie est reatus, materiale est ipsum vicium, hoc est, defectus et inclinationes pravae.

22. Hoc non satis attenderunt recentiores Sententiarii, qui vocant defectum formale peccati, cum sit formale vicii: materiale vocant concupiscentiam, id est, appetitiones in sensu.

23. Ideo remoto defectu in Baptismo, sicut ipsi imaginabantur, caetera putabant esse *ἀδιάφορα.*

24. Et, ut fit, in hoc errore multi sunt errores involuti, quos explicare longum esset, et multa dicunt contra Dialecticam.

25. Hinc sequitur, quod fingunt hominem legi Dei satisfacere posse etc. nec de fide quicquam dicunt.

26. Quare simplicem veritatem retineamus, nec quaeramus, quomodo excusemus aliorum errata.

27. Et Prophetae et Apostoli aperte vocant peccatum, naturae infirmitatem reliquam in sanctis.

28. Et Paulus discernit inter peccatum et damnationem, hoc est, inter vicium illud pugnans cum lege Dei, et reatum.

29. Etsi autumnus plerisque auget morbos, tamen recte dicit Hesiodus, in autumno corpora melius affecta esse:

μετὰ δὲ τρέπεται βρότεος χρὼς
πολλὸν ἐλαφρότερος.

30. Recte illud, plus hyeme cibi dandum esse hominibus ἐπὶ δ' ἀβρὶ τὸ πλεὸν εἴη, et tamen idem poëta inquit, bobus tunc dimidium pabuli tantum dandum esse.

(II.) *Alia disputatio*: *de concupiscentia.*

Aristoteles recte constituit tres gradus appetitionum. Dividit enim ὀρέξεις in ἐπιθυμίαν, θυμὸν et βούλησιν.

2. Est et haec divisio vera, tres esse potentias appetentes, naturalem, sensitivam et voluntatem.

3. Naturalis appetit cibum, potum et generationem.

4. Sensitiva est adfectuum cordis, item delectationis et doloris in tactu, et caeteris sensibus.

5 Voluntas est et ipsa superior potentia appetens, quae cum sit infirma, rapitur motibus cordis, etsi etiam habet aliam actionem, qua cohibet externa membra.

6. Partes animae sunt creaturae Dei, et aliquae earum appetitiones, sunt naturae hominum divinitus attributae, quae essent res bonae, si natura esset integra, nunc haerent in natura mutilatae ac distortae, sunt enim aversi motus a Deo, sed restituuntur in renascentibus.

7. Fames, sitis, appetitio generationis, στοργαὶ φυσικαί, nemesis heroica, misericordia, velle oppetere mortem pro patria, et similes motus, etsi divinitus nobis attributi sunt, et in integra natura nihil haberent vicii, tamen a concupiscentia contaminantur, ut maneat universalis sententia: Sensus carnis mors est.

8. Concupiscentiam vero, quae per se et simpliciter peccatum est, de qua concionatur Paulus Roman. 7. sic vere definio, Esse horribilem ἀταξίαν, seu defectus et impetus in omnibus viribus humanis contra legem Dei, sicut Paulus inquit: Sensus carnis inimicicia ets adversus Deum. Item de defectu: Omnes carent gloria Dei.

9. Hinc sunt simpliciter peccata in anima, ignoratio Dei, dubitatio, contemtus iudicii divini, audacia in fingendis opinionibus et cultibus Dei contemto eius verbo, Amor nostri, superbia, appetitio gloriae et voluptatum omnis generis, mendacia, libidines. His vitiis serviunt motus similes vitiosi in corde, et appetitio voluptatum, quae est motus cordis, incendit libidines, irritat gulam, et conturbat ordinem naturalium appetitionum.

10. Iam quanta vis sit concupiscentiae, ostendit vita humana, in qua videmus hos affectus concupiscentiae regnare. Historiae omnium temporum Tragoediae, Poëmata, pingunt mundi idolatriam, ambitionem, perfidiam, avaritiam, iniustas caedes, libidines etc.

11. Impie errant scholastici Theologi, cum vociferantur, concupiscentiam non esse peccatum.

12. Et stolitidas est, quod fingunt concupiscentiam tantum esse in sensitivo appetitu.

13. Hi errores obscurant et contaminant doctrinam Ecclesiae necessariam, de peccato et de gratia.

14. Nam et in poenitentia crescere debet agnitio nostrae infirmitatis, et amplitudo gratiae, ac iusticia fidei intelligi non possunt, obscurata Evangelii doctrina de magnitudine peccati et morbo nostro.

15. Quare scelerate facit *Eccius*, qui veram sententiam de hac re labefacere conatur, eaque in re partim scurrilibus conviciis ludit, partim manifestam sycophantiam exercet, depravans recte dicta.

16. Non est extenuandum hoc peccatum, quod videmus, quantum Deo displiceat, cum propter id morti et tot ingentibus calamitatibus humanum genus subiecerit, cumque non tolli potuerit, nisi per filium Dei.

17. Quare cum Paulus dicat: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit, sciamus non posse esse membra Christi ullos, qui aut fovent aut probant tales impios Doctores, quales sunt Eccius et eius Thyasotae.

(III.) *Alia disputatio: de peccato reliquo in renatis.*

Multae graves et magnae causae sunt, quare necesse sit doceri Ecclesias, quod in renatis sit reliquum peccatum.

2. Nam qui fingunt renatos sine peccato esse, imaginantur eos legi Dei satisfacere, et hanc qualemcunque obedientiam esse legis impletionem.

3. Ita amittitur discrimen inter iustitiam philosophicam, et iustitiam fidei et obscuratur doctrina de iusticia fidei, denique horribili caligine obruitur Evangelium.

4. Ac ne quid erroris sit in appellationibus, primum definio peccatum esse defectum, aut inclinationem, aut actionem in voluntate, aut viribus obtemperantibus, pugnantem cum lege Dei, offendentem Deum, seu promerentem iram Dei et aeternas poenas, nisi fuerit facta remissio seu condonatio. Haec est vera et perspicua definitio peccati.

5. Manent autem in renatis, caligo in mente, quae parit dubitationes de Deo horribiles, et in voluntate defectus timoris et amoris erga Deum et multi viciosi impetus, manet et contumacia inferiorum virium, quas voluntas, ut deberet, regere non potest, nec ipsae obtemperant, sed fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

6. Nec ociosa est haec naturae pravitas, sed adsidue parit viciosos motus, dubitationes, diffidentiam, carnalem securitatem, amorem et admirationem sui, admittit illecebras inconcessas etc.

7. Haec mala, hoc est, ipsa naturae pravitas, et motus inde orti etiam in renatis, sunt sua natura peccata, etiamsi condonantur renatis.

8. Magnes est lapis trahens ferrum, nisi impediatur: si allio fuerit tinctus, non trahit ferrum, et tamen natura magnetis manet.

9. Ita recte et plane loquuntur Prophetae et Apostoli, cum iustis tribuunt peccatum. Nam peccatum est, quod pugnat cum lege Dei, offendit Deum, seu meretur iram Dei et aeternas poenas, nisi fuerit remissum.

10. Manet natura peccati, etiamsi remissio accedit, qua iam tollitur reatus, hoc est, Deus irasci desinit, et obligationem ad poenam aeternam aufert.

11. Haec faciliora et planiora sunt, quam quae ab aliis de materiali et formali hoc loco dicuntur.

12. Sed ne de vocabulo videamur rixari, illud defendimus, Reliquam in renatis in mente caliginem, in voluntate, et appetitu sensitivo contumaciam seu concupiscentiam, ut vocant, non esse quiddam ἀδιάφορον aut poenam tantum, sed quiddam pugnans cum lege Dei, de quo fide petere, et amplecti condonationem debemus, sicut inquit Augustinus: Manet infirmitas, de qua petendum est, Dimitte nobis debita nostra.

13. Quotidie cum incipis precationem ad Deum, obstrepit agnitio propriae indignitatis. Hic fatendum est, haec mala esse peccata, et credendum, quod propter filium Dei vere placeamus Deo, et exaudiamur, non propter nostram dignitatem.

14. Haec exercitia ignorant, qui tantum poenam et ἀδιάφορον esse concupiscentiam putant.

15. Vocamus autem concupiscentiam, non appetitiones ipsas, aut στοργὰς conditas a Deo, sed depravationem.

16. Invocatio in dubitatione, hoc est, cum dubitat mens, an Deus tibi invocanti sit propicius, est Academica et impia invocatio, non est cultus *Dei.*

17. Nam in invocatione semper oportet per mediatorem Christum petere, et fide statuere, quod Deus sit tibi invocanti propicius, ac velit invocari, et quod preces non sit irritae, etiamsi eventus in periculis corporum alias aliter gubernat.

18. Certo tamen agens poenitentiam statuere debet, sed fide accipere propria Evangelii beneficia, quae nominatim iussit Deus peti et expectari, videlicet remissionem peccatorum, iustificationem, et vitam aeternam, iuxta illud: Qui confidit in Dominum, non confundetur.

19. Organum affectuum, qui proprii sunt potentiae sentientis, est cor. Postquam pars cognoscens accepit obiectum, Spiritus feriunt cor, ut expetat aut fugiat obiectum.

20. Et cor rapit secum voluntatem, sicut equus contumax sessorem.

21. Non loquimur hic de delectatione aut dolore, tactum, gustum ac olfactum proxime comitante, nam eius delectationis ac doloris organa sunt nervi, sed loquimur de adfectibus caeteris, qui existunt sine contactu.

(IV.) *Alia disputatio: de discrimine peccati originalis et actualis.*

Longe plus complectitur appellatio peccati in verbo Dei, quam in Philosophia. Ideo lapsi sunt Pelagius et similes, qui peccatum in evangelio tantum intellexerunt philosophico more de actionibus, quas ratio videt, et iudicat esse viciosas.

2. Nam peccatum significat non modo actiones, sed horribilem corruptionem in natura, ream irae Dei.

3. Etsi Paulus non discernit appellationes peccati originalis et actualis, tamen distinctio illa illustrat Pauli sententiam, et retinenda est, quia Paulus de utroque loquitur, de peccato originis et de fructibus.

4. Magnitudo beneficii Christi fit conspectior. cum agnoscitur morbi nostri magnitudo.

5. Philosophia moralis quaerit causam humanae infirmitatis, nec potest eam invenire, nec remedia firma ostendit. Ergo fit Philosophia gratior, cum ad eam confertur Evangelium, quod monstrat causam infirmitatis, et addit remedia.

6. *ἠθικὸν* significat moderatos et lenes animi motus, tales sine fide habere in magnis calamitatibus nemo potest.

7. Ideo ut fiant vera *ἤθη* necesse est accedere cognitionem Christi.

8. Cum de sanctorum infirmitate et lapsibus dicitur, necesse est retineri discrimen peccati venialis et mortalis.

9. Cometae non sunt stellae, sed flammae sparsae a magna mole halitus, et afferunt siccitates. Ideo vere et physice inquit Aratus:

ὥφρα τις ἐνετίῃ χαίρῃ ποτιδέγμενος ἀνήρ.
Μήδ' εἶεν καθ' ὕπερθεν ἐοικότες ἀστέρες αἰεί.
μήθ' εἷς, μήτε δύω, μηδὲ πλέονες κομόωντες,
Πολλοὶ γὰρ κομόωσιν ἐπ' αὐχμηρῷ ἐνιαυτῷ.

Fertilis Agricolae votis contingat ut annus,
Nunquam crinitum videatur in aëre sidus.
Non unus, geminive micent, pluresve Cometae.
Apparere solent nam sicco tempore crebri.

(V.) *Alia disputatio: de discrimine veteris et novi Testamenti.*

Lex cum non iustificet, lata est ut iudicet.

2. Hoc est cur Deut. 31. scriptum est: Sit contra te in testimonium.

3. Ideo praeter ea, quae de insticia Spiritus constituta sunt, additae sunt iusticiae carnis, ceremoniae et iudicia.

4. Ut caro coërceatur in impiis.

5. Quia evangelium ministerium vitae est, ideo nihil constituit de carnalibus et civilibus iusticiis.

6. Impie vetus Testamentum sic a novo discernunt Scholae, ut veteri manum tantum, novo concuspiscentiam prohiberi statuant.

7. Nam et lex Moysi concupiscentiam vetat, et novum Testamentum non Lex, sed remissio peccati est.

8. Evangelio iusticia et vita aeternae donatur, ideo ea pars legis, quae de rebus externis constituit, antiquata est.

9. Ea pars non est antiquata, quae iudicat corda.

10. Nam peccatum remitti non potest, nisi lege ostensum fuerit.

11. Hoc est cur Decalogus exigatur, reliqua pars legis non item.

12. Iusticia et vita aeterna est libertas evangelica.

13. Hanc comitatur libertas utendi rebus externis, pro arbitrio Spiritus, quia Domini est terra etc.

14. Sed Spiritus subiicit liberos per caritatem, ut rebus utantur, nec contra naturam, nec contra civiles ordinationes, quatenus scandali ratio poscit. Anno MDXXIII.

(VI.) *Alia disputatio theologica Philippi Melanthonis.*

De Lege et Promissionibus.

Usitata et falsa distinctio est, tres esse leges, Naturalem, Mosaicam et Evangelicam.

2. Et magis impium est, quod adfingunt singulos propter suae legis observationem consequutos esse remissionem peccatorum et vitam aeternam.

3. Una enim lex moralis est omnium aetatum, donec manet natura hominum.

4. Eaque lex aliquo modo naturaliter nota est.

5. Est et unum Evangelium, videlicet promissio de beneficiis Christi, revelata statim post lapsum Adae, et tradita posteris, ac magis magisque patefacta, mansura perpetuo.

6. Nec notum est Evangelium rationi, sed tantum divinitus revelatum, ut Iohannes inquit: Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.

7. Nec patres, nec quisquam salvatur propter legis observationem.

8. Sed patres fide, id est, fiducia misericordiae promissae propter venturum liberatorem, salvati sunt gratis, non propter legem.

9. Sicut et nos fide, id est, fiducia misericordiae promissae propter eundem liberatorem filium Dei iam exhibitum salvamur, gratis, non propter legem.

10. Patres etiam ante legem Moisi, ut erant sub morte, ita et sub lege, id est, terroribus irae et iudicii divini erant.

11. Sed a lege liberabantur fide, seu agnitione Christi.

12. Nam et promissiones intelligebant de vera liberatione.

13. Et nonnulli conspexerunt filium Dei, ut extaret testimonium, quo admonerentur pii, vere gubernari et salvari Ecclesiam a filio Dei, et defendi adversus horribilem saevitiam Diaboli. Sic viderunt filium Dei Iacob, Moses et Daniel, ideo et David inquit: Osculamini filium.

14. Quanto magis nunc statuere debemus, adesse nobis Christum, postea quam se palam ostendit mundo.

15. *Wicelius* impie corrumpit Pauli dictum: Ex operibus legis non iustificamur, cum contendit, excludi tantum ceremonias, non opera moralia sequentia conversionem.

16. Christus enim patres, et totum genus humanum liberavit a lege.

17. Quare non intelligenda est liberatio a lege tantum de ceremoniis, cum hae non pertinuerint ad gentes, aut patres ante legem.

18. Absurdissima est *Basilii* vox, qui quaerenti, Quomodo simus iusti, cum tamen in singulis sint peccata, respondet: Si plura sint peccata, sit peccator, Sin autem plura recte facta, sit iustus.

19. Hoc dictum abolet doctrinam de fide, et adfert desperationem. Verba eius haec sunt in Homilia de Poenitentia, pagina 436.: *εἰ πλείονα τὰ ἁμαρτήματα, ἔστω ἁμαρτωλός, εἰ δὲ πλείονα τὰ δικαιώματα, ἔστω δίκαιος.*

20. Verum est dictum Platonis, nasci nobiscum aliquas noticias, ut numerorum, ordinis, proportionis, consequentiae syllogisticae, quaedam principia geometrica, physica et moralia.

21. Etsi ad has excitandas primum moveri oportet intellectum cognitione aliquorum singulorum.

22. Nec intelligo unde esse moralium certitudo, nisi essent innata principia, ideo Paulus inquit: *ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις.*

23. Macrobius tribuens semidiametro Horizontis centum et octoginta stadia, id est, miliaria germanica circiter quinque, loquitur de horizonte quatenus acies oculorum terminum constituit.

24. Proclus semidiametro horizontis tribuens mille stadia, id est, milliaria germanica circiter triginta, loquitur de horizonte, quatenus variant sensibiliter coelestes apparentiae, secundum longitudinem et latitudinem.

25. Postea rursus inquiens horizontem variari post 400 stadia, id est, milliaria germanica circiter duodecim, non vult hanc esse diametrum, sed negat tanto spacio variari coelestes apparentias sensibiliter, hoc est, quarta horae parte.

26. Et hae descriptiones variant locis, ideo erudite Geographi discernunt intervalla locorum gradibus, non stadiis.

(VII.) *Alia theologica disputatio: de iustificatione.* (Legitur etiam in opp. Mel. Basil. T. III. p. 290.)

Quare fide iustificemur non dilectione.

Etiam adversarii nostri coguntur fateri, Quod in iustificatione necesse sit primum fieri remissionem peccatorum, quia omnes sub peccato sumus.

2. Impossibile est remissionem peccatorum fieri, nisi fide in Christum, cum apprehendimus Christum mediatorem, et opponimus eum irae Dei. Haec fides consolatur et erigit conscientias.

3. Impietas est sentire, quod dilectione Dei consequamur remissionem peccatorum, quia id est sentire, quod propter nostrum opus, non propter Christum habeamus remissionem peccatorum, ita meritum Christi tolleretur et obrueretur.

4. Imo impossibile est adesse dilectionem, nisi prius sit apprehensa misericordia, nam priusquam hoc fit, corda fugiunt iram Dei, et irascuntur iudicio Dei.

5. Ergo manifestum est, quod sola fide iustificemur, hoc est, ex iniustis accepti efficiamur et regeneremur.

6. Triplex iusticia est, Una rationis, Altera quam lex Dei exigit, Tertia quam Evangelium promittit.

7. Constat nos neque ratione iustificari, neque lege, sed Evangelio, nam alioqui frustra Evangelium traditum esset.

8. Constat Christum mediatorem esse, nec nos habere accessum ad Deum ratione, aut lege prius, quam per Christum.

9. Nec per Christum habemus accessum, nisi fide, Roman. 5.

10. Iusticia rationis est iusticia operum, quae ratio efficit. Hanc iusticiam homines intelligunt.

11. Falsum est, quod talia opera rationis, ut monachatus, et similia exercitia, mereantur remissionem peccatorum.

12. Nam hoc est honorem mediatoris ademtum Christo, tribuere illis operibus rationis. Fide per Christum habemus accessum ad Deum, non per opera rationis.

13. Iusticia legis est, dilectio Dei et proximi, hanc non intelligit ratio humana, et Sophistae loquentes de dilectione Dei, quid sit dilectio non possunt ostendere, quia natura humana oppressa concupiscentia, non videt quid sit diligere Deum.

14. Honos mediatoris non est tribuendus nostrae dilectioni, etiamsi qua esset, ideo accedimus ad Deum, non merito dilectionis nostrae, sed fide propter Christum.

15. Ideo dicit Paulus, Nos non iustificari ex lege, sed ex promissione.

16. Necesse est igitur iusticiam promissionis adesse ante iusticiam legis.

17. Promissio fide accipitur, Prius igitur fide iusti sumus, quia accipimus promissam reconciliationem, quam legem facimus.

18. Maledicti sunt, qui ad Deum lege aut ratione accedunt, sine mediatore Christo.

19. Et tamen cum fide renati sumus, accepto Spiritu sancto, fit in nobis iusticia legis, dilectio Dei et proximi, timor Dei, obedientia erga Magistratus, Parentes, patientia, et similes virtutes.

20. Haec incoata impletio legis est effectus in his, qui iam fide iustificati sunt et renati.

21. Non igitur regenerat dilectio.

22. Principio igitur iustificamur fide, cum qua simul incoatur novitas.

23. Nec honos mediatoris postea transferendus est in impletionem legis, quae in nobis fit.

24. Ideo nec postea reputamur iusti coram Deo propter illam legis impletionem, sed ideo, quia fide habemus accessum per Christum.

25. Et illa legis impletio est valde exigua et immunda, quia manent in nobis reliquiae peccati.

26. Et tamen haec iusticia legis fidem necessario sequitur.

27. Sed hoc est preestandum, ne ita quaeramus iusticiam legis, ut fidem tollamus, neve confidamus illa legis impletione. Certo statuendum est, quod fide propter Christum iusti reputemur, qualis qualis sit illa legis impletio, quae sequi debet.

28. Sophistae tantum loquuntur de legis impletione, de fide non dicunt, fingunt nos iustos reputari propter illam impletionem legis, non per fidem.

29. Et sumus iusti per illam iusticiam, non iusticia legis, quam Deus non acceptat, nisi propter fidem, qua mediatorem Christum apprehendimus.

30. Hinc facile omnes sententiae de operibus explicari possunt. Nunquam potest fieri lex, aut si quid fit, non est acceptum, nisi prius fide apprehenderimus mediatorem Christum, sic docet Christus: Sine me nihil potestis facere.

31. Ergo quandocunque laudantur opera, necesse est intelligi, quod fides adsit, quia sine Christo nihil placet Deo.

32. Insania est imaginari, quod lex vere fiat sine Christo, tantum igitur opera propter fidem sunt accepta.

33. Iacobus dicit: Iustificamur fide et operibus, quia opera iustificant iusticia legis, quae certe fidem sequi debet, sed tamen haec iusticia legis, non est iusticia coram Deo, nisi propter fidem.

34. Et haec sequentia opera, quia propter fidem placent, etiam meritoria sunt, non iusticiae aut vitae aeternae, sed aliorum bonorum corporalium et spiritualium.

35. Lex enim habet mercedem, quare in nobis impletio legis meretur certa praemia.

36. Cum dicimus: Sola fide iustificamur, intelligi hoc debet, non tantum quod fides initio accipiat remissionem peccatorum seu convertat, sed etiam quod deinceps sola fides reputetur a Deo pro insticia, tametsi impletio legis necessario sequitur: verum haec impletio legis non est accepta coram Deo, nisi propter Christum, qui apprehenditur fide.

37. Ita habent conscientiae certam consolationem in Christo per fidem, et sciunt quomodo operandum sit, et quae opera placeant, et quod fide per Christum accipiant Spiritum sanctum, ut bene operari queant.

38. In summa: Conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

39. Aristoteles recte et prudenter dicit, medium in virtute, constituendum esse proportione geometrica non arithmetica.

(VIII.) *Alia disputatio: de antithesi humanarum opinionum, et verae sententiae de iustificatione.* (Opp. Basil. T. III. p. 304.)

Duo genera sunt eorum, qui dicunt, fide et operibus iustificari homines.

2. Primi sunt, Qui fidem tantum intelligunt de noticia historiae, et somniant homines pronunciari iustos simpliciter propter propriam dignitatem.

3. Iubent enim dubitare conscientias, an Deo placeamus.

4. Haec prima et vulgata opinio mere fanaticum somnium est.

5. Est enim extrema coecitas, somniare hominem legi satisfacere, hominem sine peccato esse. Haec deliramenta haerent in primo genere.

6. Et apud Paulum fides haud dubie significat fiduciam misericordiae, non tantum noticiam historiae. Loquitur enim Paulus de quadam fide, quae est motus pacificans corda, et quae agit aliquid in certamine conscientiae etc.

7. Et haec fides maxime pugnat cum dubitatione.

8. Facile confutari potest haec prima opinio, quia constat, neminem legi satisfacere. Constat et hoc, Paulo fidem esse fiduciam misericordiae. Constat item dubitationem impiam esse. Itaque etsi hoc somnium indocti adhuc retinent, tamen cordati omnes explodunt.

9. Vident enim cordatiores omnino fatendum esse, quod legi nemo satisfaciat, quod nemo sit sine peccato, vident Paulum prohibere, ne quis glorietur, agnoscunt dubitationem recte reprehendi. Fatentur Paulo fidem significare fiduciam misericordiae. Fatentur item, longe anteferri hanc fiduciam non solum ceremoniis, sed etiam operibus moralibus.

10. Habenda est igitur gratia his, qui haec monuerunt, et Ecclesiam tamen a priore opinione plus quam monstrosa liberarunt.

11. Sed haec secunda opinio ita docet, homines principaliter iustos esse fide, id est, fiducia misericordiae, minus principaliter propter dignitatem operum, eo quod legi nemo satisfaciat, ideoque fiducia misericordiae sarciat id quod deest.

12. Haec secunda opinio concinna est in speciem, ideo diligenter excutienda est.

13. Paulus enim diserte dicit: gratis, item: sine operibus, Item prohibet diserte: ne quis glorietur. Et Daniel inquit: non in iustificationibus nostris, sed in misericordia tua.

14. Secunda opinio etiam relinquit conscientias incertas, quia fides hic etiam pendet ex dignitate nostra, et ex aliqua parte legis. Nec tamen potest ille gradus legis constitui, qui Deo satisfaciat. Ideo non minus fit res incerta hic, quam iuxta priorem opinionem, idque conscientiae experiuntur.

15. Tertia est igitur nostra sententia, de exclusiva, quod iusti pronunciemur propter solam misericordiam in Christo promissam, et hanc misericordiam oportet fide apprehendi.

16. Seponendae interea sunt disputationes de libero arbitrio. Nam hic agitur, promissionem esse donationem, ut sit certa, non agitur illud, nos nihil agere, etsi hoc scire oportet, neminem legi satisfacere.

17. Haec facilia intellectu sunt, si quis semel constituerit, Paulo fidem significare fiduciam misericordiae, quia fiducia non potest niti communiter Deo et nostra dignitate.

18. Cum meritum tollitur ideo, quia nos nihil agamus, manent incertae conscientiae, quaerunt enim suam novitatem, et obrepit opinio, nos pronunciari iustos, non quia promissio sit gratuita, sed quia iam renovati simus, nunquam autem

minus novitatis conspicitur, quam cum maxime angitur conscientia.

19. Illa est recta via, ordiri a verbo, et quaerere in verbo consolationem. Nec somniandum est, quod novitas antecedat verbum, sed sciendum, quod sequatur verbum et fidem.

20. Non igitur tollimus opera, tantum ostendimus, unde conscientiae fiant certae, imo summa et difficilima opera praecipimus. Nam haec fiducia non est frigida noticia, sed est opus, quod perpetuo luctatur cum dubitatione et imbecillitate nostra, nec existit nisi in poenitentia.

21. Et Christiani sciant, se hanc fidem quotidie in omni invocatione, in omnibus periculis exercere debere.

22. Estque opus praecipue meritorium, et tamen existere et exerceri non posset, si penderet ex conditione dignitatis nostrae.

23. Idque tum consolatur pias mentes, tum adhortatur ad ea opera exercenda.

24. Si secunda opinio transfert fiduciam tantum ad misericordiam, non ad nostra opera, inflectitur quidem ad nostram sententiam, sed tamen quia videtur assuere conditionem, manent incertae conscientiae.

25. Manifestum est, Paulum de fiducia loqui, non de noticia historiae. Manifestum et hoc est, Paulum anteferre fiduciam non solum ceremoniis, sed etiam moralibus operibus, id si quis negat, plus quam *τετυφώμενος* est.

26. Non igitur id agit tantum Paulus, ut ceremonias abroget, sed collationem instituit omnium operum, seu totius legis, et eius beneficii, quod adfert Christus.

27. Ita igitur antefert, nos iustos pronunciari propter beneficium Christi, non propter legem, quia legi nemo satisfacit.

28. Secunda opinio, iubet homines quam minimum tribuere suae dignitati, scilicet, ne animis fiducia Christi excutiatur.

29. Quanto igitur magis hoc iuvat conscientias scire, quod vere gratis accepti simus, Id vero quantum accenderet bonas mentes, si scirent, se hoc statuere debere.

30. Et nihil est periculi detrahere fiduciam operibus omnino, cum tamen ipsa opera requirantur.

31. Itaque, ut teneamus certam et firmam consolationem, defendimus, statuendum esse, quod certo iusti simus gratis per misericordiam propter Christum fide.

32. Recte dicit Aristoteles, sua sponte homines bona et mala facere, et tamen verum illud est, quod ait Plato in Timaeo: Nemo volens malus est, sed mali fiunt tales propter pravum corporis habitum et effrenem educationem, *Κακὸς μὲν γὰρ ἑκὼν οὐδεὶς διὰ δὲ πονηρὰν ἕξιν τινὰ τοῦ σώματος, καὶ ἀπαίδευτον τροφήν.* Nocet igitur moribus barbarica ingluvies huius aetatis.

33. Heraclitus in hanc sententiam vere dixit: *ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη,* Nam in hanc sententiam Plutarchus interpretatur. Quodque Galenus physice dictum scribit, non displicet, quare etiam physice intellectum non improbamus.

(IX.) *Alia disputatio, de sententia dicti: Fide iustificamur.* (Opp. Basil. III. p. 307.)

Iusticia civiliter significat obedientiam erga superiorem, ut in Ethicis recte et erudite docet Aristoteles.

2. Et iusticia sic sumta significat nostram qualitatem, et nostra opera.

3. Et complectitur obedientiam pariter omnium mandatorum.

4. Hanc significationem Theologi intempestive philosophantes transtulerunt in Paulum, et somniaverunt a Paulo iustos dici, quia habeant qualitates ac virtutes, quibus legi obediant.

5. Id vero est docere fiduciam propriae qualitatis ac propriorum operum.

6. Ad eundem modum vocabulum gratiae depravant, qui gratiam intelligunt, non relative de misericordia seu gratuito favore, sed de qualitate.

7. Cum dicunt: Homines per gratiam Deo placere, intelligunt gratiam, non misericordiam Dei, sed dilectionem nostram.

8. Id quoque est docere fiduciam nostrae qualitatis, seu operum nostrorum.

9. Haec depravatio vocum inprimis obscurat Paulum.

10. Itaque cum de iustificatione disputatur, primum germana et simplex vocum significatio quaeri debet, quemadmodum in omnibus disputationibus initio faciendum est.

11. Verissimum enim illud est, quod Aristoteles inquit, hos qui vim vocum non tenent perinde decipi, ut falluntur in computando imperiti Arithmetices: *Ὥσπερ κἀκεῖνοι μὴ δεινοὶ τὰς*

ψήφους φέρειν ὑπὸ τῶν ἐπιστημόνων παρακούονται, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἐπὶ τῶν λόγων οἱ τῶν ὀνομάτων τῆς δυνάμεως ἄπειροι παραλογίζονται, καὶ αὐτοὶ διαλεγόμενοι καὶ ἄλλων ἀκούοντες.

12. Significat igitur iustificari apud Paulum proprie reputari iustum, est enim Ebraica consuetudine forense vocabulum, ut si quis dicat, Populus Romanus iustificavit Scipionem accusatum a Tribuno plebis, hoc est, pronunciavit iustum, innocentem.

13. Relative igitur intelligantur haec vocabula, non de qualitatibus. Iustus pro eo qui Deo placet, seu pro accepto. Iustificatio, acceptatio, approbatio. Iusticia, reputatio iusticiae, seu acceptatio passive.

14. Et gratia non nostram qualitatem, sed misericordiam in Deo significat.

15. Etsi verum est, quod in iustificatione fit regeneratio, et novae qualitates existunt in nobis, certe enim nova vita existit.

16. Sed non pronunciamur iusti, hoc est, accepti propter nostras novas qualitates ac mundítiem, sed per misericordiam propter Christum, ut paulo post dicemus.

17. Deinde, cum de iustificatione dicitur, discerni debent lex et promissio, in qua offertur reconciliatio per Christum.

18. Obedientia erga legem esset iusticia, si legem faceremus.

19. Sed quia legi nunquam satisfacimus, non est sentiendum, nos a Deo pronunciari iustos propter obedientiam erga legem. Non igitur quaerenda est in lege iustificatio, sed mens a lege ad promissionem misericordiae revocari debet.

20. Ideo Paulus ait: Homines fide iustificari, quia sola fides apprehendit promissionem.

21. Nam ideo fide iustificamur, quia est fiducia alieni beneficii, non nostrae qualitatis.

22. Haec sunt opposita inter se: fide iustificamur, et: fide iustificamur propter opera. Nam fide iustificari est iustificari fiducia misericordiae, non propter opera.

23. Ideo ridicula est interpretatio Sophistarum qui affingunt ad verba Pauli, fide iustificamur propter dilectionem.

24. Nec potest dici synecdoche: fide iustificamur, ideo, quia incoet renovationem, caeterum homines reipsa iustos esse propter sequentem dilectionem.

25. Nam synecdoche non comprehendit pugnantia, ideo enim fidei tribuitur iustificatio, hoc est, apprehensioni misericordiae, quia adimitur nostris operibus.

26. Sequitur igitur clare, quod homines sola fide iusti reputentur.

27. Haec tria diserte coniungi debent: Fide, hoc est, non propter nostram munditiem, sed fiducia misericordiae, consequimur remissionem peccatorum, item consequimur, ut iusti reputemur, item consequimur vitam aeternam.

28. Incerta esset remissio, si penderet ex conditione nostrorum meritorum, ideo sola fide accipimus remissionem peccatorum.

29. Incerta esset conscientia in homine renato, si postea sentiendum esset, homines reputari iustos propter opera, aut legis impletionem. Semper enim accusat nos lex.

30. Necesse est autem conscientiam habere firmam consolationem, quare et renati sola fide propter Christum reputantur iusti.

31. Necesse est et renatos sentire, quod per misericordiam iusti reputentur, non propter suas qualitates.

32. Et tamen verum est, quod fide etiam renovamur, cum enim liberet ex terroribus, parit gaudium et novam vitam in corde.

33. Sequitur eam et obedientia erga legem; quia postquam et iram Dei adversus peccata, et rursus fide misericordiam cognovimus, et sentimus Deo vere nos curae esse, diligimus et invocamus eum.

34. Liberi sumus a lege, non ita, ne fiat lex, sed quia obligatio cessat iustificationis per legem quaerendae, donatur enim iustificatio non propter legem, sed propter Christum.

35. Et haec opera legis, sunt iusticia, quatenus sunt obedientia erga legem, neque tamen propter ea reputamur iusti, quia non satisfaciunt legi, et certe persona est immunda, nisi fide remissionem impetret.

36. Sunt igitur bona opera meritoria, non remissionis peccatorum, aut iustificationis, aut vitae aeternae, quia tunc demum placent Deo, cum fiunt in iustificatis, prius igitur personam fide iustificari oportet.

37. Vita aeterna est merces, non quia opera sint precium dignum vita aeterna, sed postquam datur iustis vita aeterna propter aliam causam, simul compensat tamen bona opera.

38. Neque tamen habent tantum mercedem post hanc vitam, sed habent praemia et in hac vita, iuxta illud: Honora patrem et matrem, si vis esse longaevus super terram.

39. Hinc evidenter apparet, quod Evangelium non abolet legem.

40. Legem tollere ex hominum natura, est totam naturam et universitatem rerum dissolvere, ut si quis ordinem coelestium et aliorum corporum dissolveret.

41. Etsi subtiliter cogitatum est a Stoicis, duo esse prima et aeterna principia *λόγον καὶ ὕλην:* Tamen nulla afferri firma eius sententiae ratio potest, sicut neque Aristotelis rationes firmae sunt, quibus conatur persuadere, Mundum esse aeternum.

(X.) *Alia disputatio de exclusiva: Sola fide etc.* (Opp. Basil. T. III. p. 315.)

Neque intelligi, neque defendi potest haec sententia: Quod sola fides iustificet, si quis imaginatur, ideo fide homines iustificari, quia fides in nobis sit novitas quaedam, seu nova qualitas.

2. Si enim propter nostram novitatem iusti pronunciaremur, non solum propter hanc partem novitatis, sed multo magis propter totam novitatem, et omnes motus legi Dei consentientes, iusti pronunciaremur.

3. Et abiiciendae sunt istae imaginationes, homines ante regenerationem non esse iustos, quia nondum habent munditiem. Post regenerationem iustos esse propter munditiem, quam consecuti sunt.

4. Hae imaginationes oppresserunt Pauli doctrinam, quae tamen vel maxime necessaria est conscientiis.

5. Fide homines iustificari, est homines per misericordiam certo iustos pronunciari, modo ut id credant.

6. Nomen fidei significat correlative fiduciam alienae rei, scilicet misericordiae Dei.

7. Ergo haec propositio, Fide iustificamur, in sua simplici et germana significatione, est exclusiva, etiamsi non addatur particula, Sola.

8. Quia fides est fiducia alienae rei, excludens fiduciam cuiuslibet nostrae qualitatis aut operis.

9. Proinde simpliciter idem significant: fide iustificamur, et: sola fide iustificamur.

10. Et haec iustificatio traditur in Evangelio, ut sciamus, quomodo cum Deo agere debeamus, videlicet ut semper apprehendamus misericordiam. Quis autem adeo demens est, qui non cogitet sibi misericordia coram *Deo* opus esse?

11. Hoc tantum quaerunt conscientiae non vecordes, utrum illa misericordia sit certa, et quomodo sit certa.

12. Hic Evangelium docet nos, hanc misericordiam certam esse, et quidem gratis propter Christum.

13. Hoc igitur est fide iustificari, confugere ad illam misericordiam, et statuere, quod sit certa.

14. Scholastici, Campanus, et multi passim errant, Illi fidem intelligunt fidem formatam. Campanus dicit: fidem significare simul fidem et opera. Alii fingunt alias cavillationes.

15. Et hae cavillationes omnes oriuntur ex hac imaginatione, quod simus iusti propter illam novitatem, quae est fides, et alii motus in corde.

16. Et tamen necesse est corda renovari, et novos motus legi Dei consentientes existere in cordibus.

17. Neque tamen est fingendum, quod propter hanc novitatem iusti simus, sed per misericordiam propter Christum.

18. Summa huius doctrinae est, quod per misericordiam simus iusti, et quod misericordia sit certa.

19. Quis autem tam demens est, qui non cogitet sibi misericordia opus esse? quis est tam vecors ut non optet misericordiam certam esse?

20. Cum de his rebus oporteat conscientias doceri et confirmari, necesse est doceri, quod sola fide iusti pronunciemur.

21. Quia conscientiae nullam possunt habere certam et firmam consolationem, nisi sciant nos per misericordiam iustos pronunciari, et misericordiam illam certam esse.

22. Significat igitur iusticia non qualitatem, sed acceptationem: Iustus eum, qui acceptus est. Gratia misericordiam in Deo, seu gratuitam acceptationem. Iustificatio, reputari seu pronunciari iustum.

23. Paulus non tantum excludit ceremonias, cum detrahit operibus legis iustificationem, quia illae propositiones vere sunt contradictoriae: Fide misericordiae iustificamur, et operibus iustificamur.

24. Quia operibus iustificari est ex debito propter propria opera pronunciari iustum.

25. Non ideo detrahimus laudem meriti bonis operibus, quia bona opera non fiant nostris viribus, ut Augustinus disputat.

26. Imo ut maxime fiant auxilio Dei, tamen Scriptura pronunciat ea nostra esse, et promittit pro eis mercedem. Sunt igitur meritoria, perinde ac si omnino a nobis fierent.

27. Sed non sunt meritoria remissionis peccatorum, iustificationis et vitae aeternae, quia haec habent aliam causam. Si enim penderent ex conditione meritorum, tunc fierent incerta. Nullus enim sanctus affirmare potest, se habere sufficientia merita.

28. Periculosa est imaginatio, Deum dare vitam aeternam, non quidem propter opera naturalia, sed propter spirituales qualitates in nobis conditas. Non enim debet fiducia misericordiae transferri in nostras qualitates.

29. Et tentatio omnis excutit illas qualitates, et ostendit immunditiam nostram, ideo necesse est quaerere aliam causam vitae aeternae, scilicet gratuitam promissionem, et erigere corda fiducia illius gratuitae promissionis, ac certae misericordiae.

30. Haec sunt vera et consentanea dictis sanctorum, sed cum loquuntur extra disputationes.

31. Et haec omnia quae hic dicuntur de iustificatione, pertinent tantum ad conscientiam, luctantem cum iudicio Dei.

32. Interea enim oportet tamen sequi novitatem in nobis.

33. Et haec novitas est qualitas in nobis, et est iusticia legis seu impletio legis. Haec iusticia non est sola fides, sed timor, dilectio, invocatio, obedientia erga magistratus, castitas, et omnes virtutes, sicut Philosophi vocant universalem iusticiam, quae omnes virtutes complectitur.

34. Sed, ut prius dictum est, coram iudicio Dei, propter virtutes nostras non pronunciamur iusti, hoc est, accepti, semper enim intelligimus nobis opus esse misericordia.

Philosophicum.

In hoc Epigrammate venuste significatum est utrunque, et turbari mentem vino, et accendi corpora ad libidinem.

ὅπλισμαι πρὸς ἔρωτα περὶ στέρνοισι λογισμὸν,
οὐδέ με νικήσει μοῦνος ἐὼν πρὸς ἕνα,
θνητὸς δ' ἀθανάτῳ συνλεύσομαι, ἢν δὲ βοηθὸν
βάκχον ἔχῃ, τὶ ποιεῖν πρὸς δύ' ἐγὼ δύναμαι.

Hoc est:

Sum satis illecebras contra munitus amoris,
Ne solum solus me superare queat.
Nec formido Deum, quamvis mortalis, at iste
Si Bacchi adiunget numina magna sibi,
Non hostes contra geminos contendere possum,
Et spolia ex uno est non grave ferre duos.

35. Ad haec Seneca ait, ebriosos etiam cum non biberunt, tamen furere. Idque voluit Paulus cum ait: Ne inebriemini vino, quae res parit *ἀσωτίαν*. Id defendimus recte et physice dictum esse.

(XI.) *Confirmationes sententiae Pauli: Fide iustificamur.* (Opp. Basil. T. III. p. 328.)

Pauli argumenta Rom. 4. recte et apte probant, quod non propter nostras virtutes aut opera pronunciemur iusti, hoc est, accepti coram Deo, sed tantum per misericordiam propter Christum, si tamen hanc fide apprehendimus.

1. Primum sumtum est ab autoritate, hoc est, ex testimonio Scripturae, in quo clare definitur, quomodo reputemur iusti.

Locus in Genesi clare dicit, Abraham pronunciari iustum, quia crediderit. Igitur pronunciamur iusti, non propter nostras virtutes et opera, sed per misericordiam, cum hanc fide apprehendimus.

2. Secundum sumtum est ex definitione iustificationis, quae in Psalmo traditur.

Iustificatio est proprie remissio peccatorum, iuxta illud: Beatus vir cui non imputat Dominus peccatum. Item: Beati quorum remissae sunt iniquitates. Igitur pronunciamur iusti, non propter nostras virtutes, sed per misericordiam.

3. Tertium sumtum est ex ordine causarum et effectuum.

Abraham pronunciatur iustus ante circumcisionem, Igitur circumcisio non iustificat.

4. Quartum sumtum est ex causa iustificationis, scilicet ex promissione, et fit argumentum ex natura relativorum.

Omnis promissio fide accipitur. Iustificatio est res promissa, igitur necesse est eam fide accipi.

5. Quintum sumtum est ex proprio legis effectu.

Lex semper accusat conscientias, et ad desperationem adigit. Igitur lex non iustificat, quia conscientia desperans fugit et odit iudicium Dei, non diligit Deum.

6. Sextum est repetitio quarti, et explicatio, ac naturam fidei multo clarius ostendit, et est huius totius controversiae *σύνεχον*, quo non intellecto, non potest Pauli sententia teneri. Sumitur autem hoc argumentum ex causa promissionis, videlicet: Utrum nostra merita sint causa promissionis, an sola Dei misericordia.

7. Si promissio penderet ex conditione nostrorum meritorum, esset incerta et irrita. Nunquam enim habemus sufficientia merita, propter quae conscientia statuere possit, nos dignos esse remissione peccatorum, dignos esse, quos Deus reputet iustos et acceptos: item, dignos esse vita aeterna. Igitur necesse est, promissionem gratuitam esse, et non pendere ex conditione nostrorum meritorum, alioqui enim erit incerta et inutilis. Iam si pendet reputatio iusticiae, non ex conditione nostrorum operum, sed ex sola promissione, sequitur necessario, Homines pronunciari iustos, sola fide, accipiente illam promissionem, non propter nostras virtutes aut opera.

Hoc est quod inquit Paulus: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Item: Si ex lege consequeremur haereditatem, sublata esset fides, et irrita promissio.

Impia calumnia est, cavillari Paulum: quod abutatur Scripturae testimoniis, et hyperbolis quibusdam fidem immodice ornet, ut in re nova facilius alliciat homines ad Evangelium.

8. Itaque defendo, et testimonia a Paulo citata apte quadrare ad hanc causam, et ipsam causam his argumentis satis munitam atque confirmatam esse.

9. Defendo item Paulum intelligere fidem, fiduciam misericordiae, non noticiam historiae, aut praeceptorum.

10. Defendo et hoc, quod detrahat iustificationem non tantum ceremoniis, sed omnibus virtutibus ac operibus moralibus, et transferat eam ad misericordiam, quae non est incerta, ut in iudicio humano, sed certa iuxta promissionem.

11. Haec doctrina, quam sit necessaria, quam plena consolationis, ita recte iudicari poterit, si eam experiamur.

12. Haec autem fides concipitur in poenitentia, ideo impii, neque quid sit fides, neque quae sit fidei vis intelligunt.

(XII.) *Alia disputatio*: *de Fide.*

Etiam cum fides expectat liberationem corporalem, ut fides Mosi ad mare rubrum, aut fides Noae, aut Abrahae expectantis posteritatem: tamen haec fides existere non potest, nisi adsit fides credens remissionem peccatorum.

2. Ideo Paulus recte accommodat sententias citatas, ut, credidit Abraham Deo etc. Et recte dicit 1. Corinth. 10.: Omnes per Mosen baptizati sunt in nube et mari.

3. Itaque non intelligunt quid sit fides, qui dicunt Paulum abusum esse testimoniis.

(XIII.) *Alia disputatio*: *de sententia et confirmationibus Pauli.* (Opp. Basil. III. p. 330.)

Quod Origenes et alii interpretantur, Paulum abrogare ceremonias Mosaicas, cum disputat, neminem coram Deo iustum esse propter legem, non falluntur.

2. Sed Paulus magis belligeratur cum opinione, quam de lege habebant adversarii, quam cum ipsis ceremoniis, et causam abrogatae legis quaerit, quod videlicet ideo reiiciat ceremonias, quia nemo sit iustus coram Deo propter legem.

3. Itaque, quod Origenes interea affingit, homines iustos esse propter opera moralia, obruit beneficium Christi, et conscientias adducit in dubitationem.

4. Dubitatio est peccatum, quare necesse est, conscientiam certo statuere, quod simus iusti, hoc est, accepti Deo.

5. Illa certitudo nullo modo teneri potest, si pendet iustificatio ex conditione nostrae dignitatis seu operum moralium.

6. Defendimus igitur hanc esse Pauli sententiam: Quod pronunciamur iusti per misericordiam, non propter nostra opera, aut novitatem nostram, sed gratis, et tamen fide hanc misericordiam accipi oportet.

7. Fides significat fiduciam misericordiae, iustificatio intelligitur relative, pro acceptatione, non pro infusione habitus. Iusticia hic non significat habitum in nobis, ut in Philosophia, sed significat relative acceptationem.

8. Defendimus et exclusivam a Paulo doceri, scilicet: Quod sola fide iustificemur, hoc est, quod fiducia misericordiae non pendeat ex conditione nostrae dignitatis. Imo nihil aliud venit in quaestionem apud Paulum, nisi illa exclusiva, et hoc proprie intelligit Paulus, quoties ait: Fide iustificamur. Sentit enim, quod iusti pronunciemur, non propter nostram dignitatem, opera, novitatem, sed gratis propter Christum.

9. Defendo ad hanc sententiam proprie et recte quadrare argumenta, quae affert Paulus.

I. *Ex testimoniis Scripturae.*

Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iusticiam. Hic Scriptura pronunciat Abraham iustum, quia crediderit. Igitur fide iustificamur.

II. *Ex definitione.*

Iustificatio est tantum remissio peccatorum, sicut Psalmus ait: Beati quorum remissae sunt iniquitates. Igitur sumus iusti, non propter nostras virtutes, sed divina acceptatione, quae approbat indignos.

III. *Ex ordine causarum et effectuum.*

Abraham pronunciatur iustus ante circumcisionem: igitur circumcisio non iustificat. Circumcisio et postea cultus legis habuerunt praecepta Dei: ergo si opera iustificabant, necesse fuit, idem sentire etiam de his operibus. At aperte testatur Scriptura, Abraham et Davidem non esse iustos propter cultus legis, igitur neque moralibus operibus erant iusti.

IV. *Ex causa promissionis, Estque συνέχον totius negocii.*

Promissio pendens ex conditione legis, fit incerta.

Promissionem reconciliationis oportet esse ratam et certam.

Igitur promissio reconciliationis non pendet ex conditione legis, sed accipitur sola fide, non propter legem aut operum dignitatem.

Maiorem probat hoc modo.

Lex semper accusat et condemnat conscientias: igitur promissio pendens ex conditione legis fit incerta.

Hinc etiam sumitur argumentum de effectu legis.

Lex tantum accusat et condemnat, et affert desperationem et odium Dei: ergo lex non iustificat, itaque non pendet iustificatio ex conditione legis, tanquam ex causa et precio.

Haec sunt argumenta Pauli, Rom. 4. quae defendo esse firma, et propria huic causae. Nosque τὸ ῥητὸν defendimus, et sententiam ex ipsis Pauli verbis haurimus, quam saepe inculcat Paulus. Et cum adversarii non retinentes τὸ ῥητὸν, gignant sententiam dissidentem a verbis Pauli, in qua multa insunt aperte falsa, rectius est sententiam retinere, quam propria verba Pauli pariunt.

Haec praeconia de fide: Fide iustificamur, non sunt hyperbolae, aut synecdochae, sicut quidam scribunt, qui interpretantur, Paulum servientem tempori, rhetoricis aut potius sophisticis encomiis plus iusto voluisse fidem ornare, ut his laudibus plures ad Christum attraheret, aut certe, ut durius castigati Iudaei, superstitiosam persuasionem de ceremoniis, quas pertinacissime defendebant, abiicerent. Ac Ricius plus quam iudaizat, qui Pauli sententiam transformat in durissimam hyberbolen, et contendit, non solum moralibus operibus, sed etiam ceremoniis tribuendam esse iustificationem.

12. Non reddunt Pauli sententiam, qui hanc synecdochen comminiscuntur: Fide iustificamur incoative, quia fides regenerat et affert novas qualitates. Et indicant renatos verius propter sequentes qualitates iustos esse, quam gratuita imputatione.

13. Et prorsus corrumpit Pauli sententiam synecdoche Scholasticorum, qui interpretantur, fide iustificamur, scilicet formata charitate. Aperte enim transferunt iustificationem ad nostra opera, cum contrarium velit Paulus.

14. In quarto argumento, ubi dicit: Ideo non pendere promissionem ex conditione legis, ut rata sit, non loquitur de praedestinatione, sed de certitudine nostrae mentis erga Deum.

15. Adversarii neque τὸ ῥητὸν in Paulo retinent, quia sententiam quandam gignunt ex humana ratione contra verba Scripturae, neque tenent τὴν διάνοιαν, quia in ipsorum sententia multa insunt manifeste falsa, et pugnantia inter se.

16. Nam manifeste falsum est, remissionem peccatorum contingere propter nostram dignitatem: nunquam enim certi essemus de remissione, si ex conditione nostrae dignitatis penderet. Ma-

nifesta impietas est, quod iubent dubitare, utrum simus in gratia, utrum habeamus remissionem peccatorum, quodque dubitationem negant esse peccatum. Et stultissimum somnium est, quod fingunt, homines consequi posse remissionem dubitante conscientia.

17. Item manifestus error est, quod docent, homines legi Dei satisfacere posse. Denique haerent alii multi errores in adversariorum doctrina.

(XIV.) *Alia disputatio: de Iustificatione fidei, et iusticia legis seu universali.*

Iustificatio nullis operibus aut meritis humanis, sed solis fidei, quae est fiducia misericordiae propter Christum promissae, tribuenda est.

2. Nihil enim aliud est iustificari, quam a Deo condonari peccata, et imputari iusticiam credentibus, ut David definit.

3. Et haec beneficia non pendent ex conditione meriti, seu dignitatis nostrae, sed gratis propter Christum promittuntur.

4. Imo nisi remissio peccatorum sit gratuita, non potest dici remissio, sed potius est quaedam compensatio et satisfactio pro peccatis.

5. Eodem modo imputatio iusticiae, nisi gratis fiat, non erit imputatio secundum gratiam, sed debitum potius.

6. Certum est ergo, neminem ex operibus legis, nedum ex observatione traditionum humanarum, sed omnes sola fide in Christum, coram Deo iustificari.

7. Quod vero Paulus ait, dilectionem esse legis impletionem, dictum est legaliter, nec pugnat cum nostra sententia.

8. Sed interea etiam hoc affirmamus, novitatem vitae in reconciliatis esse necessariam.

9. Nec tamen ideo bona opera sunt aliqua partialis causa iustificationis.

10. Et blasphemi sunt in Christum, tam ii, qui operibus et fide pariter iustificari nos sentiunt, quam qui solis operibus iustificationem attribuunt.

11. Caeterum, iusticia in philosophicis disputationibus, non significat imputationem iusticiae, seu divinam acceptationem.

12. Hanc enim gratuitam Dei misericordiam ratio naturalis prorsus ignorat.

13. Sed significat qualitatem, seu habitum in nobis, ac vel in genere obedientiam erga omnes leges, vel tantum eam virtutem, quae in ordinatione personarum, et contractibus suum cuique tribuit.

14. Haec est praecipuum vinculum societatis in consuetudine hominum, quo dissoluto, necesse est dissipari, et corruere Respublicas.

(XV.) *Alia disputatio: de Fide vincente dubitationem.*

Discernendae sunt promissiones additae legi, et illa, quae est Evangelii propria, videlicet, promissio reconciliationis propter filium Dei.

2. Paulus ait, promissionem Evangelii propriam, gratuitam, et fide accipiendam esse, Roma. 4. Ideo ex fide gratis, ut firma et promissio.

3. Cum accipi promissionem fide oporteat, fides necessario significat assentiri illi promissioni, et cum dubitatione pugnat.

4. Ergo impie obruunt Evangelium, qui semper iubent dubitare, an Deo placeamus, et docent eam dubitationem non esse peccatum.

5. Hac dubitatione filius Dei contumelia afficitur, quia quaeritur reconciliatio, non propter filium Dei, sed propter dignitatem propriam.

6. Et ambigenti animo excutitur consolatio, et corrumpit praecipuos Dei cultus dubitatio.

7. Nam invocatio dubitantis, an Deo curae sit, an placeat Deo, an audiantur suae preces, est ethnica invocatio, et nihil differt ab invocatione, quam recitat Vergilius: An te genitor, cum fulmina torques, nequidquam horremus.

8. Dubitatio parit contemtum aut odium Dei, haec sunt peccata, quae, ut Paulus ait, per legem existunt.

9. Recte Iacobus inquit: Petat in fide non haesitans.

10. Vult Deus sibi hunc honorem tribui, quod vere propter filium suum nos recipiat et audiat preces nostras. Sic vult invocari, non ut invocant Xenophon aut Cicero, seu Academici, quales nos esse volunt, qui iubent dubitare.

11. Tenendum est dictum Iohannis: Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Ergo non credens promissioni Evangelii, non tribuit Deo laudem veritatis.

12. Quoties incipis dicere precationem, quoties invocas Deum in omnibus negociis, initio cogita, et propicium esse tibi Deum, et certo audiri

tuas preces, propter filium Dei, sicut inquit ipse: Quidquid petieritis patrem in nomine meo etc.

13. Nisi praeluceat haec fides in invocatione, precatio est inanis.

14. In hoc exercitio disces veram esse propositonem, proprie loquendo, Sola fide coram Deo iusti, id est, accepti seu reconciliati sumus.

15. Et tamen verissima est propositio, Reconciliatum necesse est habere incoatam obedientiam spiritualem, et iusticiam bonae conscientiae.

16. Amissa iusticia bonae conscientiae, excutitur fides, et amittitur gratia, iuxta illud: Summa mandati dilectio ex corde puro, conscientia bona, et fide non ficta.

17. Vera est propositio, et in quarto modo dicendi per se: Sola voluntate volumus, etiamsi voluntas nunquam est sola, sed semper cum intellectu coniuncta. Ita vera est propositio: Sola fide sumus iusti, id est, accepti, etiamsi fides nunquam est sola.

18. Nec tamen de verbis litigamus. Rem retinere cupimus, ut intelligant bonae mentes, se habere condonationem, et placere Deo propter filium ipsius, fide, non propter legem, seu propriarum virtutum dignitatem.

19. Nec dubium est, hunc esse consensum propheticae et apostolicae scripturae, sicut et Petrus in Actis adfirmat.

20. Ideo detestanda est adversariorum rabies et pertinacia, qui damnant has sententias de fide, ac insuper iubent dubitare, et vocabulum fidei depravant, quo non aliud intelligunt, nisi professionem historiae de Christo.

21. Non est synecdoche, cum dicitur: Fide iustificamur, sed proprie sic dicitur: Et fides significat fiduciam misericordiae promissae propter filium Dei. Haec fides intuetur promissionem, sicut Paulus Roma. 4. docuit.

22. Finis hominis non est voluptas, ut Epicurus inquit, et vox illa Epicuri, quam citat Athenaeus, non tam hominis est, quam pecudis, *ἀρχὴ καὶ ῥίζα παντὸς ἀγαθοῦ ἡ τοῦς γαστρὸς ἡδονὴ, καὶ τὰ σοφὰ τὰ περισσὰ ἐπὶ ταύτην ἔχει τὴν ἀναφορὰν.*

23. Nec Aristotelis sententia de fine bonorum integra est, nam et verae rationis iudicio finis est hominis, Deum celebrare, et propter Deum recta facere.

24. Hoc iudicium manet in mente, etiamsi in hac naturae depravatione non acquiescit voluntas in Deo, vel quia de providentia dubitat, vel quia fugit Deum offensum.

25. Ratio causarum ostendit, celebrationem Dei, finem esse hominis, quia natura condita est debitrix conditori, et homo ad imaginem Dei conditus est, ergo lucere Deum in illa imagine oportuit.

26. Lex naturae est pars imaginis Dei, tunc enim imago mutilata est.

(XVI.) *Alia disputatio: de Fide.*

Rectissime et suavissime dicit Chrysostomus: Fide non solum diligimus Deum, sed etiam credimus nos diligi a Deo, quanquam multipliciter reos, et nobis remitti peccata.

2. Recte etiam dicit, hunc fidei cultum praestantiorem esse, quam reliquos cultus, ut non furari, non occidere, et addit duas causas.

3. Nam fide agnoscimus aliquo modo Deum.

4. Item: Fide tali tribuimus Deo summam gloriam, quod nos non simus iusti, sed ipse sit iustus et iustificans. In caeteris operibus non sic tribuimus Deo gloriam.

5. Sic non loquuntur de fide Papistae, quare non opponant nobis autoritatem patrum, quos iniuste fingunt patrocinari erroribus et impietati.

6. Christus iubet diligi inimicos. Id non pugnat cum dicto Pindari, qui iubet amico amicum esse, inimicum vero adoriri lupi more. Verba sunt haec:

φίλον εἴη φιλεῖν.
Ποτὶ δὲ ἐχθρὸν ἅτε ἐχθρὸς ἐὼν,
Λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι,
Ἀλλ' ἄλλοτε πατέων ὁδοῖς σκολιαῖς.

7. Stomachus frigidior est appetentior cibi, et tamen in aestate ventriculus minus cibi appetit, quo tempore ventriculus frigidior est.

(XVII.) *Alia disputatio: de discrimine promissionum Legis et Evangelii.*

(Opp. Basil. T. III. p. 320.)

Promissiones legis habent conditionem legis, ut: Qui fecerit ea, vivet in eis.

2. Promissio novi Testamenti non habet conditionem legis, tanquam causam aut meritum, sed propter Christum gratis, non propter legem, offert remissionem peccatorum, reputationem iusticiae, et vitam aeternam, et haec est propria novi Testamenti seu Evangelii promissio.

3. Si promissio novi Testamenti penderet ex conditione legis, nihil esset nisi lex, nec magis iuvaret perterrefactas conscientias quam lex.

4. Ad haec prorsus irrita et inutilis esset promissio, habens conditionem impossibilem.

5. Nemo enim satisfacit legi Dei, sicut David clare testatur, cum ait: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

6. Ut igitur promissio sit firma, hoc est, ut certo consequamur promissam reconciliationem, necesse est, in ea, sine conditione legis, et non propter legem, offerri reconciliationem.

7. Ac oportet conscientiam certam esse de remissione peccatorum, et reputatione iusticiae, et donatione vitae aeternae.

8. Nam conscientia dubitans, an Deo placeat, odit et fugit iudicium Dei, et ruit in desperationem.

9. Opinio Sophistarum, quae iubet dubitare conscientiam, an Deo placeat, prorsus est impia, et tollit universum verum cultum Dei et invocationem. Quomodo enim invocabunt, nisi crediderint? inquit Paulus.

10. Tollit et universam consolationem conscientiarum, denique abolet universum Evangelium.

11. Hic locus, quod promissio debeat esse certa, hoc est, quod conscientia debeat certo statuere, quod consequatur remissionem peccatorum, et reputationem iusticiae, item quod promissio non habeat conditionem legis, totius controversiae de iustificatione *σύνεχον* est.

12. In hunc igitur locum, quod promissio debeat esse certa, item quod habeat conditionem legis, semper intueri nos oportet, et ut hinc firmam et certam consolationem ac doctrinam, de vero cultu Dei sumamus, et ut fontes sententiae Pauli cognoscamus.

13. Nam hinc intelligi potest, quare doceat Paulus, quod sola fide iusti reputemur, scilicet, quia iusti reputamur, non propter legem, sed certo per misericordiam propter Christum.

14. Si enim non propter legem, sed gratis pronunciamur iusti, sequitur nos fiducia solius misericordiae iustos reputari.

15. Quanquam autem promissio novi Testamenti non habet conditionem legis, tanquam causam, tamen obedientia erga legem sequitur promissionem, tanquam effectus, seu debitum. Sicut ortum Solis sequitur aëris calefactio, et tamen calefactio aëris non est causa, cur Sol oriatur. Item connubium sequitur soboles, et tamen soboles non est causa connubii.

16. Quanquam sequitur obedientia illa promissionem, tamen non est causa remissionis peccatorum, cum peccata remitti constet, etiamsi adhuc plena sit natura peccatis.

17. Praeter promissionem propriam novi Testamenti, sunt et legales promissiones, quia enim obedientia legis sequi debet, habent et opera suas promissiones.

18. Tales sunt: Date et dabitur vobis. Frange esurienti panem, et Dominus exaudiet te.

19. Cum nemo legi satisfaciat, hae quoque promissiones inutiles et irritae essent, sine promissione Evangelii.

20. Sicut igitur lex impletur imputative per Evangelium, ita promissiones legis fiunt utiles et ratae per Evangelium.

21. Postquam enim fide habemus id, quod lex requirit imputative, hoc est, postquam iusti pronunciamur, opera iam merentur mercedem, ac si legi satisfactum esset.

22. Et quidem legi satisfecimus imputative. Pronunciamur enim iusti propter Christum, perinde ac si legi satisfecissemus.

23. Placent igitur illa opera, non propter suam dignitatem, non quia legi satisfaciant, sed placent propter Christum, per quem persona est accepta, quae apprehendit misericordiam propter Christum promissam.

24. Non igitur iustificant illa opera. Nam et persona est accepta propter aliud, et opera ipsa per sese legi non satisfaciunt.

25. Quare semper statuendum est, nos indigere misericordia, quia et natura est immunda, et opera sunt immunda, et sentiendúm est, nos reputari iustos propter Christum per misericordiam.

26. Et haec fides ad personam referatur, quod persona placeat per misericordiam.

27. Quod Paulus dixit: Omne quod non est ex fide, peccatum est, fidem vocat fiduciam misericordiae, sicut alias. Non vocat fidem tantum noticiam legis, aut obedientiam erga legem.

28. Noticia legis est timor, fides autem est fiducia misericordiae.

29. Ideo autem peccatum est, quod non fit ex fide, quia dubitatio conscientiae est peccatum et desperatio.

30. Quod facile potest intelligi, si ad personam referatur. Persona dubitans an placeat Deo, non sentit se exaudiri, ideo non vere invocat Deum, imo irascitur Deo, fugit et odit iudicium Dei. Iam si persona est immunda, opus etiam immundum est.

31. Econtra, cum persona habet fiduciam misericordiae, credit se exaudiri, vere invocat Deum, non irascitur Deo. Postquam igitur persona placet, placent et opera. Ita si fides ad personam referatur, facilius intelligi potest, quomodo ex fide fieri bona opera debeant.

32. Haec doctrina de dubitatione eximenda, necessaria est, et quia hoc peccatum, videlicet perpetuam dubitationem de misericordia, non fere intelligunt homines, diligenter hac de re admonendi sunt, ut luctari cum impietate naturali discant, et dubitationem fide superare.

33. Ita discent vere invocare Deum, et vere colere.

34. Hoc interest inter Evangelii doctrinam, et doctrinam hypocriticam. Hypocritica docet et cumulat cultus cum hac dubitatione. Evangelium contra docet hanc dubitationem impiam esse.

35. Ex his facile iudicari potest, quatenus valeant promissiones legales, et quomodo bona opera mereantur praemia, et quomodo conditio legis, quae re ipsa est impossibilis, per Evangelium suppleatur imputative.

36. Plato recte et venuste dixit: Coelestes orbes dissectos figura literae χ contrarios motus efficere.

(XVIII.) *Alia disputatio: de discrimine veteris et novi Testamenti, deque legis abrogatione.* (Opp. Basil. T. III. p. 303.)

Magnopere prodest tenere discrimen veteris et novi Testamenti, quia infiniti errores sparsi sunt in Scholis ac populo, propterea quia id discrimen non est intellectum.

2. Vetus Testamentum lex est, hoc est, Decalogus et aliae ordinationes politicae, et ceremoniae additae Decalogo.

3. Novum Testamentum non est lex, sed est remissio peccatorum et promissio gratiae, et donatio Spiritus sancti, et vitae aeternae propter Christum.

4. Etsi politia Mosaica desiit, nihil enim ad gentes pertinebat: tamen praecipua pars legis, quae vocatur moralis, et Decalogo continetur, non desiit, quia in natura scripta est.

5. Durat igitur eadem lex, tantisper, donec humana natura durat.

6. Non igitur vetus Testamentum ideo vetus intelligi putemus, quia post adventum Christi lex desierit, sed potius, quia lex prius publice promulgata est, quam Evangelium in totum mundum sparsum, et quia est doctrina coercens et mortificans veterem hominem.

7. Et Evangelium tum quoque cum lex doceretur, traditum erat, etsi nondum publice mundo promulgatum erat.

8. Quare non eo dicitur novum Testamentum, quod fuerit ignotum aut inutile tempore legis.

9. Imo Evangelium revelatum est longe ante Mosi legem.

10. Sed dicitur novum Testamentum, et quia Christus exhibitus est novissimis temporibus, et quia tunc demum in totum mundum publice sparsum est, cum antea pauci scirent, et quia in singulis hominibus succedit Evangelium vincitur et impletur.

11. Ita utrunque Testamentum, vetus et novum, hoc est: Lex et Evangelium semper in mundo extiterunt et existent.

12. Nam lex ad iustificationem coram Deo sine Evangelio simpliciter inutilis est.

13. Et patres iustificati et salvati sunt, non per legem, sed per Evangelium, quia fide acceperunt reconciliationem et Spiritum sanctum propter Christum.

14. Perniciosissime errant isti, qui somniant legem Mosi habuisse certa opera atque observationes, quibus tunc homines coram Deo iustificati sint. Et nunc Evangelium successisse, tanquam legem meliorem, quod ceremonias leviores tradiderit, et Decalogum requirit, ut his operibus iustificentur homines.

15. Multo magis errant Pontifices, qui putant humanas traditiones esse necessarias ad iusticiam novi Testamenti, sicut putant in lege Mosi, ceremonias fuisse cultus necessarios ad iustificationem.

16. Illa κακοζηλία legis Mosaicae hunc errorem apud imperitos peperit.

17. Cum lex Mosi praeter moralia habuerit et certas ceremonias, et certas politicas leges, de duabus partibus abrogatio facile intelligi potest.

18. Nam Evangelium tradit iusticiam Spiritus seu aeternam, iuxta illud: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate.

19. Non igitur necessariae, et politicae leges Mosi.

20. Atque hae tantum ad politiam Israël pertinebant, tantisper duraturae, donec illa respublica duraret.

21. Plane autem praedicit Scriptura, desituram politiam Israël, et successuram Evangelii praedicationem, spargendam in totum obem terrarum.

22. Sicut errant, qui *κακοζηλίαν* Mosaicarum ceremoniarum necessariam esse putant, ita errabat Carolostadius, qui fingebat ex lege Mosi res politicas iudicandas esse.

23. Quomodo simus liberi a Decalogo, difficilius est intellectu.

24. Nam is scriptus est in mentibus hominum, ut Decalogum abolere idem sit, quod mentem et creaturam Dei tollere.

25. Itaque non est abrogatus Decalogus ita, ne fiat, sed alia res ad iustificationem proposita est, scilicet promissio reconciliationis propter Christum.

26. Non igitur Decalogus, sed exactio iustificationis per Decalogum, et ius condemnandi homines (nemo enim implet praeter Christum) sublata sunt.

27. Et in istis solis sublatum est illud ius legis, qui fide apprehendunt promissam iustificationem propter Christum.

28. In his igitur abrogata est lex, qui fide vicerunt legem accusantem, perterrefacientem et condemnantem eos.

29. Hoc sentit Paulus, cum ait: Non estis sub lege, id est: Etsi non satisfacitis legi, tamen sentite vos iustos reputari propter Christum, non propter vestram impletionem legis, dilectionem aut opera.

30. Et tamen quia fides affert Spiritum sanctum et novam vitam, adfert et sapientiam ac iusticiam novam, videlicet dilectionem Dei, et alios motus legi Dei consentientes. Fides enim per Christum accedit ad Deum.

31. Non igitur ita liberati sumus a Decalogo, ne fiat, fieri enim necesse est, ideoque Spiritus sanctus datur, ut Christus glorificetur, et sublato peccato lex vere fiat in nobis.

32. Et hinc apparet, quare cum ceremoniae et iudicialia prorsus omittantur, Decalogum fieri necesse sit, quia Decalogus continet motus cordis, quales necessario secum adfert Spiritus sanctus. Ideo manet illa pars legis in hac spirituali et aeterna iusticia. Reliquae vero partes de externis ritibus cum non contineant res aeternas, sed alligatas locis et temporibus, non manent.

33. Quod Paulus ait, Credentes non esse sub lege, nullo modo debet detorqueri ad civilem vitam, sed ad iudicium conscientiae erga Deum.

34. Diligentissime admonendi sunt homines de illis Paulinis sententiis, ut sciant quo referri debeant.

35. Cum enim pauci sint spirituales, alii carnales transferunt illam libertatem ad civilia, et somniant, se in hac corporali et civili vita legibus solvi.

36. Evangelium pertinet ad conscientiam consolandam coram Deo, et ad vitam aeternam. Lex autem pertinet ad mundum et totam exteriorem vitam.

37. Imo mundus lege consistit, et dissipari omnia necesse fuerit legibus sublatis.

38. Et graviter dictum est a Pindaro, Legem imperare Diis etiam. Nam ordinatio haec voluntas Dei est, quae non potest esse sui dissimilis, ac viciosa.

39. Maxime prodest assuefacere rudes ad legum reverentiam: nihil enim perniciosus est privatim et publice quam legum dissipatio.

40. Sicut autem non iustificamur ceremoniis Mosaicis coram Deo, sed propter Christum: ita nec Pontificum traditionibus iustificamur coram Deo.

41. Nec sunt factae traditiones illae a patribus ad iustificationem, sed partim propter bonum ordinem in Ecclesia, partim propter disciplinam.

42. Sic gravissime scripsit Epiphanius, traditiones servari in Ecclesia, *διὰ τὴν ἐγκράτειαν καὶ διὰ τὴν πολιτείαν.*

43. Taxat enim Encratitas, qui sicut Monachi nostri prohibebant usum carnium et vini, ut per opera illa colerent Deum, et mererentur iustificationem.

44. Hanc opinionem reprehendit velut impiam, et addit alios fines traditionum, scilicet disciplinam seu castigationem carnis, aut politiam, hoc est, bonum ordinem in Ecclesia.

(XIX.) *Alia disputatio: de abrogatione legis.* (Opp. Basil. T. III. p. 323.)

Vetus Testamentum dicitur lex Mosi, quia prius revelata est cum publico testimonio quam Evangelium.

2. Novum Testamentum est Evangelium, quia etsi Evangelium ab initio mundi revelatum fuit, tamen illa revelatio fuit apud paucos, et Evangelium publice sparsum est in totum mundum, longe post revelatam legem Mosi.

3. Lex semper durat ab initio mundi ad finem.

4. Etiamsi certi quidam mores Mosaici non durant, qui fuerunt instituti ad discernendum illum populum ab aliis gentibus.

5. Durat tamen Decalogus scriptus in mentibus hominum. Manent et apud nos nostrae *πολιτεῖαι*.

6. Lex non ideo durat, quia Mosi data est, sed quia divinitus in animis scripta est.

7. Itaque donec manet hominum natura, manet lex.

8. Lex Moisi nihilo magis ad nos pertinet, quam leges Solonis, itaque tenemur lege, non propter Moisen, sed quia in natura scripta est.

9. Evangelium semper durat ab initio mundi usque ad finem, non quia in natura scriptum sit, sed quia revelatum est divinitus.

10. Patres non per legem, sed per Evangelium, eadem fide in Christum venturum salvi facti sunt, qua sancti nunc quoque salvi fiunt.

11. Legis abrogatio non debet intelligi de civili vita, etsi verum est, Mosaicam politiam nihil ad nos pertinere.

12. Lex tamen in nostris mentibus, scripta, et mores politici ad nos pertinent, et civilis vita semper est sub lege.

13. Imo sicut haec natura rerum consistit ordinatione temporum, et foecunditatis terrae atque animantium, ita lege consistit, nec posset retineri lex in mundo, nisi Deus retineret.

14. Sic senserunt et apud gentes magni viri. Plato ait: Legem Deum esse. Idem dixit Aristoteles secutus Platonem. Et Pindarus ait: Legem etiam Deo imperare, est enim voluntas Dei, quae non est sui dissimilis et viciosa.

15. Legis abrogatio tantum ad conscientiam consolandam coram *Deo* transferri debet.

16. Si necesse est manere Decalogum donec natura manet, facile intelligi potest, Decalogum non esse abrogatum.

17. Itaque non Decalogus sed exactio iustificationis per Decalogum abrogata est, et ius condemnandi homines: non enim iustificat Decalogus, sed sola fides in Christum.

18. Necesse est igitur fieri Decalogum, etsi non iustificat, nemo enim implet.

19. Et in his tantum abrogata est lex, qui fide in Christum vicerunt legem, quae accusabat et terrebat conscientias.

20. Ita lex fuit abrogata semper sanctis patribus, videlicet, quia fide liberabantur a terroribus legis, et sentiebant se fide iustos reputari propter Christum.

21. Politia Moisi ideo non est necessaria, quia nobis non est data lex Mosi, sed tantum populo Israël.

22. Sicut igitur patres tenebantur sua politia, ita nos nostris tenemur.

23. Et tamen sicut patres non sunt iustificati coram Deo sua politia, ita nos non iustificamur coram Deo nostra politia.

24. Utrumque necessarium est, et alere reverentiam legum, et ostendere piis conscientiis liberationem a lege, quae fit per fidem.

25. Virgilius recte descripsit Cometas, cum ait: Nec diri toties arsere Cometae. Ostendit enim Cometam non esse stellam, sed ardentem exhalationem. Et dirum vocat propter tristeis significationes, sicut Lucanus ait: Et terris mutantem regna Cometen.

(XX.) *Alia disputatio: de libertate Christiana.* (Opp. Basil. T. III. p. 313.)

Libertas Christiana non est politica aut externa libertas, sed est gratis liberari a peccato, a potestate Diaboli, et a morte aeterna. De hac libertate loquitur Christus, cum ait: Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.

Faciemus autem docendi causa gradus quatuor. Primus gradus est, gratuita remissio peccatorum et gratuita imputatio iusticiae, propter Christum.

2. Secundus gradus est, qui necessario coniunctus est cum priore, donatio Spiritus sancti, et vitae aeternae, et auxilium Dei contra Diabolum.

3. Tertius gradus versatur in rebus exterioribus, sed habet in superioribus gradibus causam. Est autem libertas, quod non necesse est, nos retinere ceremonias et politiam Moisi.

Quia reputamur iusti, non propter nostras observationes, sed propter Christum, ideo non est opus observationibus Mosaicis.

Item, quia Evangelium docet de iusticia aeterna ac vita aeterna in corde, igitur non requirit ceremonias aut politica Mosi.

4. Ex iisdem rationibus sequitur quartus gradus libertatis, videlicet quod humanae traditiones non sunt existimandae necessarii cultus, ideoque sunt ἀδιάφορα, et omitti sine peccato possunt.

Quaestio.

Si a lege Mosi liberati sumus, cur non et a Decalogo liberati sumus, cum ea pars legis vere sit difficilima?

Responsio.

Sic sumus a tota lege, et quidem a Decalogo liberati, quod ad iustificationem attinet, hoc est, quod propter Christum reputamur iusti, non propter Decalogi observationem. Item, quod Decalogus non habet ius damnandi hos, qui accipiunt remissionem peccatorum propter Christum.

Caeterum, non solum vita corporalis est subiecta legi, sed etiam vita spiritualis.

De vita corporali ac civili non est dubium. Sicut enim Evangelium non tollit naturam hominum, ita nec iura naturalia, quibus societas humana devincta est, itaque Evangelium non tollit res politicas.

Imo Evangelium subiicit vitam exteriorem politicis rebus.

Est et vita spiritualis subiecta legi, quia haec lex est aeterna et immutabilis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et diliges proximum.

Ideo ait Christus: Si vis ingredi in vitam, serva mandata.

Et Paulus inquit ad Romanos: Debitores estis. Quia omnes creaturae necessario debent obedire Deo.

Itaque neque a Decalogo, neque a politicis legibus liberati sumus, quod ad obedientiam attinet.

Decalogum in vita spirituali facere necesse est.

In vita corporali necesse est obedire politicis legibus.

Ideo autem liberat nos Evangelium a politia Mosi, quia concedit uti omnium gentium politiis, sicut aëre, cibo, vestitu, artibus apud omnes gentes utimur. Nam Evangelium non constituit politiam corporalem, sed docet de rebus aeternis.

Ergo cum Paulus ait: Non estis sub lege, item: Iusto non est lex posita, tantum accipi debet quod ad iustificationem attinet. Iustificatio enim ad Evangelium, non ad legem pertinet. Caeterum iusto et in vita spirituali et in vita civili est lex posita, quod ad obedientiam attinet.

Libertas traditionum sine primo et secundo gradu non est libertas Christiana, sed potius libertas barbarica, scythica, vandalica.

Cum politicis rebus vita exterior subiecta sit, debet et ceremoniis subiecta esse, quia sunt παιδαγωγίαι in politica vita necessariae.

Nec satis est vociferari: Episcopi non habent potestatem leges condendi, ideo licet violare traditiones. Debemus enim obedire etiam iniqua imperantibus.

Sed ita, ne opera illa instituant tanquam cultus, aut tanquam res profuturas ad promerendam remissionem peccatorum.

Cultus est opus, cuius proprius finis est, non corporalis utilitas aut disciplina, sed honos Dei.

Hae opiniones in traditionibus sunt impiae, videlicet, traditiones esse cultus, hoc est, opera, quae ex opere operato reddant Deo honorem, quae mereantur remissionem peccatorum, sicut ait Christus: Frustra colunt me mandatis hominum.

Paulus violat legem Moisi, ut doceat ceremonias legis non esse cultus novi Testamenti. Item, ut doceat homines gratis reputari iustos, non propter *legem.*

Et haec est firma causa excusans violantem traditiones, si cum talibus opinionibus praecipiantur.

Est et alia causa firma, videlicet, quod in novo Testamento hae res pronunciantur debere pro liberis haberi, ne putetur iusticia Christiana requirere tales cultus, tanquam necessarios.

Et hanc libertatem non tollebant Apostoli, cum conderent traditiones ad εὐταξίαν.

Adversarii nostri sic ratiocinantur: Ieiunia, feriae, et similia, sunt cultus Dei in genere praecepti in Evangelio. Et Episcoporum est, cultus in genere traditos in Evangelio determinare ad

certum modum. Igitur traditiones humanae sunt necessarii cultus.

In hac ratione hypotheses sunt viciosae: transformant enim Evangelium in legem Moisi, quia fingunt Evangelii iusticiam esse cultus similes Mosaicis. Deinde assuunt, homines habere potestatem cultus novi Testamenti similes Mosaicis instituendi.

Paulus has ipsas opiniones reprehendit, cum contra legem Moisi et traditiones concionatur.

Neque vero tantum hoc peccant adversarii, sed etiam addunt, quod haec opera traditionum mereantur remissionem peccatorum.

Has opiniones impias abiicere necesse est, et ut eximantur bonis, necesse est de libertate docere.

Non est autem necesse, mores ac ritus abiicere.

Imo verecunde utendum est libertate, quia mores sunt παιδαγωγίαι populo necessariae, quarum dissolutio parit infinita scandala. Et difficile est bonis, postquam libertatis exempla praebuerunt, sustinere talium scandalorum conscientiam. Occurrunt et aliae rationes, quae vexant conscientias inter exempla libertatis.

Ita dulcissimus gustus libertatis infuso aceto postea corrumpitur: quemadmodum Lysandrum, cum initio libertatem graecis civitatibus, quas occupabat, concederet, postea impositis praesidiis, acerbe eis imperaret, dixerunt, dulcissimum libertatis gustum infuso aceto corrupisse.

Prorsus quid senserit Aristoteles non intelligunt isti, qui in his verbis iudicant eum affirmare, animas immortales esse, cum ait, Intellectum agentem immortalem et perpetuum esse.

(XXI.) *Alia disputatio: de usu libertatis in ἀδιαφόροις et scandalo.*

Unus ex gradibus libertatis Christianae est, qui concedit nobis liberum usum τῶν ἀδιαφόρων, cibi, potus etc.

2. Praesertim quo ad meritum remissionis peccatorum, vel cultum.

3. Hoc est, ne ita sentiamus, nos harum rerum usu, vel abstinentia promereri remissionem peccatorum, aut praestare cultum, quem Deus requirat vel exigat.

4. Iuxta sententiam Pauli ad Colos.: Nemo vos iudicet in cibo et potu etc.

5. Sed tamen prudenter hac libertate utendum est, praesertim in casu scandali.

6. Quemadmodum et idem divus Paulus monet ad Rom. 14.: Verum si propter cibum frater tuus tristitia afficitur, iam non secundum caritatem ambulas.

7. Sed cavendum est, et ex altera parte, ne aliquando abstinentia nostra noceat piis.

8. Nam incidunt nonnunquam tempora, cum scandali vitandi causa hac libertate utendum sit.

9. Quemadmodum refertur exemplum ab Eusebio in Historia Ecclesiastica de Alcibiade, qui cum propter fidem in Christum vinctus teneretur, solis pane, sale et aqua victitare constituit, quem S. Attalus Martyr singulari revelatione divina admonitus increpavit, quod non recte faceret, qui et ipse creaturis Dei iuxta Scripturam non uteretur, et aliis occasionem scandali praeberet. Quo audito, Alcibiades coepit usitatis vesci cum gratiarum actione.

10. Quamobrem, caute ac prudenter et utendum est rebus mediis, et abstinendum, ne in utranque partem nostra exempla noceant aliis.

11. Recte Dionysius Heracleotes, doloribus calculi victus, a stoica disciplina descivit, et exclamavit falsa illa esse, quae de dolore antea sensisset, nempe, quod dolor non esset malum.

12. Nam experientia et ipsa natura eum coëgit, mutare priorem sententiam, cum videret dolore destrui ipsam naturam.

13. Idemque sentiunt Christiani, nempe dolorem esse malum, mortem esse malum.

14. Nam cum haec sint poenae peccati, recte iudicantur mala.

15. Sed proposita est nobis liberatio ex his et ex omnibus malis, per redemtorem nostrum Iesum Christum.

(XXII.) *Alia disputatio, de dicto Petri Actor. 15.: Neque nos neque patres etc.*

Petrus negans potuisse portari ceremonias, negat fideli corde, hoc est, glorificante Deum, spontaneo et hilari fieri potuisse.

2. Idem sentit in Ezechiele Dominus cum inquit: Dedi eis praecepta non bona, et pollui eos in muneribus etc.

3. Proinde non satisfiebat ceremoniis, quia primo Decalogi praecepto non satisfiebat.

4. Nam fidele cor exigitur primo praecepto.

5. Inde fit, ut non de ceremoniis modo, sed de universa lege intelligi debeat Petri sententia: Nec nos nec patres nostri portare potuimus.

6. Sic iudicandum est de similibus locis.

7. Ad eum modum qui psallunt, aut aliud quodcunque opus in specie bonum faciunt, sine cordis hilaritate, peccant.

8. Miserrima et vulgatissima hypocrisis est, vivere in bonis operibus sine fide, adeoque sine laetitia cordis in Deo.

9. Concilia non posse errare, tam falsum est, quam verum est, omnia quorum extant constitutiones, alicubi peccasse.

10. Una et simplex fidei regula est, scriptura canonica.

11. Misere ineptiunt Parisienses, qui principia fidei vocant Conciliorum et Scholarum dogmata. Anno M. D. XXI.

(XXIII.) *Alia disputatio, de sententia: Iusto non est lex posita.*

Christus inquit: Non veni solvere legem, sed adimplere.

2. Et aeterna est obligatio obedientiae erga Deum.

3. Sed officia legis tria sunt: Lex coërcet carnales, accusat, et requirit obedientiam.

4. Iusto non est lex posita, quod attinet ad haec duo officia, videlicet iustum neque coërcet lex, neque accusat.

5. Quia enim iustus est, non habet opus paedagogia coërcente, sed caro mortificatur poenitentia et veris affectibus.

6. Deinde, etsi nemo legi satisfaciat, tamen lex non accusat iustum, propterea, quod Christus redemit nos a maledictione legis, factus pro nobis maledictum.

7. *Ita* duo legis officia cessant iustis, manet tertium, videlicet, quod obedientia requiritur, sed non est assuenda opinio, quae tollit mediatorem Christum, quasi postea lege iusti simus, hoc est, propria dignitate..

8. Paulus non potest statuere, se dignum esse vita aeterna propter suam obedientiam, sicut inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum.

9. Persona est iusta, id est, habet remissionem peccatorum, et est accepta ad vitam aeternam, sola misericordia propter Christum promissa, iuxta illud: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur, hoc est, quod dicitur, sola fide.

10. Et tamen sequens obedientia necessaria est, et fit iusticia, quia persona est accepta.

11. Nihil periculi est bonae menti sic sentire, videlicet, ut in Domino glorietur.

12. Christus transfert gloriam impletae legis in mulierem, cum ait: Remittuntur ei multa, quia dilexit multum.

13. Et quidem docet, non accipi remissionem peccatorum, nisi a diligentibus.

14. Luna mensem conficit 29 diebus et 6 horis, fuit igitur tricesimus dies *ἕνη καὶ νέα*. Et tamen ad hanc Solon recte addidit mensi unum diem.

15. Iure reprehenditur Plato, quod putavit tracheam arteriam esse potus causa factam. Et tamen aluntur et pulmo, et trachea, videlicet per venam arterialem, ideoque recte dixit Poëta: *τέγγε πνεύμονας οἴνῳ.*

16. Etsi phlegma sua natura ciet *διαῤῥοίας, δυσεντερίας*, tamen cruditas in aestu magis parit *δυσεντερίας*, ideoque praecipue cavendae sunt cruditatum causae.

(XXIV.) *Alia disputatio, de sententia: Deus vult omnes homines salvos fieri.*

(Anno 1537. Vide epist. ad Mycon. d. 31. Oct. 1537.)

In disputationibus de praedestinatione, prudentia adhibenda est, ne colligantur illa *φορτικὰ*, quae perturbant conscientias, et labefactant fidem.

2. Tres sunt causae, quare haec sententia universaliter, sicut sonat, intelligenda sit: Deus vult omnes homines salvos fieri, scilicet, quod ad ipsius voluntatem attinet.

3. Nam et promissiones Evangelii sunt universales, et mandatum de Christo, ut credamus, haud dubie est universale. Deinde, si imaginanda esset particularitas, fides labefactaretur, quia conscientia dubitare cogeretur, an ad se pertineat promissio, si e regione statuendum esset, promissionem non esse universalem. Postremo Scriptura saepe affirmat, in Deo non esse *προσωποληψίαν*. Est autem *προσωποληψία* paribus simpliciter non tribuere paria.

4. Nos igitur simpliciter interpretamur hanc sententiam universaliter: Deus vult omnes homi-

nes salvos fieri, scilicet, quod ad ipsius voluntatem attinet.

5. Quoniam a verbo ordiendum est, et promissio est universalis. Iudicamus a posteriore, aliquam in nobis causam esse electionis, scilicet instrumentalem, apprehendere promissionem.

6. Et tamen misericordia principalis causa est electionis et iustificationis.

7. Voluntas nostra non est efficax sine Spiritu sancto, sed cum Evangelio se erigit et sustentat, adiuvatur a Spiritu sancto.

8. Vere enim statuendum est, quod Evangelii beneficia consequamur, in his est etiam donatio Spiritus sancti.

9. Quoniam a verbo ordiendum est, docendi sunt homines, ut repugnent naturali diffidentiae.

10. Non probo Manichaeos, qui nullam actionem voluntati humanae tribuebant, ne quidem cum a Spiritu sancto adiuvaretur.

11. Placet mihi Augustini dictum, qui ait: Eos, qui vocationis munus congrua pietate susceperint, et quantum in homine est, Dei in se bona servantes, adiuvat.

12. Ergo et agnoscendum est Dei beneficium, quod promissio sit universalis, et quod Deus velit nos iuvare: et excitanda est in nobis cura et diligentia, ne indulgeamus naturali diffidentiae, sed repugnemus.

13. Utrunque prodest piis mentibus, excitare diligentiam, et intelligere Dei auxilium.

14. Etsi alia subtiliter de electione disputari fortasse possunt, tamen prodest piis tenere, quod promissio sit universalis, nec debemus de voluntate Dei aliter iudicare, quam iuxta verbum revelatum, et scire debemus, quod Deus praeceperit, ut credamus.

15. Stoica doctrina *ἀπαθεία* est falsa et indigna Philosophis, pugnat enim cum Physica.

16. Hippocrates utiliter praecipit: *πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν*, Labores praecedant cibum. Item: *πόνος τοῖς ἄρθροισι καὶ σαρξὶ, σῖτος, ὕπνος σπλάγχνοισι*, Labor articulis et carni prodest, cibus et somnus visceribus.

(XXV.) *De Ecclesia disputatio.*

(Opp. Basil. T. III. p. 298.

Cum Ecclesia in symbolo sancta appellatur, necesse est Ecclesiam definire Sanctorum congregationem.

2. Sed ut a nobis etiam agnosci possit Ecclesia, necesse est eam certas notas externas habere.

3. Est itaque Ecclesia congregatio sanctorum, in qua Evangelium docetur, et Sacramenta administrantur.

4. Et tamen in illa congregatione saepe fit, ut mali etiam sint, quorum alii iudicari a nobis possunt, alii non possunt.

5. Fit etiam, ut ministri aliqui mali sint.

6. Et tamen licet per horum ministerium Sacramentis uti.

7. Ecclesia non est politia constituta ordinationibus humanis, sacrificiorum, sacerdotii et rituum.

8. Ideo in symbolo additur, Catholica, ut significetur eandem Ecclesiam per totum orbem sparsam esse, de doctrina consentientem, tametsi ritus sint dissimiles.

9. Nec ideo ab Ecclesia exclusi sunt, si qui ritibus utuntur aliis, quam Romanis.

10. Amplissimam consolationem continet articulus, qui praecipit credere, unam esse sanctam Ecclesiam, testatur enim Ecclesiam esse mansuram, nec fore ut a Deo abiiciamur.

11. Qui hunc articulum sic considerant, rectius eum intelligunt, quam qui inde colligunt, quod oporteat similes ubique ritus humanos esse.

(XXVI.) *Alia disputatio: de autoritate Ecclesiae, et de dicto Augustini: Evangelio non crederem etc.*

(Apogr. in Cod. Goth. 28. p. 95. et p. 102. ubi inscribitur: Disputatio de Ecclesia Phil. Melanchth., anno 1531. — Leguntur hae propositiones iam in opp. Basil. T. III. p. 291.)

Augustini verba: Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret autoritas, non hoc volunt, quod Ecclesiae autoritas maior sit, quam Evangelii, aut quod Ecclesia possit Evangelium abolere.

2. Sicut iudex non credit narrationi, nisi propter testes, nec tamen sequitur quod testes possint mutare narrationem. Item, nuncio credimus, nec sequitur, quod nuncius possit mandata mutare.

3. Ita Ecclesiae credimus tanquam nuncio, aut testi Evangelii, aut certe sicut Doctori credimus.

4. Stultissimum est somniare, quod Ecclesia fuerit ante verbum Dei. Certum est enim,

quod homines ab initio mundi vocati sunt, et renati per verbum Dei, sicut Adam vocatus est, audita promissione.

5. Quare ridicula cavillatio est, maiorem autoritatem Ecclesiae, quam Evangelii esse, quia Ecclesia fuerit ante scripturam, quasi vero Evangelium non fuerit, nisi postquam literis mandatum est.

6. Ecclesia proprie est congregatio sanctorum et habet externas notas, praedicationem Evangelii, et administrationem Sacramentorum.

7. Et tamen illi congregationi sunt admixti hypocritae et mali.

8. Et licet nobis uti Sacramentis, si porrigantur a malis, qui sunt in ministerio Ecclesiae, nisi sint aperte blasphemi, sicut Turci aut Iudaei.

9. Et tamen promissiones, quod Ecclesia sit columna veritatis, et similes, pertinent ad proprie dictam Ecclesiam, id est, ad Sanctos.

10. Interea[1]) in Ecclesia multi labi possunt, et abiicere fidem. Et accidit, ut existant admixti Ecclesiae impii, qui perniciose errent. Nam hoc quoque praedixit scriptura, multos fore Pseudochristos et Pseudoprophetas. Et diserte praedictum est a Paulo, futurum esse, ut Antichristus sedeat, hoc est, dominetur in Ecclesia.

11. Non igitur Ecclesia proprie dicta probat, quidquid probant mali Doctores, admixti Ecclesiae.

12. Si Ecclesia impiorum haberet promissionem, quod non posset errare, sequeretur pugnare scripturas, quae dicunt, quod Ecclesia sit columna veritatis, et quod sint futuri Pseudoprophetae in Ecclesia.

13. Ecclesia proprie dicta iudicans de scripturis, iudicat ex aliis scripturis, non ex propria opinione, sine testimonio Dei.

14. Igitur quod Ecclesia repudiavit quaedam Evangelia, repudiavit vel tanquam testis, quia sciebat esse *ἀδέσποτα*, aut repudiavit tanquam index, secuta scripturas certas.

15. Furor est, etiam in Canonibus damnatus, praeferre humanam autoritatem divinae.

16. Furor est etiam, existimare, quod de voluntate Dei, sine verbo Dei, sed tantum ex hominum consensu aut opinione, corda debeant statuere et credere.

17. Ad Ecclesiae unitatem satis est consentire de Evangelio et administratione Sacramentorum, non est necessaria similitudo traditionum humanarum.

18. Hae enim nihil pertinent ad vitam spiritualem, et sine eis existere fides et vita aeterna in corde potest.

19. Si indicaverunt et Apostoli de Pascate, concedentes, ut cum his observaretur, qui ex Iudaismo conversi erant. Et addunt, nihil referre, etiamsi illi non observarent iusto tempore. Verba extant apud Epiphanium, qui citat quoddam Apostolorum decretum: *ὑμεῖς μὴ ψηφίζητε, ἀλλὰ ποιεῖτε ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν οἱ ἐκ περιτομῆς μετ᾽ αὐτῶν ἅμα ποιεῖτε, κἂν*[2]) *πλανηθῶσι, μηδὲν ὑμῖν μελέτω.*

20. Canon, qui dicit: Frustra servari Evangelium, nisi serventur Canones Conciliorum, non vult observationem Evangelii, veram fidem et caritatem inutilem esse sine traditionibus humanis. Sed olim vocabant Canones, non traditiones de cibis et similibus nugis, sed decreta de dogmatibus contra haereticos facta, quales fuerunt Niceni concilii Canones. De his recte dicit Canon: Frustra servari Evangelium, nisi serventur Canones, quia illi Canones sunt ipsum Evangelium. Concilia enim non condunt novos articulos fidei, sed ipsos articulos positos in scripturis, ab haereticis labefactatos, restituunt Ecclesiae.

21. Vera Ecclesia etiam habet suam imbecillitatem, et suos lapsus. Sed tamen retinet fundamentum, de quo ait Paulus: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, etiamsi alii aliud superaedificent; nam alii aurum et argentum superaedificant, hoc est, vere laudata opera in scripturis; alii stipulas, hoc est, opiniones inutiles de cibis, et similibus rebus, et opera inutilia.

(XXVII.) *Alia disputatio: de vera et ficta Ecclesia, et de eodem dicto Augustini: Evangelio non crederem etc.* (Opp. Basil. T. III. p. 317.)

Ecclesiae autoritas maxima est; dicitur enim populus Dei, et allegat promissiones, quod non sit eam deserturus Christus.

2. Ideo necesse est, homines sanos moveri autoritate Ecclesiae.

---

1) Cod. Goth. *Interim.*

2) Cod. G. addit *δὲ*.

3. Sed quia econtra extant etiam comminationes, quae significant, in Ecclesia regnaturum esse Antichristum et impios Doctores, ideo necesse est de doctrina in consilium adhibere, non tantum vulgares opiniones in Ecclesia, sed aliud quiddam certius, necesse est et discernere Ecclesiam veram a ficta.

4. Plurimum igitur refert hoc tenere, semper in mundo duos esse populos qui inter se de Ecclesiae titulo dimicant.

5. Alter populus vere est Ecclesia. Alter nomen Ecclesiae sibi arrogat, cum reipsa non sit corpus Christi.

6. Ficta Ecclesia etiam gloriatur se habere verbum Dei, et quidem docet legem, habet cultus, habet praerogativas multas, antiquitatem, miracula, patrum exempla. Haec omnia detorquet ad se, sicut etiam promissiones ad se detorquet. Habet et gloriam ac regnum, idque regnum arbitratur se oportere defendere. Ideo persequitur veram Ecclesiam, tanquam impiam, blasphemam et seditiosam.

7. Econtra vera Ecclesia habet suas notas, docet enim non tantum Legem, sed et Evangelium. Caeterum, neque regnum habet, neque gloriam coram mundo, sed est operta formis crucis, audit blasphema, seditiosa, patitur persecutionem.

8. Sicut his titulis Christum synagoga ornabat: ita mundus perpetuo de vera Ecclesia iudicat.

9. Ideo et Paulus ait, Apostolos haberi tanquam καθάρματα et περιψήματα. Notum est autem, his verbis significari res execrabiles et damnatas, quibus pollui tota rerum natura putatur.

10. Difficile est autem sustinere talia iudicia, non solum foris coram mundo, sed etiam debilitantur interdum animi his iudiciis, ut dubitent, utrum Deo placeat hoc genus doctrinae, in quod Deus permittit tantam exerceri saevitiam.

11. Oportet igitur bene munitos esse Christianos adversus hos Diaboli impetus, ne fidem inter haec scandala abiiciant.

12. Imo vere gratias agant Deo, quod absint ab impiorum coetu, nec intersint iis sacrificiis et cultibus, quos Deus testatur se abominari, sicut Christus ait: Non recipiam libationes eorum de sanguinibus, nec memor ero nominis eorum in labiis meis.

13. Et erigant se his consolationibus, quod regnum Christi non sit externa quaedam politia, seu regnum mundi, sed quod vera Ecclesia sit subiecta cruci.

14. Quod de Ecclesia oporteat iudicari ex verbo Dei.

15. Quod ibi demum vera sit Ecclesia, ubi est pura Evangelii doctrina.

16. Quod oporteat magis credi Evangelio quam Ecclesiae.

17. Quod Augustinus ait: Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret autoritas. Haec verba non hoc volunt, quod Ecclesiae autoritas maior sit, quam Evangelii seu Scripturae, aut quod Ecclesia possit Evangelium abolere.

18. Sed cum fides affirmet aliquid certi de voluntate Dei, necesse est, eam non ab humana autoritate pendere, sicut et Iohan. inquit: Deum nemo vidit unquam, Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ille enarravit.

19. Ecclesia tantum testatur hanc scripturam divinitus acceptam esse, sicut nuncius testatur se mandata domini perferre.

20. Fides igitur, quae affirmat de voluntate Dei, pendet ex ipso verbo Dei, etiamsi ad cognitionem verbi invitatur Ecclesiae testimonio.

21. Sicut iudex non credit narrationi, nisi propter testes, nec tamen sequitur, quod testes mutare narrationem possint. Item: Nuncio credimus, nec sequitur, quod nuncius mutare mandata possit.

22. Ita Ecclesiae credimus tanquam testi aut nuncio.

23. Valet tamen Augustini sententia adversus haereticos. Cum enim necesse sit fuisse aliquam Ecclesiam, ac verum Dei populum, recte repudiantur dogmata, quae neque scripturae, neque ullius Ecclesiae testimonia habent, sicut Manichaei excogitaverunt novas revelationes, reiectis sacris libris. Ibi recte opponi potest Ecclesiae testimonium. Necesse est enim antea extitisse Ecclesiam, quare necesse est et verbum Dei extitisse.

24. Ita Augustinus pro scriptura allegat Ecclesiae testimonium. Ideo non sunt ferendi homines indocti, qui detorquent id dictum contra scripturae autoritatem.

25. Impium est dicere, quod scriptura sit incerta et ambigua, ita ut de rebus necessariis ad salutem, non possit ex ea sumi plana et certa doctrina.

26. Ideo cum Ecclesia iudicat de scripturis, iudicat ex aliis scripturis, non ex humana opinione, sine testimonio Dei.

27. Quod Ecclesia repudiavit quaedam *ἀδέσποτα* scripta, reiecit tanquam testis, cum sciret ea sine certo autore edita esse, aut tanquam iudex secuta alias scripturas.

28. Iniuria est, accusare homines defectionis ab Ecclesia, propter mutatas humanas traditiones.

29. Quia ad Ecclesiae unitatem satis est consentire de doctrina Evangelii, et administratione Sacramentorum. Nec est necessaria similitudo humanarum traditionum, hac enim nihil pertinent ad vitam spiritualem, quare sine eis existere potest fides et vita aeterna.

30. Etsi enim sua debetur Pastoribus obedientia, tamen istos sciamus vere desertores esse Ecclesiae, qui non recte docent Evangelium, et manifestam idolatriam defendunt, et retinere conantur.

31. Qui piam et necessariam Ecclesiae doctrinam damnant, et abolere conantur.

32. Qui ita requirunt traditiones humanas, ut propter earum mutationem accusent bonos defectionis ab Ecclesia.

33. Qui ut aboleant piam et necessariam Ecclesiae doctrinam. Item, ut retineant traditiones, quas ne ipsi quidem observant, infinitam crudelitatem in pios exercent.

34. Ut caetera omittamus, certe haec consolatio bono viro non contemnenda est, quod facile est iudicare, iurene isti sibi arrogent Ecclesiae titulum, qui talem saeviciam exercent, quae profecto minime decet Ecclesiam. Et est quaedam felicitas, nec autorem, nec administrum, nec suffragatorem esse illius crudelitatis, sicut David precatur: Ne perdas me cum viris sanguinum.

35. Plato inquit: Tunc unamquanque Rempublicam optime se habere, quando nomen suum ipsa sonat coram Deo et hominibus, hoc est, quando status ipse cum appellatione consentit.

36. Porro Ecclesia habet nomen ovium Christi. Hanc autem vocem non sonat ista Ecclesia, quae saevit in pios. Nec oves Christi sunt, qui Christum audire nolunt, nec Christi lenitatem imitantur, qui non hoc agunt, ut sanent homines, et consulant ambigentibus conscientiis, sed tantum trucidant.

37. Verba Platonis haec sunt: *ἥτις μὲν ἂν οὖν τῶν πολιτειῶν τὴν αὐτῆς φθέγγηται φωνὴν, πρός τε θεοὺς, καὶ πρὸς ἀνθρώπους, καὶ τῇ φωνῇ τὰς πράξεις ἑπομένας ἀποδιδῷ, θάλλειτε καὶ σώζεται, μιμουμένη δὲ ἄλλην φθείρεται.*

38. Luna vicenis diebus septenisque et tertia diei parte peragit cursum suum, et tamen a tricesima luce, ut inquit Plinius, ad easdem vices rursus exit.

(XXVIII.) *Alia disputatio: de obedientia et consensu Ecclesiae.*

Articulus in symbolo: Credo sanctam Ecclesiam catholicam, non solum significat esse unam aliquam Ecclesiam, sed etiam requirit obedientiam debitam ministerio externo.

2. Requirit enim consensum cum Ecclesia catholica, quare requirit obedientiam debitam ministerio.

3. Significat igitur Ecclesia catholica congregationem piorum, non solum in spiritu, sed etiam in externis aliquibus rebus consentientium, scilicet de ministerio.

4. Est autem una catholica Ecclesia, et qui ab ea discedunt, sunt impii et maledicti.

5. Ergo qui a ministerio Ecclesiae catholicae discedunt, sunt impii et maledicti.

6. Est autem ministerium Ecclesiae catholicae, doctrina apostolica, tradita ab ipsis Apostolis, et propagata per sanctos patres.

7. Ecclesia catholica significat non tantum praesentes ministros, sed consensum sanctorum de doctrina omnibus temporibus.

8. Qui ab hoc consensu discedit, is dissentit ab Ecclesia catholica.

9. Quare prudenter videndum est, quid consensus Doctorum et piorum in ministerio probaverit omnibus temporibus, ne novas et ignotas opiniones catholicae Ecclesiae recipiamus. In hanc sententiam ait Augustinus: Evangelio non crederem, nisi Ecclesiae catholicae crederem.

10. Et de illa Ecclesia catholica recte dicitur, Ecclesiam non errare. Retinet enim fundamentum, etsi alii aurum, alii stipulas supraaedificant.

11. Opiniones ignotae veteri Ecclesiae, etiamsi hoc tempore sunt receptissimae, tamen non sunt dogmata catholicae Ecclesiae.

12. Quia catholica Ecclesia includit veterem Ecclesiam.

13. Vetus Ecclesia ignorat profanationem et venditionem Missarum, ignorat invocationem sanctorum, non docuit traditiones humanas cultus esse iustificantes, aut necessarias.

14. Non distraxit coniugia Sacerdotum, docuit propter Christum gratis donari remissionem.

15. Non igitur recte arrogant sibi titulum catholicae Ecclesiae hi, qui defendunt opiniones ignotas veteri Ecclesiae.

16. Ecclesia catholica habet simile ministerium, non requirit similitudinem traditionum. Ubicunque igitur est catholicum ministerium, ibi est pars Ecclesiae catholicae, etiamsi traditiones variant.

17. Et tamen etiam in traditionibus debetur obedientia ministris, ita videlicet, ne sine causa discedatur ab eis.

18. Sed Paulus inquit: Si quis aliud Evangelium evangelizaverit, anathema sit. Iubet igitur dissentire ab iis, qui docent et defendunt impias opiniones et impios cultus.

Philosophicum.

19. Cicero non recte reprehenditur, quod ἐνδελέχειαν vertit continuatam motionem. Nam Aristoteles non aliud voluit, cum definit animam esse ἐνδελέχειαν.

20. Sicut Plato posuit tres animas in homine, ita Aristoteles, cum ait: Mentem extrinsecus advenire, docet animam rationalem non oriri ex materia, et aliam esse in homine, praeter vegetativam et sensitivam.

(XXIX.) *Alia disputatio: de politia Ecclesiae seu ministerio et ordinationibus.*

Politia ecclesiastica, hoc est, externa forma Ecclesiae, constat duabus partibus.

2. Prima pars est ministerium divinitus ordinatum.

3. Id continet quinque partes: Ius vocationis, hoc est, ius eligendi et ordinandi ministros, mandatum docendi Evangelii, remittendi peccata, administrandi Sacramenta, et Iurisdictionem, hoc est, ut excommunicentur obnoxii criminibus.

4. Paulus de hac parte politiae ecclesiasticae loquitur, quae est iuris divini, cum ait ad Ephes. 4. Dedit alios Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores et Doctores.

5. Prima enim ordinatio fuit Christi, postea Ecclesiae datum est ius vocandi et eligendi, et ordinandi ministros.

6. Ingens beneficium Dei est, quod concessit hominibus ius vocationis, idque approbat, et testatur se per verbum illud futurum efficacem.

7. Hanc ordinationem seu vocationis dignitatem magnopere refert intelligere, ut magnitudinem beneficii Dei consideremus, et ut magis veneremur et amemus ministerium verbi.

8. Nam neque salvat Deus sine illo ministerio, quod ipse ordinavit, iuxta illud: Qui crediderit et baptizatus fuerit. Neque Ecclesia existere potest extincto hoc ministerio.

9. Ideo horribiliter peccant Anabaptistae, qui publicum ministerium contemnunt, et sibi suas quasdam illuminationes somniant, ut olim ἐνθουσιασταὶ, Haeretici.

10. Peccant etiam alii profani homines, qui ministerium Evangelii abolent, dum ministros non alunt nec tuentur.

11. Veteres, ut magnitudinem et dignitatem ministerii commendarent hominibus, sapienter posuerunt ordinationem inter Sacramenta.

12. Ius vocandi et eligendi ministros, pertinet non tantum ad populum, sed Paulus iubet Titum constituere Presbyteros, et Timotheo scribit: Nemini cito manum impone.

13. Necesse est igitur, Pastores a Pastoribus ordinari.

14. Et veteri more eligebat Ecclesia, hoc est, hi quibus eam rem commisit Ecclesia, et accedebat iudicium et approbatio Episcopi ordinantis.

15. Pugnat cum iure divino, et cum veteri Ecclesia δημοκρατία, in qua populus ad se rapit electionem, sine iudicio et approbatione Pastorum.

16. Cum Paulus inquit: Qui Episcopatum desiderat, opus bonum desiderat, laudat eos, qui operam suam Ecclesiae offerunt.

17. Nec pugnat cum vocatione haec ministerii petitio. Nam Ecclesiam scire oportet, unde deligat: quae quidem etiam praecipit idoneis, ut studeant servire Ecclesiae, sicuti docet similitudo de negociantibus.

18. Nemini tamen licet sine vocatione occupare ministerium. Ideo et distinctio παροικιῶν, est iuris divini, quia non vocatus non debet irrumpere in alienam Ecclesiam.

19. Altera pars politiae ecclesiasticae, sunt ordinationes factae humana autoritate Episcoporum aut synodorum, ut gradus ministrorum distinctae διοικήσεις, temporum, locorum discrimina, oportet enim esse εὐταξίαν.

20. Oportet igitur conservari tales ordinationes, sed detrahenda est eis opinio cultus.

21. Sicut lex moralis est lex naturae, ita in genere ceremoniarum ordinatio est iuris naturalis, quia inter homines natura requirit εὐταξίαν, et lex naturaliter in tria genera distinguitur, in Morale, Iudiciale et Ceremoniale.

22. Prosunt autem et hae ipsae ordinationes ad disciplinam, et sunt instrumenta, per quae Deus vocat homines ad veram pietatem. Nam hi ritus assuefaciunt homines ad audiendum, Evangelium per quod Deus est efficax.

23. Basilius recte dicit de libero arbitrio: μόνον θέλησον, καὶ ὁ θεὸς προαπαντᾷ, Tantum velis, et Deus praeoccurrit. Nam et promissio universalis est, et cum a verbo ordiendum sit, certe docendi sunt homines ne repugnent, sed ut assentiantur.

(XXX.) *Alia disputatio: de ministris Sacramentorum.* (Opp. Basil. III. p. 297.)

Qui vos audit, me audit, vox est plena consolationis, testatur enim perinde nos Evangelium annunciatum per homines accipere debere, ac si de coelo sonaret.

2. Non recte senserunt Donatistae, qui negabant licere uti Sacramentis aut verbo, cum a flagitiosis tractantur.

3. Cum Paulus ait: Episcopum debere esse ἀνέγκλητον, non est sic accipiendum, quasi sentiat Episcopum sine peccato esse posse, ut homines fanatici interpretantur.

4. Nec remissionem peccatorum, nec peccata recte intelligunt, qui tantum externa delicta iudicant esse peccata.

5. Lex est spiritualis, non politica, quare peccata cordis iudicat, non tantum externam conversationem.

(XXXI.) *Alia disputatio: de potestate Clavium et Absolutionis.* (Opp. Basil. III. p. 322.)

Sicut sceptrum significat regnum seu regiam potestatem, ita Clavis significat potestatem domesticae administrationis μεταφορικῶς, ut videmus tradi potestatem traditione clavium.

2. Aut sicut gladius significat μεταφορικῶς imperium, seu potestatem exercendi iudicia capitalia, ita claves significant potestatem oeconomicam, seu officium oeconomicum.

3. Claves igitur in Evangelio significant potestatem aliquam, seu officium.

4. Et Christus vocavit claves, non gladium, ut Apostoli intelligerent sibi procurationem committi, diversam ab imperio.

5. Sunt autem claves, officium ligandi et remittendi peccata.

6. Hoc est, sunt ipsum ministerium Evangelii, nam Evangelium est ligare et remittere peccata.

7. Quidam intelligunt claves, non in genere de ministerio, sed de iurisdictione in Ecclesia, ad ligandos singulos, aut absolvendos.

8. Verum sive de ministerio, sive iurisdictione intelligantur, certum est, Evangelium et in commune praedicari posse, et annunciari posse singulis.

9. Sicut Christus absolvit multos singulariter, et iubet Petrum remittere fratri, qui deliquerit.

10. Valet igitur privata Absolutio, et est vera vox Evangelii, quia Evangelium pariter valet, sive multis, sive singulis annuncietur.

11. Infidelis est, qui cogitat, Evangelium ad singulos applicatum, incertum esse.

12. Nec obest, quod quidam vociferantur, Homines non posse remittere peccata. Cum enim constet, homines habere mandatum Evangelii praedicandi, constat homines habere mandatum remittendi peccata.

13. Et iidem fatentur, se remittere peccata in commune, cum publice docent Evangelium. Aut si negant se tunc praedicare remissionem peccatorum, neque quid sit Evangelium, neque quid sit remissio peccatorum, intelligunt.

14. Neque tamen prodest remissio privata aut publica, nisi fide apprehendatur verbum, neque rursus sine verbo existere fides potest.

15. Non est igitur privata absolutio in Ecclesia abroganda.

16. Impietas est sentire, quod peccata remittantur ex opere operato per Sacramentum, sine fide.

17. Impietas est sentire, quod remittantur propter contritionem, non fide in Christum.

18. Impietas est sentire, quod potestas clavium tantum valeat ad remissionem coram Ecclesia, seu coram hominibus.

19. Potestas clavium non est potestas condendi leges, et novos cultus instituendi.

20. Potestas clavium non est potestas politica, regna mundi occupandi aut constituendi.

21. Etsi Sol regulariter movetur, tamen paucioribus diebus peragrat unam medietatem zodiaci, quam alteram.

(XXXII.) *Alia disputatio: de iure Absolutionis.*

Augustinus ad Fortunatum narrat historiam, quae continet eruditam disputationem. Ait enim, in una navi fuisse quendam pium, sed nondum baptizatum, verum *κατηχούμενον*, et alterum baptizatum, qui tamen lapsus, etsi coeperat agere poenitentiam, tamen nondum erat absolutus, quia iuxta veteres Canones irrogabantur poenae, exempli causa, ante absolutionem. Addit Augustinus, praeter hos neminem ibi fuisse Christianum. Cum autem naufragium timerent, petit *κατηχούμενος* ab illo altero baptismum, qui cum isti impertiisset baptismum, vicissim ab eo petit absolutionem. Proinde quaeritur: An haec administratio Sacramentorum valuerit? Augustinus recte respondet, valuisse: et quidem hanc historiam tantopere commendat, ut dicat, neminem tenere lacrimas posse, qui eam audiat.

2. Defendo Augustini iudicium. Nam Laico licet et baptizare, et absolvere.

3. Et tamen publicum ministerium non debet turbari.

4. Etsi publica administratio potestatis clavium pertinet ad publicos ministros Evangelii, tamen interea laicus potest absolvere, non solum in casu necessitatis, sed etiam alias.

5. Nec est incerta absolutio, etiamsi publicam administrationem clavium habent solum ministri publici.

6. Valet absolutio propter verbum, non propter personam.

7. Et claves datae sunt toti Ecclesiae, et est commune mandatum, ut fratribus petentibus annunciemus Evangelium, sed ita, ne turbetur publicum ministerium.

8. Magnus error est, et multarum rerum ruinam secum trahit, tollere ex Ecclesia privatam absolutionem.

9. Nec tamen enumeratio delictorum necessaria est.

10. Stoici dupliciter errant de affectibus. Falsum est enim nullos affectus ex natura oriri, falsum est etiam omnes affectus esse viciosos.

11. Cor enim sedes et organum est appetitionum sensitivarum, quare affectus sunt motus naturales cordis.

12. Ergo et *στοργαὶ φυσικαὶ* sunt opera Dei in natura, et affectus boni, quos requirit lex Dei.

13. Ideo Paulus damnat *ἀστόργους*.

14. Plato non recte sentit tracheam arteriam factam esse, ut potum excipiat, et tamen oportet irrigari pulmonem. Et recte dictum est in versibus illis elegantissimis, qui in Gellio citantur:

> *Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ*
> *τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται.*

(XXXIII.) *Alia disputatio: de Potestate ecclesiastica.*

Manifestum est, idem significare in sacris Literis potestatem ecclesiasticam, et claves.

2. Sunt autem duo eius membra, secundum partitionem veterum, nempe potestas ordinis, et potestas iurisdictionis.

3. Potestas ordinis complectitur legitimam vocationem, et divinum mandatum docendi Evangelii, remittendi peccata, et administrandi Sacramenta.

4. Iurisdictionis officia sunt, excommunicare obnoxios manifestis criminibus, et eosdem si resipiscant recipere in gratiam.

5. Haec officia valent in Ecclesia propter verbum et mandatum Dei, requirunt autem obedientiam necessariam.

6. Porro Ecclesiae non sunt onerandae novis doctrinis, contra verbum Dei excogitatis, aut traditionibus humanis, eo fine propositis, ut sint

cultus Dei, et res necessariae ad salutem, et remissionem peccatorum.

7. Sed praecipuus usus et ultimus finis ceremoniarum esse debet is, quem D. Paulus constituit, videlicet, ut rite et ordine gerantur omnia in publico Ecclesiae coetu.

8. Non solum autem tales ceremoniae extra casum scandali omitti possunt, sed etiam quae in lege Mosi divinitus institutae erant.

9. Neque peccaverunt Apostoli vellentes et conterentes spicas in Sabbato, neque David edens panes propositionis, quibus tantum licebat Sacerdotibus vesci.

10. Oza vero iustas suae temeritatis poenas dedit, quod arcam Dei attrectaret, cuius cura solis Levitis diviniius commissa erat.

11. Caeterum iurisdictio clavium verbis tantum exercetur, sine gladio et vi corporali.

12. Prudenter igitur officia utriusque potestatis civilis et ecclesiasticae discernantur, sunt enim longe diversissima.

13. Hinc satis liquet, errare pontificem Romanum, qui sibi utrunque gladium in utranque potestatem vendicat.

(XXXIV.) *Alia disputatio: de Synodis quod cognitio de doctrina pertineat ad delectos pios et doctos, tum Sacerdotes, tum Laicos.*

Verissimum est, et natura hominum maxime consentaneum, quod Plato ait: Optimum statum esse Reipublicae illum, qui medius est inter tyrannidem et democratiam.

2. Hic igitur status, et efficiendus et tuendus est, cum in omne gubernatione, tum praecipue in Ecclesia.

3. Utranque velut teterrimas pestes, tyrannidem et democratiam, fugere et execrari debemus in Ecclesia.

4. Tyrannis est in Ecclesia, cogere homines, ut manifestam impietatem approbent, ut obtemperent contra manifestum verbum Dei.

5. Sicut Harpagus dicebat ad Cambysen, qui ipsi filium comedendum dederat: Quidquid facit Rex, hoc mihi placet. Ita seu monachi, seu alii tyranni expedire iudicant, ut assuefiant homines ut adorent omnia superiorum somnia omnes horribiles idolatrias, ne videlicet vel potentia vel tranquillitas potentum veniat in periculum.

6. Rursus ab Ecclesia etiam abesse oportet democratiam, hoc est, non est concedenda vulgo, sine delectu, licentia omnibus movendi dogmata aut pronunciandi de dogmatibus. Nam et vulgus, ut Herodotus inquit, saevissimus tyrannus est.

7. Sed medius status est quaerendus, et quidem ut Plato ait, proportione geometrica, hoc est: Aristocratia constituenda est, in qua proportione, maxima sit autoritas doctissimorum et optimorum.

8. Hanc Aristocratiam et Paulus requirit: Quod si alteri revelatum fuerit, prior taceat. Et Paulus reprehendit Petrum.

9. Et gravissime scriptum est ad Romanos, ut unusquisque norit modum suae fidei.

10. Ideo tyrannica illa vox explodenda est, quae tollit hanc proportionem in Ecclesia, et tribuit Pontifici infinitam tyrannidem, videlicet quae asseverat maiorem esse autoritatem Papae, quam reliqui totius concilii.

11. De synodo quaeri possunt haec quinque: Quis habet ius convocandi synodum? Qui debeant esse iudices? Quis ordo cognitionis? Quomodo ex verbo Dei sit pronunciandum? Et quatenus sint consulenda iudicia patrum. Quod in dogmatibus veritas plane et simpliciter patefacienda sit, sed in ritibus et politia ecclesiastica quaerenda sit moderatio. Quaerendum etiam, quae dogmata probanda ac defendenda sint?

12. Non tantum Pontifices, sed etiam Imperatores iure convocarunt synodos, Constantinus, Theodosius, et alii.

13. In deligendis iudicibus rectissimum est sequi medium illud, quod diximus, inter tyrannidem et democratiam, videlicet, ut deligantur optimi et doctissimi.

14. Nec tantum Sacerdotes, sed etiam Laici. Nam cum ait Christus: Dic Ecclesiae, summum iudicium voluit esse non tantum Episcoporum, sed universae Ecclesiae.

15. Interfuit ipsi disputationi Constantinus, in medio sedens, et quidem hoc sibi laudi duci, inquiens: *καὶ αὐτὸς δὲ καθάπερ εἷς ἐξ ὑμῶν τυγχάνων συμπαρῶν οὐ γὰρ ἀρνησαίμην ἂν ἐφ᾽ ᾧ μάλιστα χαίρω, συνθεράπων ὑμέτερος πεφυκέναι, ἄχρις οὗ ἅπαντα τῆς προσηκούσης τετύχηκεν ἐξετάσεως.* O dignum laude Principem, qui iudicavit sui officii esse, ut ipse interesset cognitioni, et cum doctis conferret.

16. Et praeclare Martianus Imperator dist. 96. ait, se interfuturum cognitioni, exemplo Constantini, ut veritate patefacta rursus dissidia tollantur.

17. Et Nicolaus Papa inquit, Principes non interesse conventibus Episcoporum in caeteris controversiis, praeter fidei causas, quae omnibus communis est.

18. Potestas civilis debet exequi decreta Synodi, removere impios Doctores ab Ecclesiis.

19. Cum igitur debeat exequi iudex de doctrina, debet conscientiam habere recte eruditam: Quare non tantum alienis oculis videre debet, sed suis, et audire, et intelligere controversias.

20. Nec tamen ad potestatem civilem pertinet cognitio, sed ad Ecclesiam. Est autem potestas civilis pars Ecclesiae, ut pie inquit Constantinus: *συνθεράπων ὑμέτερος* etc.

21. De ordine cognitionis servanda certe lex est *ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι.* Et ubi voluntate partium iudices boni et docti delecti sunt, et res ordine cognitae, decet parere iudicio illorum. Decet enim unumquemque nosse modum suae fidei.

22. Iudicandum est ex verbo Dei, et vetus Ecclesia eatenus consulenda est, ne quod recipiatur dogma ignotum veteri Ecclesiae.

(XXXV.) *Alia disputatio: de traditionibus in Ecclesia.* (In opp. Mel. Basil. T. III. p. 292.)

Traditio humana, instituta aut observata hac opinione, quod mereatur remissionem peccatorum aut iustificationem, est impia.

2. Opera ipsa traditionum fieri licet, sed ita, ne iusticiam fidei evertant.

3. Ita sancti potuerunt uti traditionibus, ut non per eas mererentur iustificationem, sed velut Scholis, in quibus certa tempora, certae lectiones ad discendum constituuntur, non ut sint peculiares cultus, utiles ad placandum Deum.

4. Certissimum est, remissionem peccatorum sola fide contingere.

5. Rechabitae laudantur in scripturis, propter observationem certarum traditionum, quia abstinebant a vino, nec habebant certas possessiones.

6. Quanquam autem magis obedientia debita parentibus laudetur, sicut in exemplis interdum genus, non species laudatur, quam ipsa res: tamen cum tam magnifica promissio addita sit, rem quoque placuisse Deo necesse est.

7. Necesse est igitur, quod has traditiones servaverint sine iniuria fidei, quia quidquid tollit gloriam Christi impium est.

8. Nam qualiacunque exempla citantur, non debent manifesto Evangelio praeferri.

9. Et exempla secundum certam regulam intelligi debent, non regula propter exempla corrumpi.

10. Rechabitae inter Gentes habitaverunt, inter quas, ut ederent testimonium suae fidei, voluerunt discerni per tales notas, non voluerunt per eas iustificari. Et credibile est, quod scribunt Iudaei, hos non fuisse Israëlitas, sed ex vicinis Gentibus, inter quas opus fuit certo discrimine.

11. Quare cum sine impia opinione servaverint suum morem Rechabitae, laudati sunt.

12. Sic in lege cultus impia opinione servati, ut politica disciplina seu paedagogia, placebant Deo.

13. Sed servati tanquam mererentur iustificationem coram Deo, displicebant Deo.

14. Male igitur praetexunt monachi Rechabitarum exemplum suis traditionibus, cum ipsi docuerint, per suas traditiones mereri iustificationem.

15. Quanquam ridiculum est, conferre Rechabitas cum monachis. Rechabitae serio carebant domibus, agris, vineis. Manachorum paupertas tota simulata et ficta est.

16. Male etiam praetexitur exemplum Rechabitarum traditionibus, quas exigunt Pontifices, tanquam necessarios cultus. Nam traditiones non sunt necessarii cultus, et ob hanc causam violari possunt.

17. Ita Iosaphat et rex Ninive indixerunt ieiunium, non ut per ieiunium iustificarentur homines. Quid enim opus erat pecudibus imperare ieiunium, si ita quaerebatur iustificatio?

18. Sed externa confessio et protestatio erat fidei, Rex Ninive ostendit hoc novo exemplo se credere Ionae, et alios ad credendum Ionae invitabat.

19. Ita Iosaphat valebat hortari ad poenitentiam et orationem.

20. Talia erant et Encaenia instituta Machabeis, non quod observatio diei ex opere operato esset cultus, sed ut esset monumentum, velut tropheum, admonens ad gratias agendas.

21. Et erant politica mandata, quibus debuit obedire populus, propter regiam autoritatem, sicut aliis legum edictis.

22. Dissimiles sunt traditiones, quae nunc exiguntur, velut necessarii cultus, et praetextu ecclesiasticae potestatis.

23. Oportet enim in Ecclesia retineri doctrinam de iusticia fidei, quod fide accipiamus remissionem peccatorum, et fide iustificemur, nec possimus placare iram Dei per tales cultus. Oportet enim et retineri doctrinam de libertate Christiana, quod non sint necessarii tales cultus ad iusticiam fidei. Et quod Evangelium prohibeat peccatum, et iusticiam ponere in talibus observationibus.

Astronomicum.

24. Terrae forma non est absolute sphaerica, tametsi Plinius dicat: Est autem terra figura prima, de qua consensus iudicat, orbemque certe dicimus terrae, quem verticibus includi fatemur.

(XXXVI.) *Alia disputatio: de Traditionibus.* (Opp. Basil. T. III. p. 296.)

Non licet omittere Decalogi opera, tametsi non iustificant.

2. Non licet omittere edicta Magistratuum, tametsi non iustificant.

3. Recte Augustinus dixit, de ecclesiasticis traditionibus. Totum hoc genus rerum liberas habet observationes.

4. Gerson sensit has ideo violari posse, quia Episcopi non habeant ius condendi traditiones.

5. Sed haec ratio non satis munit conscientiam in violandis traditionibus.

6. Nam etiam tyrannis obedire oportet.

7. Alia igitur firma ratio quaerenda est.

8. Qui errore, aut ex contemtu potestatis violant traditiones, cum viderint se scandalis occasionem dedisse, non leviter periclitabuntur.

Astronomicum.

9. Recte scripsit Plutarchus, Solis motum summo loco tardissimum esse, tametsi regularis sit. Verba sunt Plutarchi de Principe: *Μιμουμένου τὸν ἥλιον τοῦ ἄρχοντος, ὃς ὅταν ὕψωμα λάβῃ μέγιστον, ἐξαρθεὶς ἐν τοῖς βαρείοις ἐλάχιστα κινεῖται τῷ σχολαιτέρῳ τὸν δρομὸν, εἰς ἀσφαλὲς καθιστάμενος.*

DE SACRAMENTIS.

(XXXVII.) *Disputatio de Baptismo.* (Opp. Basil. T. III. p. 297.)

Baptismus est signum promissae gratiae.

2. Nec significatio ad unum tempus referri debet, sed ad omnem vitam.

3. Vere iustificat Baptismus, cum eo signo excitati credimus nobis propter Christum remitti peccata.

4. Cum Paulus dicit, Iudaeos transeuntes per mare rubrum baptisatos esse, intelligendum est, quod vere baptisati sint.

5. Errant Cingliani, cum putant transitum illum tantum alterius signi, quod postea instituendum esset, typum fuisse, non fuisse illis signum iustificationis.

6. Eadem fides, eadem iusticia est omnium Sanctorum, sicut idem verbum et idem Spiritus sanctus, tametsi signa mutantur.

7. Vere fuit Baptismus, vehi in arca per diluvium.

8. Vere fuit Baptismus, transitus per mare, tametsi Paulus dicat, illos in Mosen baptisatos esse.

9. Parvulorum Baptismus non est irritus.

10. Imo furor est affirmare, quod parvuli sine sacramentis salvi fiant.

Physicum.

11. Vera est sententia: Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, tametsi quaedam noticiae nascantur nobiscum, quas vocant *προλήψεις.*

Alia disputatio: de Coena Domini. (Opp. Basil. T. III. p. 298.)

Certum est, veteris Ecclesiae sententiam esse, quod vere adsit Corpus Christi in coena Dominica.

2. Et haec sententia Scripturae testimonium habet.

3. Cinglius praeter rem vociferatur, Errare eos qui dicunt Sacramenta confirmare fidem.

4. Nos enim iudicamus eos usum Sacramentorum non intelligere, qui negant ideo eis utendum esse, ut confirmetur fides.

(XXXVIII.) *Alia disputatio: de Sacerdotio et sacrificio.* (Opp. Basil. T. III. p. 298.)

Magna consolatio proposita est Christianis in iure sacerdotii, quare diligenter cognoscendum est.

2. Sacerdos est proprie, qui habet ius placandi Deum, et tractandi verbum Dei ac Sacramenta.

3. Nulli competit unquam in mundo ius sacerdotii, nisi autoritate divina.

4. Id ius iam donatum est omnibus credentibus per Christum. Omnes igitur credentes sunt Sacerdotes, hoc est, non modo potestatem, sed mandatum etiam habent placandi Deum.

5. Nec tamen licet ulli publicum ministerium in Ecclesia sine vocatione occupare.

6. Sacerdotium non est certus ordo hominum, delectorum ad aliquod opus pro aliis faciendum ad placandum Deum.

7. Nam hoc repugnat iusticiae fidei.

8. Nec missa est opus, faciendum a certo ordine, institutum ad placandum Deum pro aliis.

9. Non est igitur sacrificium.

10. Nullum sacerdotium sine sacrificio est. Ergo et singuli Christiani habent sua sacrificia, nempe fidem et fructus fidei, adflictiones, confessionem, et alia bona opera.

11. Magna consolatio etiam sita est in sacrificii cognitione.

12. Quia cum sacrificium sit opus Deo placens, placere adflictiones necesse est, cum sacrificia vocentur.

(XXXIX.) *Alia disputatio: de eodem et speciebus sacrificii.* (Opp. Basil. T. III. p. 309.)

Necessaria est distinctio, inter Sacramentum et Sacrificium, cum alterum sit opus Dei erga nos, alterum, opus nostrum erga Deum. Ac vero necesse est discernere opera Dei a nostris, et necesse est, discernere opera, in quibus Deus aliquid nobis offert, et illa, in quibus Deus non offert nobis, sed nos *Deo.*

2. Sacramentum est opus Dei additum promissioni, in qua Deus remissionem peccatorum et iustificationem offert.

3. Cum autem sit annexum promissioni, ac velut pictura promissionis, non valet, nisi fide accipiatur promissio.

4. Igitur Sacramentum non prodest ex opere operato.

5. Econtra sacrificium est opus nostrum exhibitum Deo ad honorem, hoc est, ad testificandum quod eum agnoscimus.

6. Sacrificia sunt duplicia, alia sunt propiciatoria, alia sunt sacrificia laudis seu *εὐχαριστικά.*

7. Et hae sunt primae species sacrificii, in quas distribui possunt sacrificia legis Mosaicae.

8. Propiciatoria propter significationem dicebantur in lege Moysi. Holocaustum pro peccato, pro delicto.

9. Haec vero erant *εὐχαριστικά,* oblatio, libatio, primitiae, retributiones.

10. Sed revera unum tantum fuit sacrificium propiciatorium in mundo, scilicet mors Christi, nec aliud aut fuit aut erit unquam propiciatorium.

11. Est autem sacrificium propiciatorium, quod meretur aliis remissionem peccatorum, culpae et poenae coram Deo.

12. Nullum fuit in lege vere propiciatorium sacrificium, sed sic dicebantur propter significationem, et habebant quandam similitudinem propiciatorii sacrificii, quia merebantur remissionem peccatorum coram hominibus, hoc est, ne illi, qui deliquerant, excluderentur ex politia illa.

13. Nec in novo Testamento ullum est propiciatorium sacrificium reliquum, praeter mortem Christi.

14. Missa igitur non meretur remissionem peccatorum, nec est opus satisfactorium pro culpa aut poena.

15. Omnes adflictiones et omnia bona opera Sanctorum sunt sacrificia *εὐχαριστικά.*

16. Sed nemo potest salvus fieri sine sacrificio propiciatorio.

17. Igitur singuli Christiani habent duplex sacrificium, propiciatorium et *εὐχαριστικόν.*

18. Sed alterum habent alienum, alterum proprium.

19. Alienum est enim propiciatorium, a Christo oblatum, cuius fructus nobis donatus, fide accipitur.

20. Proprie sunt sacrificia *εὐχαριστικά,* cum nos offerimus adflictiones et bona opera nostra.

21. Ius sacerdotii duo continet officia, placare Deum, et Deo offerre.

22. Et singuli sacerdotes duplex habent sacrificium, propiciatorium et *εὐχαριστικόν.*

23. Christus Pontifex placet per se, et offert suam obedientiam Patri, sed pro aliis.

24. Sancti, etsi sunt Sacerdotes, tamen non placant per se, sed per Pontificem Christum, cum fide accipiunt fructum sacrificii Christi.

25. Christus Pontifex habet utrunque sacrificium proprium.

26. Sancti non habent proprium sacrificium propiciatorium. Nec placant suo sacrificio, sed alieno, quod tamen neque ipsi offerunt, sed tantum accipiunt fide fructum alieni sacrificii.

27. Sancti habent propria sacrificia *εὐχαριστικὰ*, quae valent propter fidem, non ex opere operato.

28. Nullum est enim novi Testamenti sacrificium ex opere operato.

29. Sed sacrificia, hoc est, bona opera et adflictiones valent per fidem, cum corda perterrefacta eriguntur, et credunt ea placere Deo propter Christum.

30. Ideo Paulus requirit *λογικὴν λατρείαν*.

31. *Λογικὴ λατρεία* est cultus mentis, in quo mens cernit et intelligit Deum per verbum, hoc est, habet timorem et fidem.

32. Opponitur igitur *λογικὴ λατρεία* non solum pecuinis victimis, sed etiam humanis operibus sine verbo, hoc est, mandato Dei factis, et in genere opponitur omnibus humanis operibus, in quibus desunt timor et fides.

33. Igitur opera traditionum humanarum, et monasticae observationes non sunt *λογικὴ λατρεία*.

34. Nec alia exercitia, nec adflictiones, sine timore et sine fide misericordiae Christi, sunt sacrificia.

35. Sancti in veteri Testamento usi sunt ceremoniis legis, velut Sacramentis, hoc est, signis futuri Christi, et praestiterunt tanquam sacrificia *εὐχαριστικὰ*, ad protestandam fidem suam.

36. Nemo habet ius sacerdotii, nisi a Deo datum.

37. Ideo nemo potest placare Deum, nisi autoritate divina, hoc est, nisi et mandatum placandi, et promissionem habeat.

38. Cum autem nos habeamus testimonium in scripturis, quod simus Sacerdotes, testatur scriptura, quod ius habeamus placandi et orandi Deum, per Christum nobis donatum.

39. Hoc ius maximam consolationem affert omnibus piis mentibus.

40. Nec aliud maius beneficium habent homines, quam ius sacerdotii, quo fiunt proprie filii Dei et cultores, et proprius populus Dei.

41. Hoc summum beneficium abiiciunt isti, qui non invocant, qui desperant.

42. Quare utamur beneficio Dei, et iure nobis donato, et exhibeamus nostras hostias, videlicet fidem, invocationem, gratiarum actionem, obedientiam, iuxta mandata Dei.

43. Etsi aqua sphaerica est, tamen lineae a centro ductae ad proximas aquas breviores sunt, quam quae ad extremum mare, a primis aquis ducuntur, ut Plinius ait.

(XL.) *Alia disputatio: de Poenitentia lapsorum.* (Opp. Basil. T. III. p. 297.)

Novatiani non recte senserunt, relapsis peccata iterum non remitti.

2. Error inde natus est, quod non animadverterunt, quid Scriptura vocet peccatum.

3. Somniarunt enim peccata vocari tantum externa malefacta.

4. At peccatum significat non tantum opera mala, sed etiam naturam viciosam vacantem metu Dei, fide, ac concupiscentiam.

5. Prudenter igitur accipienda est vulgaris sententia: Peccatum nisi voluntarium esset, non esset peccatum.

6. Ut semper habemus peccata, ita semper opus habemus remissione peccatorum.

7. Oportet igitur perpetuo contingere remissionem peccatorum, etiam cum externa malefacta non habeamus.

8. Errant fanatici homines, qui Christianam iusticiam tantum externos mores civiles esse iudicant.

9. Publica poenitentia spectaculum fuit, non fuit poenitentia.

10. Nec necesse est revocari id spectaculum in Ecclesiam.

11. Poenitentia proprie est contritio, ac fides in contritione erigens et consolans.

12. Imprudentissime loculi sunt Canones de poenitentia, qui nullam ibi mentionem fidei fecerunt.

13. Sed ne novum dogma de fide adferre videamur, extat Tertulliani sententia, quam adscribere non gravabor, quia dum iusiurandum Dei exaggerat, mirifice erigit conscientias.

14. Bonum est poenitere, an non? quid revolvis? Deus praecipit. At ille non praecipit tantum, sed etiam hortatur, invitat praemio salutis, iurans etiam: Vivo dicens, cupit credi sibi. O beatos, quorum causa Deus iurat. O miserrimos, si nec iuranti Domino credimus.

(XLI.) *Alia disputatio: de Poenitentia et Satisfactionibus.* (Opp. Basil. T. III. p. 296.)

Poenitentiam definiunt esse, praeterita mala plangere, et plangenda iterum non committere.

2. Ea definitio non satis explicat vim poenitentiae, quare prudenter accipienda est, ut pleraeque aliae veterum Scriptorum sententiae.

3. Rectius definies: Poenitentiam esse contritionem et fidem, quae cum credit remitti peccata propter Christum, consolatur cor perterrefactum.

4. Contritio sine fide desperationem affert.

5. Quare valde incommode docent, qui cum poenitentiae partes colligunt, contritionis mentionem faciunt, fidei nullam faciunt.

6. Fides sine contritione existere non potest.

7. Fidem vocamus proprie, quae credit non modo historiae, sed etiam promissioni gratiae, seu quae credit remitti peccata.

8. Ea fides est iusticia, qua coram Deo iustificamur.

9. Cum satisfactiones non mereantur remissionem peccatorum, Canones poenitentiales, quos vocant, non sunt necessarii.

10. Canones poenitentiales in Ecclesia recepti sunt, non quod ea opera gratiam merebantur, sed propter alias causas.

11. Prudenter igitur iudicari debet de veterum sententiis, quae Canones illos imponunt Ecclesiae.

12. Quidam veteris Ecclesiae πολιτείαν ita admirantur, ut restituere illos Canones conentur. Sed quia periculum est, ne qui putent illa opera necessaria esse ad promerendam remissionem peccatorum, non est utile restituere illos.

13. In Ecclesia semper est praestandum, ut Evangelium pure doceatur. Ritus seu traditiones variant temporibus, sicut nummi. Et prodest praesentibus esse contentum, Veteres renovare, partim stulticia, partim impietas est.

14. Canones ipsi docent, traditiones antiquatas non esse exigendas.

Astronomicum.

15. Recte ait Plinius: defectus Lunae magnitudinem Solis declarare. Illud non recte dictum est a Plinio: Lunam esse maiorem terra, quia totum Solem adimat terrae.

(XLII.) *Alia disputatio: de partibus Poenitentiae.*

Non recte definiunt poenitentiam, qui eam dicunt esse mala praeterita plangere, et plangenda iterum non committere.

2. Haec enim definitio angustior est definito, nec satis explicat vim et naturam verae poenitentiae.

3. Nec recte tribuuntur verae poenitentiae hae tres partes: Contritio, Confessio et Satisfactio.

4. Vera et salutaris poenitentia est, contritio et fides.

5. Contritio est terror et pavor conscientiae, quae fit, cum hominibus ex praedicatione legis ostenduntur peccata.

6. Fides est fiducia misericordiae Dei, in Evangelio propter Christum nobis promissae, haec concipitur ex praedicatione Evangelii.

7. Ac fides non potest existere, nisi in corde contrito, et contritio sine fide desperatio est.

8. Talem poenitentiam sequuntur fructus digni poenitentia, videlicet obedientia erga legem Dei.

9. Et quamvis illa obedientia in credentibus et renovatis nondum est perfecta, tamen placet Deo.

10. Enumeratio peccatorum nusquam est praecepta in scripturis.

11. Imo enumeratio, de qua Canon dicit, est impossibilis.

12. Ideoque enumeratio peccatorum non est necessaria ad salutem.

13. Sed absolutio privata est petenda, quae est instituta in Evangelio.

14. Satisfactio pro peccatis nostris coram Deo nulla est, praeter meritum et passionem Iesu Christi.

15. Et tamen recte dicitur: Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur.

16. Finis hominis vere et secundum rectam rationem est obedire Deo, et celebrare Deum. Ideo nec Aristoteles satis dicit, cum ait: Virtutem esse

finem. Omnino vero explodendum est Epicuri deliramentum, qui voluptatem finem esse contendit.

(XLIII.) *Alia disputatio: Summam doctrinae de Poenitentia continens.*

(Opp. Basil. T. III. p. 305.)

Grammaticis Poenitentia significat reprehensionem proprii consilii, aut facti. Quare nomen convenit apte ad id, quod vulgo vocant contritionem.

2. Quanquam autem et in ea significatione in Scriptura alicubi ponitur, solet enim Scriptura grammatice loqui: tamen saepe Scriptura poenitentiam vocat totam conversionem cum fructibus.

3. Docendi causa in Ecclesia vocamus poenitentiam, ipsam conversionem hominis.

4. Quare necesse est ponere duas partes poenitentiae praecipuas, Contritionem et Fidem.

5. Contritio significat terrores, quibus conscientia perterrefit, agnoscens peccatum.

6. Fides significat fiduciam misericordiae, propter Christum promissae. Et remissionem peccatorum consequimur, non propter nostram contritionem aut dilectionem, sed gratis propter Christum, per fiduciam illam misericordiae promissae.

7. Et stulte et impie docuerunt Scholastici, peccata remitti propter contritionem, cum contritio sine fide nihil sit nisi mors et desperatio.

8. Multo ineptius est, quod finxerunt dilectionem Dei in contritione mereri remissionem peccatorum, cum corda perterrefacta non possint diligere Deum, nisi prius fide remissionem peccatorum apprehenderint.

9. Illi vero labyrinthi plane inextricabiles sunt, cum fingunt contritionem Petri profuisse, quia fuerit dolor ex amore susceptus, contritionem Iudae non profuisse, quia fuerit dolor ex metu poenarum susceptus.

10. Hae imaginationes adigunt pavidas mentes ad desperationem.

11. Quomodo enim statuet conscientia in veris terroribus, se diligere Deum, nec metuere aeternas poenas?

12. In summa, tota doctrina de poenitentia apud Scholasticos plena est errorum et impietatis, quia omittunt id, quod negocii caput est, scilicet Fidem, non enim docent, *gratis* fide in Christum accipi remissionem peccatorum.

13. Fides facit discrimen inter Petri poenitentiam et Iudae poenitentiam. Petrus non periit in contritione, quia fides accessit ad contritionem. Iudas periit in contritione, quia non accessit fides ad contritionem.

14. Nulla planior et magis perspicua descriptio poenitentiae tradi potest, quam si doceamus poenitentiam esse contritionem et fidem.

15. Contritionis causa est, verbum quod arguit peccata. Fidei causa est promissio, quae annunciat remissionem peccatorum.

16. Valet absolutio coram Deo, qua potestas clavium privatim alicui remittit peccata. Neque vero valet absolutio propter dignitatem contritionis aut confessionis, sed fide valet, propter promissionem Christi.

17. Cum igitur absolutio valeat, confessio in qua quaeritur absolutio, retinenda est.

18. Enumeratio autem delictorum, quae in Canonibus traditur, neque possibile est, neque habet mandatum Dei.

19. Novatiani sceleste errant, qui docuerunt, lapsis post baptismum non posse rursus contingere remissionem peccatorum.

20. Ideoque negaverunt eis absolutionem impertiendam esse.

21. Haeretici isti, nec quid sit peccatum, nec quid sit Evangelium, intellexerunt.

22. Nam cum in Sanctis adsit peccatum, semper habent opus remissione peccatorum.

23. Non igitur semel tantum contingit remissio peccatorum.

24. Quod addunt Scholastici satisfactionem ad poenitentiam, sumserunt occasionem ex publico ritu poenitentiae, qui olim fuit.

25. Et tales satisfactiones primum fuerunt spectacula, exempli causa instituta, non propter remissionem peccatorum.

26. Neque enim remittuntur peccata propter nostra opera, quare ad remissionem peccatorum non sunt necessariae nostrae satisfactiones.

27. Quare satisfactiones iure improbantur, cum obscurent doctrinam fidei, quia finguntur prodesse ad remissionem culpae, etsi quidam cautiores dixerunt, eas prodesse ad remissionem poenae.

28. Certe enim hi, qui dicunt monasticen satisfactoriam esse, mereri conantur non solum remissionem poenae, sed etiam culpae.

29. Quanquam Deus punit peccata, tamen claves non habent potestatem remittendi eas poenas neque imponendi.

30. Imo graviter laedunt Evangelii gloriam, qui docent claves esse potestatem imponendi poenas, cum sit mandatum remittendi peccata gratis.

31 Nec recte dicitur hoc ab adversariis, Iusticiae divinae esse, in remissione culpae pro singulis peccatis certas poenas infligere.

32. Laedunt etiam gloriam Christi, cum dicunt, poenas aeternas remitti propter illam compensationem poenarum temporalium. Christus enim est victor mortis aeternae.

33. Etsi verum est, poenas in hac vita remitti aut mitigari, sicut apparet in historia Ninivitarum. Et Propheta ait: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos etc.

34. Tamen satisfactiones id non merentur, sed tum fides impetrat in poenitentia, tum merentur in renunciatis veri cultus Dei, qui habent promissionem, et Esaiae 58.: Frange esurienti panem, et Dominus tibi dabit requiem.

35. Nam satisfactiones sunt traditiones humanae, quae sunt irriti cultus.

36. Illud etiam falsissimum est, satisfactionibus tolli poenas, etiamsi fiant in peccato mortali.

37. Sed illae falsae persuasiones de satisfactionibus inde ortae sunt, quod Scholastici rem politicam transtulerunt ad agentem cum Deo, cum tantum pertineret ad exemplum coram hominibus exhibendum.

38. Ita in multis aliis negociis imprudenter confundunt politica et spiritualia.

39. De poenis hoc proderat docere. Exerceri nos a Deo adflictionibus, ut ad poenitentiam vocemur. Item, ut fides in adflictionibus se exerat et crescat. Item, mitigari calamitates publicas et privatas, propter veram poenitentiam.

40. Caeterum hoc constat, veram poenitentiam non esse ociosam, sed fructus bonos parere.

41. At fructus illi neque pro culpa, neque pro aeterna morte precia sunt. Nam haec gloria debetur Christo, qui ait: Ego ero mors tua, o mors.

Ethica.

42. Aristoteles recte dicit: Ratio hortatur ad optima. Et tamen verum est, quod ait Paulus: Sensus carnis mors est.

43. Non recte senserunt Stoici, omnes affectus in natura hominis viciosos esse. Nam affectus tollere est naturam tollere.

(XLIV.) *Alia disputatio: de partibus Poenitentiae, et de discrimine satisfactionum et poenarum.* (Opp. Basil. T. III. p. 335.)

Prudenter iudicandum est de veteri partitione poenitentiae, in qua tres partes recensentur, Contritio, Confessio et Satisfactio.

2. Improbandum enim est, quod in partibus poenitentiae non faciunt mentionem fidei.

3. Et Satisfactio olim fuit quaedam ecclesiastica disciplina, exempli causa ab Episcopis instituta, atque inde nomen in Ecclesia reliquum est. Caeterum illa doctrina de satisfactionibus, quam nunc docent Scholastici, tota commenticia et falsa est.

4. Retinemus igitur Contritionem, sed de hac recte docendi sunt homines.

5. Contritio etsi praecipuum opus est legis, tamen non meretur remissionem peccatorum, sed affert mortem. Ac si id opus eximium legis non meretur remissionem, quanto minus alia legis opera inferiora merentur remissionem peccatorum.

6. Fides ergo ad contritionem accedere debet, hoc est, fiducia in Christum, quae vere impetrat remissionem peccatorum gratis.

7. Confessio propter absolutionem retinenda est, sed ita, ut doceantur homines, enumerationem delictorum non esse necessariam, nec in Evangelio praecipi.

8. Illud maxime praestandum est, ut cum de poenitentia docentur homines, diligenter illustretur et patefiat doctrina de fide. Ideo non partes poenitentiae praecipuas ponimus, contritionem et fidem, quibus proprie cum Deo agunt conscientiae.

9. Satisfactiones repudiamus, quia multis modis obscurant Evangelium.

10. Recte fatentur adversarii, quod satisfactiones non mereantur remissionem culpae.

11. Falsa est imaginatio, remitti poenas aeternas, propterea, quia commutentur in poenas temporales.

12. Falsum et hoc est, potestatem clavium habere mandatum, ut partem temporalium poenarum remittat, partem irroget.

13. Falsum et hoc est, opera debita persolvere illas poenas, et quidem in peccato mortali.

14. Hac imaginationes Scholasticorum, nec Scriptura, nec scriptorum ecclesiasticorum autoritate nituntur, sed sunt merae κενοφωνίαι, et obscurant tum beneficium Christi, tum legem Dei.

15. Nam, ut remissio culpae, ita et remissio aeternae poenae tantum est Christi beneficium, et quidem gratuitum.

16. Nam vivificatio, quae fit in remissione culpae est ipsa liberatio a morte aeterna, iuxta illud: Iustificati fide pacem habemus.

17. Deinde legem obscurant satisfactiones, cum fingunt operibus indebitis redimendas esse poenas, quasi legi ita satisfaciamus, ut etiam amplius facere possimus.

18. Post remissionem culpae manent communes adflictiones, quas sustinere homo cogitur, donec in hac mortali carne vivit. Haec communis miseria non est proprie poena actualium delictorum praeteritorum, sed est poena peccati originis. In Sanctis autem fiunt exercitia, ut Paulus ait: Corpus mortificatur propter peccatum, scilicet praesens, quod haeret in natura.

19. Praeter mortem et caeteras communes adflictiones naturae humanae, Deus etiam saepe peculiaribus poenis certa peccata punit, ut Davidis adulterium punitum est exilio. Item populi idolatria punita est multis et magnis cladibus.

20. Huiusmodi poenas dicimus mitigari, non indebitis operibus, sed tota poenitentia et operibus debitis, idque in Ecclesiis doceri prodest.

21. Sic enim et Prophetae docent: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Et Christus et Apostoli: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur a Domino.

22. Etiamsi peccata merentur poenas, tamen potestas clavium non habet mandatum aut remittendi, aut irrogandi temporales poenas. Et illud certe falsissimum est, non remitti aeternas poenas, nisi propterea quia commutentur in temporales.

23. Deinde, etiamsi peccata merentur poenas, tamen non prodest nostra commutatio in aliam poenam, sed poeniteniia prodest, non quia sit poena et satisfactio seu compensatio pro priore delicto, sed quia est iam obedientia Deo placens, quae ut plaeraque alia praemia meretur, ita etiam meretur mitigationem praesentium calamitatum.

24. Infligere sibiipsi poenam opere aliquo, ut vocant, indebito, est ex eo genere cultuum, de quo Christus ait: Frustra colunt me mandatis hominum, Et quod Paulus vocat ἐθελοθρησκείαν.

25. Exercitia sibi imponere Sancti debent, ad coërcendam carnem, iuxta illud Pauli: Castigo corpus meum etc. At sine scriptura dicitur, quod praeteriti peccati poenas, hoc est, satisfactionem sibi infligere debeant.

26. Nec adflictiones Sanctorum semper sunt iudicandae esse poenae, sicut et Iiob excusatur divina voce, quod non plectatur propter mala facta praeterita. Nec Iohannis Baptistae et similium adflictiones fuerunt poenae. Quare non est universaliter iudicandum, omnes adflictiones esse poenas certorum delictorum, ac non remitti delicta, nisi tales poenae infligantur.

27. Imo conscientiis prodest docere, quod in Sanctis adflictiones non sunt poenae, sed habeant alios fines, sicut et Christus inquit de coeco: Neque ipse peccavit, nec parentes eius.

28. Lex interpretatur adflictiones esse poenas, sed Evangelium pronunciat eas esse exercitia, in quibus declaretur obedientia nostra, crescat novitas spiritus in invocatione et fide, et fiat bonitas Dei conspectior in infirmitate nostra, sicut ait Paulus: Virtus Dei in infirmitate nostra perficitur.

29. Deus aliter punit alia peccata, interdum exemplis publicis, sicut David plectitur, interdum tantum terroribus quales describuntur in Psalmis: Domine ne in furore tuo arguas me. Huiusmodi contritio est poena, sed divinitus irrogata, ut aliae poenae, quae divinitus infliguntur.

30. Claves nec imponunt, nec remittunt communes calamitates, ut constat, quare non sunt satisfactiones.

31. Ecclesiastici Patres tantum intellexerunt satisfactiones de publico more poenitentiae, qui tunc erat in Ecclesia. Et quidem Ambrosius ait satis esse, in vita semel illam publicam poenitentiam fieri. Quare non sentiebant canonicas poenas necessarias esse ad remissionem peccatorum.

32. Ex his fontibus intelligi potest, iure reprehendi doctrinam scholasticam de satisfactionibus. Sunt enim profecto laquei conscientiarum, et facile accedit opinio, quod sint res necessariae ad remissionem culpae.

33. Facile est revellere usitatas opiniones, quod poenae aeternae non remittantur sine compensatione quod opera indebita facta in peccato mortali sint compensationes etc. Verum aliqui

ita pingunt nunc novis quibusdam coloribus satisfactiones, ut negocium faciant piis conscientiis. Sed inspectis fontibus explicari res potest.

34. Sic est hypocrisis, instructa est multiplici sophistica ad turbandas et evertendas pias mentes.

35. Etiamsi poenitentia esset quaedam poena ac satisfactio, tamen certe canonicae satisfactiones et opera indebita nihil prodessent. Id cum fit manifestissimum, satis munit conscientiam adversus omnes fucos satisfactionum.

Philosophica.

36. Fatum non affert necessitatem humanis actionibus. Ideo Stoicorum sententia simpliciter explodenda est.

37. Physice et non incommode loquitur Manilius cum ait: Materiaeque datum est cogi, sed cogere mundo.

38. Nec providentia Dei tollit rerum contingentiam, si quidem hoc ponitur, quod nos quidem affirmare non dubitamus, Deum non esse causam mali.

(XLV.) *Alia disputatio: de discrimine Satisfactionum et poenarum divinitus irrogatarum.*

Olim lapsi, id est, desertores Christianae professionis, et alii contaminati manifestis sceleribus, non recipiebantur in Ecclesiam, nisi iniuncta publica poena, seu multa.

2. Ex hoc more sunt ortae Satisfactiones canonicae.

3. Hae poenae canonicae non erant merita remissionis culpae, aut poenarum, sed erant exemplum, seu politica disciplina.

4. Nec ministri Evangelii potestatem habent imponendi poenas, sed tantum habent mandatum, iis, qui agunt poenitentiam, et petunt absolutionem, annunciandi vocem Evangelii.

5. Et tamen vagantur poenae in hac vita divinitus irrogatae per Ecclesiam, etiam propter certa peccata electorum, sicut Psalm. 89. dicitur: Visitabo in virga iniquitates eorum. Sic David punitus est propter raptam alterius coniugem, et caedem, et scandala. Semper enim in uno peccato multa insunt.

6. Hae poenae mitigantur tota conversione, et bonis operibus electorum, ut Esai. 1. dicitur.

7. Nec tamen omnes calamitates Ecclesiae sunt poenae certorum delictorum, sed pleraeque sunt miranda exercitia Sanctorum, ut Esaiae, Iohannis Baptistae et similium neces.

8. Vult enim Deus Ecclesiam subiici ingentibus aerumnis, ut agnoscat peccatum, et inter pericula crescat fides, et luceat potentia Dei in nostra infirmitate.

9. Imo hae afflictiones Piorum et Sanctorum sunt testimonia immortalitatis animae, seu quod post hanc vitam restet iudicium, et perpetua vita.

10. Tales calamitates Sanctorum non redimuntur ritibus satisfactionum.

11. Nec hi ritus defendendi sunt hoc praetextu, quod bonis operibus mitigentur poenae praesentes. Nam magnum discrimen est inter hos ritus, et ea, quae vere vocantur bona opera. Nec hoc praetextu confirmanda est superstitio, aut tribuenda autoritas ministris imponendi leges Ecclesiis.

12. Multo minus prodigiosae illae opiniones recipiendae sunt, quod satisfactiones compensent poenas purgatorii, aut aeternas.

13. Eruditissime dictum est ab Hippocrate: Labor articulis et carnibus, cibus vero et somnus visceribus prodest.

(XLVI.) *Alia disputatio: de Exercitiis corporalibus piorum.*

Exercitia corporalia piorum sunt: temperantia in cibo, potu, Ieiunia, assiduitas laborum, intentio acrior in studiis, cogitatio et lectio verbi Dei, sermones pii et eruditi, audire diligenter verbum Dei ceremoniis publicis frequentius interesse, ut exuscitentur animi ad pias cogitationes et preces, et hoc genus alia, quae complexus est Paulus cum ait: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo etc.

2. Haec exercitia non sunt iusticia spiritualis, et tamen sunt necessaria.

3. Et quanquam vituperat Paulus ἐθελοθρησκείας, tamen haec opera fiunt in piis veri cultus Dei.

4. Qui haec exercitia abiiciunt, in hoc ocio et luxu, in multa peccata ruunt, praeterea contristant et arcent Spiritum sanctum. Ideo multipliciter et graviter peccant, et sibiipsis exitium accersunt.

5. Ideo Christus severe praecepit: Attendite, ne corda vestra graventur crapula. Item: Hoc genus daemoniorum non eiicitur nisi in ieiunio et oratione. Item Paulus inquit: Non in comessationibus. Et Petrus: Sobrii estote, vigilate.

6. Surdum esse ad tot tamque graves sententias, non est libertas Christiana, sed quaedam horribilis et prophana securitas, et contumacia, quam Deus aliquando atrociter puniet.

7. Magna laus est disciplinae, quod inquit Paulus: Lex est paedagogus in Christum. Testatur enim prodesse hanc paedagogiam et haec exercitia, non solum ad civilem honestatem, aut conservationem vitae corporalis, sed ad hoc quoque, ut assuefacti, doceri, et ad agnitionem Christi pervenire possimus. Est autem Deus efficax in piis per verbum suum.

8. Recte Paulus: Exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas ad omnia. Debent enim Christiani intelligere discrimen inter haec exercitia, et veras virtutes spirituales, et huic paedagogiae longe anteferri debent, vera poenitentia, vera fides, invocatio, vocationis officia. Sed tamen non dicit Paulus, inutilem esse exercitationem corporalem.

9. Exercitiorum finis immediatus esse debet, ut coërceant carnem, ne saturitas et ocium accersant aliqua vicia. Item, ut sobrii magis idonei simus ad orandum etc. Cum ad hunc finem destinata sunt haec exercitia, sunt bona opera, et praecepta a Deo.

10. Non debet exercitiorum immediatus esse finis ut sint cultus, quasi Deus requirat opera non ob aliud, nisi ut tali honore afficiatur. Haec opinio est superstitiosa, ut Paulus testatur, cum ait: Regnum Dei nec esca nec potus est.

11. Fiunt autem cultus haec exercitia, cum ad debitum finem referuntur. Sunt enim bona opera: porro in piis bona opera omnia sunt cultus Dei. Sicut in Daniele adolescente et eius sociis erant cultus, abstinentia a vino et lautioribus cibis. Et habent haec opera praemia, ut testatur ipsum exemplum Danielis.

12. Quanquam igitur Evangelium maiora requirit quam haec exercitia, quae sunt sane πτῶχα στοιχεῖα κόσμου, tamen meminerimus in hac infirmitate nostra, maxime nobis opus esse his qualibuscunque adminiculis, praesertim cum Deus praeceperit de eis tam severe.

13. Res minimae sunt, si conferantur ad magnitudinem spiritualium rerum. Sed sunt res maximae acerrimo studio retinendae, si infirmitas hominum consideretur.

14. Imo Dei mandatum est, ut hac disciplina regantur adolescentia et vulgus. Quare contra mandatum Dei faciunt, cum hanc disciplinam excutiunt.

(XLVII.) *Alia disputatio: de Iusticia carnali et civili, ac de effectu Legis et Evangelii.*

Deus exigit ab omnibus iusticiam carnalem, iuxta illud: Lex est paedagogus, et: Lex est posita iniustis.

2. Et sicut arboribus indita vis est ferendi fructus, ita rationi seu ψυχικῷ homini indita est vis et facultas faciendi iusticiam carnalem.

3. Ea est iusticia liberi arbitrii, et in potestate nostra, sicut in arboribus natura fructus producere.

4. Et tamen voluntas humana est captiva Satanae, ut ne carnalem quidem iusticiam semper praestet.

5. Et quemadmodum arbores nihil producunt, nisi Deus foecundet, ita pendet etiam omnes actiones ψυχικοῦ hominis a voluntate et ordinatione divina.

6. Quidam posteaquam audierunt, non iustificari nos nostro merito, nihil interesse putant inter caedem facere et omittere, et similia. Hi sciant, a Deo exigi iusticiam carnalem.

7. Et datur servantibus merces corporalis, puniuntur hi, qui violant, sicut in historiis Mose apparet.

8. Ergo pueri et carnales omnes sunt coërcendi ista iusticia, et docendi, donec divinitus doceantur, sicut et arbores plantari, agros conseri oportet.

9. Neque vero meremur aut remissionem peccatorum, aut Spiritum sanctum, iusticia carnali.

10. Sed lex, mors et afflictiones, quas continet lex, sunt ordinatae ad humiliandos nos, et ostensionem peccati.

11. Is est verus usus et spiritualis legis.

12. De quo dicit Paulus: Lex est spiritualis, id est, spirituale iudicium, coarguens impietatem cordis, quam ratio non potest cernere.

13. Evangelium erigit et consolatur humiliatos, gratuita condonatione peccatorum, et promissione bonorum omnis generis.

14. Iusticia Christiana ea demum est, fide erigi, et tranquillum fieri cor humiliatum.

15. Sola illa fides novit Deum, et adpellat Patrem.

16. Ratio nec Deum novit, nec Patrem potest vocare.

17. Ea fides cernit unicum sacrificium esse spiritum contritum. Ideoque patienter fert afflictionem seu crucem.

18. Ratio contra in adversis rebus, aut irascitur Deo, aut plane negat ei humana esse curae.

19. Sed Spiritus sanctus fidem parit in cordibus eorum, qui sanctificantur, quae sentit Deo nos esse curae.

20. Fructus spiritus est, amor pacis publicae, et pro ea conservanda iubet orare Apostolus, item Ieremias.

21. Et cum Christianus, neque Iudaeus sit, neque Graecus, citra conscientiae periculum, qualibuscunque politiis utitur.

22. Imo praesentem politiam propter pacem debet ferre.

23. Est autem politia, civilis ordinatio, leges, iudicia, bonorum divisio, libertas, servitus.

24. Nunc, qui decimationes, qui servitutem, aut similia labefaciunt, impii, non Christiani sunt, et sunt a Magistratibus gladio coërcendi.

(XLVIII.) *Alia disputatio: de Iustificatione. Quare fide sola iustificemur, non fide et operibus simul.* (Opp. Basil. T. III. p. 322., ubi Crucigero adscribitur.)

Adversarii, si qui sunt saniores, concedunt ipsi nunc, quod dubitatio sit impia.

2. Quare concedunt, quod fide et operibus iusti simus.

3. Et quod fides sit causa principalis, seu quod opera aliquantulum habeant dignitatis, quod et fides suppleat reliquum, quidquid deest operibus.

4. Haec videtur illis civilissima ratio esse, redigendi in concordiam sententias de fide et operibus.

5. Nemo enim eruditorum adeo nunc amens est, ut dicat totam causam aut principalem causam iustificationis esse opera, Et Eccius in conventu Augustano concedebat fide iustificari homines, tanquam principali causa, operibus, tanquam minus principali causa.

6. Sed nos defendimus, homines iustificari sola fide, hoc est, sola misericordia propter Christum promissa.

7. Etsi autem obedientiam erga legem sequi necesse est, tamen haec obedientia non est causa iustificationis, neque principalis, neque minus principalis.

8. Sed iustificatio ad solam misericordiam transfertur, ut sit certa, esset autem incerta, si penderet ex conditione legis, sive ut causae principalis, sive ut causae minus principalis.

9. Est sane παράδοξον, dicere, quod sola fide iusti simus, multum enim scandalorum videtur parere legis abrogatio, sed haec doctrina pertinet, non ad vitam exteriorem, sed ad certamen conscientiae luctantis cum iudicio Dei.

10. Porro in hoc certamine conscientia non potest acquiescere, si respiciat ad legem. Lex enim iram efficit, ut ait Paulus, Rom. 3.

11. Deinde etiam haec incommoda sequuntur. Si aliquantulum legis sufficit, nec tota lex requiritur, aut gradus legis constituendus est, aut concedenda maior peccati licentia, non potest autem gradus legis constitui certus.

12. Iustificatio apud Paulum intelligitur relative, de acceptatione.

13. Non sumus iusti, neque operibus neque novitate nostra post regenerationem, sed sola misericordia, si tamen accipiamus eam fide.

14. Fides autem ipsa est noticia vera Dei, legis obedientia, incoatio vitae aeternae, Iohan. 17. Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.

15. Impietas et amentia est fingere, quod peccatum remittatur propter contritionem, cum contritio potius mors sit, non vita.

16. Fides necessaria est ad remissionem peccatorum, ut supra dictum est.

17. Confessio, hoc est, enumeratio delictorum non est necessaria et est impossibilis.

18. Absolutio privata non est improbanda. Nam Evangelium et omnibus et singulis offert remissionem peccatorum.

19. Somnium Scholasticorum de satisfactionibus plenum est impietatis.

20. Falsissimum est, non remitti poenam aeternam, nisi propter compensationem nostrae corporalis poenae.

21. Falsissimum est, bona opera facta in peccato mortali valere ad compensandam poenam aeternam. Sic autem aperte docent Scholastici.

22. Et tamen verum est, bona opera mereri remissionem poenarum corporalium, sicut Ninivitae meruerunt, sibi poenam remitti.

23. Etiamsi in poenitentia est vindicta peccati, tamen stulte et impie dicunt Scholastici, satisfactionem esse vindictam peccati coram Deo.

24. Claves non habent mandatum imponendi poenas.

(XLIX.) *Alia disputatio*: *de Ecclesia.*

(Opp. Basil. T. III. p. 333., ubi Bugenhagio inscribitur.)

Psal. ait: Non recipiam libationes eorum. Igitur Christus vere improbat sacrificia, et cultus impiorum, qui persequuntur Christum, et haec consolatio est tenenda his, qui patiuntur persecutionem contra speciem eorum, qui sibi nomen Ecclesiae arrogant.

2. Ibi igitur Ecclesia est, ubi recte docetur verbum Dei, et recte administrantur Sacramenta.

3. Sacramenta non solum sunt signa professionis coram hominibus, sed multo magis signa voluntatis Dei erga nos, Roman. 4.

4. Ergo Sacramenta confirmant conscientias, sed ita, sicut verbum confirmat conscientias non ex opere operato. Recte enim dictum est, Sacramentum esse verbum visibile.

5. Donatistae et horum similes impie sentiunt, Sacramenta non valere tractata per ministros malos. Imo sicut verbum valet tractatum per ministros malos, ita valent et Sacramenta.

6. Ubi est Ecclesia, ibi necesse est iustam ordinationem ministrorum esse, quia ordinatio ministrorum est inter dona Ecclesiae propria, iuxta illud Eph. 4.: Dedit Pastores et Doctores ad aedificium corporis Christi. Et ordinationes Antichristi cum habeant impias conditiones, damnatae sunt etiam in Psalmo: Non recipiam libationes eorum.

(L.) *Alia disputatio*: *de Traditionibus humanis.*

(Opp. Basil. T. III. p. 333 sq., ubi Ioanni Aepino adscribitur.)

Verum est, traditiones humanas esse irritos cultus, sicut ait Christus: Frustra colunt me mandatis hominum, Matth. 15.

2. Verum et hoc est, Pastores Ecclesiarum non habere ius gravandi conscientias Ecclesiae suis traditionibus, Act. 15.

3. Et tamen Pastoribus Ecclesiarum debetur obedientia, nisi aliquid contra Evangelium constituant.

4. Rechabitae laudantur a Deo, quod voluerunt violare traditionem de non gustando vino.

5. Et ne quis dubitet, hoc opus placere Deo, additur etiam amplissima promissio: Non deficietur de stirpe Ionadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

6. Iosaphat recte imperavit ieiunium, 2. Paral. 20. Recte etiam rex Ninive imperavit ieiunium.

7. Haec mandata populus observare debuit.

8. Quanquam igitur hae traditiones laudantur, tamen omitti traditiones Episcoporum sine peccato possunt.

(LI.) *Alia disputatio*: *de Poenitentia.*

Patefecit se Deus ab initio, cum condidisset genus humanum, et tradito verbo suo ostendit, se ideo condidisse genus humanum, ut esset Ecclesia Deo obediens, et eum celebrans. Ac deinde cum propria voluntate primi parentes lapsi essent, deprecante Filio ingenti misericordia, ne universa natura humana frustra, et ad aeternum exitium condita esset, iterum se patefecit Deus, et revocavit lapsos ad poenitentiam, et addidit admirandam promissionem, qua recipit eos, cum testatur se missurum semen, ad abolendum peccatum et mortem.

2. Cum in primis parentibus post lapsum nulla nisi legis noticia esset, cum obiurgarentur a Deo, nihil aliud iudicare potuerunt, quam se in aeternas poenas abiici, ut Diabolos. Recte enim ratiocinabantur, id iusto iudicio Dei convenire, Deum iuste irasci contumaciae.

3. Hic immensa Dei bonitas agnoscatur, quod non passus est extingui naturam pereuntem, sed mox eam promissione sua erexit, et vivificavit,

ut intelligat universa posteritas veram esse hanc sententiam: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Ut, Adam et Hevam ruituros in aeternam mortem, in ipso articulo retrahit in vitam, nec sinit eos perire, sed promit ex arcano sinu vocem Evangelii, ita et nobis vult opitulari.

4. Ut igitur tunc incoatum est ministerium praedicandae poenitentiae et remissionis peccatorum, ita semper postea Deus hoc suum ministerium in Ecclesia sua vult sonare, defendit, et saepe instaurat obscuratum falsis opinionibus, ut Pharisaei et Monachi fictis satisfactionibus, indulgentiis et aliis tenebris obscuraverunt contritionis et fidei doctrinam.

5. Aeterna et immutabilis Dei voluntas est, ut arguantur hominum peccata, proponatur doctrina de remissione peccatorum, et vita aeterna donata propter Filium.

6. Ideo dicit Christus: Spiritus sanctus arguet mundum, de peccato, de iusticia et de iudicio.

7. Etsi haec imbecilla et coeca hominum natura nunquam satis videt, quanta sit ira Dei, et quantum malum sit peccatum: tamen aliquam in homine contritionem existere oportet. Et est contritio vere expavescere agnitione irae Dei adversus peccatum. Hic pavor ac dolor in aliis maior, in aliis minor est, sed crescit, et fit purior in sanctis, qui proficiunt, ut ait Ezechias: Sicut leo contrivit omnia ossa mea.

8. Cum Augustinus ante mortem suam lacrymans sese accusaret, quod nunquam prius tantopere doluisset propter suos lapsus, didicit crescere poenitentiam in sanctis.

9. Imo ideo genus humanum oppressum est morte, et aliis ingentibus calamitatibus, ut agnoscatur ira Dei adversus peccatum. Et quia eam impii securi contemnunt, magis premitur Ecclesia, ut ipsa iram et indicium Dei agnoscat et praedicet, et quaerat liberationem agnitione Filii mediatoris, sicut scriptum est: Iudicium a domo Dei incipit.

10. Ideo et lex, quae est aeternum et immutabile iudicium Dei adversus peccatum, edita est, ut monstret peccatum et causas calamitatum.

11. Vult Deus extare vocem legis, ut ex certo verbo Dei sciamus, quid sit peccatum, nec fingamus ipsi sine testimonio Dei peccata, iusticiam et cultus.

12. Itaque vox ministerii non est humana opinio, sed sonat legem Dei traditam certis testimoniis ab initio mundi. Sonat item promissionem gratiae, et arguit universam inobedientiam. Et simul cum hac voce ministerii horribiliter concionatur nobis omnium calamitatum impetus irruentium in Ecclesiam, ut in promulgatione legis, horrendi fragores es quassationes erant coeli et terrae.

13. In his tantis miseriis tamen Deus sustentat suam Ecclesiam, ut Adam et Hevam. Et vox Evangelii annuncians remissionem peccatorum, multos vivificat. Necesse est igitur ad contritionem accedere hanc fidem, quae statuit vere nobis propter Christum gratis remitti peccata, non propter ullas nostras virtutes.

14. Haec fides non est noticia, qualis est in Diabolis, de qua dicit Iacobus: Daemones credunt et contremiscunt. Haec enim quo magis credit Deum irasci peccato, eo profundius mergit animos in mortem. Sed est assentiri promissioni gratiae, et fiducia accipiens remissionem peccatorum propter Christum, et in Christo acquiescens. Haec ignorant hypocritae, et enthusiastae, qui Deum quaerunt, non ut se patefecit verbo suo, sed operibus aut vagabundis speculationibus.

15. Et cum fide recipimur a Deo, simul donamur Spiritu sancto, et efficimur haeredes vitae aeternae. Et quid sit haec fides, in ipso agone et invocatione quotidiana discendum est.

16. Hunc articulum dupliciter delent impii Doctores, inimici nostrarum Ecclesiarum. Quia docent, homines consequi remissionem propter propria merita.

17. Et deinde addunt, quia nunquam scimus, quando satis sit meritorum, quando contritio sit sufficiens, semper dubitandum esse, an simus in gratia.

18. Hi duo errores sunt simpliciter ethnica doctrina. Sic Gentes etiam colebant Deum, cumulantes opera, et tamen dubitantes, an reciperentur.

19. Cum igitur errores isti monachorum deleant Evangelium, necesse est eos taxari.

20. Ut conspiciantur beneficia Christi, et ei suus proprius honos tribuatur. Item, ut mentes pavidae habeant firmam consolationem. Item, ut vera invocatio exerceatur, necesse est defendi et illustrari doctrinam de Exclusiva, quod *sola* fide iustificemur, id est, quod propter Christum gra-

tis donemur remissione peccatorum, et reputemur iusti, id est, accepti Deo ad vitam aeternam, non propter nostra merita.

21. Hanc doctrinam et passim alias inculcat Paulus, et illustrat splendidissima descriptione Coloss. 2. de Christo inquiens: Condonans nobis omnia delicta, delens chirographum in decretis, quod erat contrarium nobis, quod sublatum e medio adfixit cruci, spolia detrahens potestatibus, triumphum egit per sese, etc.

22. Qui ignorant doctrinam de fide, et non acquiescunt propter Christum, sed semper dubitant, in his non deletur chirographum, sed altius infigitur, et quia nulla est in talibus invocatio, non detrahunt spolia Diabolo, sed manent subiecti Diabolo.

23. Vera fides est nova lux, et consolatio in cordibus, et agnitio misericordiae et praesentiae Dei. Hanc agnitionem sequitur necessario vera invocatio, et sequitur nova obedientia, Deo placens, quam retinere studeamus.

24. Privata absolutio est pars ministerii evangelici, et non est ex Ecclesia tollenda.

25. Cum remissione culpae verum est semper coniunctam esse remissionem poenae aeternae. Et falsum est, aeternam mortem propter Purgatorium, aut alias nostras compensationes remitti, sed tantum tollitur propter Christum, iuxta illud: O mors, ero mors tua.

26. Quare deliria de satisfactionibus canonicis taxari necesse est, nec sunt novis fucis pingenda.

27. Verum est, horribiles poenas corporales grassari per universam Ecclesiam, et multae sunt causae. Nec negandum est, plerasque esse vere poenas certorum lapsuum, ut exilium Davidis, captivitatem Manassae, furorem regis Nabugodonosor. Et quotidie multis sanctis propter eorum lapsus cumulantur poenae privatae et publicae. De his dicit Ecclesia Micheae 7.: Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Vult enim Deus in Ecclesia conspici iram adversus peccatum, et vult in nobis crescere poenitentiam. Ideo nobis saepe post lapsus induit signa reatus, ut induebat ea Davidi pulso e regno, scelere filii etc. Et, ut ira Dei est iusta et magna, ita hae poenae non sunt leves aerumnae. Sed mitigat tamen has miserias Deus invocantibus, ut orant Prophetae: Domine, in iudicio corripe me, non in furore, ne ad nihilum redigas me. Item: Cum irasceris Deus, misericordiae recorderis. Et Oseae 11. dicitur: Non faciam furorem irae meae, quia Deus ego sum, et non homo.

28. Hae tristes poenae considerandae sunt, et quaerenda vera remedia, nec putemus eas tolli spectaculis satisfactionum, sed propter veram poenitentiam mitigantur, et aliquae prorsus tolluntur, ut dicit Propheta: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.

(LII.) *Alia disputatio: de vera et perpetua doctrina Ecclesiae.*

Una est Ecclesia Dei perpetua inde usque ab Adam, in qua se Deus immensa bonitate patefecit, et in qua semper et sonuit, et necesse fuit sonare vocem Dei, arguentem peccata generis humani, et promittentem remissionem peccatorum, propter Filium promissum, et restitutionem vitae aeternae.

2. Etsi ira Dei adversus peccatum generis humani declarata est, inde usque ab initio voce legis, et horribilibus calamitatibus generis humani, ac praecipue Sanctorum, tamen et Filii passio est illustre testimonium verae et ingentis irae.

3. Nulla mens humana intelligit, quantum malum sit peccatum, ideo omnes vere expavescere cogitatione irae Dei deberemus, sicut Paulus clamitat: Conclusit Deus omnes sub peccatum. Item Zacha. 2.: Sileat a facie Dei omnis caro.

4. Alexander, etiamsi doluit interfecto Clito, tamen peccatum non intelligebat, quia dolor non intuebatur iram Dei.

5. Sed in Davide est aliqua peccati et irae Dei cognitio, cum ait: Domine ne in furore tuo arguas me.

6. Perterrefacti autem sciant promissionem Evangelii, de remissione peccatorum, seu reconciliatione, seu iustificatione, quod videlicet propter Christum mediatorem gratis, non propter ullas nostras virtutes consequamur remissionem peccatorum, fide, id est, fiducia misericordiae propter Christum promissae.

7. Fides in hac doctrina Pauli significat fiduciam, et non solam noticiam, quae et in Diabolis est, ut Iacob inquit: Daemones credunt et contremiscunt.

8. Econtra de fide ait Paulus: Iustificati fide pacem habemus. Item: Qui credit in eum, non

confundetur. Fiducia misericordiae pacem adfert, noticia sine fiducia misericordiae, pavores.

9. Et cum aperte testetur Paulus, se de ea fide loqui, qua accipitur promissio, necesse est fiduciam intelligi.

10. Impios error est docere, quod sit dubitandum, an simus in gratia, et haec dubitatio proprie peccatum est, quod per legem accenditur, ut Roma. 7. dicitur, et impedit ac corrumpit invocationem.

11. Vera est igitur propositio: Sola fide iustificamur. Constat enim in nostris Ecclesiis hoc significari: Propter solum Christum habemus remissionem peccatorum, et sumus iusti, id est, accepti Deo ad vitam aeternam, non propter dignitatem nostrarum virtutum, etiamsi donato Spiritu sancto, multae virtutes cum fide existunt.

12. Etsi in renatis incoata est nova obedientia, tamen legi non satisfaciunt et adhuc circumferunt in carne in hac vita immundiciem multiplicem, pugnantem cum lege Dei, quae gignit etiam multa actualia peccata proprie sic dicta.

13. Nec peccatum in renatis extenuandum est, nec gratia obscuranda. Quod autem omnes homines extenuant peccatum, eo fit, quia magnitudinem peccati et irae Dei non satis intelligunt, imo hanc ipsam caliginem et securitatem fateamur esse non leve peccatum.

14. Agnoscant igitur renati se non esse iustos, id est, acceptos ad vitam aeternam propter impletionem legis, sed se placere Deo propter Filium fide, et postea placere obedientiam, et remitti id quod deest. Haec doctrina exaggerat peccatum et gratiam.

15. Infinita distantia est inter lapsus contra conscientiam, et peccata quae adhuc manent cum fide, nam fides non manet in his, qui ruunt contra conscientiam.

16. Heva contra conscientiam obtemperavit Diabolo, Maria negligens filium, non admisit delictum contra conscientiam.

17. Haec est simplex et perpetua doctrina Ecclesiae Dei, inde usque ab Adam, sicut Paulus primum dictum de fide citat, ut ostendat se perpetuam Ecclesiae doctrinam de iusticia proponere: Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iusticiam.

18. Quod monachi interpretantur Paulum de fide formata, non hoc volunt, fide iustificari hominem, sed volunt hominem mereri remissionem, et iustum esse propter propria opera, seu impletionem legis. Et deinde assuunt, dubitandum esse, an sis in gratia. Delent igitur ex professo doctrinam de fide.

19. Et affingunt multos alios errores, hominem posse legi satisfacere, et concupiscentiam non esse malum pugnans cum lege Dei.

20. Etsi semper est Ecclesia Dei recte sentiens, tamen hic coetus alias maior est, alias minor, alias magis, alias minus puram habet doctrinam. Extruunt enim et Sancti stipulas supra fundamentum, ut 1. Corinth. 3. dicitur.

21. Nec necesse est Ecclesiae membra esse maiorem partem Episcoporum, Doctorum, Sacerdotum et Monachorum, imo plerunque maior pars etiam eorum, qui sunt in gubernatione, est reiecta, ut dicitur: Reliquiae salvae fient.

22. Et quanquam electi etiam habent peccata ignorantiae, tamen Ecclesiae membra nequaquam sunt, qui manifestam idolatriam defendunt, et pios propter professionem verae doctrinae interficiunt, sicut Christus de illis impiis et parricidis ait: Vos ex patre Diabolo estis.

23. Nec alligata est Ecclesia ad titulos ac successionem ordinariam Episcoporum, ut vocant, sed ad Evangelium Dei, et est dissimilis politiis mundi.

(LIII.) *Alia disputatio: de Ecclesia, et antithesi verae doctrinae et Pontificiae.*

Ecclesia visibilis est coetus sanctorum, cui multi hypocritae admixti sunt, de vera doctrina tamen consentientes, habens externas notas, professionem purae doctrinae Evangelii, et legitimum usum Sacramentorum.

2. Sanctos voco in hac vita credentes Evangelio et renatos per Spiritum sanctum, vere invocantes Deum fiducia mediatoris, et habentes incoatam obedientiam.

3. Ecclesia alligata est ad Evangelium, iuxta vocem aeterni patris de Filio: Hunc audite, non est alligata ad Episcopos, aut successionem ordinariam Episcoporum.

4. Cum Episcopi adversantur Evangelio, cogimur mandato divino eos relinquere tanquam anathemata, iuxta dictum Pauli: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit, id est, ducatur maledictus, et divino iudicio exclusus ex Ecclesia ac abiectus, et fugiendus, ne contagium polluat

caeteros, ut in Psalmo dicitur: Induit maledictionem sicut vestimentum etc.

5. Humanae politiae sunt alligatae ad certam successionem, habent leges, et potestatem suas leges interpretandi, habent gradus personarum, Reges, Duces, habent et gloriam aliquam, id est, potentiam, opes, et decus rerum gestarum, ut res magnae ab Alexandro, Scipione gestae sunt.

6. Ecclesia non est talis politia, sed corpus dispersum, quod vagatur toto orbe terrarum, sine externo capite, sine potentia, sine gloria humana, id est, sine opibus et sine gradibus humanarum dignitatum.

7. Sed habet caput Christum, qui suis membris adest, et ea regit et defendit, habet et gloriam, quod novit ac celebrat Deum et res magnas gerit, ut Elias, Elisaeus, Paulus, et alii pii gerunt bellum acerrimum, et vere *ἄσπονδον* adversus diabolum, ut multi liberentur ab aeterna morte.

8. In Ecclesia esse iudicia debent, et donum est interpretatio scripturae. Nec est potestas interpretandae scripturae regia aut praetoria, id est, cui propter autoritatem ordinis necesse sit obtemperare.

9. Quod autem Episcopi huius temporis sint idolatrae, et hostes Evangelii perspicuum est, quia defendunt multiplicem *εἰδωλομανίαν* et multos errores perniciosos, pugnantes cum Evangelio.

10. Manifesta *εἰδωλομανία* est omnis invocatio mortuorum, qualis est in cultu sanctorum, ut nominari solet.

11. Multiplex *εἰδωλομανία* est in Missa papistica.

12. Impium est quod dicit sacrificulus se offerre filium Dei, cum nulla oblatio instituta sit.

13. Impium est quod dicit se adplicare pro aliis et mereri remissionem peccatorum.

14. Impium est, quod adplicant pro mortuis.

15. Denique quandocunque Sacramentum transfertur ad usum alium extra institutum, non est Sacramentum.

16. Manifesta *εἰδωλομανία* est fingere quod monachatus mereatur remissionem peccatorum, aut vitam aeternam.

17. Manifesta impietas est prohibitio coniugii, et scelerata, truculenta et diabolica defensio vagarum libidinum. Nec dubium est, Deum horribiliter offendi utroque scelere, libidinibus et saevitia.

18. Multiplex *εἰδωλομανία* est in doctrina adversariorum de iustificatione. Extenuant peccatum, vetant tribuere filio Dei honorem debitum, agentes poenitentiam iubent perpetuo dubitare, docent Deum in dubitatione invocandum esse, cum nulla possit esse invocatio, si mens ignara promissae reconciliationis, fugiat Deum. Et Paulus dicit: Per hunc habemus accessum ad Deum. Nulla est autem Ecclesia, ubi nulla invocatio est Dei.

19. Nos contra recte dicimus, hominem iustificari fide propter Christum gratis, non propter proprias virtutes aut opera. Idem est, quod in Ecclesiis nostris recte dicitur: Sola fide iustificari hominem.

20. Et significat fides fiduciam misericordiae propter Christum donatae, qua fiducia statuimus nobis remitti peccata propter filium Dei, victimam et mediatorem. Nec potest simul existere cum hac fide, peccatum contra conscientiam.

21. Hanc fiduciam in omni invocatione, necessariam esse dicimus, et dubitationem pugnantem cum hac fide, certum est esse peccatum. Ideo dulcissima vox est Augustini in Psalm. 88.: In aeternum regnabit Christus in sanctis suis. Hoc dixit Deus, hoc promisit, si parum est, hoc iuravit. Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, credamus et invocemus etc.

22. Etsi nova obedientia est necessaria, tamen non satisfacit legi Dei, et manent in renatis in hac vita peccata actualia, et radix, caligo in mente et securitas, ac contumacia in voluntate et corde.

23. Haec mala esse proprie peccata sua natura, id est, vitia pugnantia cum lege Dei et digna ira Dei certissimum est. Ideo docenda est Ecclesia, ut haec peccata agnoscat, et discat, fide propter Christum placere Deo renatos. Et incoatam obedientiam placere propter Pontificem Christum, qui nostras hostias ad patrem perfert, sicut ait Petrus: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

24. Doctrina satisfactionum apud adversarios, error et impietas est, et fons multorum errorum.

25. Cum igitur tam tetros errores diabolica pertinacia defendant adversarii, et eorum Epi-

scopi, relinquendi et execrandi sunt tanquam anathemata. Non expetamus eorum amicicias, qui nobiscum amici Deo esse nolunt, nosque adversus eorum execrationes consolemur voce Psalmi: Maledicent illi, et tu benedices.

(LIV.) *Alia disputatio*: *de Invocatione Dei.*

Propria virtus est Ecclesiae, ignota omnibus gentibus, et hominibus ignaris Evangelii, invocatio vera Dei, ut Rom. 10. dicitur: Quomodo invocabunt nisi credent? Quomodo credent nisi audient? etc.

2. Ethnici, Iudaei recentes, Mahometistae, dupliciter peccant in invocatione. Primum, quia errant de essentia Dei. Secundo, quia perpetuo ignorant voluntatem, an et cur exaudiat Deus.

3. De essentia errant Ethnici, Iudaei et Mahometistae. Cum enim non invocent Deum, qui se patefecit, et sicut se patefecit: fingunt sibi alii turbam Deorum, alii unum Deum, sed negant hunc vere Deum esse, qui se verbo suo, et revelato filio, et Spiritu sancto patefecit, aberrant ergo a vero Deo. Quare Christus inquit: Qui non honorificat filium, non honorificat patrem. Item, Ioh. 15.: Qui me odit, et patrem meum odit.

4. De voluntate errant, quia negant filium esse mediatorem, et ignorant promissiones.

5. Multipliciter errant et Papistae, inimici purae doctrinae Evangelii. Alii nihil cogitantes de verbo, aut filio, in quo se patefecit, invocant. Alii Deum ad certas statuas alligant. Alii homines mortuos invocant, et ab eis auxilium petunt. Denique omnes ignari lucis Evangelii, docent dubitandum esse, an placeant, et an exaudiantur preces nostrae. Hae confusiones animi vagantis et aberrantis a Deo, non satis describi verbis possunt. Sed quotidiana lucta, bonas mentes de eis admonet. Et in ea lucta discamus nos sustentare verbo Dei, et illum Deum quaerere, et in eo acquiescere, qui se suis promissionibus patefecit.

6. Et exaudit Deus in Ecclesia Christi preces invocantium, et tantum hos exaudit. Caeterarum gentium omnium preces sunt inane murmur, ut Iohan. 15. dicitur: Si manseritis in me et verba mea manserint in vobis, quidquid volueritis, petetis, et fiet vobis. Et Deut. 4.: Non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

7. Ergo in invocatione primum cogitemus, ad quem dirigenda sit invocatio. Deinde an, et cur, et ubi exaudiat Deus. Et discernamus nostram invocationem ab ethnica, iudaica et mahometica.

8. Uno modo semper Ecclesia Dei inde usque ab Adam invocavit Deum. Norat unum esse aeternum patrem, qui genuit imaginem sui, Filium, et a Patre et Filio procedere Spiritum sanctum. Et sciebat omnia condita esse simul a Patre, Filio, et Spiritu sancto, sicut in 1. cap. Gen. et Iohan. 1. adfirmatur.

9. Dirigebant ergo invocationem ad hunc omnipotentem Deum, aeternum Patrem, qui cum Filio et Spiritu sancto omnia condidit, et sustentat, Et norant se exaudiri propter filium constitutum mediatorem, et sciebant effundi Spiritum sanctum in corda credentium et invocantium.

10. Sic Iacob discernit suam invocationem, ab aliarum gentium precibus, et nominatim facit mentionem promissi Salvatoris. Primum inquit: Deus, coram quo ambulaverunt patres mei, Abraham et Isaac. Deinde addit de promisso Domino: Angelus, qui eripuit me ex cunctis malis, benedicat pueris istis.

11. Haec est directa invocatio, ut nos dicimus: Iesu Christe fili Dei vivi, crucifixe pro nobis et resuscitate, miserere nostri, iuva nos. Sicut Stephanus inquit: Iesu, suscipe spiritum meum. Et Paulus ait 1. Thessa. 3.: Ipse Deus et pater noster, et Dominus noster Iesus Christus, dirigat viam nostram etc. Et alias saepe.

12. Et Daniel clare inquit capite 9.: Exaudi Deus orationem servi tui, propter Dominum.

13. Et capite octavo angelus sciscitatur de tempore futuri eventus, ab alio quodam colloquente, quem nominat *Psalmoni*, id est, admirabilem, qui gnarus est consilii divini, et superior est creaturis omnibus.

14. Coram igitur videt Daniel, et audit et agnoscit filium Dei, sicut alii patres multi audierunt colloquentem.

15. Et Iohan. 5. Christus ipse inquit: Pater meus usque modo operatur, et ego operor.

16. Omnia igitur opera Dei extra divinitatem, praeterita, praesentia et futura, communia sunt tribus personis.

17. Et tamen Filius adsumsit humanam naturam, et est Homo, non Pater, nec Spiritus sanctus.

18. Et unus est Christus, Deus et Homo, regnans et operans cum aeterno Patre et Spiritu sancto. Et cum Patre aeterno et Spiritu sancto invocandus, exaudiens, opem ferens, salvans.

19. Et fiducia filii Mediatoris et Sacerdotis accedendum est ad Deum.

20. Nec accendi potest sine voce Evangelii, quae docet, nos gratis propter filium Dei recipi, et iustos reputari. Hanc fidem praelucere oportet in omni invocatione.

21. Manifestum est autem, doctrinam de hac fide deletam fuisse opinionibus ethnicis, quas defendunt Papistae, quod sit dubitandum de remissione peccatorum, quod sit dubitandum, an preces nostrae placeant et recipiantur. Et quod sentiendum sit, nos propter nostra merita recipi.

22. Manifestum est, et idola in invocatione proposita esse, scilicet statuas, mortuos homines, et multos falsos cultus excogitatos esse, ut depravationes coenae Domini, monachatus, satisfactiones. Haec cum sint manifesta, non recte faciunt, qui praetextu nominis Ecclesiae, tuentur et stabiliunt errores, aut ad eos redeunt.

23. Saepe praedicitur in concionibus Christi et Apostolorum, in illo ipso coetu, qui vocatur Ecclesia, magnam fore multitudinem errantium. Ait enim Christus: Multi Pseudoprophetae surgent, et seducent multos.

24. Interea tamen Ecclesia aliqua Dei mansit, ut in Iudaea regnantibus Atheis, Sadducaeis et Pharisaeis, tamen mansit Ecclesia, erant Zacharias, Simeon, Elisabeth, Maria, Hanna, et alii multi, apud quos doctrinae puritas mansit, et alii plus, alii minus lucis habuerunt.

25. Moventur homines titulo Ecclesiae, deformitate dissipationis, scandalis docentium et Principum. Quanquam autem saepe duriter oppugnantur animi his telis, tamen opponamus manifestos errores hostium, et sciamus, omnibus rebus anteferendum esse mandatum Dei: Fugite idola. Etiamsi videt Moises regnum Aegypti pulcerrimum everti, etiamsi magno cum dolore vident Apostoli horribiliter dissipari optime constitutam politiam, et patriam funditus deleri: tamen confessionem veritatis non abiiciunt.

26. Multa sunt impedimenta invocationis, sed inter praecipua est cogitatio de nostra indignitate. Scimus nos meritos esse poenas, scimus Deum iuste irasci peccatis nostris. Et lex clamitat in cordibus singulorum, poenas testimonium esse iudicii divini, quod a Deo abiecti sint calamitosi. Contra haec teneatur doctrina Evangelii, de poenitentia et remissione peccatorum, et de fide. Quanquam sumus indigni, tamen agentes poenitentiam, et credentes in Christum recipimur, et iuvamur, sicut scriptum est: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

(LV.) *Alia disputatio: de Fide.*

Erat Wicelius et similes, et caliginem offundunt sententiae Pauli, cum in hoc dicto Pauli: *Fide iustificamur*, negant fide significari fiduciam misericordiae, propter Christum promissae.

2. Cum enim Paulus Roma. 4. affirmet, non posse accipi promissam remissionem peccatorum, nisi fide, necesse est intelligi fiduciam misericordiae. Sic fidem et Basilius intellexit, et recte ait, veram iusticiam sola fide contingere, sic enim ait: *ὁ καυχώμενος, ἐν κυρίῳ καυχάσθω. αὕτὴ γὰρ δὴ ἡ τέλεια, καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τὶς ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλὰ ἔγνω μὲν ἐνδεῆ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιωμένων* etc., qui gloriatur, in Domino glorietur. Haec est enim perfecta et integra gloriatio in Deo, quando neque propter iusticiam suam quisquam effertur, sed agnoscit se indigere vera iusticia, fide autem *sola* in Christum iustificari.

(LVI.) Edita ex *ἀρχέτυπῳ,* sic inscripto: ***Disputatio de Matrimonio**, contra legem Pontificiam de coelibatu, Autore M. Casparo Cantagiser, Saxonici Collegii apud Erphordiam Decano. Cum praefatione D. Philippi Melanthonis.* [Vitebergae. Anno M.D. XLVI. (1 Fol. 8.) Non a Melanthone esse profectam hanc disputationem, non quidem auctoris Kantagieseri nomen (cum Philippus saepe pro aliis laboravit), sed potius laus, quam tribuit his propositionibus in praefatione (quam vid. in Epistolis anni 1546) et postscriptum producit, quod Peucerus omisit; videlicet in fine leguntur: „Celebrabitur in Collegio Saxonum 17. die Martii, respondente Iosepho Kirchnero, venerandi senis ac veri sacerdotis D. M. Sigismundi filio.

Impressum Witebergae apud Vitum Creutzer." Legitur haec praefatio et disputatio etiam in Lutheri opp. latin. Vitteb. P. II. p. 508 sqq.]

Quae res occasionem praebuerit, ut hae tam accuratae sententiae ederentur, prius narrandum est, ut libentius legantur, et ut bonae mentes confirmentur, et gaudeant se non adiuvare saeviciam iniustissimam eorum, qui adhuc vagas libidines, et idola impiorum sacrificulorum, defendunt.

Nuper adolescens natus in coniugio honesto et pio Sacerdotis Evangelium docentis, petivit sibi doctrinae testimonium una cum caeteris honestis et doctis iuvenibus tribui Academia Erphordiana, renunciatione gradus Magisterii Philosophici, ut vocant. Hunc nonnulli ardentes odio verae doctrinae repellendum a gradu censuerunt, tantum hanc ob causam, quod natus esset in Sacerdotis coniugio.

Offendit haec iniuria et saevitia multos honestos homines in ea urbe et Academia, ut consentaneum est. Suntque deliberationes ita variae secutae, ut eo tempore ritus tribuendi testimonia prorsus intermissus sit. Quid facerent sic accensi odio in rebus maioribus, cum crudelitatem suam in re tali, et adversus adolescentes declarant, qui undecunque nati essent, in virtutis curriculo adiuvandi essent?

Haec eo commemoro, ut boni gaudeant se alienos esse a societate talium parricidarum, qui unum hoc dies noctesque meditantur et moliuntur, ut veritatem opprimant, et pios Evangelii ministros, et principes foventes pia studia verae doctrinae, interficiant.

Dulcis et vera consolatio est nobis vere invocantibus Deum, etiamsi quos naevos, et si qua vicia habemus, tamen contagia impietatis et saeviciae hostium Evangelii vitare, ut possimus cum Davide dicere: Cum impiis non sedebo. Lavabo inter innocentes manus meas, et circundabo altare tuum Domine, ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.

Haec etsi Aspides illae surdae nolunt audire, tamen nos audiamus, et gubernari et defendi nos a Deo precemur, sicut in Ezechiele promittitur, ubi Deus sumturus poenas de Sacerdotibus, et populo, iubet excerpi et servari gementes propter idola. Qua descriptione misericordia Dei mirifice commendatur. Significat enim Deus multos esse, qui cum impii teneant gubernacula, et antecellant potentia, non possint abolere idola. Hi si tamen gemitu ostendant, se dolere vicem Ecclesiae et veram doctrinam, et veram invocationem amare, excerpi se sciant ex multitudine impiorum, ne cum eis pereant.

Tales consolationes multas proponit Deus, quibus se confirment boni, ne fracti pertinacia, superbia, insolentia, ὕβρει, et terroribus potentum, eorum furorem et saevitiam adiuvent. Non dubito tantisper Deum Ecclesias nostras defensurum esse, donec studium in nobis recte, dextre, pie docendi Evangelii erit, sicut filius Dei inquit: Mansionem apud eum faciemus. Spero autem et Principibus piis curae futurum, ut illae Aspides in his regionibus, ubi tot gentes veram doctrinam probant, tandem strychno obiecto sopiantur.

Disputatio de Matrimonio.

Cum matrimonium a Deo ipso institutum, ordinatum et sanctificatum sit, impiissime faciunt, qui vel abutuntur eo, vel illud prohibent.

2. Est enim matrimonium legitima maris ac foeminae coniunctio, instituta a Deo indissolubiliter, ad procreandam sobolem, et ad vitandam fornicationem, Gen. 2. Matth. 19. 1. Corinth. 7.

3. Quare lex pontificia, quae Sacerdotibus interdicit coniugium, et contracta matrimonia dissolvit, impiissima est et diabolica, pugnans cum iure divino, iure naturali, et veteris ac catholicae Ecclesiae consuetudine.

4. Nam primum cum Paulus dicit 1. Timoth. 3.: Oportet Episcopum unius uxoris maritum esse. Item ad Tit. 1.: Liberos habens fideles etc. aperte testatur et docet, Sacerdotes licite ac pie uti sancto coniugio posse.

5. Imo, ideo diserte mariti mentionem facit, ne per superstitionem prohibeatur coniugium ministris Ecclesiae.

6. Item, 1. Corint. 7.: Propter stupra vitanda, unusquisque suam uxorem habeat, et suum quaeque virum habeat. Mandatum est universale, ad omnes pertinens sine discrimine, qui non habent donum continentiae, aut non sunt ad coelibatum idonei.

7. Sic enim interpretatur se ipsum Apostolus paulo post, cum ait: Melius est nubere, quam uri. Quam vocem nulla humana autoritas, nulla lex, nulla vota tollere possunt.

8. Quia haec non tollunt naturam et concupiscentiam.

9. Et Christus clare dicit Matth. 19.: Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est, hoc est, non omnes homines ad coelibatum idonei sunt.

10. 1. Thessal. 4.: Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis a fornicatione, ut meminerit unusquisque vestrum possidere vas suum, in sanctificatione et honore, non obtemperet affectibus. Hic locus aperte testatur, usum coniugalem esse sanctum, id est, opus ordinatum a Deo, et approbatum verbo Dei et Deo placens.

11. Ideo dicitur 1. Corinth. 7.: Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem etc., id est, usus coniugalis est sanctus, licitus et Deo placens.

12. Ornat et egregia laude officium coniugale 1. Tim. 2. cum ait: Salvatur mulier per filiorum generationem, si manserint in fide, sanctificatione etc.

13. Nam cum Paulus coniugalem castitatem (quae est moderate uti consuetudine coniugali, vitare, adulteria et vagas libidines) sanctificationem vocat, significat certe, coniugum usum esse sanctum et licitum.

14. Item Christus vocat coniugium coniunctionem divinam, cum ait: Quos Deus coniunxit etc. Matth. 19.

15. Et Paulus de coniugio, cibis et similibus rebus inquit: Sanctificantur per verbum et orationem, 1. Timoth. 4.

16. Ebrae. 13.: Honorabile coniugium in omnibus etc. Itidem est honorificum et insigne testimonium matrimonii divinitus instituti, quod Pontifices et Monachi, Sodomitae pessimi, et Diaboli mancipia, horribiliter deformarunt.

17. 1. Timoth. 4.: Paulus prohibitionem coniugii clare vocat doctrinam Doemoniorum, cum ait: Spiritus autem diserte dicit etc.

18. Cum autem certo constet, Pontifices et Monachos prohibuisse coniugium, manifestissimum est, et sine ulla dubitatione verum, quod Romanus Pontifex, cum universo ordine suo et regno sit ipsissimus Antichristus, quem Paulus in citato loco ad Timoth. valde perspicue et apertissime depingit, ac figuratum proponit, veluti digito commonstrans Ecclesiae.

19. Item, 2. Thessal. 2.: Paulus clare ait, in Ecclesia dominaturum esse hominem peccati, extollentem se supra cultum Dei etc.

20. Constat autem in Ecclesia et titulo Ecclesiae dominari Pontifices, defendentes idola.

21. Quare affirmo, nullam unquam extitisse haeresin, neque adeo futuram esse, cui verius et certius hae Pauli descriptiones, convenire ac competere queant atque huic pontificio regno.

22. Nam cui, per Deum immortalem, obscurum esse potest, in tam clara Evangelii luce, Papam iuxta Pauli verba defecisse, et discessisse quam longissime a fide et Christi Ecclesia. Siquidem is neglecta, obscurata et deleta Evangelii doctrina ac veris cultibus, quibus se Deus coli testatur et praecipit, instituit alienos et pharisaicos cultus a Deo prohibitos, et recipit ac condidit superstitiosas traditiones, ut sunt, vota, coelibatus, discrimina ciborum ac vestium, ac similes, de quibus Christus pronunciat: Frustra colunt me mandatis hominum.

23. Imo ausim affirmare, Pontifices et Monachos etiam absurdiora docuisse, quam multi veteres Haeretici.

24. Impudenter enim hos insignes errores defendunt, quod traditiones mereantur remissionem peccatorum, quod sint pares baptismo, quod sint cultus Dei, quod sint perfectiones, quod sint satisfactiones pro peccatis, quod merita eorum aliis impertiri possint. Addunt etiam, quod traditiones sint necessarii cultus, sine quibus fides sit inutilis. Excommunicant eos, qui non observant ipsorum traditiones, et eiusmodi multo plures absurditates et εἰδωλομανίας docuerunt.

25. Propheta Daniel etiam haec duo tribuit Antichristo, videlicet, quod idolum in templo collocet, et auro atque argento colat. Et quod non afficiat honore mulieres.

26. Haec duo propria esse Pontificatus Romani, quis non aperte videt? Idola manifesta sunt impiae Missae, cultus sanctorum, et statuae, quae in auro et argento ostenduntur, ut ibi colantur. Id nusquam fit, nisi in pontificio regno.

27. Deinde in nullo regno, unquam prohibitum fuit legitimum coniugium, nisi in pontificio regno. Ergo convenit ad id, quod ait Daniel, Non futuras in honore mulieres.

28. Etsi enim multae gentes libidinibus horribiliter sunt et fuerunt pollutae, tamen nusquam alibi publica lege perpetuo prohibitum est verum coniugium magno ordini hominum, nisi in hoc regno papistico.

29. Qualis autem turpitudo, quanta animarum pernicies, et quam monstrosae atque horribiles libidines hunc coniugii contemtum et prophanationem secutae sint, tanquam veri fructus et proprii effectus, experientia docet, et horrent animi pii vel cogitare vel nominare.

30. Praeterea tot crudelia homicidia, quibus interficiuntur pii Sacerdotes propter sacrum coniugium, satis etiam monstrant et indicant autorem huius tyrannicae legis de coelibatu. Nam cum Diabolus natura sit homicidia, etiam parricidiis suam legem defendit.

31. Haec ergo cum apertissime conveniant ad regnum pontificium, nihil dubium est, Danielem et Paulum concionari de regno pontificio.

32. Quare sciamus admoneri nos, ne assentiamur impietati Pontificum, sed detestemur, et animo atque corpore abhorreamus. Nam vox divina sonat: Fugite idolatriam. Et in Apocalypsi clamat angelus: Exite ex Babylone.

33. Quod vero lex de coelibatu pugnet cum iure naturae, hinc manifestum est, quod coniunctio maris et foeminae est iuris naturalis.

34. Sicut et rectissime et sapientissime Iureconsulti dicunt.

35. Et testantur haec verba Gene. 1.: Masculum et foeminam creavit eos, hoc est, indidit utrique sexui mutuam coniunctionis appetitionem.

36. Cum autem ius naturale sit immutabile, sequitur ius contrahendi coniugii nullis humanis legibus tolli posse, sed omnibus liberum manere.

37. Nam ubi natura non immutatur, necesse est et illam ordinationem manere, quam Deus indidit naturae.

38. Praeterea dissentit quoque haec lex a decretis et Canonibus conciliorum veterum, et consuetudine veteris ac verae Ecclesiae, sicut clare testantur historiae, et Canones iuris pontificii, ut Dist. 23. in Canone: His igitur. Et in Canone sequente: Quoniam. Distin. 34. in Canone: Audite carissimi. Et multo pluribus locis.

39. Neque dubium est, Apostolorum tempore, et diu post in Graeca et Latina Ecclesia fuisse Sacerdotes maritos.

40. Matth. 8. aperte colligitur, Petrum Apostolum fuisse coniugatum.

41. Et in Actis ostenditur Philippum Evangelistam, et alios, habuisse uxores.

42. In Synodo Nicena approbata est sententia Paphnutii, pugnantis contra coelibatum et dicentis, coniugalem consuetudinem, continentiam et veram castitatem esse, Distinct. 31.

43. Extat et decretum consilii Gangrensis celebrati anno 334. Quod clare statuit, coniugium Sacerdotum nihil differre a coniugio aliorum, Distinct. 28.

44. Constat etiam ex historiis, multos ex Episcopis et Sacerdotibus legitime natos, in summos Pontifices electos esse, Dist. 56. C. Cemanensem.

45. Ex quibus omnibus perspicue apparet, veteres Canones non prohibere coniugium.

46. Sed novi Canones, qui non sunt in Synodis conditi, sed privato consilio Pontificum facti, autore Diabolo, et prohibent contrahere matrimonia, et contracta dissolvunt, contra autoritatem Synodorum, contra naturam et contra mandatum Dei.

47. Iam, quaeso, animo perpendatur, quam impie et scelerate faciunt illi impurissimi homines, qui honestos et eruditos adolescentes, ex Christianis Sacerdotibus et Evangelii ministris, in legitimo toro natos, publico testimonio, spurios esse impudentissime adserunt, et pronunciant indignos, qui ad honesta artificia admittantur, aut quibus honores, sive dignitatum et graduum tituli decernantur.

48. Et quod magis detestandum est, et horribilis furor est, illi ipsi tam insignis coniugii contemtores, hostes et proditores (quod Deus pronunciat sanctum esse. Et Christus ipse in Cana Galilaeae, sua praesentia et testimonio, praeclare ornavit edito insigni miraculo) manifesti sunt scortatores variis libidinibus polluti et coinquinati, iudicati et damnati.

49. Primum iure divino ad Ebr. 13.: Fornicatores et adulteros iudicabit Deus. 1. Corinth. 6.: Non erretis, neque scortatores, neque adulteri, neque idolatrae, neque molles etc. regni Dei haereditatem accipient.

50. Secundo, iure naturali. Nam supra ostensum est, vagos concubitus et libidines prodigiosas pugnare cum hominis natura. Rom. 1.

51. Tertio, etiam iure pontificio, ut testantur verba Alexandri in Canone: Praeter hoc, Distinct. 32.

52. Et Dist. 81. Gregorius interdicit fornicatoribus sacrificulis ingressum in templum, et interdicit omnibus Christianis, autoritate Dei pa-

tris omnipotentis, ne officium audiant a tali scortatore.

53. Neque vero minus peccant et reprehendendi sunt, quicunque his impuratis hominibus adsentantur aut consentiunt, praesertim cum Evangelici censeri volunt. Scriptum est enim Roman. 1.: Facientes et consentientes eadem poena digni sunt. Et Rom. 10.: Corde creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem.

54. Nos igitur agamus gratias ex toto corde sine intermissione Deo opt. max. patri Domini nostri Iesu Christi, pro hoc inenarrabili beneficio, quod nos ex hoc Antichristi regno, pro sua immensa misericordia, clementer liberarit et eripuerit, et ex densissima caligine ac tenebris in claram lucem revocarit, atque ad veram verbi sui, et voluntatis in eo revelatae, cognitionem perduxerit. Rogemusque ardentissimis precibus et omnibus votis, ut porro sanctificare, regere, iuvare, accendere et confirmare corda nostra Spiritu sancto velit, ut ipsum vere agnoscamus, invocemus, ei vere credamus, gratias agamus et obediamus, ne in eiusmodi Epicureos furores, et fanaticos Papistarum errores, iterum ruamus, suamque Ecclesiam benigne gubernare, tueri et servare velit, qui est benedictus in secula. Amen.

(LVII.) *Alia disputatio D. Philippi Melanthonis: de tota Evangelii doctrina, Anno* 1546. (Legitur etiam in opp. Luth. latin. Witteb. T. II. p. 505.)

Est omnino miserum totum genus humanum in hac corruptione, ut in maxima parte hominum manifesti furores ostendunt, quia maxima multitudo vivit more pecudum, contemnens Deum et iudicium et misericordiam Dei, nec attendens unde sit haec natura, et quomodo regatur, et quis sit futurus finis huius mundi, sicut Psalmus inquit: Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.

2. Econtra vero ingens et immensa bonitas Dei est, quod quanquam multi sunt prophani, qui non emendantur, tamen se patefecit certis testimoniis, et revelavit arcanum decretum suum de remissione peccatorum propter filium, et colligit sibi ex tam corrupta massa humani generis Ecclesiam aeternam.

3. Et ut eam Ecclesiam sibi colligat, instituit ministerium Evangelii inde usque ab initio post Adae lapsum, in quo ministerio vult omnibus temporibus praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum propter filium.

4. Cumque nos in Ecclesia non simus Epicurei, sed affirmemus vere Deum tradidisse doctrinam de sua voluntate, de ira et misericordia, debemus audire ipsam doctrinam, et fugere omnes corruptelas doctrinae.

5. Sicut Heva debuit vitare corruptelas mandati divini, quas Diabolus ei proposuit, sic omnes homines debent vitare, et damnare omnes depravationes Evangelii.

6. Manifestum est autem depravari Evangelium multipliciter in articulo de poenitentia ab illis scriptoribus, qui docent, Remitti peccata propter nostram contritionem et alia merita: et tamen quia nunquam scimus quando sit sufficiens contritio, aut sufficientia merita, semper dubitandum esse quando habeamus remissionem.

7. Multi Ethnici errores insunt in hac sententia quia fingunt nostram contritionem posse sufficientem esse pro nostris peccatis, ita simul detrahunt de merito Christi, et mergunt homines in aeternam mortem, quia quo magis augetur contritio sine fide, eo profundius ruit homo in mortem, ut manifestum in Iuda, in Saul, et similibus.

8. Propterea et ipsa dubitatio impellit mentes in desperationem, et deterret a vera invocatione, sicut Paulus inquit: Quomodo invocabunt, nisi credant? Roman. 10.

9. Iterum etiam detrahunt gloriae Christi, quando dicunt, Remitti peccata propter nostra merita, et non gratis fide propter Christum.

10. Error est, quod omnino omittunt in doctrina de poenitentia hunc articulum: Fide gratis donatur remissio peccatorum propter filium Dei per fidem.

11. Et hunc tetrum errorem, quo deletur praecipuus articulus Evangelii et symboli, videlicet, Credo remissionem peccatorum, impie defendunt autores decreti Theologorum Lovaniensium.

12. De contritione nos quoque docemus, omnino oportere aliquam in iis, qui convertuntur, contritionem existere, quia Deus damnat carnalem securitatem, et vult aliquo modo agnosci iram suam adversus peccatum, ideo Paulus sic orditur suam concionem: Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et iniusticiam etc. Rom. 1.

13. Et contritio est vere expavescere agnitione irae Dei adversus peccata, et dolere propter Deum et filium eius Dominum nostrum Iesum Christum.

14. Sit verus dolor et pavor, nec disputetur, an sit sufficiens. Quia nostra contritio non meretur remissionem, et si cresceret in nobis pro magnitudine peccati, extinguerentur homines, sicut multi impii sensu irae Dei subito pereunt.

15. Sit igitur contritio, sed accedat fides, qua unusquisque vere credat et statuat sibi ipsi remitti peccata gratis, propter filium Dei, non propter propria ulla merita.

16. Hac fide et consequitur homo remissionem peccatorum certo, et rursus erigitur cor, et vivificatur, id est, mitigantur pavores, et concipitur Spiritus sanctus, et nova vita et laeticia, ut Rom. 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus.

17. Hunc articulum necesse est in Ecclesia proponi et illustrari, etiamsi reclamant Pontifices, Reges, Monachi et omnes hypocritae.

18. Nec adsentiendum est oppugnantibus hunc articulum, etiamsi clamant nos seditiosos aut haereticos esse. Sed tenenda est regula: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

19. Haec regula satis excusat nos, cum adversamur Pontificibus et Regibus qui damnant veritatem, Imo necesse est nos obedire Deo praecipienti, ut amplectamur Evangelium, et adversemur erroribus.

20. Pertinet ad praedicationem poenitentiae, etiam doctrina de novitate vitae, seu bonis operibus, quia peccatum, cum remissum et tectum sit, non regnet deinceps in nobis. Et Iohannes dicit: Facite fructus dignos poenitentia. Et Esaias: Discite recte facere, et desinite male facere.

21. Et in Zacharia dicitur: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum.

22. Accepto Spiritu sancto fide, statuimus, quod simus in gratia, iusti, id est, accepti et placentes Deo, propter mediatorem. Et quia agnoscimus Dei erga nos misericordiam et praesentiam, invocamus, et diligimus eum, et nos ipsos Deo subiicimus. Ita incoatur in nobis interior obedientia et sequuntur externi veri cultus, invocatio vera Dei, confessio Evangelii, et obedientia iuxta mandata Dei in omnibus externis operibus.

23. Et tamen manet peccatum in renatis, in hac vita, quod non est leve malum, ut extenuant hypocritae. Non enim sunt levia mala dubitationes, diffidentiae, multae ignorantiae, multiplices omissiones, frigidius et languidius diligere Deum, credere et timere, et multae errantes flammae cupiditatum.

24. Haec quanquam sunt magna et tristia mala, tamen teguntur immensa misericordia, sicut Psalmus 32. dicit: Beati quorum tecta sunt peccata: et sunt remissa, conversis ad Deum, retinentibus fidem.

25. Est ergo peccatum in renatis in hac vita mortali, sed non regnans. Tunc vero iterum regnat, quando indulgent homines peccato contra conscientiam. Ut quando renati redeunt ad priora idola, dedunt se prohibitis libidinibus, scortationibus, adulteriis, adficiunt alios iniuriis scientes etc.

26. Non manet Spiritus sanctus in talibus, qui indulgent peccato contra conscientiam, et excutitur fides, quae antea fuerat in corde accensa, qua credebat homo, se a Deo receptum esse, Deo placere, se exaudiri, nec manet vera invocatio.

27. Cogitetur ergo, quanta sit miseria hominis perseverantis in peccatis contra conscientiam, quia iam non invocat Deum, et cum vivat in maximis periculis, non audet statuere se defendi et iuvari a Deo.

28. Imo perseverans in peccatis contra conscientiam, ruit in aeternas poenas, ut Galat. 5. dicitur: Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.

29. Etsi magna mala sunt peccata haerentia in renatis in hac vita, quibus spiritu repugnant: tamen infinita distantia est inter ea peccata, et lapsus contra conscientiam, qui excutiunt Spiritum sanctum.

30. Ideo omnibus nobis acerrime pugnandum est, ut retineamus Spiritum sanctum, nec labamur contra conscientiam, iuxta illud: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis.

31. Spiritu reprimendae sunt flammae cupiditatum. Ergo necesse est id fieri timore Dei, fide, invocatione Dei, ut iuvemur et regamur a Deo, ne erremus, et ruamus contra voluntatem Dei.

32. Et cum magna sit infirmitas nostra, meminerint pii promissum esse auxilium, ut Paulus inquit Philip. 2.: Deus est, qui efficit, ut velitis, et ut perficiatis. Si sentis initia poenitentiae

et fidei, scito te iam placere Deo, et Deum tibi adesse, velle haec initia provehere, et velle tibi in vocatione, in gubernatione opem ferre, ne frustra nitaris, cum Deo servire cupis.

33. Hac tota doctrina Evangelii nos ad poenitentiam, fidem, invocationem Dei et veros cultus et bonos fructus excitemus, propter gloriam Dei, et Domini nostri Iesu Christi, ut sciamus labores nostros non fore inanes in Domino. Etiamsi impia multitudo hominum, quae est maxima, nos deridet, aut odit, et multiplicem saevitiam in nos exercet, hanc tamen consolationem teneamus: *Non erit labor vester inanis in Domino.*

Sequuntur **THEMATA**, quae post mortem reverendi viri **D. Martini Lutheri** in Academia Witebergensi sunt disputata.

(LVIII.) Ex ἀρχέτυπῳ: ***Propositiones Petri Malvendae propositae in colloquio Ratisponensi, Anno* 1546.** His oppositae propositiones verae, disputatae a M. Maximiliano Mauro Vitebergensi docente Evangel. in aula Illustr. Ducis Saxoniae Iohannis Ernesti etc. Die Martii undecimo. Vitebergae, apud Vitum Creutzer. 1546. 8.

Propositiones Petri de Malvenda in colloq. Ratisp. anno* 1546. *propositae. (Leguntur etiam in opp. Lutheri latin. Witeb. T. II. p. 506.)

In iustificatione peccatoris remittitur peccatum per Christum mediatorem, et gratia infunditur, idque fit ex mera Dei gratia nullis meritis nostris.

2. Ad hanc iustificationem in adultis, concurrunt etiam actus liberi arbitrii, moti a gratia praeveniente et simul comitante.

3. Fides qua credimus historiae evangelicae, et Deum patrem misisse nobis filium propiciatorem pro peccatis nostris, et per illius sanguinem remitti peccata, est in adultis ad iustificationem necessaria.

4. Non tamen sola ad iustificandum sufficit, sed requiruntur etiam spes et caritas, et actus poenitentiae caritate informatus.

5. Actus hi ad iustificationem[1]) adulti concurrentes, non sunt iustificationis meritorii.

6. Etsi certum sit, omnia peccata quae ullo unquam tempore remissa sunt, aut remittuntur per sanguinem propiciatoris remitti: tamen cum quis firmiter et certo statuit sibi remissa esse peccata, non habens conditionis suae et infirmitatis rationem, iudicio magis temerario, quam scripturae autoritate ducitur.

7. Is cui remissa peccata sunt, potest auxilio gratiae Dei sic implere Dei praecepta, ut Deo et proximo reddat, quod debet. Quod dum facit, non solum non peccat mortaliter, sed potius est iustus apud Deum, et legis impletor, et eiusmodi homines vere iusti sunt apud Deum, et legem eius implent, quia gratiam habent omnino peccata delentem, et suggerentem vires ad implendam legem. Non quia peccata quae post iusticiam acceptam adhuc maneant, illis non imputentur, aut propterea tantum, quod iusticia, quam non ipsi, sed Christus fecit, illis imputetur per Christum.

8. Dicimus opera haec, quibus legem iusti implent, et Dei voluntatem sequuntur, sic esse vitae aeternae meritoria, ut eis Pauli testimonio reddenda sit corona iusticiae.

9. Postremo multae hominis actiones sunt ante iustificationem, quae non parum conducunt, ut clementissimus Deus oculos suae bonitatis et ineffabilis misericordiae ad ignoscendum saepe convertat.

Contrariae et verae propositiones, disputatae Witebergae a Magistro Maximiliano Mauro, docente Evangelium in aula Illustrissimi Ducis Saxoniae Iohannis Ernesti etc. Et petente gradum Doctoris, praesidente Philippo Melanthone, anno* 1546. *die* 12. *Martii.

Ut ante extremum agonem filius Dei precatus est: Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas: ita et nos petamus, ne Deus extingui lucem Evangelii sinat, et nostras preces ad Pontificis nostri Domini Iesu Christi precationem adiungamus. Videmus enim praestigias excogitari ad obruendam Evangelii vocem.

2. Assentitur Malvenda requiri fidem, scilicet noticiam historiae, qualis et in Iuda erat, qua credit aliquibus remitti peccata. Deinde vero delet praecipuum articulum doctrinae de fide, qua iubet Deus unumquemque agentem poenitentiam statuere sibi ipsi vere remitti peccata, propter mediatorem, non propter alias placationes.

---

1) Peuc. *iustificandum.*

3. Oppono igitur Malvendae, consensum Prophetarum et Apostolorum iuxta dictum Petri Act. 10.: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

4. Fateor, inquit, dari remissionem peccatorum propter Christum, et fidem flagito. Sed quia decipit lectorem Malvenda generalitate, ideo necesse est eum refutari. Intelligit fidem, qua in genere credis aliquibus remitti, non tibi. Hoc credit Iudas, imo et Diaboli.

5. Propria Evangelii promissio est, annunciare remissionem peccatorum. Haec nihil prodest tibi, si tantum credas in genere aliquibus remitti, non tibi.

6. Ideo tantum hanc generalem fidem docentes, delent Evangelium, et veram ac salutarem consolationem conscientiis admirando Dei consilio propositam, eripiunt.

7. Paulus de hac fide loquitur, qua agens poenitentiam, sibi ipsi remitti credit, cum ait: Iustificati fide pacem habemus.

8. Quia illa generalis fides seu notitia historiae non erigit mentem perterrefactam et fugientem Deum, sed potius auget pavores et fremitum adversus Deum. Eo magis irascuntur Iudas et Diaboli, quia sciunt filium Dei iudicaturum esse, et aliis melius fore.

9. Recte igitur Bernhardus dixit: Sed adde ut credas et hoc, quod per ipsum peccata *tibi* donantur. Hoc est testimonium quod prohibet Spiritus sanctus in corde tuo dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem.

10. Idem nostrae Ecclesiae docent, cum enarrant dictum Pauli: Fide iustificamur.

11. Nulla consolatio proponitur conscientiis, si haec nostra enarratio abiicitur. Item si additur fidei conditio nostrae dignitatis, ut Malvenda inquit, non habens conditionis et infirmitatis suae rationem.

12. Haec prorsus est legis doctrina. Tunc habebis remissionem, cum eris dignus.

13. O tristem vocem, quae iubet nos intueri nostram conditionem, id est, miserrimam naturam horribiliter contaminatam peccato. Quid enim dicit[2]) David intuens suam conditionem. Egone reciperer, qui tantis sceleribus me et Ecclesiam pollui, eripui viro sancto coniugem, pollui meam et alienam conscientiam, virum interfici iussi, praebui causam, ut poenae, seditio et infinita scandala sequerentur? Hic certe David ad mediatorem, et ad doctrinam de gratuita remissione deducendus est, sicut ipse se voce absolutionis et fide sustentat.

14. Ideo Paulus toties inculcat particulam *gratis*, ut discernat legem et Evangelium, et doceat statuendum esse, gratis remitti peccata propter filium Dei.

15. Verum est oportere adesse in conversione poenitentiam, fidem, dilectionem, spem, bonum propositum, et alias virtutes, sed hae non sunt causae remissionis.

16. Ideo dicitur, sola fide iustificamur, ut excludatur opinio seu conditio meriti, non ut excludantur virtutes, ne adsint.

17. Eandem doctrinam confirmat hoc dictum: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Non igitur datur remissio propter ulla nostra opera.

18. Errat Malvenda docens mentem pavidam et fugientem Deum in illo tristi conspectu irae Dei, ut maneat in dubitatione.

19. Errat qui fidem in suis propositionibus tantum intelligit esse idem, quod nosse historiam, non assentire promissioni.

20. Errat quia affirmat renatos in hac vita posse legi Dei satisfacere, et expresse dicit hac impletione legis, homines iutos esse.

21. Nos contra affirmamus, renatos in hac vita non posse satisfacere legi Dei, et quanquam habent inchoatam obedientiam, quae Deo placet in credentibus propter filium: tamen persona est iusta, id est, accepta propter mediatorem, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

22. Multa tristia mala manent in renatis, ut dubitationes, securitas carnalis, frigide diligere Deum et multae flammae viciosarum cupiditatum. Haec mala condonantur et teguntur in his qui repugnant, sed tamen revera sunt mala pugnantia cum lege Dei.

23. Sed ruentes in delicta contra conscientiam excutiunt gratiam et Spiritum sanctum, et fiunt rei mortis aeternae.

24. Rursus autem recipiuntur a Deo cum conversi agunt poenitentiam, et fide remissionem petunt, ut Esaias inquit: Si peccata vestra fuerint

2) Peuc. mendose *dicet*, ex emendatione.

sicut coccinum, erunt candida ut nix, id est, Si rei fueritis, ut cruenti in suppliciis, tamen recipiemini et liberabimini ab aeterna ira et ab aliis poenis.

25. Honesta opera non renatorum vocamus disciplinam, quae est necessaria propter mandatum Dei, sed non meretur remissionem peccatorum, quod reipsa vult Malvenda cum ait, ea non parum conducere, ut Deus convertat facientem.

26. Haec Malvendae opinio pugnat cum doctrina de gratuita remissione, et deducit mentes ad illam incertitudinem, ut quaerant quando satis habeant meritorum, et tota haec imaginatio fingitur ad obruendam doctrinam de fide. Caeterum doceri homines, et audire Evangelium necesse est. Ideo et Apostolis dictum est: Praedicate omni creaturae, et omnibus mandatum est, ut audiant. Qui non audierit, ultor ero, Deut. 18.

27. Ociosi et securi de iusticia cogitantes, nihil nisi disciplinam mirantur, sed cum expavescunt mentes conspectu peccati et irae Dei, ibi vere discunt hanc consolationem veram et salutarem esse; quae hoc decretum immotum Dei proponit, quod affirmat propter filium gratis remitti peccata, et velle Deum ut fide accipiamus hanc consolationem.

28. Cumque voce Evangelii nos sustentamus, datur Spiritus sanctus et vere accenduntur in corde dilectio et aliae virtutes, ut Paulus inquit ad Galat. 3.: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem.

29. Malvenda pugnantia dicit, remitti peccata nullis nostris meritis, et tamen ait, propriam infirmitatem considerandam esse. Hoc est, quaerere remissionem propter nostram dignitatem.

30. Sed eludunt hanc obiectionem, dicunt remitti, sed nos non posse, nec debere de voluntate Dei statuere. Hoc si verum esset, quid opus esset promissione remissionis, aut voce annunciante remissionem? Non vult autem Deus mentes in hac dubitatione relinquere, sed sic ad se vocat nos edita promissione, et consolatione, qua confirmati liberamur a morte aeterna: quia Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

31. Ideoque in Ephesiis multis verbis describit Paulus hanc asseverationem. Per quem habemus fiduciam, et audemus accedere per fidem. Etsi varias corruptelas hic alii fingunt, tamen manifestum est hoc ipsum praecipi, ut credamus nos recipi, et hac fide invocemus Deum, non fugiamus, ut fugiunt Deum, Saul, Iudas, et similes.

32. Doctrina praecipiens dubitationem, aut adducit ad desperationem, aut in securis gignit Epicuraeum contemtum Dei. Nam in invocatione ita cogitant: Nescio quid agam, fortasse Deus me abiecit, nec respicit meas preces.

33. Intelligatur ergo fides non tantum historiae noticia, sed etiam assentiri promissioni gratiae, cum quo assensu necessario coniuncta est fiducia acquiescens in mediatore propter promissionem.

34. Et quanquam multae virtutes simul sunt, tamen dicitur: Fide iustificamur, quia oportet esse aliquid, quo mens apprehendens Christum, acquiescat in alieno beneficio. Ita fides est quiddam apprehendens et applicans nobis Christum mediatorem.

35. Malvendae dubitationem docenti haec dicta erunt inanes soni: In te Domine speravi, non confundar in aeternum. Item: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebuntur. Nam si iubeas Davidem dubitare, quomodo eriget se? quomodo statuet se curae esse Deo?

36. Quod vero dicunt, confidere, actum esse spei, res ipsa ostendit spem quoque excuti mentibus, si putent in dubitatione manendum esse, quare etiamsi nomen spei retinet Malvenda, tamen rem non retinet.

37. Fides est fiducia propter mediatorem, accipiens in praesentia remissionem peccatorum, ut Paulus dicit: Iustificati fide pacem habemus. Spes vero est futurae liberationis expectatio.

38. Paulus fidem Abrahae laudans inquit Roman. 4. non dubitavit diffidentia. Item: Praeter spem in spem credidit. Hoc exemplum proponit et inculcat, ut nos quoque amplecti promissionem, et vincere dubitationes, quibus varie quatiuntur mentes, doceat. *Τέλος.*[3])

(LIX.) *Alia disputatio theologica: de Poenitentia, respondente M. Melchiore Isindero Suidnicensi, Witebergae, Anno* 1548. 8. *die Novemb.*

Ut filius Dei in agone suo precatus est, inquiens: Pater, sanctifica eos in veritate, sermo tuus est

3) Additum est in archetypo: „Iohannes Bugenhagius Pomeranus D. Hae propositiones M. Maximiliani sunt ipsa Evangelii veritas."

veritas, ita ad huius summi Sacerdotis precationem adiungimus vota nostra, et veris gemitibus petimus, ne sinat extingui lucem Evangelii, sed semper servet coetum in his regionibus, etiam in quo sonet vox Evangelii incorrupta, et a quo vera invocatione colatur.

2. Est autem inter praecipua capita Evangelii doctrina de poenitentia, et remissione peccatorum, quam quidem omnibus in conspectu semper esse oportet, sicut et filius Dei summam Evangelii complectens, inquit: Ite praedicantes in nomine meo poenitentiam et remissionem peccatorum.

3. Sit infixum animis hoc iusiurandum Dei: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

4. Est autem copulativa oratio, coniunguntur haec duo, conversio, et vita. Nemo vivet perseverans in sceleribus contra conscientiam.

5. Ideo poenitentiae seu conversionis, prima pars esse contritio recte dicitur.

6. Est autem contritio vere expavescere agnitione irae Dei adversus nostra peccata, et vere dolere nostra inobedientia Maiestatem divinam offensam esse.

7. Vere enim et horribiliter irascitur Deus peccatis, et iram suam vult conspici. Ideo non solum voce legis eam arguit, sed etiam commonefacit nos tanta varietate tristissimarum calamitatum de sua ira. Imo et in voce Evangelii Spiritus sanctus arguit mundum de peccato.

8. Etsi in conversione, in aliis maiores, in aliis minores sunt dolores, tamen in omnibus aliquos esse necesse est. Et ut caeteris peccatis, ita multo magis securitati Deus irascitur, quae iudicium Dei contemnit.

9. Ideo apud Esaiam dicitur: Ad quem respiciam, nisi ad moestum et contritum spiritu, et trementem sermones meos?

10. Et Ioël: Scindite corda vestra. Et Paulus inquit: Tristicia secundum Deum efficit poenitentiam ad salutem.

11. Necesse est igitur corrigi securitatem, et ut excutiatur, commonefacit nos magnitudo calamitatum. Ac Deus praecipue Ecclesiam subiecit cruci, ut in ea magis quam in mundo conspiciatur et timeatur ira Dei adversus peccatum.

12. Sed necesse est accedere ad dolores consolationem. Ideo secunda pars in conversione est vivificatio quae sit fide. Et docendi causa perspicue dicitur, secundam partem poenitentiae fidem esse, qua cor tuum fiducia filii Dei accipit remissionem, et te vere a Deo recipi in gratiam, et iustum reputari statuis, et vere proiici tua peccata, ut apud Michaeam dicitur, in profundum maris, non propter ulla nostra merita, sed *gratis* propter mediatorem.

13. Haec fides complectitur omnes articulos fidei, et in his hunc: Credo remissionem peccatorum, scilicet mihi quoque dari, non tantum aliis.

14. Fides in Diabolis non recte accipit hunc articulum: Credo remissionem, quia tantum statuit aliis dari. Talis fides est Iudae et similium.

15. Ideo non recte dicitur, vera esse fides, quae est in non conversis, quia non adsentitur omnibus articulis fidei.

16. Doctrina monachorum quae iubet dubitare de remissione peccatorum, et quidem in conversione, iubet manere in dubitatione, falsa, impia et ethnica est, et re ipsa delet Evangelium.

17. Sed ideo habet applausores, quia congruit cum iudicio rationis, quale est in hac caligine naturae. Cogitat enim mens humana, quae stultitia vel arrogantia est adfirmare, quod Deo placeas. Quis cernit arcanam Dei voluntatem?

18. Imo vero ideo vox Evangelii patefacta est, ut certo statuamns nos recipi. Necessaria est igitur fides qua te ipsum recipi statuis.

19. Hac fide cor erectum, accipit Spiritum sanctum et agnoscens iam misericordiam, invocat Deum, clamat Abba pater, et se Deo subiicit, incipit eum diligere, habet bonum propositum.

Et semper in hac vita vera est vox Evangelii: Fide iustificamur, id est, non solum praeparamur, ut deinde dilectione simus iusti, sed semper retinenda est in converso haec vera consolatio, persona est iusta fide, id est, fiducia mediatoris accepta Deo ad vitam aeternam, non propter propriam mundiciem seu dignitatem.

20. Hanc consolationem retinere necesse est, et ut vox Evangelii retineatur, et ut honos filio Dei debitus tribuatur, et ut invocatio vera fieri possit.

21. Quomodo enim possunt accedere ad Deum, qui manent in dubitatione, cum obstrepunt hae cogitationes. Cur invocas, cum sis indignus? cum fortassis Deus tuam invocationem respuat.

22. Contra tales dubitationes quotidie in invocatione exuscitanda est haec fides, iuxta illud:

Habentes talem summum Sacerdotem, accedamus cum fiducia ad thronum gratiae. Semper statuat conversus se placere Deo propter mediatorem, non propter propriam dignitatem, etsi necesse est simul esse dilectionem et bonum propositum, et multas virtutes, iuxta illud: Qui non diligit, manet in morte. Sed persona non propter has virtutes, sed propter mediatorem placet, quia adhuc reliquae sunt in hac vita multae et magnae sordes, etiam in his qui non habent peccata contra conscientiam.

23. Detestanda est arrogantia et securitas in omnibus qui sibi blandiuntur, et non vere dolent propter peccata quae adhuc haerent etiam post conversionem in cordibus, scilicet propter dubitationes, errores, peccata ignorantiae es omissionis, quod levius timent corda iram Dei, quod non ardent dilectione, zelo, quod multarum viciosarum cupiditatum flammis accenduntur, quibus repugnare valde difficile est.

24. Omnium hominum peccata et immundiciem arguit vox divina, ut Paulus inquit: ut omne os obturetur, et totus mundus reus sit Deo. Item: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

25. Ideo semper in hac vita etiam in conversis crescere contritionem oportet, et addi fidem oportet, ne desperatione opprimamur.

26. Fit contritio, cum fides accedit, timor filialis, et opus bonum et Deo placens, iuxta Psalmum: Sacrificium Deo Spiritus contritus etc.

27. Verum est in conversione cum iam homo ex pavoribus fide erectus est, et quasi revixit, sequi oportere novam obedientiam. Re ipsa igitur est haec tertia pars conversionis seu poenitentiae.

28. Manet in conversis ingens infirmitas in hac vita, et manent peccata, ut dictum est, sed non lapsus contra conscientiam.

29. Infinitum discrimen est inter vicia haerentia in conversis, et inter lapsus contra conscientiam.

30. Violans legem Dei contra conscientiam, contristat et excutit Spiritum sanctum, ut de Aharone dicitur: Dominus voluit eum conterere.

31. Privata absolutio cum propter alias multas causas in Ecclesia retinenda est, tum etiam propter hanc, ut maneat in conspectu illustre testimonium, ostendens Evangelium esse mandatum de annuncianda remissione peccatorum, item lapsos resipiscentes recipiendos esse, et eis vere dari a Deo remissionem peccatorum. Hoc testimonio absolutionis usitato et Petrus Alexandrinus contra Meleti usus est.

32. Et ut petatur privata absolutio, fit confessio in qua deploremus et fateamur multis nostris lapsibus et Deum offensum esse, et laesam Ecclesiam, et irritatam iram Dei, ut poenae cumularentur, et reverenter petamus absolutionem. Sed singulorum delictorum enumeratio nec possibilis nec necessaria est.

33. Cum Psalmus inquit: Dixi confitebor adversus me iniusticiam meam Domino, et tu remittis iniquitatem peccati mei, loquitur Psalm. de confessione quae fit proprie Deo, etiamsi non fit coram homine. Et opus est contritionis, quam tamen regit fides. Est enim talis confessio, qualem recitat Daniel: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei nostrae etc.

34. Ac talis confessio multas virtutes complectitur. Primum iusticia est accusans partem iniustam, id est, nos ipsos, agnoscens delictum, et vere dolens quod Deum offenderimus. Deinde fides adiuncta est, quae petit et accipit remissionem.

Tertio, humilitas est, qua se mens vere Deo subiicit, et fatetur nos iuste puniri, et in poena non fremit adversus Deum, sed aliquo modo volens praestat obedientiam, et petit et expectat mitigationem, ut David in exilio fatetur se iuste puniri, et non irascitur Deo punienti. Sed utcunque volens perfert poenam, et petit et expectat mitigationem.

35. Magna virtus est talis confessio, in qua homo coram Deo sese prosternit, et vere fit supplex, deposita superbia. Nec iam extenuat delicta sua, nec fugit poenas, sed cedit iusto iudicio Dei, aliquo modo volens, et petit veniam propter mediatorem, nec talia dicta detorquenda sunt ad confirmandos errores, et ad obscurandam vocem Evangelii de gratuita remissione.

36. Certissimum est, nec contritionem, nec confessionem mereri remissionem peccatorum. Et singularis coecitas est, fingere sufficientem contritionem mereri remissionem. Quae enim potest esse sufficiens contritio? Et dolor crescens sine fide, mergit homines in desperationem et aeternum exitium. Ideo necesse est utramque doctrinam tenere et oportere aliqua veri doloris initia esse, ut Ezechiel inquit: Displicebitis vobis in

conspectu vestro, et simul fidem accendendam esse. quae petat remissionem, et luctetur cum pavoribus, et acquiescat in mediatore, accedat ad Deum, invocet, et accepta remissione, celebret Deum, ac statuat se recipi et vere esse haeredem vitae aeternae.

37. Hanc consolationem universae Ecclesiae necessariam esse non dubium est. Et quanquam haec clarissime tradita sunt in propheticis et apostolicis monumentis, tamen et communis consensus omnium piorum, qui intelligunt exercitia poenitentiae et invocationis in Ecclesia, suffragatur nobis. Nec contemnimus verae Ecclesiae iudicium.

38. Dictum est Chrisostomi: *οὐδὲν οὕτως τὸν θεὸν ἵλεον ποιεῖ, ὡς τὸ τὰ οἰκεῖα ὁμολογεῖν ἁμαρτήματα,* nihil Deum adeo placatum facit, ut propriorum delictorum confessio. Haec si quis superstitiose ad enumerationem coram Sacerdote detorqueat, magna erit absurditas. Nam enumeratio illa non meretur remissionem, sed virtutes valde gratae sunt Deo, in contritione, et in poenis Deo laudem iusticiae tribuere, et non irasci Deo, ut Saul irascitur Deo iudicans se indigna pati. David vero tolerat poenas aliquo modo volens, et iustas esse fatetur.

39. De hac virtute illud dictum loquitur: Taxat superbiam et pertinaciam hypocritarum, qui irati iniusta se pati iudicant, et volunt perhiberi sapientes, iusti, sancti, et lumina generis humani.

40. Nec impediant consolationem argumenta iudicii humani, de indignitate, aut de particularitate: Es indignus, aut non es in numero electorum, sed deducenda est mens ad vocem Evangelii. Ac aliter iudicare de Dei voluntate, quam sicut in Evangelio patefacta est, magna impietas est.

41. Evangelium adfirmat propter filium Dei, gratis remitti peccata. Ideo non deterreat nos indignitas nostra. Et firmissima sententia est: Gratia exuberat supra peccatum. Etiamsi horribilis est magnitudo peccatorum, tamen anteferendus est filius Dei, et anteferenda misericordia.

42. Deinde cum promissio reconciliationis sit universalis, et non dubium sit mandatum Dei esse, ut omnes homines obediant filio Dei, includas te quoque in promissionem universalem, et scias teterrimam contumaciam esse, nolle obedire filio Dei.

43. In dicto Iohannis asperior est reprehensio, qui nolunt credere Evangelio, Deum accusant mendacii.

44. Damnandi sunt igitur Enthusiastae, Anabaptistae et similes, qui omisso Evangelio, suis speculationibus, quaerunt voluntatem Dei, cum Deus immensa bonitate vocem Evangelii promulgaverit, et ad hanc velit alligatas esse mentes in toto genere humano. Haec vox ministerii evangelici audienda est, et fide amplectenda, quod cum fit, concurrunt hae causae, vox ipsa Evangelii, et Spiritus sanctus movens per Evangelium, et voluntas adsentiens, cum quidem tunc et a Spiritu sancto adiuvetur, quae si prorsus ociosa esset ut statua, nulla lucta esset.

45. His fundamentis constitutis, teneantur definitiones et discrimina praecipuarum virtutum.

46. Fides est adsentiri omni verbo Dei nobis tradito, et in hoc, promissioni Evangelii, et est fiducia acquiescens in mediatore, et accedens ad Deum, invocans et clamans: Abba pater.

47. Spes est expectatio certa aeternae vitae propter mediatorem, et expectatio auxilii, et mitigationis calamitatum in hac vita, iuxta consilium Dei.

48. Differunt autem fides et spes, quia fides praesens beneficium accipit, scilicet remissionem peccatorum seu reconciliationem. Spes vero est expectatio futurae liberationis.

49. Dilectio est obedire omnibus praeceptis Dei in vera fide, principaliter ut ipsum honore adficiamus.

50. De satisfactionibus canonicis, quas definiunt opera indebita, facienda ad compensationem paenae aeternae, doctrinam monachorum plenam esse errorum, manifestum est.

51. Certissimum est remitti culpam et poenam aeternam propter filium Dei gratis. Et mirandum testimonium est irae et iusticiae Dei, quod oportuit tam preciosum *ἀντίλυτρον* esse pro peccatis generis humani, scilicet ipsum filium Dei.

52. Nec discernenda est remissio culpae, a remissione poenae aeternae. Sed vera et utilis est distinctio remissionis culpae, et remissionis poenae temporalis. Verum est enim in toto genere humano vagari multas et magnas calamitates, quae sunt poenae certorum delictorum.

53. Tales poenae mitigantur tota poenitentia, non hypocrisi satisfactionum, ut scriptum est: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.

(LX.) „*Disputatio de Iubilaeo.* Philip. Melanth. Vitebergae. 1549." (habita anno 1549. Semestri hyberno) (1 fol. 8.)

De anno Iubilaei.

Singulari consilio Deus tempora distinxit, ordinavit dies, menses, annos, et multa mensium et annorum discrimina, quia vult intelligi discrimen inter aeternitatem et huius mundi tempora. Vult sciri hunc mundum liberrimo consilio conditum esse, nec semper fuisse, vult in Ecclesia notam esse seriem annorum, ut sciamus quo ordine, quibus modis se patefecerit, et promissiones, ac legem ediderit, et quando venturus fuerit Messias, ut fieret victima, et quae sit ultima aetas generationis humanae, postquam filius Dei in Ecclesia resuscitata triumphabit etc.

2. Ac inter alia multa temporum discrimina, observatio anni quinquagesimi valde illustris fuit, quem annum Iubilaei nominant, quia ad colligendos annos, et centenarios commodior numeratio est per quinquagesimum, et ad memoriam firmior, quam aliae partes centenarii.

3. Haec doctrinae causa principaliter instituta sunt, ut numeratio temporum magis in conspectu esset, propter causas quas recitavi. Deinde ut annus esset insignis, addita sunt magna beneficia, utilia ad conservationem illius honestae politiae.

4. Tollantur superstitiosae opiniones, nec enim fuit finis illius observationis immediatus, ut id opus existimaretur esse cultus, sed ut dictum est, ritus proderat ad docendos homines de mundi temporibus, sicut Romae ludi seculares erant monumentum annorum a condita urbe.

5. Et beneficia eius anni politica erant. Voluit Deus conservari familias et earum discrimina, quod in qualibet politia utile est, ad id prodest, cavere, ne prorsus ex suis nidulis eiiciantur homines honesti. Ac non solum pauperibus consuluit restitutione fundorum, sed etiam restrinxit mutuationes et venditiones, non poterant fundos prorsus transferre homines prodigi. Erant igitur pauciores emtores. Nec multi dabant mutuo cum foenus accipere a civibus non liceret.

6. In his legibus utilitatis rationem habitam esse manifestum est, quam et alii legumlatores secuti sunt, ut recitat Aristoteles Oxyli legem, quae prohibuit oppignerari agros mutuationis causa.

7. Hic Oxylus leges tulit in Helide, aliquanto post bellum Troianum. Fuit autem materna origine cognatus Hyllo Herculis filio, ut prolixius recitat Pausanias, quod eo adscripsi, ut quis fuerit Oxylus, apud Aristotelem, non prorsus ignorent lectores.

8. Quanquam autem utilitas fuit politica, tamen commonefactiones in his ipsis ritibus multae propositae sunt. Voluit Deus tempus, locum, stirpem sciri, in qua exhibiturus erat filium, qui restitueret iusticiam et vitam. Itaque conservatio familiarum in ista gente, admonebat pios de promissione Messiae.

9. Consolatio etiam magna proponebatur. Cum Deus vellet restitui fundos venditoribus, agnoscebant Deum quoque protecturum esse ipsis haec sua tuguriola, nec passurum, ut ex patria coniuges, nati, posteri eiicerentur.

10. Liberatio etiam fundorum et servorum significat aliam venturam libertatem, de qua Dominus inquit: Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis, ut multi ritus in lege typi fuerunt. Voluit enim Deus plurimarum legum officia, paedagogiam et commonefactiones esse de aeternis bonis, sicut universae naturae multa signa de Deo impressa sunt, ut nostrae mentes, et noticiae mentibus impressae sunt illustre testimonium, quod convincit nos, ut fateri cogamur esse Deum, et esse sapientem, iustum, castum, veracem, eligentem libera voluntate.

11. Esaias etiam cap. 61. sic interpretatur typum anni Iubilaei, de liberatione donata per filium.

12. Postquam haec de ritu legis Mosaicae dicta sunt, iam considerandum est, quae sit vera typi significatio, et κακοζηλίαι vitandae sunt.

13. Fuit κακοζηλία barbarica eorum, qui iuxta hanc legem Mosaicam, in seditione rusticana fundos liberari reditibus volebant.

14. Hic necesse est omnibus familiarissime notum esse discrimen legis et Evangelii, item iusticiae de qua proprie Evangelium concionatur, et vitae politicae.

15. Evangelium in toto genere humano in diversis politiis clamat, ut corda vere convertantur ad Deum, et fide filii Dei accipiant remissionem peccatorum, et cum sit ministerium Spiritus, simul offert Spiritum sanctum, quo adiuti vera fide agnoscimus, et invocamus Deum, inchoamus inobedientiam et efficimur haeredes vitae aeternae.

16. Ut diversa spacia dierum in diversis regionibus, nec impediunt, nec mutant hanc lucem in corde, ita nec diversae politiae eam vel mutant, vel impediunt, si modo politici mores non pugnant cum lege naturae.

17. Imo etsi sunt dissimiles politiae, et in aliis tranquillior et mitior, in aliis confusior et asperior gubernatio est, tamen affirmat Evangelium, sanctos bona conscientia legibus civilibus suae reipublicae uti, et vult nos in talibus officiis et aerumnis invocationem et patientiam et alias virtutes exercere. Sic Daniel provinciam Persicis legibus regebat, Ioseph Aegyptiis legibus. Centurio Cornelius sua iudicia Romanis legibus exercebat.

18. Alia κακοζηλία Iubilaei a Romanis Pontificibus excogitata est. Finxerunt indulgentias, ut vocant, quae sunt relaxationes satisfactionum canonicarum. Has dicunt se uberrimas largiri in Iubilaeo. In hoc commento multa sunt tetra mendacia et multae imposturae.

19. Certissimum est unicam esse remissionem peccatorum, quae accipitur ministerio vocis Evangelii et fide, quocunque tempore. Hic Iubilaeus, significatus typo Mosaico, est latronis consolatio in cruce, est Davidis consolatio, cum Nathan inquit: Dominus abstulit tuum peccatum. Sic quotidie Iubilaeus est luctantium cum pavoribus, qui fiducia filii Dei vincunt pavores et laeti invocant Deum, sperant et expectant auxilium et integram liberationem.

20. Noster enim Iubilaeus in hac vita inchoatur, sed erit integer in aeterna consuetudine cum filio Dei, ubi prorsus liberi erimus a peccato, a morte, et ab omnibus miseriis.

21. Poenae canonicae nec remissionem culpae merentur, nec poenarum aeternarum, nec poenarum purgatorii, nec aliarum calamitatum, quibus Deus in hac vita homines punit.

22. Initio fuerunt quaedam spectacula in Ecclesia, quibus recipiebantur polluti manifestis sceleribus. Haec spectacula nihil pertinebant ad remissionem coram Deo, sed erant mores exempli causa instituti.

23. Et consentaneum est hos mores a patribus acceptos esse, qui pollutos cogebant certa signa gerere, donec rursus ad consuetudinem aliorum hominum admittebantur, ut Orestes, Adrastus gerunt signa reorum.

24. Haec spectacula superstitione creverunt statim in veteri Ecclesia, postea cum onus fieret immodicum, factae sunt relaxationes, quas vocarunt indulgentias.

25. Cum autem et satisfactiones fuerint superstitiosae et improbandae, et paulatim per sese tempore consenuerint, et indulgentiae sint relaxationes rituum alioqui extinctorum, manifestum est has indulgentias tantum imposturas esse.

26. Omitto alios multos errores, quos adfinxerunt de meritorum applicatione, seu communicatione, quam dicunt fieri autoritate Pontificis.

27. Haec recensui, ut iuventus consideret ritus omnium temporum, et recte diiudicet eos, ac in tanta rituum varietate discrimen falsae et verae doctrinae observet, et incorruptam veritatem retineat, ut vera fide Deum invocet, et non sinat sibi excuti veram consolationem praestigiis falsarum opinionum.

28. Cum Moises petram percussit singulari et ineffabili consternatione animi, significatum est, lege percuti Messiam, id est, in populo legis et propter legem, percuti filium Dei, mirando temperamento iusticiae et misericordiae. Etsi enim recepit Deus genus humanum per misericordiam, tamen tantum malum est peccatum, ut iusticia Dei postularit poenam et compensationem aequivalentem seu λύτρον, ut in Evangelio nominantur.

29. Deploranda est igitur levitas et securitas in corde humano, quod non expavescit cogitatione magnitudinis peccati, et intuenda iusticia Dei flagitantis tantam compensationem, et simul orandus est Deus, ut erudiat nos et flectat ad aliquam agnitionem tantarum rerum, et in veris pavoribus fide haec immensa consolatio apprehendenda, quod propter hanc tantam victimam, filium Dei, certo remittuntur nobis peccata, et certo recepti simus a Deo, non propter dignitatem nostram, aut legem, aut nostra opera. Hanc doctrinam de gratuita remissione propter filium, non sinamus obscurari deliramentis, quae de satisfactionibus canonicis, ut vocant, in Ecclesiam sparsa sunt.

30. Et tamen discernamus remissionem culpae a remissione poenarum [1]) huius vitae mortalis. David oneratur horrendis poenis, etiam postquam

---

1) Hic non *peccatorum*, ut etiam Peuc. edidit, sed *poenarum* legendum esse, in fine primae editionis monetur.

audivit vocem absolutionis: Dominus abstulit peccatum tuum. Quanquam enim multae sunt causae, quare Ecclesia cruci subiecta est, tamen haec communissima est, quod punit Deus plurimos, ut his ipsis poenis commonefacti cogitemus, quantum malum sit peccatum, quanta sit ira Dei iustissima, et subiiciamus nos Deo, ac fateamur nos iuste puniri, sicut clamat Daniel: Tibi Domine iusticia. Et inter hos summos dolores tamen fides luceat statuens nos receptos esse, et petat mitigationem poenarum, sicut Propheta inquit: In ira misericordiae recorderis.

31. Ita et tota conversio impetrat mitigationem poenarum, de qua Paulus dicit: Si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremur. Et Esaias: Si peccata vestra fuerint ut coccinum, tamen eritis candidi ut nix, id est, etiamsi fueritis velut cruore respersi propter culpam et poenas, tamen Deus et culpam remittet, et tollet aut mitigabit poenas.

32. Haec consolatio tantum est vox Evangelii, ignota sapientiae humanae, simul et recipi nos et tamen horribilibus poenis castigari, et velle Deum ne in his poenis deficiamus, sed ut petamus et expectemus vel liberationem vel mitigationem, sicut Ecclesia dicit Micheae 7.: Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Et tamen cum sedebo in tenebris, Dominus lux mea est, id est, consolator.

33. Dictum Domini: Lex usque ad Iohannem, loquitur de ministerio levitico, non hoc vult, deleri legem moralem, quae est aeterna et immota norma in mente divina, discernens iusta et iniusta, et simile lumen in mentibus nostris, congruens cum illa norma in mente divina.

34. Nec imaginandum est, legem moralem deleri posse, sicut lex Spartana de numo ferreo fuit mutabilis.

35. Imo et poenae ostendunt, legem moralem non aboleri, quia et arguit conscientiam, et Deus propter violationem legis tristissimas poenas per totum genus humanum vagari sinit.

36. Et cum Deus velit in praedicatione poenitentiae omnibus aetatibus argui omnia peccata, necesse est, ex lege morali ostendi, quae sint peccata, iuxta illud: Per legem cognitio peccati, et Dominus Matth. 5. legem proponit et interpretatur.

37. Haec vera sunt. Et tamen simul in Ecclesia semper Iubilaeus celebratur. Annunciatur liberatio a peccato, a iudicio legis, id est, a condemnatione, a morte, et ab omnibus miseriis propter mediatorem. Haec beneficia, quia per ministerium seu vocem Evangelii dantur, Iubilaei nomen congruit ad Evangelii vocem in Ecclesia sonantem, quia significat clangorem buccinae. Θεῷ δόξα.

(LXI.) ***Alia disputatio: de Invocatione, Semper orate, et non defatigemini, habita anno* 1549.** (Prodiit: Disputatio de invocatione. M.D.XLIX. De invocatione, Semper orate, et non defatigemini. Phil. Melanthone autore. Wittebergae. 1 fol. 8.)

Necesse est extare in Ecclesia doctrinam de invocatione incorruptam, et conspici discrimen inter invocationem ethnicam, et aliam Ecclesiae propriam.

2. Discrimina autem duo sunt maxime illustria, alterum de essentia, alterum de voluntate. Primum errant Ethnici, Mahometistae, et alii multi hostes Evangelii de essentia Dei, nec alloquuntur verum Deum. Quanquam autem dicunt sapientes Ethnici et Turci, unicum se conditorem, gubernatorem huius universi opificii mundi alloqui, tamen negant hunc esse conditorem, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, negant esse filium ullum aeterni patris, negant esse Spiritum sanctum. Denique non invocant hunc verum Deum, qui se patefecit misso filio, sed audacissime pingunt in suis mentibus idolum Dei qualem ipsi esse[1]) volunt. Et diversissima simulacra pingunt Plato, Stoici, Mahomet, Haeretici et alii impii.

3. At Ecclesia, discipula Dei, audit ex ipso Deo, qui sit vere Deus, et qualis sit, accipit doctrinam et promissiones ab ipso manifestis testimoniis, resuscitatione mortuorum, et aliis miraculis traditas, et hunc verum Deum alloquitur, ad hunc dirigit invocationem, qualem ipse fieri iussit, invocat hunc verum Deum, qui se patefecit misso filio, conditorem omnium rerum, colligentem sibi Ecclesiam aeternam ex genere humano editis promissionibus, scilicet aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, et Iesum Christum filium λόγον καὶ εἰκόνα aeterni patris, et Spiritum sanctum.

---

1) *Esse* excidit e textu Peuceri.

4. Deinde Ethnici, Mahometistae et omnes ignari Evangelii errant de voluntate Dei. Accedunt ad Deum sine mediatore sine promissione, et manent in dubitatione, an recipiantur et an exaudiantur. Talis precatio contumeliosa est adversus Deum et mediatorem.

5. Econtra Ecclesia supplex intuetur mediatorem et promissionem, et agit gratias Deo, quod immensa bonitate mediatorem nobis constituit, et promissiones tradidit, et iureiurando adfirmat se certo nos recipere. Invocat igitur fiducia mediatoris, sicut ipse docuit: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

6. *His* discriminibus initio consideratis, in omni precatione has quinque commonefactiones nobis proponamus.

7. Prima sit, cogites, quem velis alloqui, quod sit illud numen quod alloqueris, ubi et quomodo se patefecerit, nec vagari mentem sinas, ut Hecuba in Tragoedia dicit: O Iupiter quidquid es, sive mens, sive *ἀνάγκη φύσεως*. Taxantur hae dubitationes in dicto Christi: Vos adoratis quod nescitis.

8. Prophetae et alii sancti in populo discernebant suam invocationem ab ethnica his modis, addebant nomini Dei aliud proprium Iehova. Interdum addebant Deus Abraham. Deus patrum nostrorum. Et in primo praecepto Deus ipse signum addit, quo vult agnosci et discerni: Ego sum Dominus, qui eduxi vos ex Aegypto etc. Sic vult agnosci Deus proposito testimonio, in quo eius praesentia agnoscatur.

9. Et patribus erat filius propositus in promissione, et nobis iam exhibitus est. Hunc intueamur resuscitantem mortuos et agnoscamus simul patrem, filium et Spiritum sanctum. Et cum simul invocamus tres personas, tamen agnoscamus filium esse mediatorem et sacerdotem pro nobis interpellantem. Haec non sunt pugnantia: alloqueris filium cum patre et Spiritu sancto, ut socium consilii divinitatis, socium creationis et vere Deum, et tamen propter hunc ut mediatorem, recipi te oras et credis, iuxta illud: Nemo venit ad patrem, nisi per filium. Item: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum.

10. Non frustra facta est patefactio in baptismo filii. Itaque velut spectator baptismi illius stans in illa ipsa ripa Iordanis in coetu angelorum et multorum piorum, qui adfuerunt, vocem divinam cogitato discernentem Personas: Hic est filius meus dilectus, etc. Item: vidit Spiritum sanctum descendentem specie columbae.

11. Imo et tuum baptismum cogitato. In tuo baptismo facta est talis invocatio, quae hunc verum Deum discernit ab omnibus commentitiis numinibus. Ibi foedus factum est, ut haec vera divinitas te reciperet, et tu agnosceres et invocares hunc Deum, qui est aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cum filio et Spiritu sancto, ac recipit te propter filium, et copulat te sibi Spiritu suo sancto.

12. Simul etiam cogites, qualis sit divinitas, sapiens, verax, bona, benefica, iusta, casta, liberrima, omnipotens, iudicans. Et discrimina personarum consideres, et testimonia amoris Dei erga nos. Pater, filius et Spiritus sanctus ita condiderunt hominem, ut imaginem sui in nos transfunderent, vere igitur dilexit hoc opus divinitas conditrix. Filii amor lucet in deprecatione et poena pro nobis suscepta. Spiritus sancti amorem fateri necesse est, cum in corde[2]) tuo velut in domicilio et templo suo habitare velit, ut te regat et flammas invocationis exuscitet.

13. Est autem filius imago aeterni patris cogitatione genita, et adsumpsit humanam naturam in virgine Maria, ut pro nobis victima fieret. Hunc nobis ostensum vult nos aeternus pater intueri et audire. Et scire hanc veram esse divinitatem, quae misit hanc victimam.

14. Spiritus sanctus est agitator procedens ab aeterno patre et a filio, et mittitur in corda credentium, ut lucem verae agnitionis in mente et veros motus in voluntate et corde accendat. Sicut inquit Dominus: Et aliam *παράκλητον* dabit vobis.

15. Hae tres Personae sunt *ὁμοούσιοι,* nec sunt plures, nec pauciores personae divinitatis.

16. Et Persona significat in Ecclesia hypostasin intelligentem, individuam et incommunicabilem.

17. Verae sunt propositiones: Filius est de essentia patris, et filius est essentia genita. Nec existimandum est illam coaeternam imaginem patris esse duas res, imaginem et essentiam. Sed ipsa essentialis imago genita est filius, sicut in symbolo dicitur: Deum de Deo, lumen de lumine.

---

2) Edit. prima habet *corpore.*

18. Secunda commonefactio: Postquam cogitasti, quid invoces, et quem, et ubi patefactum alloquaris, in illis ipsis patefactionibus etiam cogitandum est, quomodo velit coli Deus, et an et cur velit exaudire. Mandatum igitur de invocatione severissimum tibi proponito. Item promissiones.

19. Tertia commonefactio: Cum semper obstrebat accedentibus ad Deum indignitas nostra, necesse est in omni precatione, doctrinam poenitentiae et consolationem cogitari. Cor expavescat agnitione iudicii et irae Dei adversus peccata, et rursus erigatur ardenti fide ac fiducia mediatoris, et statuas, te certo recipi gratis propter filium Dei, non propter propriam dignitatem aut tuas virtutes, aut tuas actiones. Nec lucta haec sine veris gemitibus fieri potest. Necesse est enim adferri ad Deum conversionem et fidem, nec valet invocatio retinentis propositum violandi mandatum Dei contra conscientiam. De his dicitur: Peccatores Deus non exaudit.

20. Sed in conversione primum et petito remissionem, et statuas certo tibi eam donari, iuxta illud: Iustus fide sua vivet. Item: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Scias autem certo mandatum Dei esse, ut promissioni gratiae credas, quae quidem et [3]) iuramento et sanguine filii confirmata est. Deinde fides etiam statuat exaudiri petitionem bonorum corporalium, et nunquam irritam esse, etiamsi corporalia bona non eodem modo dantur, et Deus vult Ecclesiam cruci subiectam esse. Non est tamen irrita petitio, sed vel liberationem vel mitigationem impetrat, iuxta illa dicta: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Et Matth. 21.: Omnia quae petitis in oratione, credentes accipietis.

21. Credentes inquit. Fides autem nominatim petit et accipit reconciliationem. Sed de bonis corporalibus petit in genere mitigationem, quia scit Ecclesiam oportere subiectam esse cruci.

22. Sit autem et spes adiuncta fidei, qua expectemus vel liberationem, vel mitigationem in hac vita, etiam cum morae longitudo languefacit animum, Abacuc 2.: Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet et non tradabit. Item Iudith: Qui estis vos, qui tentatis Deum, constituistis Deo tempus etc.

23. Etsi non liberamur in hac vita ut vellemus, tamen retineri oportet fidem, dilectionem, et spem vitae aeternae, iuxta dictum Iob: Etiamsi occidet me, tamen sperabo in eum. Verum tamen vias meas coram eo arguam, et ipse erit salvator meus, Nec intrabit coram eo ullus hypocrita.

24. Quarta commonefactio est, ut res petendas cogitemus, scilicet bona necessaria universae Ecclesiae, et nobis privatim, et nostris familiis spiritualia et corporalia, quia Deus etiam bona corporalia promisit, et vult a se peti propter has quatuor causas, quarum prima est, ut agnoscamus non dominari casum in his bonis, sed haec etiam consilio Dei distribui, ut in Psalmo dicitur, ut alat eos in fame, et Deum eorum conditorem esse. Secunda ut fides exerceatur petitione horum bonorum. Tertia, ut promissiones corporalium bonorum sint commonefactiones de promissione gratiae. Servantur enim corpora, familiae, politiae, ut colligatur aeterna Ecclesia. Et in petitione corporalium bonorum semper necesse est praelucere fidem, quae accipit remissionem. Quarta, hae ipsae promissionis corporalium bonorum testantur Deum in hac vita servaturum esse Ecclesiam. Itaque non solum nostra causa petantur, sed et propter communem Ecclesiae necessitatem.

25. Sit igitur invocatio non ociosa *βαττολογία,* sed commonefacti ingentibus miseriis nostris petamus res necessarias, et agamus gratias Deo pro beneficiis, sicut Paulus haec nomina coniungit *δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας.* Quae opinor ita recte discerni, sint [4]) *δεήσεις* deprecationes, ut mala avertantur [5]), *προσευχαί* vota ut bona dentur, *ἐντεύξεις* interpellationes pro aliis, *εὐχαριστία* gratiarum actio, quae est confessio Deo debita, qua testaris te non casu, non solis humanis consiliis aut praesidiis servatum esse, sed Deum vere fuisse autorem et gubernatorem beneficii, et hac commemoratione ipsum celebras, et te ipsum doces, valde multa accidere homini inextricabilia humano consilio, in quibus praesentiam Dei et mirandas liberationes experimur, iuxta illud: Cum nescimus quid agendum sit, ad te Deus oculi nostri tolluntur, ac te

3) *et* excidit e textu Peuc.

4) Peuc. edidit *sunt.*

5) Peuc. mendose *evertantur.*

et alios ad timorem Dei, ad fidem et celebrandum Deum invitas.

26. Quinta commonefactio est: Ne honos Deo proprie conveniens tribuatur ulli rei, quae non est Deus, iuxta illud: Non habebis Deos alienos. Item: Dominum Deum tuum adorabis, et ei soli servies. Tribuit autem invocatio absentis omnipotentiam iis, qui invocantur.

Quare homines mortui nequaquam sunt invocandi.

27. Memini Reverendum D. Lutherum dicere: Si nulla alia causa esset execrandi invocationem mortuorum, hanc unam satis magnam et gravem causam esse, cur piae mentes valde odisse et detestari eum ritum debeant, quod obscuravit argumentum de Messiae divinitate saepe repetitum in Prophetis. Cum iubent Messiam invocare, significant omnipotentem et natura Deum esse.

28. Horrenda scelera sunt, pugnantia cum primo praecepto, fingere numina, quae non sunt, vel habere epicuraeas opiniones, vel in vero cultu externo veri Dei, ut in invocatione veri Dei, retinere diffidentiam. Quid petis, cum Deus te non recipiat, te non exaudiat? vel fingere cultus novos, etiamsi intentio est, velle vere Deo tales honores tribuere. Et maior impietas est, cum additur persuasio de merito aut placatione, ut Iudaei cumulabant sacrificia, condebant excelsa. Sic vota monachorum facta sunt, vel cum signa vertuntur in Deos, ut Persae ignem sacrificii fingebant esse ipsum Deum.

29. Caeterum prodest narrationes vere scriptas de sanctis, et quidem continuam Ecclesiae historiam omnibus notam esse, et saepe multumque cogitari. Primum ut discamus, quomodo se Deus patefecerit, et per quos tradiderit doctrinam, et quae doctrina, quo ordine, quibus testimoniis tradita sit. Deinde ut gratias agamus Deo, quod se patefecit, quod perpetuo colligit Ecclesiam, quod excitavit doctores et custodes doctrinae, quod suam praesentiam in Ecclesia ostendit mirandis liberationibus, quod pulcerrimarum virtutum exempla in sanctis proposuit. Videndum etiam quid quisque docuerit, quomodo invocatione sua et confessione nos confirmet. Pro his donis Deo agendae sunt gratiae, et petendum a Deo, ut nos quoque sic regat et iuvet, et confirmentur in nobis Fides, Spes, tolerantia, illorum doctrina et exemplis. Imitemur et diligentiam eorum in sua quisque vocatione, et in regendis moribus. Laudetur et in ipsis haec cura, quod non furenter effuderunt dona Dei, sed Deo eos gubernanti adsensi sunt, et tanquam obsequentes remiges labore suo cursum a Deo incitatum adiuverunt. *Θεῷ δόξα.*

(LXII.) *Alia disputatio: de Ecclesia, et propria Ecclesiae doctrina, respondente M. Iohanne Aurifabro Vratislavien. Anno* 1550. *die* 19. *Iuni.* (Prodiit sic inscripta: „Disputatio Magistri Iohannis Aurifabri Vratislaviensis de Ecclesia et propria Ecclesiae doctrina. Witebergae. Ex offic. Ioh. Lufft. M. D. L." 2 pl. 8.)

Testimonia de Deo multa et illustria impressa sunt et hominum mentibus et reliquae naturae, quae considerare utile est. Sed nos in Ecclesia singulares patefactiones Dei intueamur, et causas consideremus, cur se Deus humano generi clementissime patefecerit, et quam doctrinam tradiderit, quomodo Ecclesiam a caeteris gentibus segreget, et quae beneficia propria Ecclesiae donet.

2. Vult Deus se agnosci, vult notum esse filium, vult intelligi genus humanum non frustra conditum esse, nec tantum ad has miserias nasci, sed colligi Ecclesiam cui in omni aeternitate communicet suam bonitatem. Ideoque doctrinam quam tradidit, vult exaudiri a toto genere humano.

3. Semper igitur postquam recepti sunt Adam et Heva, fuit, est, et erit aliqua visibilis Ecclesia, distincta a reliqua multitudine generis humani, voce Evangelii et Sacramentis, continens coetum recte sentientem et recte invocantem, alias maiorem, alias minorem. Sicut in symbolo affirmamus nos credere, esse sanctam Ecclesiam catholicam.

4. Nec cogitandum est, Ecclesiam esse ideam Platonicam, id est, coetum, qui nusquam cerni, et nusquam audiri possit. Conspicitur enim et audiri ministerium oportet, et exaudiri confessionem, sicut [1]) scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum.

5. Et semper Deus segregavit Ecclesiam ab aliis hominibus doctrina de essentia Dei, de redemtione generis humani, et vera invocatione. Item Sacramentis significantibus decretum redem-

1) Peuc. edidit: *confessionem. Sic*; mendose.

tionis. Et quanquam in Ecclesia semper etiam notam esse oportet legem moralem, tamen distinctio Ecclesiae et aliarum gentium, sumenda est a voce Evangelii, iuxta illud: Fundamentum aliud ponere nemo potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus.

6. Et quanquam saepe ingens multitudo impiorum tenet et depravat ministerium, ut depravabant Pharisaei et Sadducaei, tamen servat Deus aliquas reliquias, ut tunc Zachariam, Simeonem, Elisabeth, Annam, Mariam, sororem Mariae, Ioseph, et haud dubie multos alios. Sicut scriptum est: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus.

7. Hae reliquiae retinent fundamentum et veram invocationem. Et sunt vera et visibilis Ecclesia, non Pharisaei et Sadducaei aperte docentes pugnantia cum fundamento, et furenter stabilientes idola.

8. Et quanquam Pharisaei et Sadducaei titulum Ecclesiae sibi arrogant, et dominantur, tamen confessio distinguit veram Ecclesiam, non solum ab ethnicis, sed etiam ab illis ipsis adversariis, qui dominantur in loco ministerii. Sicut conspiciebatur discrimen cum Pharisaei Zachariam interfecerunt.

9. Et sine ulla dubitatione Deus est efficax voce Evangelii incorrupta. Iuxta illa dicta: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Evangelium est ministerium Spiritus. Item: Pater sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas. Item, Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

10. Et in hoc coetu vocatorum semper aliqui sunt electi. Nec cogitandum est, alibi esse Ecclesiam Dei, extra hunc coetum vocatorum, aut alibi esse electos, qui nunquam inseruntur huic coetui. Ideo dicitur: Quos elegit hos et vocavit.

11. Haec consolatio piis mentibus utilis est. Et cum sua cuique patria nota esse debeat, multo magis sciri oportet, quid sit Ecclesia, quae verius est patria, quam locus qui nascentem excepit.

12. Sit igitur haec descriptio visibilis Ecclesiae. Ecclesia visibilis est coetus amplectentium Evangelium, et utentium Sacramentis iuxta institutionem, in quo coetu certissimum est, Deum efficacem esse per ministerium Evangelii, et multos sanctificare. Suntque in eodem coetu in hac vita multi non renati, qui tamen de doctrina consentiunt.

13. Et ne sit ambiguitas de genere doctrinae, certissimum est Ecclesiam oportere amplecti scripta prophetica et apostolica, et in his sententiam retinere, quam exprimunt Symbola Apostolicum et Nicenum.

14. Eius doctrinae summa cum comprehensa sit in ea confessione, quam Ecclesiae nostrae exhibuere Augustae, Anno 1530. Hanc confessionem amplecti me quoque profiteor. Ut plane et sine ambiguitate ostendam quid sentiam, et aliis ostendam in hac dissipatione, quid amplecti debeant, et consensu multorum cognito sciamus, quae et ubi sit vera et una Dei Ecclesia, et ad hanc se singuli aggregent. Quia scire oportet singulos, se verae Ecclesiae cives esse. Ut Psalmo 26. dicitur: Unum hoc petii a Domino, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Item Psalm. 25.: Cum impiis non sedebo. Et Psal. 83.: Beati qui habitant in domo tua Domine. Et Psal. 91.: Plantati in domo Domini in atriis domus Dei nostri florebunt.

15. In hac vera Ecclesia intelligi oportet discrimen invocationis verae et falsae. Quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et ei soli servies.

16. Ac differt invocatio praecipue agnitione essentiae et voluntatis Dei.

17. Mens alloquatur verum Deum, et cogitatione tuam invocationem simul seiungas ab omnibus damnatis invocationibus, et cum verae Ecclesiae invocatione coniungas. Sicut usitatum fuit Patribus: Deus patrum nostrorum Abraham, Isaac, Iacob.

18. Agnosci autem oportet, hunc esse verum Deum qui se in Ecclesia patefecit, edita sua voce testimoniis illustribus, et misso filio, crucifixo et resuscitato, qui noluit vagari mentes in quaerendo Deo, sed iubet se agnosci, et addit: Nemo venit ad patrem, nisi per filium.

19. Invocamus igitur aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, et Iesum Christum filium eius, crucifixum pro nobis et resuscitatum, et Spiritum sanctum. Sicut et professio in Baptismo nos docet.

20. Nec alia est ulla natura omnipotens, nec alia res invocanda, non homines mortui, non statuae, non signa. Sicut saepe homines signa ver-

terunt in numina, ut Chaldaei et Persae ignem adorabant.

21. Et conservetur in Ecclesia veritas de tribus Personis, aeterno Patre, Filio, et Spiritu sancto.

22. Filius *λόγος καὶ εἰκὼν ἀΐδιος ἀϊδίου πατρὸς* est viva, et intelligens hypostasis genita ex substantia patris. Et vera est propositio: Filius est essentia genita.

23. Et nequaquam huic doctrinae misceantur fabulae de idea Platonica, aut alii furores, quos diabolus spargit ad obruendam vocem Evangelii de filio Dei. Sicut scripsit quidam *λόγον* addi Deo, sicut *εἱμαρμένη* sit addita Iovi. Et similia portenta recitari possent, quae execranda sunt.

24. Simul in invocatione voluntas Dei cogitanda est, an et cur exaudiat. Hic quoque necesse est filium et promissiones intueri. Filius est summus Sacerdos noster, propter quem certo recipimur et exaudimur.

25. Cogitemus etiam in invocatione, hanc ipsam ob causam Spiritu sancto iuvari corda invocantium. Quia non apprehenditur Deus, nisi mentes attrahat suo Spiritu. Ideo dictum est: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.

26. Differt doctrina Ecclesiae etiam ab aliarum gentium doctrinis de peccato et iusticia.

27. Peccata sunt, non tantum actiones in voluntate, aut externae, pugnantes cum lege Dei, sicut monachi docent, sed etiam caligo in mente et aversio voluntatis a Deo, et dissidium cordis et legis Dei. Sicut Paulus inquit: Sensus carnis inimicicia est adversus Deum. Et Ieremias ait: Perversum est cor hominis et aerumnosum.

28. Et quanquam discerni naturam a morbo oportet, hoc est, opus Dei quod conditum est, quatenus reliquum est a corruptione, ut reliqui sunt oculi, et lumen in oculis, sic mens, et in mente noticiae numerorum, legis, et aliae etc. tamen falso extenuant monachi peccatum, cum vociferantur concupiscentiam non esse malum pugnans cum lege Dei.

29. Necesse est in conversione aliquam esse contritionem, id est, aliquam agnitionem irae Dei et dolorem verum ac non simulatum. Sed hi errores monachorum execrandi sunt, cum dicunt contritionem mereri remissionem peccatorum. Item, oportere contritionem sufficientem esse, cum nullus dolor possit esse par irae Dei, et homo subito extingueretur, si Deus totam iram suam accenderet. Iuxta illud: Deus est ignis consumens.

30. Ac ministerium evangelicum arguit omnia peccata, et voce legis ostendens humanam naturam sub lege et ream esse, et voce Evangelii damnans totum genus humanum, quod non credat in filium.

31. Impietas est igitur quod confirmant dubitationem monachi et Synodus Tridentina, cum iubent singulos semper manere in hac dubitatione an propter mediatorem a Deo recepti sint.

32. Ideo accusat hoc peccatum Spiritus sanctus quia vult nos credere, nos recipi propter mediatorem.

33. Ac mors hominum, morbi, furores cupiditatum, et horrendae calamitates, bella, excidia urbium, gentium vastationes, sunt testimonia irae Dei adversus multiplicia peccata, et hortantur ut cogitemus, quae sit causa harum poenarum, et quaeramus remedium.

34. Itaque in his pavoribus, in quibus aliquo modo ira Dei agnoscitur, audienda est promissio Evangelii propria, de remissione peccatorum, iusticia et vita aeterna. Quae propter filium mediatorem gratis donatur iis, qui vere credunt, se iuxta hanc promissionem recipi.

35. Hic conspici oportet discrimen legis et Evangelii, ignotum omnibus hominibus extra Ecclesiam Dei, quod et adversarii nostrarum Ecclesiarum multis modis corrumpunt. Sed nos teneamus incorruptam vocem decreti arcani, de reconciliatione gratuita propter mediatorem, et simus discipuli Dei, non affingamus concionibus Christi, Prophetarum et Apostolorum peregrinas sententias.

36. Verum, aeternum et immotum decretum Dei est, certo accipere remissionem peccatorum, et reputari iustum coram Deo, propter mediatorem gratis, et donari Spiritu sancto, et fieri haeredem vitae aeternae, credentem se recipi et placere Deo [2]) propter filium Dei gratis, non propter ullam propriam dignitatem aut merita. Sic dicit Paulus: Iustificati fide pacem habemus.

37. Sed hic dicunt adversarii, controversiam esse, an sit tenendum *τὸ ῥητὸν* aut *διάνοια*. Negant fide hominem iustificari. Et affingunt in-

2) Peuc. edidit mendose: *Deo, et propter.*

terpretationem, fide formata, id est, propter dilectionem homo iustus est.

38. Discedunt igitur a Christo et a Paulo, et nolunt esse discipuli vocis divinae. Nos retinemus proprietatem sermonis sine sophistica, cum quidem ipse Paulus addiderit exclusivam particulam Gratis, non igitur sentit propter dilectionem homines iustos esse.

39. Sed huic imaginationi opponit hoc decretum: Homo fide iustificatur gratis, id est, fiducia misericordiae propter mediatorem.

40. Haec fides complectitur omnes articulos fidei, et in his hunc: Credo remissionem peccatorum, scilicet non aliis tantum dari, Petro aut David, sed mihi quoque.

41. Manifestum est, promissionem universalem esse, et mandatum Dei aeternum et immotum esse, ut omnes filio Dei adsentiamur promittenti remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, donationem Spiritus sancti et vitae aeternae.

42. Hac ipsa fide petente et accipiente remissionem peccatorum accipitur Spiritus sanctus, et fit regeneratio, et corda in pavoribus erecta, agnita misericordia Dei, incipiunt se subiicere Deo, invocare et diligere eum, et habere bonum propositum, spem et alios motus legi Dei congruentes.

43. Et quidem necessario sequi oportet in conversione novam obedientiam, et iusticiam bonae conscientiae. Sicut scriptum est: Qui non diligit, manet in morte. Et tamen vera est propositio: Conversus est iustus propter mediatorem fide gratis non propter propriam dignitatem. Sicut scriptum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

44. Apud Esaiam dicitur: Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimentis salutis, et tunica salutis circundedit me. Ipse erit sicut Sponsus in sacerdotali ornatu, et ut sponsa ornata in suis monilibus, erit Ecclesia videlicet.

45. Affirmat Dei opus et ingens beneficium esse, hanc reconciliationem, imputationem iusticiae, et donationem salutis. Vestit, inquit, me vestimento iusticiae, in hac vita imputatione, cum nos quasi involuti vulneribus filii Dei, tegimur ipsius iusticia, et in hac infirmitate propter eum placemus, et simul inchoat novitatem in nobis, ut postea integra veste iusticiae et salutis amicti in tota aeternitate fulgeamus.

46. Ipse vero Sponsus noster, amplectens nos, sacerdotis officio fungitur in ornatu sacerdotali, docet Evangelium inde usque a prima revelatione promissionis, sacrificat cruore madens et sacrificium applicans, ac semper pro nobis intercedens semper conservans Evangelii ministerium, et colligens et defendens aeternam Ecclesiam.

47. Adstat et Ecclesia ornata ut Sponsa, hunc unicum sponsum amplectens, et vitans aliam doctrinam, et alia numina. Et quanquam in hac vita valde languida est, et ingentibus aerumnis onerata, et diabolicis latrociniis circundata, tamen hic sponsus eam complexus tuetur, inquiens: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

48. In hanc dulcissimam imaginem oculis et mentibus intueamur, et doctrinam de fide exerceamus. Credamus nos placere et exaudiri propter hunc Sacerdotem et Sponsum, et oremus, ut ipse suos coetus servet.

49. Citat Paulus ex Genesi dictum de imputatione: Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iusticiam. Unde extruit hanc doctrinam remissione peccatorum et imputatione propter filium credentes iustos esse, non nostra dignitate, etiamsi novitas inchoata est.

50. Nec omisimus hanc doctrinam de imputatione iusticiae, nec omittendam esse censemus. Ut fingunt aliqui hominem iustum esse coram Deo propter proprias virtutes.

De bonis operibus.

51. In homine renato per fidem, Spiritus sanctus inchoat obedientiam. De qua hae praecipuae sunt quaestiones. Quae opera facienda sint? Quomodo fieri possint? Quomodo placeant Deo? et quod sit discrimen peccatorum?

52. Philosophia loquitur de externa disciplina, et de gubernatione potentiae locomotivae. Ecclesia vero non tantum de externis operibus concionatur, sed etiam de interioribus cultibus, de vera invocatione, Fide, Spe, dilectione, patientia, castitate, et aliis virtutibus.

53. Et utraque opera, externa et interiora comprehensa sunt certa norma, scilicet mandatis divinis, quae ad universam Ecclesiam pertinent. Nec fingantur cultus humana audacia, sicut scriptum: Frustra colunt me mandatis hominum.

54. Et Ezech. 20. dicitur: In praeceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester, In praeceptis meis ambulate.

55. Sic initio et deinceps obruta est vera doctrina, cum superstitio humana adderet et fingeret novos cultus, nova sacrificia, et alia opera, donec secutae sunt mactationes hominum, et alia horrenda scelera. Ita in hac postrema senecta mundi excogitata et cumulata sunt idola multiplicia, etiam in hac ipsa parte generis humani, quae titulum habet Ecclesiae. Ut invocatio mortuorum, adoratio statuarum, prophanatio coenae Domini, monachatus, falsa opinio meriti, dubitatio[3]), commentum satisfactionum. Adversus haec omnia tenenda est vox divina: Ego Dominus Deus vester, In praeceptis meis ambulate.

56. Fieri autem bona opera possunt in renatis, externa ex interiora, quia iam certissimum est, petentes iuvari a Spiritu sancto. Sicut scriptum est: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

57. Hic vero utrunque considerandum est. Immensa bonitas Dei est, qui ut agnosci et apprehendi possit, propter filium effundit in pectora nostra Spiritum sanctum. Et agendae gratiae sunt, quod hoc munere divinae essentiae nos sibi copulat, nos infirmos docet, gubernat et custodit contra multas Diaboli insidias.

58. Valde etiam et detestanda et deploranda est segnities nostra, quod pericula leviter curamus, quod non ardenter petimus gubernationem, quod negligenter pugnamus, quod diffidimus nos exaudiri, quod ingrati Deo tam clementer promittenti auxilium, suspicamur tamen nos frustrari. Denique profundum chaos est negligentiae et dubitationum in humano pectore. Haec mala emendanda sunt, et cogitatione promissionum Dei, et exemplorum accendenda fides, spes, invocatio, et gratiarum actio etc.

59. Etsi autem in renatis in hac vita manet[4]) ingens infirmitas, et manent peccata, tamen discrimen peccatorum scire necesse est. Manet morbus, qui nascitur nobiscum, et multi viciosi adfectus, quibus cum repugnant renati fide et timor, non effunditur Spiritus sanctus, nec amittuntur[5]) iusticia, et haereditas vitae aeternae, iuxta illud: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

60. Sed ruentes contra conscientiam, aut errore aut levitate amplectentes falsum dogma, pugnans cum fundamento, contristant et effundunt Spiritum sanctum, et amittunt iusticiam et haereditatem vitae aeternae.

61. Sed qui rursus convertuntur ad Deum, vera poenitentia rursus fiunt iusti et haeredes vitae aeternae, sicut Adam, Aaron[6]).

62. Cognitio discrimine peccatorum, qualis sit obedientia in renatis iudicari potest. Et quanquam haec obedientia in renatis procul abest a perfectione legis, et magna infirmitas adhuc in nobis haeret, et multae sordes ac peccata, tamen placet persona fide propter mediatorem. Et placet obedientia in tali persona propter mediatorem fide. Sicut Petrus inquit: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

63. Et haec obedientia ornatur praemiis in vita aeterna, et in hac vita, iuxta consilium Dei. Quia omnino docendi sunt homines, etiamsi Ecclesia cruci subiecta est, tamen servari eam et in hac vita, iuxta illud: Non mortui laudabunt te Domine.

64. Custos est igitur Deus et huius corporalis vitae, et tuetur hospitia, victum, educationem, et alia vitae necessaria. Et vult haec a se peti, vult fidem exerceri petitione rerum necessariarum etiam corpori, iuxta illud: Invoca me in die tribulationis.

65. Conspicitur Ecclesiae discrimen a caeteris hominibus, ut dictum est, etiam in usu legitimo Sacramentorum, quae sunt signa visibilia, divinitus addita promissioni gratiae, ut sint commonefactiones et testimonia de promissione, et sint nervi congregationis.

66. Usitatum est humanae superstitioni depravare et cumulare ceremonias hac opinione, quod mereantur remissionem peccatorum, et alia bona. Sic Ethnici et Iudaei mactationes cumularunt, adeo, ut saepissime etiam homines tanquam hostiae mactarentur.

67. Et exempla horrenda, quae diabolus in illa sapientum et sanctorum patrum posteritate sparsit, perterrefaciant nos, ne securi existimemus non esse viciosos cultus aut idola in hac

3) Peucerus mendose dedit: *meriti debiti.*

4) Peuc. *manent.*

5) Archetypon: *amittitur.*

6) Archetyp. *Aharon.*

postrema et delira mundi senecta, in qua natura hominum languidior est, et intentio in studiis doctrinae minor, et disciplina laxior, et rabies in diabolis sentientibus instare iudicium multo saevior est.

68. Ac propter idola non dubium est, toti generi humano poenas et calamitates cumulari, ut ostendunt ruinae regnorum in toto orbe terrarum. Sed oremus filium Dei, ne sinat funditus deleri Ecclesiam suam, et ut servet reliquias, et parcat gementibus et dolentibus propter illa idola, sicut iubet Deus parci gementibus, Ezechielis 9.

69. Extra usum institutum manifestum est nullos ritus posse habere rationem Sacramenti.

70. Ostendit autem narratio in Matthaeo, Marco, Luca et Paulo, coenam Domini ad sumptionem institutam esse.

71. De oblatione ibi nihil dicitur. Ac ne quidem vetusti Canones, qui sic vocantur, dicunt offerri filium Dei. Sed ipse filius Dei sese obtulit ingrediens in sancta sanctorum, id est, in arcanum consilium divinitatis, sentiens horrendam iram Dei adversus nostra peccata, cuius magnitudinem nulla creatura intelligere aut sustinere posset.

72. Monachi dicunt, illam oblationem mereri remissionem peccatorum facienti et aliis. Haec opinio falsa et impia est.

73. Nunc sophistice pro vocabulo Meriti, subiiciunt vocabulum adplicationis, ut fures signa rerum mutant, et dicunt adplicari sacrificium Christi omnibus per opus Sacerdotis.

74. At applicatio beneficiorum Christi fit fide, verbo et usu Sacramentorum proprio, sicut et singulis dictum est: Accipite, manducate.

75. Legimus de oblatione et adplicatione in Missa multa vociferantem quendam *φοίνικα τρώκτην*, ut Homerica adpellatione hominem Sidonium ornemus. Sed prorsus, ut Homerus inquit, *πολλὰ ἀπατήλια βάζει.* Stat filius Dei coram aeterno patre in sancto sanctorum sese offerens. Nos homines oramus, ut sese offerens ipse, sit umbraculum et intercessor pro nobis. Nec fieri adplicationem alieno opere certum est.

76. De his magnis rebus pii et docti in Ecclesia assiduis gemitibus et lacrimis petant, ne veri cultus obruantur sophistica, sed ut gubernet nos Deus, ut vera invocatione, vera gratiarum actione, et vera obedientia eum celebremus.

77. In sumptione fide statuas te tuere membrum fieri filii Dei, et vere ad te pertinere beneficia, quae et morte sua meruit, et sanguine obsignato testamento nobis clementer largitur.

78. Hic et tota Ecclesia gratias agit. Et ipse ritus sit nervus publicae congregationis, vult enim Deus semper honestos et publicos Ecclesiae congressus esse, et eos immensa misericordia in genere humano tuetur, et vult ut nos quoque amemus, et omnibus honestis officiis foveamus congregationem, ut unum simus in ipso.

79. Ac nunc magis in his tantis ruinis imperiorum studeamus tueri coniunctionem, ut etiamsi distrahuntur imperia, tamen vox doctrinae, et invocatio Dei incorrupta et eadem maneat.

80. Cogitemus nos uni capiti filio Dei adiunctos esse oportere, et membra in genere humano avulsa a Deo et dissipata, rursus coniungi per ipsum et ad unum aeternum patrem copulari, *καὶ ἀνακεφαλαιοῦσθαι,* ut ipse eis suam sapientiam et bonitatem in omni aeternitate communicet, et nos vicissim eum una voce grati celebremus. *Τέλος. Θεῷ δόξα.*

(LXIII.) *De discrimine legis et Evangelii propositiones, de quibus disputavit vir nobilis Georgius Venetus Prutenus, Anno* 1550. *die* 19. *Septembris.* (Prodiit archetypon, quod contulimus, sic inscriptum: De discrimine legis et Evang. propositiones, de quibus Deo iuvante, disputabit vir nobilis Georgius *Venetus* Prutenus, die 19. Sept. Witteb. ex offic. Iohannis Lufft. 1550. 2 pl. 8.)

Initio in narratione Iohannis, discrimen legis et Evangelii proponitur, cum dicitur: Lex per Moisen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Et apud Paulum: Nunc sine lege iusticia Dei manifestata est.

2. Ac necesse est, semper in conspectu esse hoc insigne discrimen, quo extincto tenebrae sunt horrendae, ut saepe etiam in ea parte generis humani accidit, quae nominatur Ecclesia, ut apud Pharisaeos et Papistas.

3. Et cognitio huius discriminis, revera ad fundamentum pertinet, de quo Paulus inquit: Fundamentum aliud ponere nemo potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus.

4. Manifestum est aliud esse doctrinam praecipientem et condemnantem, aliud promissio-

nem offerentem remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, Spiritum sanctum, et vitam aeternam propter filium Dei mediatorem, non propter ulla nostra merita.

5. Sint igitur initio notae definitiones. Lex Dei est doctrina a Deo tradita, praecipiens quales nos esse, et quae facere et omittere oporteat, et promittens bona praestantibus integram obedientiam, et condemnans omnes non praestantes integram obedientiam, hoc est, adfirmans vere irasci Deum omnibus non praestantibus integram obedientiam, iuxta hoc dictum: Maledictus qui non permanet in omnibus, quae scripta sunt in libro legis.

6. Habet lex promissiones, sed non gratuitas, verum postulantes integram obedientiam.

7. Sed promissio Evangelii propria est promissio, in qua propter filium Deo mediatorem offeruntur gratis, non propter nostra merita, remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, imputatio iusticiae, et haereditas iusticiae et vitae aeternae, omnibus qui in filium Dei credunt.

8. Ideo in Iohanne scriptum est: Lex per Moisen data est, quasi dicat: Alia vox est lex et aliae res, quae per Moisen institutae sunt, per quem haec politia et hi ritus instituti sunt, quae omnia sunt umbrae aliarum aeternarum rerum. Nondum sunt illa summa bona, quae per Messiam exhibebuntur. Sed gratia, id est, remissio peccatorum gratuita et imputatio iusticiae, et veritas, id est, vera et aeterna lux in mentibus, et agnitio Dei, et vera ac aeterna iusticia et vita adferuntur per hunc Iesum natum ex virgine, qui est Messias, de quo promissiones traditae patribus concionatae sunt. Sicut et Petrus omnium Prophetarum consentientem vocem esse dixit: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

9. Duae sunt illustres differentiae promissionum legalium, et promissionis quae est Evangelii propria, scilicet expressa mentio redemtoris et particula exclusiva gratis.

10. Mirando temperamento iusticiae et misericordiae, tolluntur peccatum et aeterna ira. Recipimur enim immensa misericordia, propter filium deprecantem pro nobis. Sed tamen voluit Deus legem suam non esse irritam, voluit iusticiae suae satisfieri, et solvi poenam per aliquem in genere humano. Ita in filium effusa est ingens ira, cuius magnitudinem nulla creatura vel intelligit, vel sustinere posset.

11. Pro hoc ingenti amore tuo erga nos, et pro tua passione, tibi fili Dei Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, gratias agimus ardentibus pectoribus, et te oramus, ut pro nobis intercedas apud aeternum patrem, et nos Spiritu sancto accendas, ut tua beneficia intelligamus et grati celebremus.

12. Itaque quod ad nostra merita attinet, gratis tolluntur peccatum et ira aeterna, non propter ulla nostra merita, sed simul intueamur filium Dei, qui poenam pro nobis persolvit, sicut Propheta inquit: Quia ponet animam suam hostiam pro peccato, et ipse inquit Matthaei 20.: Venit filius hominis, ut det animam suam λύτρον pro multis etc.

13. Impius error est, fingere tres fuisse leges: primam, Naturae, secundam, Mosaicam, tertiam, Evangelicam, et salvatos esse homines in singulis, propter opera legis.

14. Impie et Latomus Lovaniensis Theologus scripsit, non aliam fuisse noticiam Dei in Abraham, quam qualis in Cicerone aut Xenophonte fuit, cum filius Dei expresse dicat: Abraham expetivit videre diem meum. Agnovit igitur Abraham mediatorem, ostensum in promissione.

15. Nec patres nec alii ullo tempore acceperunt remissionem peccatorum propter sua opera, nec fuerunt iusti, nec haeredes vitae aeternae, operibus legis, sed propter filium Dei gratis fide, acceperunt haec beneficia redemtoris.

16. Etsi ceremoniae aliis temporibus aliae fuerunt, tamen leges morales eaedem sunt in omni aeternitate, quia sunt ipsa sapientia Dei et rectitudo voluntatis, in Deo immota, sicut semper eadem est noticia numerorum. Et ea pars legis, quae dicitur moralis, praecipua est. Ceremoniae et politicae leges fuerunt signa et exercitia certi temporis, sed neque morales, neque aliae leges tollebant peccatum.

17. Et lex moralis natura nota est, ac simul voce divina statim initio patribus repetita, quia in hac caligine mentis humanae, etiam naturales noticiae sunt obscuriores. Ideo et vocem suam addidit Deus, ut in illa ipsa legis doctrina retraheret vagabundas mentes, ad veri Dei agnitionem et invocationem.

18. Norunt utcunque legem moralem Socrates, Xenophon et similes. Sed tamen a vero Deo aberrant, ut Euripides inquit: Invoco te Deus, quidquid es, sive hoc coelum sive mens, quae vehitur in hac mole. Lex igitur et voce Dei edita est, ut ad hunc verum Deum nos retrahat, qui se in Ecclesia data promissione de mediatore patefecit. Sicut inquit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex Aegypto. Testimonium et verbum proponit, quo discernit verum Deum a commenticiis numinibus.

19. Et tamen, semper manet vera regula: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo.

20. Statim autem post lapsum et promissio gratiae edita est, qua vere colligitur, et distinguitur deinde Ecclesia Dei a caeteris gentibus. Adam et Eva audientes promissionem de venturo semine, de quo dictum est: Semen mulieris conteret caput serpentis, sentiebant se vivificari ex morte, et credebant se iam recipi, et rursus placere Deo propter venturum semen. Hac fide gratis propter hunc venturum victorem, erant iusti et haeredes vitae aeternae, non propter legem, quia utrunque perspicue norant, se non fuisse revicturos ex pavoribus et morte, cum accusarentur a Deo, si non audivissent promissionem. Et videbant deinde in sua natura destructam esse harmoniam cordis et legis.

21. Hanc horrendam destructionem, quia magis intelligebant, quam nos, adsiduis lachrymis deplorabant, et sciebant se non esse iustos sua dignitate aut suis meritis.

22. Imo et antea didicerunt, se sapientia legis tantum condemnari, priusquam edita esset promissio. Necesse enim fuit eos sic ratiocinari. Iusticiae est abiicere inobedientes, Deus est immutabiliter iustus. Abiiciemur igitur immutabiliter.

23. Huius argumenti solutionem, nullius creturae sapientia cernebat. Sed filius Dei poenam in sese derivans, ut iusticiae divinae satisfieret, huius argumenti solutionem ostendit.

24. Sic et postea edita promissione, se sustentabant contra sapientiam legis, quae conscientiae vulnera subinde rescindebat.

25. Igitur postquam recepti sunt Adam et Eva, semper hic coetus deinceps certo fuit, est et erit Ecclesia Dei, in qua sonat non sola vox legis, sed etiam promissio gratiae propter filium Dei, recte intellecta, id est, ubi fundamentum incorruptum retinetur, hoc est, ubi retinentur, omnes articuli fidei, et usus Sacramentorum, sicut fuerunt instituta.

26. Usus igitur legis praecipuus est, in toto genere humano ostendere, iudicare et damnare peccata, et damnare reos peccati. Et ut Paulus inquit: Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati lex est.

27. Quia lex est iudicium Dei irascentis peccato, et punientis reos peccati. Et ut Paulus inquit: Per legem peccatum fit excellenter peccatum, id est, rea natura opprimitur hoc iudicio, ut sentiat horrendam iram Dei adversus peccatum.

28. Etsi autem multi diu securi vivunt, sine sensu irae Dei, ut et Paulus inquit: Ego aliquando sine lege vixi, tamen tandem etiam prophani hoc iudicium sentiunt, ac ruunt in aeternas poenas, qui non convertuntur nec servantur agnitione filii Dei.

29. Vult autem Deus maxime in Ecclesia, in hac vita intelligi iram adversus peccatum, sicut dicitur: Iudicium a domo Dei incipit. Ideo et semper vult audiri vocem arguentem peccata, et insania est imaginari peccata in Ecclesia non accusari lege Dei, et non proponendam esse in Ecclesia vocem legis, ostendentem iram Dei.

30. Sed tamen et liberatio a lege et ut Paulus inquit, a maledictione legis, cognoscenda est. Haec liberatio proponitur in Evangelio, ut Paulus inquit: Christus vos redemit a maledictione legis, factus pro vobis maledictum. Observandum est autem in verbo redemtionis comprehendi, et liberationem et compensationem.

31. Ita liberamur a iudicio et maledictione legis, cum credimus nobis certo propter filium Dei, donari remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, Spiritum sanctum, et vitam aeternam, gratis, non propter dignitatem nostram.

32. Longe aliter fit haec liberatio, a lege et iudicio Dei, quam abrogatio legis de nummo ferreo facta est Spartae, ubi lex ipsa mortua est, spernentibus eam civibus.

33. Sed lex moralis est iudicium Dei, quod non mutatur, nisi fide filium Dei apprehendentibus. Ut Iohan. 3. dicitur: Qui credit in eum, non iudicatur.

34. Et quanquam haerent in reconciliato multa peccata et magnae sordes, tamen persona

iusta est, propter filium Dei, sola fide, id est, per misericordiam donata remissione peccatorum, et imputata iusticia, propter filium Dei, non est iusta propter legem, aut nostram dignitatem. Sicut Psalmus inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ac de talibus credentibus dicitur: Non estis sub lege, sed sub gratia.

34 Sic hi liberati sunt, a maledictione legis. Et tamen manet haec lucta assidua, agnoscitur haerens in nobis peccatum, et fide apprehenditur liberatio et consolatio.

35. Hac fide sustentante corda in vero agone, Spiritus sanctus, vere accendit novam lucem, vitam et obedientiam, sicut dictum est: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.

36. Condonatur ergo praesens immunditics cum vincit fides, non cum regnat peccatum, id est, non cum cedit fides tentationi contra conscientiam, ut cum Eva vel Aaron cesserunt tentationi ruentes contra conscientiam.

37. Tales excutiunt et contristant Spiritum sanctum, et fidem, quae est fiducia misericordiae amittunt.

38. Manifestum est enim discerni in Paulo regnans peccatum, et non regnans.

39. Non igitur intelligenda est libertas, licentia violandi legem Dei contra conscientiam.

40. Sed libertas est in retinente Spiritum sanctum, et fide vincente tentationem. Haec sunt certamina magna piorum, in quibus crescit fides victrix Diaboli. Et filius Dei sic declarat suam potentiam, adiuvans nos, ut destruat opera Diaboli. Sic vincit in Ioseph repugnante illecebris adulterae, in Iob repugnante desperationi etc.

41. Est autem deinde et hic usus legis in reconciliato. Manet ordo sempiternus, ut creatura obediat creatori. Et ostendit lex, quae opera et qui cultus Deo placeant. Oportet autem et opera sanctorum regi expresso verbo Dei, iuxta illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

42. Nec licet ulli creaturae instituere cultus Dei, sicut scriptum est: Frustra colunt me mandatis hominum. Et hi cultus, quos Deus tradidit, sine corruptelis, vigilanter, et pie retinendi sunt, semper in mundo, exemplis patrum male intellectis, impii abusi sunt, et paulatim *κακοζηλία* addidit plura idola, ut cum primi patres recte sacrificassent, postea Chaldaei et alii finxerunt haec opera mereri remissionem peccatorum. Et adfinxerunt abominandos errores, hunc ignem sumtum ab igne patrum accenso divinitus, esse numen, esse Deum ipsum. Deinde hunc ignem publice circumferentes adoraverunt. Postea alii alia numina, et alios cultus horrenda audacia finxerunt.

43. Haec cum acciderint antea cum sapientia, disciplina, doctrinae studia, et aliae virtutes maiores essent, et cum Ecclesia tantos monitores haberet, Sem, Abraham, et deinceps multos, non cogitemus nihil irrepsisse viciorum in Ecclesiam, in hac infirma et delira mundi senecta, et in tantis gentium dissipationibus et confusionibus, et neglectione doctrinae et disciplinae.

44. Imo cito obscurata est doctrina, de iusticia fidei, ut ostendunt Origenis et aliorum scripta, et nati sunt monachi, quorum exemplis confirmata est persuasio, mereri homines remissionem peccatorum operibus, et quidem non mandatis a Deo.

45. Postea ministerium Evangelii ab Episcopis conversum est in regnum, et nervus additus, Missa papistica, et multiplex depravatio coenae Domini omnium piorum lacrymis deploranda.

46. Et caligo ethnica secuta est, fuit ignotum discrimen legis et Evangelii, confirmata est persuasio, mereri homines remissionem peccatorum, et iustos esse propriis operibus. Deinde additum est: Cum nemo sciat quando satis operum habeat, manendum esse in dubitatione, nec fide vincendam esse dubitationem.

47. Haec dubitatio prohibet conspici beneficia mediatoris, et consolationem firmam conscientiis eripit, et prorsus corrumpit veram invocationem. Non enim potest mens accedere ad Deum, petere et expectare bona, nisi fide aliquo modo acquiescere inceperit, et se quasi duci statuat a mediatore filio Dei, sicut inquit Paulus: Per hunc habemus accessum fide etc.

48. Et tamen decretum Synodi Tridentinae iubet manere in dubitatione. Et postea in Synodo Bononiensi decreta facta sunt, quorum manifestior est impietas, quae adfirmant satisfactiones, ut ipsi vocant, Canonicas necessarias esse. Item, in circumgestatione panis faciendam esse adorationem etc.

49. Et sicut apud Ethnicos multa numina excogitata sunt, ita pervasit in Ecclesiam invoca-

tio hominum, qui ex hac vita discesserunt, cum horrendum cogitatu sit, compellare homines absentes, quasi motus cordium inspiciant, quod solius est omnipotentis naturae, et expresse dictum sit: Dominum Deum tuum adorabis.

50. Omnino necessaria est cura singulis hominibus, quaerere veram Ecclesiam Dei, et ei se adiungere, et in ea audire doctrinam a Deo traditam, et cum huius verae Ecclesiae invocatione et confessione coniungere suam invocationem et confessionem, sicut David inquit, Psalm. 26.: Unum petii a Domino, hoc requiro, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, etc. Et Psalm. 83.: Beati qui habitant in domo tua Domine. Et Psalmo 91.: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

51. Et cum velit Deus, filium agnosci, et exaudiri in toto genere humano, vult et Ecclesiam conspici, et coetum visibilem esse. Estque vera Dei Ecclesia, coetus visibilis, retinens fundamentum, id est, doctrinam Evangelii incorruptam, iuxta omnes articulos fidei, praecepta, promissiones, legitimum usum Sacramentorum et reverentiam ministerio debitam, nec defendens idola.

52. Nec alibi sunt electi nisi in hoc coetu vocatorum, iuxta illud: Quos elegit, hos et vocavit. Nec libertas illa pia est, quam sibi multi sumunt, qui more Academicorum vagantur, et contradicunt omnibus, et nullius Ecclesiae cives esse volunt, de quibus dicitur: Qui non colligit mecum, dispergit.

53. Et filius Dei in agone precatur aeternum patrem, ut faciat ut unum simus in Deo. Adiungamus igitur nos ad veram Ecclesiam, ubicunque sumus, votis et confessione. Quare confiteor me amplecti consensum catholicae Ecclesiae Dei expressum in confessione, quam haec Ecclesia exhibuit Imperatori Carolo Augustae Anno 1550. et in societate eorum, qui hanc doctrinae vocem amplectuntur: Verum Deum, fiducia filii Dei Domini nostri Iesu Christi invoco.

54. Cum dicitur apud Zachariam: Effundam super domum David, et super habitatores Ierusalem Spiritum gratiae et precum, discernitur carcer legis a liberatione donata per redemtorem filium Dei. Lex ministerium est horrendae irae Dei, et in hac ingenti consternatione et fuga conticescit invocatio. Sed cum voce Evangelii annunciatur remissio peccatorum, Spiritu gratiae vivificantur corda, agnoscunt gratiam, id est, misericordiam Dei, propter redemtorem promissum, et se recipi credunt. Et cum hac fide Spiritus sanctus accendit veram invocationem, quae fit tantum in vera Ecclesia.

55. Nam Ethnici, Turci et similes, etiamsi adfirmant se invocare verum Deum, et illud videlicet numen, quod condidit coelum et terram, tamen a vero Deo aberrant, quia negant esse aeternum patrem, et filium imaginem de aeterni patris essentia genitam, et Spiritum sanctum ab aeterno patre et filio procedentem.

56. Non igitur adorant verum Deum, sed sculpunt sibi ipsis simulacrum in sua cogitatione, quod compellant, fingentes aliquid esse Deum, quod non est Deus.

57. Alii postea alia multa simulacra sculpunt, ut Athenienses in bello Xerxis sacrificabant Boreae, tanquam veteri adfini propter Orithyam, et petebant, ut classem Xerxis suo flatu pelleret. Talis est invocatio compellantium homines absentes.

58. Deinde accedunt Ethnici ad illud numen sine promissionibus, sine mediatore, cum perpetua dubitatione. Ita mediatorem nunc quoque removent, qui iubent manere in dubitatione, aut qui fiducia sui sacrificii, aut aliorum propriorum operum ad Deum accedunt.

59. At cum vera invocatione coniunctae sunt caeterae virtutes, Dilectio, bonum propositum, Spes, Patientia, et aliae, ita cum Spiritus sanctus corda fide vivificat, simul inchoat in hac consolatione interiorem obedientiam, quod voce legis nequaquam effici potuit.

60. Sed haec obedientia nondum est perfecta legis impletio, quia verissimum est, peccatum in natura humana reliquum in hac vita, etsi mortificari cepit, tamen nondum prorsus mortuum esse. Tegitur autem a filio Dei, qui est umbraculum, et liberavit credentes a maledictione legis.

61. Philosophica imaginatio est, heroicis donis infusis, propterea hominem iustum esse, sicut et Cicero inquit, Nullam existere virtutem magnam sine adflatu divino. Et quidem Ethnicis illae ipsae heroicae virtutes, ut Achillis et Alexandri fortitudo, illustria testimonia de Deo fuerunt. Sed in Ecclesia necesse est, dici de remissione peccatorum, de imputatione iusticiae propter filium Dei, et de fide, id est, fiducia misericordiae intuente filium Dei, qua liberamur

a maledictione legis, ab ira Dei, et a morte aeterna, sicut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus.

62. Quanquam igitur inchoata est obedientia, tamen in hac mortali vita, persona iusta est, id est, accepta Deo ad vitam aeternam, immensa misericordia propter mediatorem sola fide, non propter propriam dignitatem. Et in tali persona, praelucente fide, placet obedientia, et fit cultus Dei propter mediatorem, et habet praemia in hac vita, et post hanc vitam, sicut Petrus inquit: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

63. Alius usus est legis politicus, cohercens externa membra in omnibus hominibus, etiam non renatis. Sed etiam hanc mutilam libertatem saepissime horribiliter vincunt flammae pravorum adfectuum, et Diaboli hanc miserrimam naturam, odio Dei omnibus contumeliis adficientes, sed adversus haec ingentia mala, filius Dei reconciliatis et eum invocantibus, vult opem ferre, et conterere caput serpentis, et iubet petere auxilium, et adfirmat vere placere Deo, hanc petitionem, nec irritam esse, iuxta illud: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Tales promissiones intueamur, et nos ad petendum auxilium, contra saevissimum hostem et contra infirmitatem nostram exuscitemus.

(LXIV.) *De creationis actione disputatio, autore* M a t t h i a L a u t e r w a l t *Elbingensi. Disputata Witebergae, Anno* 1551. *die* 14. *Martii.*

Creatio proprie loquendo est Dei actio ad extra ipsi propria, procedens ex ingenti amore erga creaturas, ad Ecclesiae salutem et conservationem, ut ipse in ea innotescat et celebretur in filio, fitque a Deo immediate libera eius electione non coactione ullius necessitatis: absque adminiculo etiam omnis creaturae ex nihilo totum producens, aut aliquid ex nihilo in aliquod inducens, illudque creatum ita conservans, fovens et sustentans, ut vestigia divini amoris et praesentiae vel manibus contrectari possint, eo autem ordine et modo conservat quodque, quo illud est creatum, ita tamen ut Deus retineat et consilium et libertatem, maneatque Dominus illius ordinis, et limitator ac vindex confusionis, quae aliunde accedit, utque confusum et collapsum ordinem instauret, per filium libere intercedentem, non pro iustis, sed pro miseris peccatoribus recipiendis, ac integritati restituendis, quatenus ipsi moventi non repugnant sua incredulitate.

2. Haec actio est inorganica, ac fit absque omni motu et passione creatoris, actionisque reciprocatione seu retaliatione a creato, differtque ab ipsa essentia divina, ut effectus a causa, sive potius ut actio a suo principio intrinseco.

3. Haec actio (ut aliae ad extra) etsi ab aeterno semper fuit in Deo, ut proprium, tamen actu coepit in principio a Mose descripto.

4. Actiones igitur Dei, ad extra in hoc mundo, fiunt in tempore et coeperunt cum tempore. Sed apud Deum extra hanc vitam, et extra hunc visibilem mundum, mille dies sunt sicut dies hesternus. Ideo perfectam Dei beatitudinem, ante creatum mundum, et futura gaudia sanctorum, post hanc vitam, non intelligit mens capax tantum temporalium, oculusque ea nec vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt.

5. Actiones vero Dei, ad intra simpliciter in ipsa divinitate, supra captum humanum, prorsus non subiacent tempori, nec unquam facta sunt, nec fient, nec fiunt in tempore ullo modo, quia in divina essentia, nihil unquam coepit fieri, aut saltem esse. Quapropter gignere patris, et gigni filii, et procedere Spiritus sancti: sunt actiones Dei internae, quibus realiter semper distinctae fuerunt, manentque tres personae divinitatis in una essentia numero.

6. Hae distinctiones realiter constitutae internis actionibus, declaratae et patefactae sunt Ecclesiae externis actionibus ad extra, velut in baptismo Christi, pater suaviter compellat filium, filius volens patri obediens baptizatur, Spiritus sanctus columbae specie movetur, et filium ardenter amplectitur.

7. Sed sicut in naturam Spiritus sanctus non cadit latio, ita neque haec latio aut columbae species realiter eum distinguit, multo minus eundem separat a patre et filio.

8. Eodem modo descensus filii in veterum beatae virginis Mariae, minime separat filium a patre et Spiritu sancto.

9. Imo illa ipsa incarnatio, quatenus procedit ad extra et existit in motu, est opus omnium trium personarum, De patre enim diserte dicitur Esaiae 45.: Ego Dominus creavi illum, nem-

pe non simpliciter creaturam, sed novo modo, sicut dicitur Ieremiae 31.: Creavit Dominus novum super terram, foemina circundabit virum. Ideo ipsa conceptio signum dicitur Esaiae 7. De Spiritu vero sancto affirmat symbolum Apostolicum: Conceptus est de Spiritu sancto.

10. Sed in hac societate trium personarum filius Dei cooperans ad extra, sibi soli ad intra unit humanitatem σωματικῶς, sive personaliter, vinculo indissolubili et mysterio abditissimo, quod nulla creatura perspicere potest. Diabolus enim etsi ex Scriptura novit, quod filius Dei sit incarnatus, tamen quomodo incarnatus sit ignorat, nec potest illud mysterium comprehendere, maxime vero humiliato Christo non agnoscit Dominum gloriae, ideo eo magis furit contra eum, nec cessat ab isto furore, etiamsi saepe eius potentiam sentiat, suo magno cum malo, ita incarnatio filii Dei fit Diabolo lapis offensionis, Angeli vero Dei in illud admirandum speculum unionis prospicere cupiunt, nec saciari eo poterunt in omni aeternitate.

11. Haec unio personalis nullo modo dici potest creatio, quia propria est uni tantum personae, et neque fit ordine creationis, neque ex nihilo.

12. Creatio enim est opus omnium trium personarum. De patre enim diserte inquit symbolum Apostolicum: Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Et de filio Iohan. 1. dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. De Spiritu vero sancto Psalm. 32. dicitur: Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius, omnis virtus eorum.

13. Deus igitur Pater, Filius et Spiritus sanctus: creatis ex nihilo coelo et terra, absolutoque omni ornatu eorum et bestiis, creavit hominem, formans eum ex limo terrae, et ex nihilo producens spiritum, inflavit eum in faciem eius, ut esset in animam viventem, secundum imaginem et similitudinem eius, Evam vero aedificavit secundum eandem imaginem ex costa ipsius Adam.

14. Secundum hanc igitur imaginem trinitatis, vivimus, movemur et sumus in Deo, sicut tota rerum natura et ordo conservatur praesentia et libera administratione divina, imo pro sua misericordia auget saepissime naturae bona, ostendit etiam se non praesente et gubernante naturam nihil agere.

15. Prophana igitur est opinio fingere, Deum, velut fabrum a suo opificio, intra suum quasi cubile discessisse. Hominem vero et naturam ferri sine Deo, ut eiectum lapidem extra manum iacientis. Aut fingere hominum prorsus alligatum esse loris immutabilis necessitatis, inter Deum et secundas causas. Aut absque secundis causis hominem divinae praescientiae et praedestinationis catenis aeternis, ne quidem Deo solvendis detineri constrictum, et coarctatum per omnia immutabiliter, ut in Ecclesia quidam fanatici, nolentes videri Stoici, petulanter et impie fingunt, existunt vero Stoicis multipliciter deteriores: praesertim cum diserte dicant, Deum per se ordinasse et praedestinasse immania scelera, ac eadem etiamdum velle eum non tantum permittere.

(LXV.) *Propositiones, de quibus disputavit Magister Tilemannus Heshusius Wesaliensis, vocatus ad gubernationem Ecclesiae Goslariensis. Witebergae, anno* 1553. *die quinto Maii, quo ante annos* 1519 *filius Dei admirando triumpho spectante magno coetu Apostolorum et discipulorum in coelum ascendit.*

Ideo Deus ordinem in natura, et ordinatos motus et effectus instituit, et homini indidit mentem, quae intelligeret numeros, ordinem, discrimen honestorum et turpium, ut hic ipse ordo et hae noticiae sint testimonia de ipso, et ostendant esse Deum, et doceant qualis sit, et quod sit mens sapiens, verax, bona, benefica, iusta, casta, vindex scelerum.

Etsi autem haec consideratio nunc obscurior est in hac depravatione naturae, tamen non est negligenda.

2. Postea patefecit se extraordinariis operibus, et addidit suam vocem, ut ostenderet, Deum non esse ἐντελέχειαν infusam creaturis, alligatam causis secundis, ut Stoici et alii finxerunt, sed ut conspici posset, Deum esse aliud agens, distinctum a creaturis, intelligens, bonum et liberum, et quod possit aliter agere, quam cient causae secundae, et scirent homines quomodo et ubi velit sibi colligere aeternam Ecclesiam.

3. Agnoscenda est igitur magnitudo bonitatis Dei, et vera gratitudine celebranda, quod utroque modo se patefecit, ordinariis operibus, et extra ordinariis, transfusis radiis suae sapientiae et legibus in mentes humanas, et ostensa creatione,

quae est summum miraculum, deinde vero edita promissione de mediatore, et addito novo miraculo, conservatione vitae primorum parentum, et postea aliis multis testimoniis, inflammatione victimarum, conservatione, Nohae in diluvio, et aliis.

4. Necesse est autem teneri discrimen inter noticiam legis et promissionem gratiae propter mediatorem filium Dei. Et necesse est agnosci Deum, sicut se patefecit, non tantum ut humana ratio cogitat, sed ut discrimina trium personarum et earum proprietates pie intelligantur, ut Deus recte invocetur et colatur.

5. Lex est aeterna et immota sapientia et regula iusticiae in Deo, discernens recta et non recta, et horribiliter irascens contumaciae, quae repugnat huic normae in ipso, et patefacta est hominibus in creatione, et postea saepe repetita et declarata voce divina, ut sciamus, quod sit Deus, et qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, et postulans ut omnes sint conformes ipsi et damnans ac destruens omnes non conformes, nisi fiat remissio et reconciliatio propter filium mediatorem.

6. Evangelium est praedicatio poenitentiae et promissionis, quae non est naturali luce nota, sed ex arcano consilio divinitatis per filium prolata est, qua Deus exhibet remissionem peccatorum, reconciliationem, donationem Spiritus sancti, iusticiae et vitae aeternae propter mediatorem et per eum gratis, fide accipientibus promissionem. Haec diversa genera doctrinae palam discernuntur, in 1. cap. Iohan.: Lex per Moisen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Et Rom. 3.: Nunc sine lege iusticia Dei manifestata est, testificata in lege et Prophetis, iusticia vero Dei per fidem Iesu Christi. Et Gal. 3.: Si ex lege esset haereditas, non esset ex promissione etc.

7. Firmissime igitur tenenda est sententia et vere colligi Ecclesiam Dei aeternam, voce Evangelii et agnitione mediatoris, et nunquam Ecclesiam Dei fuisse, nec esse, nec futuram esse, homines ignorantes vocem Evangelii et mediatorem. Sed tenenda est vox Pauli: Fundamentum aliud nemo ponere potest, praeter id, quod positum est, quod est Iesus Christus.

8. Quare Thammerus, qui confusionem facit Ethnicorum et Ecclesiae, legis et Evangelii, cum scribit Ethnicos novisse Christum, quia legem norunt, execrandus est.

9. Et Lovaniensis Latomus execrandus est, qui scripsit, Non aliam fuisse noticiam de Deo in Abraham, quam qualis fuit in Platone et Xenophonte. Adversus tales furores muniendi sunt omnium animi, nec dubium est Diabolum has blasphemias serere, ut sint in hac extrema senecta mundi semina et παρασκευὴ Turciae impietatis.

10. Notissima est vox filii Dei, in qua dicitur: Abraham vidit diem meum, et laetatus est. Et Iacob inquit: Non auferetur sceptrum a Iuda donec venerit Silo, ad ipsum gentes congregabuntur. Et postea extant testimonia in Prophetis illustriora de filio Dei mediatore, Psal. 2.: Osculamini filium, et apud Esaiam: Noticia servi mei iusti iustificabit multos, etc.

11. Semper igitur vera Ecclesia suam invocationem distinxit ab ethnica, praecipue his articulis agnitione doctrinae de essentia Dei et de voluntate.

12. Vera Ecclesia intuetur patefactiones divinas, et agnoscit unam esse divinam essentiam conditricem, aeternum patrem, filium, de quo loquuntur promissiones, et Spiritum sanctum, procedentem ab aeterno patre, et coaeterno filio, et scit se recipi, exaudiri, et salvari propter filium, qui constitutus est mediator. Sed vagantur Ethnici horribili et deploranda amentia, quia fingunt alii aliud esse Deum, et alii plures comminiscuntur, et omnes dubitant, an et quomodo exaudiantur. Denique tetri sunt furores omnium extra veram Dei Ecclesiam, quorum consideratio moveat pias mentes, ut Deo gratias agant, quod se in Ecclesia sua patefecit, et eum recte invocare discant, iuxta dictum: Dominum Deum tuum adorabis, et ei soli servies.

13. Est igitur in invocatione et descriptio Dei cogitanda, ut discernatur Deus ab omnibus creaturis, et a commenticiis numinibus. Deus est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, alia a creaturis omnibus, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensae sapientiae et potentiae, irascens peccatis, pater aeternus, qui filium imaginem suam ab aeterno genuit, et filius imago patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a patre et filio, sicut patefacta est divinitas certo verbo et testimoniis divinis, quod pater aeternus cum filio et Spiritu sancto condiderit, et conservet coelum et terram et omnes creaturas, et adsit omnibus creaturis quo ad conservationem, et colligat sibi in genere hu-

mano Ecclesiam propter filium, et sit iudex iustorum et iniustorum.

14. Agnoscamus autem aeternum patrem, filium, et Spiritum sanctum, ut in verbis baptismi traditum est, et ut discrimina traduntur in symbolis, et sciamus non tantum esse nomina diversa unius personae, sicut fingunt aliqui Iudaisantes, et sicut Servetus, qui furens Lutetiae mortuus est, scripsit. Sed tres esse personas ut Latini loquuntur, seu magis perspicue, ut Graeci tres *ὑφισταμένους*, qui tamen sunt *ὁμοούσιοι*, sicut de filio expresse dicitur in symbolo Niceno, et de Spiritu sancto inquit Epiphanius: *πνεῦμα ὄντως ἐκ θεοῦ καὶ οὐκ ἀλλότριον πατρὸς καὶ υἱοῦ ἀλλ' ὁμοούσιον πατρὶ καὶ υἱῷ.*

15. Pater est prima persona divinitatis, non nata nec procedens ab alia, sed a qua ab aeterno genitus est filius imago patris, et procedit Spiritus sanctus, quae cum filio et Spiritu sancto condidit coelum et terram, et omnes creaturas, et eas conservat.

16. Filius est secunda persona divinitatis, quae est substantialis et integra imago aeterni patris, quam pater sese intuens et considerans gignit, quae nobis quidem sic manifestatur, quod sit persona, per quam pater dicit decretum et totum ordinem creationis et reparationis hominum, et mittitur ut patefaciat Evangelium, et adsumat humanam naturam, et sit Mediator, Redemtor et Salvator.

17. Spiritus sanctus est tertia persona divinitatis, procedens a patre et filio, et est substantialis amor et laeticia coaeterna inter patrem et filium, et nobis sic manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem et laeticiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse, sicut 2. Tim. 1. expresse scriptum est: Non dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed roboris, et dilectionis et castificationis.

18. Quia Deus agnosci voluit, aliquo modo pinxit haec discrimina in natura hominis, in qua haec tria sunt praecipua: mens, cogitatio quae est imago rei cogitatae, seu verbum proferens cogitatas imagines. Item motus, amor, laeticia in voluntate, et Spiritus in corde nascentes, qui sunt flammae cientes motum.

19. Et in hoc domicilio fulsit ante lapsum illustris noticia Dei, accensa per verbum, ostendens creatorem, ac voluntas et corda habebant ardentes motus erga Deum, accensos per Spiritum sanctum.

20. Ita tunc erat homo imago Dei nondum corrupta, quo ad substantiam, et quo ad dona addita substantiae, nunc post lapsum tamen mens et verae noticiae in mente testimonia sunt, quod sit Deus, et quod sit essentia intelligens, vera, bona, iusta, benefica, casta, vindex, scelerum etc.

21. Et amor in Deo erga naturam humanam in his beneficiis etiam considerandus est, quod ea, quae in ipso Deo sunt optima, nobis communicavit, scilicet sapientiam, iusticiam, laeticiam, et libertatem voluntatis, imo se ipsum nobis tribuit, quia in nobis ut in templo suo habitaturus erat.

22. Sed magis conspicitur amor in beneficio reconciliationis, quia post lapsum misertus nostri, mittit filium et Spiritum sanctum ad nos salvandos. Duae sunt enim personae missae.

23. Filius statim ab initio profert decretum de redemtione, cum inquit: Semen mulieris conculcabit caput serpentis, ac dicitur filius *λόγος*, non tantum respectu patris, quia cum sit integra imago patris, cogitatione nascitur, sed etiam dicitur *λόγος* respectu nostri, quia profert Evangelium, ex arcano consilio aeterni patris, conservat ministerium Evangelii, dicit consolationem in cordibus credentium voce Evangelii, et ostendit patrem, sicut Ioh. 1. scriptum est: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis, et ipse inquit: *τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν.* Item: Nemo novit patrem nisi filius, et cui filius voluerit revelare.

24. Hic filius admirando consilio et amore nostri adsumsit humanam naturam, et constitutus est Mediator, Redemtor, Iustificator et Salvator.

25. Nec adest naturae humanae quam adsumsit tantum societate, sicut adest Abrahae, Iacob, Prophetis, sicut dicit Iacob: Benedicat his pueris Deus, et Angelus qui me ex omnibus malis redemit, sed unio est hypostatica *τοῦ λόγου* et humanae naturae adsumtae, ut gestetur humana natura a verbo non solum inseparabiliter, sed ita etiam, ut nisi sic sustentaretur, illa massa prorsus interiret.

26. Etsi exemplum prorsus simile monstrari non potest, tamen vestutas usa est hac similitudine esse unum *ὑφιστάμενον*, *λόγον* et adsumtam na-

turam humanam, sicut homo est unum *ὑφιστάμενον*, habens animam et corpus. Hac similitudine usi sunt Athanasius, Cyrillus, et Iustinus qui tamen addit correctionem: *τινὲς μὲν τὴν ἕνωσιν, ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἁρμόδιον γε τὸ παράδειγμα, εἰ μὴ κατὰ πάντα, κατά τι γοῦν.*

27. Ut igitur discernatur Christus ab aliis sanctis, retinentur hae propositiones in Ecclesia, Deus est passus, Deus est mortuus. Paulo adest Deus societate, seu ut opitulator, et adest separabiliter, nec Pauli persona est Deus. Ideo non dicimus Deum pati patiente Paulo, sed patiente Christo patitur persona, quae est Deus. Haec forma loquendi nominatur communicatio *ἰδιωμάτων*, quae et in sermone divino in propheticis et evangelicis narrationibus usurpatur, ut Zach. 12. dicit filius Dei ante adsumtionem humanae naturae: Adspicient ad me, quem confixerunt. Et Iohan. 8.: Antequam Abraham nasceretur, Ego sum. Nequaquam vero dicitur: Divinitas est passa, seu divinitas est mortua.

28. Haec discrimina pie et reverenter cogitanda sunt, et retinenda phrasis Ecclesiae veris causis et gravi autoritate recepta, etiamsi nostra infirmitas hoc admirandum foedus verbi et adsumtae naturae nec satis intelligere, nec satis eloqui potest. Tantum vero discamus, quantum in Ecclesia huius vitae profiteri nos Deus voluit. Postea in coelesti Ecclesia discemus, et modum huius copulationis et causas.

29. Prodest autem aliquo modo et causas considerare, quare Deus voluerit hoc modo redimi et salvari genus humanum, mirando temperamento iusticiae et misericordiae recipit Deus genus humanum. Recipit homines propter filium per misericordiam, sed ne iusticia negligeretur, poenam nostri peccati persolvi voluit. Et quia genus humanum peccaverat, hominem esse qui sustineret poenam, congruebat.

30. Nec vero esse homo poterat, nisi fuisset adsumta massa a filio Dei. Et ut aequivalens precium esset, haec persona propiciatrix constituta est. Nec sustinere iram sola creatura poterat, nec vincere mortem et restituere vitam et iusticiam, et congruit hunc esse mediatorem et deprecatorem, qui videt pectus patris et corda invocantium. Item naturae omnipotentis est assidue adesse Ecclesiae, et eam protegere.

31. Haec cum reverenter cogitantur, accendunt piam mentem ad gratitudinem et ad invocationem.

32. Discernenda sunt vocabula propria naturarum a vocabulis officii. Posse mori proprium est unius naturae, scilicet humanae. Sed Mediator, Rex, Sacerdos, nomina sunt officii, quod proprium est totius personae. Filius Dei orat pro nobis, et protegit Ecclesiam, etiam ante assumtionem humanae naturae, ut Psal. 2. dicitur: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem. Danielis 3. Adest in fornace Babylonica, ubi dicitur: Species quarti similis filio Dei.

33. Invocamus igitur Dominum nostrum Iesum Christum, Deum et hominem mediatorem, sacerdotem et regem nostrum. Quia Deus est, videt gemitus cordium nostrorum. Nec Nestorii argumento turbamur, quod expresse recitat Cyrillus et refutat. Haec enim erat cavillatio Nestorii: Si Christus esset sacerdos secundum naturam divinam, offerret sibi ipsi. Nec distinxit Nestorius inter missum filium et divinitatem mittentem.

34. De hoc filio Dei Domino nostro Iesu Christo, Deo et homine dicitur: Noticia servi mei iusti iustificabit multos.

35. Impietas est contumeliosa contra aeternum patrem, filium et Spiritum sanctum, Papae et monachorum doctrina asseverantium, homines mereri remissionem peccatorum et reconciliationem seu iustificationem et vitam aeternam propriis operibus, sed firmissime retinenda est vox Evangelii, quae toties repetit exclusivam Gratis, propter propiciatorem Christum,

36. Dulcissime dictum est Esa. 52.: Gratis venundati estis, et sine argento redimemini, ubi non hoc vult vox divina, nostrum lapsum non esse causam seu meritum condemnationis. Sed Diabolum et homines accusat Deus tanquam praedones, quod rem alienam transtulerint, videlicet genus humanum, quod erat Dei possessio. Hanc possessionem praecipue Diabolus insidiator eripuit Deo, et nec Deo, nec homini aliquid boni reddidit. Iustum est autem a praedone rem sine precio retrahere.

Inde igitur argumentatur a iure usitato, cum inquit: Mihi sine precio meam possessionem eripueritis, retraham magna gloria, et nec Diabolo precium dabo, sed potius latronum poena eum adficiam, et homines inopes mihi precium dare non possunt.

37. Ut Prophetae et Paulus nominant Exclusivam gratis, ita in Ecclesiis nostris dicitur sola fide iustificamur, id est propter mediatorem Deum et hominem, fide, gratis non propter legem aut ulla nostra opera aut merita, accipimus remissionem peccatorum et reconciliationem seu imputationem insticiae, regenerationem per verbum et Spiritum sanctum, et haereditatem vitae aeternae.

38. Haec est promissio Evangelii propria, quam vult Deus in Ecclesia sonare, et qua colligit Ecclesiam, et discernit eam a caeteris hominibus. Etsi autem in toto genere humano horribiliter arguit Deus peccata tristissimis exemplis poenarum et agnitione legis in cuiusque conscientia, sicut Psal. 57. dicitur: Utique est Deus iudicans eos in terra, tamen in Ecclesia aliter etiam peccata arguit Deus voce ministerii evangelici, accusat caliginem de Deo in natura hominum et oblivionem promissionis de filio Dei mediatore, et alia horribilia interiora mala. Ideo inquit Dominus: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato quod non credunt in me.

39. Diserte autem dicitur: Spiritus sanctus arguet, quia Deus adest ministerio evangelico, per vocem Evangelii est efficax ut convertantur homines ad eum, sicut scriptum est: Evangelium est ministerium Spiritus.

40. Utrumque igitur clamat vox divina, agite poenitentiam, et credite Evangelio, utrumque comprehenditur in iureiurando: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Utrunque in hoc dicto Esai. comprehenditur: Ad quem respiciam, nisi ad afflictum et trementem sermones meos. Agnoscentes igitur veram et horribilem iram Dei adversus peccata quam ostendit et in voce Evangelii, et in tristissimis exemplis poenarum in Ecclesia et alibi, quia iudicium a domo Dei incipit, expavescamus et clamemus ad Deum: Converte me, et convertar. In hoc vero dolore confugientes ad filium Dei mediatorem, et fide accipientes remissionem et reconciliationem discent intelligere hanc vocem Pauli: Iustificamur gratis, fide propter filium, quem posuit Deus propiciatorem.

41. Ibi intelligentur vocabula fidei, gratiae, iustificationis, quorum intellectum et olim monachi corruperunt, et nunc corrumpunt Anabaptistae, et alii enthusiastica iactitantes.

42. Semper adversantur verae sententiae de iusticia fidei, duo genera hominum, Pharisaei et Enthusiastae, Pharisaei condendunt disciplinam suam esse merita remissionis, et iusticiam coram Deo sicut Pelagiani, Papistae, Monachi docent. Enthusiastae volunt excellere et dicunt se iustos sua novitate et afflatibus. Hinc illa vetus definitio est: *δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος*. Et nunc Funccius magis inepte huc transfert definitionem Iurisconsultorum, iusticia est constans et perpetua voluntas, suum cuique tribuens. Haec dicta de legali iusticia, non congruunt ad dicta: Noticia servi mei iustificabit multos. Item: Iustificati fide pacem habemus erga Deum.

43. Certissimum est semper in conversione, et in quotidiana consolatione primum oportere accipi fide remissionem peccatorum, sicut Apostoli expresse dicunt: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius omnes qui credunt in eum. Item Ioh. 3.: Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum.

44. De hac fide inquit Paulus ad Ephesios: Per quem audemus accedere in fiducia, per fidem eius.

45. Itaque et significat fides fiduciam mediatoris ac misericordiae promissae propter mediatorem, et hac fide accipitur remissio peccatorum et reconciliatio.

46. Quod vero inquit Osiander, peccata in passione Christi remissa esse, sed damnari non credentes, quia nondum habeant iusticiam essentialem, si existimat eos habere remissionem, horribilis furor est, et pugnat cum hoc dicto, qui non cedit in filium, ira Dei manet super eum. Et modus iustificationis alius Enthusiasticus proponitur, extra hanc luctam qua in conversione accipitur remissio, cum universaliter hic modus in scriptura proponatur, ut in poenitentia David, Ezechiae, mulieris meretricis, Publicani, Latronis, et magnae multitudinis in actis Apostolorum. Et hic modus communis proponitur in dicto: Agite poenitentiam, et credite Evangelio. Et in Psal.: Dixi confitebor adversus me in iusticiam meam Domino, et tu remittis iniquitatem peccati mei.

47. Fit haec remissio propter mediatorem, et simul est reconciliatio et imputatio insticiae propter mediatorem. Fit autem cum fide apprehenditur promissio in Evangelio proposita, qua

fide cum eriguntur corda, et ex dolore inferorum retrahuntur, filius Dei ipse vivificat corda, dicens hanc consolationem in nobis voce Evangelii, ostendens patris misericordiam, et Spiritu sancto accendens laetitiam acquiescentem in Deo, invocationem, dilectionem Dei et alios motus.

48. Nequaquam humana cogitatione aut humanis viribus liberatur homo a peccato et a morte, sed haec liberatio Dei opus est, qui nos recipit propter filium, et per eum voce Evangelii et dato Spiritu sancto nos vivificat. Tres enim personas in hac consolatione intueri nos oportet, sicut Paulus inquit 1. Corinth. 15.: Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati lex est, Deo autem gratia, qui dat nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Et recte inquit Athanasius: Quandocunque est in homine Spiritus sanctus, est in eo per verbum, ac de persona loquitur.

49. In verbo iustificandi necesse est intelligi relationem, scilicet absolvi a peccatis, seu reconciliari seu Deo acceptum esse ad vitam aeternam. Sic enim Paulus loquitur: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Item Rom. 5. promiscue utitur verbis iustificati et reconciliati, iustificati sanguine ipsius. Item: reconciliati sumus Deo per mortem. Et de hac reconciliatione anguntur perterrefactae mentes, in sensu irae Dei, ubi etiamsi haberent iusticiam Angelorum, et nescirent se recipi, quid illa iusticia eis prodesset? Ideo edita est vox Evangelii, in qua annunciatur gratia. Et Rom. 5. dicitur: Gratia Dei et donum per gratiam, quae est per unum hominem Iesum Christum, in multos exuberavit. Hanc gratiam, id est gratuitam reconciliationem cum fide accipimus, habemus pacem erga Deum, id est, sumus accepti Deo propter mediatorem, simul autem donamur per filium Dei Spiritu sancto, regeneramur, vivificamur et efficimur templa Dei.

50. Etiam postquam renati sumus, tamen semper quaerit mens quomodo placeat Deo, et omnes Prophetae fatentur se non placere propter propriam novitatem, sicut Moises inquit: Innocens non est innocens coram te. Et Iob ait cap. 9.: Vere scio, quod non est homo iustus coram Deo. Et rursus: Timeo omnes dolores meos, sciens quod non invenis innocentem. Et David: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens in Psal. 6.: Salvum me fac propter misericordiam tuam. Ita sancti accedunt ad Deum, non fiducia suae novitatis, aut iusticiae essentialis in ipsis, sed fiducia mediatoris et sacerdotis, qui aeternum patrem suo sacrificio placavit, et assidue pro nobis interpellat, et clamat ad aeternum patrem: Dilectio tua qua me diligis sit in eis. Hac fide et deinceps sancti sunt iusti, id est, habentes remissionem, accepti Deo seu placentes.

51. Quantacunque est novitas, obedientia mediatoris et intercessio, anteferenda est illis ipsis actionibus Dei habitantis in te.

52. Nec turbemur praestigiis sophismatum, cum vociferatur Osiander, relatio nihil est nisi cogitatio, at iusticiam oportet rem aliquam esse in nobis. Plana et perspicua responsio est, horribile est ita abiici gratiam Dei, quae certe est relatio, nec dicendum est relationem nihil esse, cum sit adplicatio fundamenti ad terminum, fundamentum huius imputatae iusticiae est, iusticia in filio Dei, quae est velle obedire patri, ut dictum est Psal. 40.: In cap. libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus volo, et lex tua in medio cordis mei. Et Ebraeos 10.: Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Propter hanc filii obedientiam, cum Deus remittit tibi peccata, et imputat iusticiam, remissio et imputatio non sunt ociosae imaginationes, sed sunt ipse Deus remittens et imputans propter filium, ut scriptum est: Pater meus diliget eos. Haec misericordia Dei erga nos propter filium promissa, prius agnoscenda est. Postea sequitur hoc quod Paulus inquit: Retecta facie claritatem Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu, id est, ut Israëlitae non ferebant fulgorem sparsum a facie Moisi, sic nostra corda non ferunt iram et iudicium Dei, sed cum misericordia donata propter filium agnoscitur et fide apprehenditur, iam bonitas et praesentia Dei in ea consolatione sentitur, et transformamur, ut sit in nobis vera noticia Dei, et firma adsensio, quasi lux a verbo in nos sparsa, et accendantur per Spiritum sanctum dilectio Dei et laetitia in Deo acquiescens, et alii tales motus qualis est ipse Spiritus sanctus. Haec non fiunt nisi primum adprehensa misericordia per fidem, quae nititur mediatore Deo et homine.

53. Hanc doctrinam de filio mediatore vult Deus sonare in Ecclesia sua, et vult Ecclesiam suam discerni a caeteris hominibus, ac vult certo

statui, nequaquam esse electos ad vitam aeternam eos, qui nunquam fiunt membra Ecclesiae in hac vita mortali, iuxta dictum: Quos elegit, hos et vocavit.

54. Vult et exaudiri et conspici Ecclesiam in genere humano, iuxta dictum: In omnem terram exivit sonus eorum. Et recte definitur Ecclesia visibilis in hac mortali vita. Ecclesia visibilis est coetus visibilis hominum amplectentium Evangelium sine corruptelis, et recte utentium Sacramentis, in quo coetu filius Dei est efficax per ministerium Evangelii, et multos regenerat ad vitam aeternam: suntque in eo coetu multi non sancti in hac vita mortali, qui tamen de doctrina cum recte sentientibus consentiunt.

55. Signa per quae agnosci Ecclesia potest, sunt vox Evangelii incorrupta, legitimus usus Sacramentorum, ministerium ipsum recte docens, et obedientia ministerio iuxta Evangelium debita.

56. Quanquam autem magnae sunt generis humani et politiarum confusiones, tamen sciamus certo filium Dei inter ipsas ruinas imperiorum conservaturum esse Ecclesiam, donec resuscitabit mortuos, et iudicabit totum genus humanum, iuxta haec dicta Matth. 24.: Sicut in diebus Nohae, ita erit adventus filii hominis. Unus adsumetur et unus relinquetur.

57. Idem profitemur et in articulo symboli: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam, sanctorum communionem.

58. Hac nos consolatione sustentemus, et sciamus mandatum Dei esse immutabile, ut singuli se ad veram Ecclesiam adiungant, iuxta haec dicta: Unum petii a Domino, hoc requiro, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Item: Beati qui habitant in domo Domini etc.

59. Et oportet Ecclesiam veram retinere fundamentum, id est, articulos fidei, etiamsi alii aurum, alii stipulas supra fundamentum extruunt, ut erat in Apostolis quoque infirmitas et caligo. Sed infirmi sint dociles.

60. Nequaquam pendet Ecclesia a successione ordinaria Episcoporum, ut nominant, sed de omnibus tenenda est regula, qui vel totum Evangelium, vel aliquos Evangelii articulos delere conantur. Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

61. Haec consolatio piis necessaria est. Etsi enim dolorem adfert seiunctio ab Episcopis, et a magna multitudine retinentur errores et idola, tamen sciamus necessarium mandatum esse: Fugite idola. Cumque Papa, et plurimi Episcopi, pertinaciter propugnent idola, et errores pugnantes cum Evangelio, sciamus eos nequaquam esse membra Ecclesiae. Interea vero tamen a filio Dei servari Ecclesiam et ministerium Evangelii, iuxta dictum Eph. 4.: Dat dona hominibus Pastores et Doctores.

62. Etsi regnum filii Dei aeternum est, tamen discrimen est inter modum regni in hac vita et ventura, de hoc discrimine inquit Paulus: Tradet regnum Deo et patri, quasi dicat: Nunc regnat filius, cuius propria officia sunt, patefacere promissionem, conservare ministerium Evangelii, efficacem esse per ministerium Evangelii, colligere aeternam Ecclesiam, vivificare credentes voce Evangelii, et dare eis Spiritum sanctum, protegere eos in hac vita, et resuscitatos adducere ad aeternum patrem. Postea Deus regnabit ita, ut conspiciatur non per ministerium Evangelii, sed qualis est ipsius essentia. Et agnoscet Ecclesia se accepisse haec omnia beneficia per filium, qui ideo adsumsit humanam naturam, ut haec beneficia nobis praestaret, et semper erit summa persona in genere humano.

(LXVI.) *Propositiones de quibus disputavit vir reverendus M. Henricus Sthenius Munderus, vocatus ad gubernationem Ecclesiarum in ditione Illustriss. Principis Erici, Ducis Brunsvicensis. Die conversione Pauli anno* 1554.

Non casu haec pulcerrima rerum natura ex Democriti atomis confluxit, sed ipse ordo corporum mundi, et in mentibus humanis, noticia ordinis et discrimen honestorum et turpium, et dolor in corde vindex scelerum, item conservatio specierum, societas humana, publicae poenae homicidarum et aliorum, et alia multa, sunt illustria testimonia de Deo et de providentia, quae vult Deus reverenter aspici, ut nos de ipso commonefaciant, Rom. 1.

2. Sed miranda bonitate addidit Deus his ordinariis operibus alia testimonia, videlicet miracula, id est, extraordinaria opera, in quibus se patefecit et tradidit suam doctrinam, legem et Evangelium, ut Ecclesiam aeternam in genere humano colligat: vult enim habere creaturas qui-

bus se communicet, et in quibus sua lux, sapientia et iusticia fulgeant sine fine.

3. Has patefactiones vult praecipue aspici Deus et audiri suam vocem, iuxta dicta: Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit. Item: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Item: Postquam Deum in sapientia non novit mundus per sapientiam, placuit Deo per stultam praedicationem salvos facere credentes.

4. Itaque ne totum genus humanum periret, missus est filius Dei, qui edita promissione Evangelii statim post lapsum cepit colligere Ecclesiam suam. Et hanc deinceps mirabiliter inter Diabolorum et hominum furores, et inter imperiorum tumultus, servavit, et saepe attenuatam restituit, et servabit in hac mortali vita, donec universam post resuscitationem ex morte collectam ornabit aeterna gloria, tradens regnum Deo patri, id est, non iam regnans per ministerium Evangelii, sed coram ostendens patrem, qui immediate conspicietur, et erit omnia in omnibus, id est, vivificabit eos aeterna vita, et donabit eis lucem, sapientiam, iusticiam, quae erit sine peccato.

5. Cum autem de Ecclesia, quae colligitur in hac vita, loquimur, non imaginamur ideam Platonicam, sed nominamus Ecclesiam, quae et exaudiri potest in genere humano, et conspici, et discerni ab omnibus aliis gentibus et sectis, iuxta dictum: In omnem terram exivit sonus eorum.

6. Exaudiri et conspici Ecclesia potuit tunc quoque, cum dissipata et exigua esset, et non esset imperio distincta a caeteris gentibus, ut cum Abraham, Isaac, Iacob vagarentur in exiliis, et postea cum Iudaei dissipati exularent in Chaldaea et Persia, item cum in ipsa Iudaea regnarent impii Sacerdotes et Pharisaei. Erant enim aliquae reliquiae vera Ecclesia, ut Zacharias, Simeon, Ioseph, Elisabeth, Maria, soror Mariae Hanna, et alii multi, qui horum doctrinam amplectebantur.

7. Est igitur Ecclesia visibilis coetus visibilis amplectentium Evangelium sine corruptelis, et recte utentium Sacramentis, in quo coetu filius Dei certo efficax est per ministerium Evangelii, et multos ad vitam aeternam regenerat, et tamen sunt in eo coetu simul in hac vita multi non sancti, sed de doctrina consentientes.

8. Huius visibilis Ecclesiae membra fieri oportet in hac vita omnes electos, iuxta dictum: Quos elegit, hos et vocavit. Et mandatum divinum est, ut se omnes homines ad veram Ecclesiam adiungant, iuxta haec dicta, Psalmo 26.: Unum hoc petii a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, ut videam voluntatem Domini, et visitem templum eius. Et Psalm. 25.: Odi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo. Psalm. 83.: Beati qui habitant in domo tua Domine. Psalm. 102.: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

9. Ut igitur adiungere se singuli ad veram Ecclesiam possint, signa discernentia eam a caeteris considerentur, quae sunt, vox Evangelii incorrupta, legitimus usus Sacramentorum, et obedientia populi erga ministerium Evangelii, de qua Paulus inquit: Non sint inter vos schismata.

10. Nec pendet Ecclesia a successione ordinaria Episcoporum, sed necesse est regulam teneri: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Cumque manifestum sit, Romanum Episcopum et Episcopos cum eo coniunctos pertinaciter propugnare idola et impiam doctrinam, et ad hanc pertinaciam addere saevitiam, necesse est ab eis dissentire et ostendere veram confessionem.

11. Nec similitudo rituum, qui ab hominibus instituti sunt, ad unitatem Ecclesiae necessaria est, iuxta dictum ad Colos.: Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut parte diei festi etc.

12. Haec tota doctrina de Ecclesia saepe cogitanda est, praesertim cum confessionem in symbolo coram Deo et coram Ecclesia recitamus: Credo esse sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem. Hic consolatio teneatur, quod certum est esse et servari Ecclesiam a filio Dei, et doctrina consideretur, quae sit Ecclesia, et circumspiciant mentes atque oculi ubi sit, ut te eam adiungas confessione et invocatione, sicut dicitur in Psalmo 149.: Laus eius in Ecclesia sanctorum.

Edidit Stenkefeldius scripta, in quibus atrocissime accusat et papisticos coetus, et Ecclesias nostras, et cum ipse velut tectus orci galea haec edat latitans, nullam monstrat Ecclesiam, et falsa dogmata comminiscitur. Cum autem alicubi homines pii turbentur eius praestigiis, necesse est confirmare pios in Ecclesiis recte institutis, et refutare eius errores.

14. Ut si quis reti ventos venari conetur, ita fit in refutandis Sophistis. Semper inveniunt,

qua evadant. Ideo difficilia nunc sunt certamina. Sed piae mentes sint dociles, et agnita veritate non faciant sibi nova vulnera, verum obtemperent Deo, et in vera laetitia et gratitudine eum celebrent, sicut scriptum est: Si non credetis, non eritis securi.

15. Cum toties vociferetur Stenkefeldius homines converti, renasci, consolatione erigi, sanctificari Deo agente in cordibus sine medio, nec ministerium Evangelii seu cogitationem scripti verbi medium esse, per quod agat Deus, miratus sum, cur sentiat traditam esse externam vocem, et tantis testimoniis institutum, confirmatum et mandatum esse ministerium Evangelii. Hic brevissime respondet, ideo externum ministerium institutum esse, ut homo exterior habeat occupationem aliquam, qua et haec pars Deo serviat, sicut abstinentia a suilla carne fuit tantum occupatio exterioris hominis. Hanc impiam et fanaticam imaginationem necesse est taxari et damnari, quia et multas falsas opiniones continet, et penitus abolet vera exercitia fidei et invocationis.

16. Prius autem adseverationem nostram perspicuis testimoniis confirmemus. Adfirmamus Deum trahere, convertere, regenerare, consolari, sanctificare homines per medium ab ipso traditum, scilicet per Evangelii vocem, auditam seu lectam et cogitatam. Et propter hanc tantam causam institutum est ministerium Evangelii, ut sit medium, quo Deus sit in nobis efficax. Et per Evangelii cognitionem Deus convertit homines et non aliter.

17. Testimonia haec sint in conspectu.

Rom. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et loqui Paulum de externa voce manifestum est ex cap. 10. ad Rom.: Quomodo credent, nisi audierint? Quomodo audient sine praedicante?

Rom. 15.: Ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Vult Paulus deduci corda ad hanc vocem in scripturis traditam. Hanc vult fide accipi, et ita nos acquiescere adsentientes huic voci, ac si audiremus novam de coelo vocem inter nova et illustria miracula. Haec exercitia fidei et invocationis pii intelligunt.

2. Corinth. 3.: Evangelium est ministerium spiritus, id est, per quod est efficax Deus. Iam si esset tantum occupatio externi hominis, ut Stenckfeldius inquit, non esset ministerium spiritus.

2. Corinth. 5.: Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo adhortante seu consolante per nos. Sicut et 1. Corinth. 3. dicitur: *θεοῦ γάρ ἐσμεν σύνεργοι.*

2. Corinth. 10.: Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destruendam omnem altitudinem, quae attollitur contra cognitionem Dei, et ad captivandas omnes cogitationes ad obedientiam Christi.

Iohan. 17.: Sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas.

Psalm. 118.: Haec est consolatio mea in adflictione mea, eloquium tuum vivificat me.

Psalm. 129.: Expectavit Dominum, expectavit anima mea, et in verbo eius speravi.

18. Sed respondet Stenckfeldius: Sanctifica verbo, scilicet ipso filio Dei. Neque nos sola humana cogitatione scripti verbi dicimus fieri vivificationem et sanctificationem, sed adfirmamus filium Dei *λόγον* efficacem esse cogitatione verbi scripti, et colligere aeternam Ecclesiam externo ministerio, et ostendere credentibus voluntatem aeterni patris, et per Spiritum sanctum accendere in eis laetitiam et invocationem, et alios motus congruentes cum Deo. Quare ad Eph. dicitur: mitti a filio doctores, ut aedificetur corpus Christi. Et eodem modo de filio et externo ministerio simul concionatur Salomon, inquiens de filio: Et fui cum eo artifex, et deliciae quotidianae ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrae suae, et delectationes meae cum filiis hominum. Ludit in orbe terrae, ostendens mirandam sapientiam Dei in ordine creationis, item in miranda gubernatione et liberationibus Ecclesiae, cum profert vocem promissionis ex sinu aeterni patris, et tradit eam primis parentibus, et retrahit eos ex morte, cum servat Ecclesiam in diluvio, in mari rubro etc. Hanc eandem sapientiam inquit Salomon clamare in portis et plateis. Ita significat regi Ecclesiam a filio Dei per ministerium Evangelium.

19. Expresse autem dicit Stenckefeldius pag. 111.: Fides iustificans non est ex concione, sed ex Deo; deinde citat dictum Cyrilli, Deum dare sese non per medium, ubi Cyrillus excludit media non ordinata a Deo. Sed vult Deus audiri et cogitari verbum scriptum, et in hac cogitatione dat sese credenti, sicut in veris consolationibus

res ipsa ostendit. Et dictum est: Fides ex auditu est etc. ac docendae sunt mentes, ut verbo scripto adsentiantur, nec sine verbo scripto quaerant alias illuminationes, ut Enthusiastae, et multi similes, et recens Anabaptistae somniarunt.

20. Multi sunt labyrinthi in Stenckefeldii scriptis, ait Deum se non dare per verbum, et tamen ait per ministros Evangelii dari Spiritum sanctum, si tamen ipsi habebant *Spiritum* sanctum. Et ait conciones aliorum, qui non sunt sancti, utiles esse. Haec donatistica etiam reiici necesse est.

21. Toties contendit naturam humanam in Christo non esse creaturam postea addit interpretationem, se loqui de glorificatione naturae. Nos dicimus naturam humanam non amissam esse glorificatione, quanquam accessit excellens et ineffabilis gloria, immortalitas, conspectus essentiae divinae et laetitia superans omnium beatorum dona, Impassibilitas, Regnum et Sacerdotium, quia haec persona, quae est Deus et homo, colligit Ecclesiam, defendit et servat, et pro ea semper intercedit, depellit Diabolos et iudicat mundum, neque tamen facienda est confusio naturarum, neque abiecto alterius naturae.

22. Recte docet Synodus Ephesina, una Latria invocari dominum nostrum Iesum Christum Deum et hominem, qui adsidue pro Ecclesia intercedit, et eam colligit, protegit, servat, et salvabit.

23. Reprehendit Stenkefeldius et hoc dictum in Ecclesiis nostris, quod impossibile sit homines in hac vita mortali, legi Dei satisfacere. Hoc dictum expresse traditum est Rom. 8. et in multis aliis sententiis, et notae sunt explicatissimae et planissimae distinctiones nostrae de lege. Non renati possunt aliquo modo externa legis opera facere. In renatis vero est inchoata obedientia etiam interior. Sed nequaquam est perfecta legis impletio. Ideo dicitur in Psalmo: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

24. Cumulat et alia falsa crimina multa, sed manifesta calumnia est, quod vociferatur, non doceri doctrinam de nova obedientia in nostris Ecclesiis. Dissentit autem de iustificatione, quia contendit homines iustos esse propter novam obedientiam, quae in eis inchoatur, cui tribuit etiam Osiander nomen iusticiae essentialis et alias enthusiasticas adpellationes.

25. Etsi autem illa fanatica grandiloquentia turbat multos, tamen sciamus talia semper fuisse et fore in Ecclesia certamina, et nos perspicuis testimoniis propheticis et apostolicis muniamus, sicut scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Deinde aspiciamus nos quoque, quid in vera invocatione et in consolatione fiat. Saepe iactitat Stenckfeldius suos Enthusiasmos. His opponamus veros dolores in conversione seu poenitentia, et veras consolationes, quae fiunt fide. Hi motus noti sunt omnibus piis, et concionari de eis vocem divinam manifestum est.

26. Nequaquam dicunt Ecclesiae nostrae iustos esse eos, qui securi et sine poenitentia vivunt, ebrii voluptatibus aut fascinati hypocrisi et erroribus, aut indulgentes cupiditatibus contra conscientiam. Sed adfirmamus in voce divina severissima praecipi conversionem seu poenitentiam, et scimus in conversione veros dolores esse oportere, ut in Ioël scriptum est: Scindite corda vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum. Item: Spiritus arguit mundum de peccato, quod non credunt in me. Horrendae tenebrae sunt in genere humano, retinere idola, aut epicureas opiniones, et non velle audire filium Dei etc. Esaiae ultimo: Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu et trementem sermones meos.

27. Tales in quibus sunt initia poenitentiae, iustificantur sola fide in Christum, id est, accipiunt remissionem peccatorum et reconciliationem seu imputationem iusticiae, et vivificantur per filium Dei, et donantur Spiritu sancto, et fiunt haeredes vitae aeternae gratis propter filium Dei, non propter propriam dignitatem.

28. Hac fide in mente agnoscente filium Dei misericordiam promissam propter ipsum accedit cor ad Deum, et acquiescit ac laetatur in Deo, sicut scriptum est Rom. cap. 5.: Iustificati fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem accessum habemus fide in gratiam hanc. Et Ephes. 3.: Per quem audemus accedere confidenter, per fidem eius. Idem prorsus docent Prophetae Psalmo 6.: Anima mea turbata est valde. Et tu Domine usquequo? Salvum me fac propter misericordiam tuam. Et Daniel inquit: Non in iusticia nostra, sed misericordia tua propter Dominum exaudi nos.

29. Haec fides accenditur audita voce Evangelii, cum qua filius Dei *λόγος* aeterni patris, ostendens voluntatem patris et colligens Ecclesiam, efficax est in corde, et dat Spiritum sanctum, qui laetitiam et invocationem in nobis exuscitat, ac fit regeneratio, sicut 1. Petri 1. dicitur: Regenerati per verbum vivum Dei et manens in seculum.

30. Sed tamen regeneratus est iustus, id est, habens remissionem peccatorum et placens Deo hac fide, quae statuit nos propter obedientiam mediatoris per misericordiam recipi et placere. Sic accedit ad Deum fide, intuens mediatorem, et eius obedientiam et intercessionem. Sic ad Deum accedunt Prophetae, ut David inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, sed beati quorum remissae sunt iniquitates. Hanc consolationem teneas inter tam varios opinionum tumultus. Non errabis, cum sic invocabis Deum, sicut invocant Prophetae.

31. Et quanquam sunt accensi novi motus in corde, tamen in infinitum anteferenda est obedientia mediatoris sanctificationi, quae fit in nobis. In hac consolatione deducit nos Paulus ad obedientiam mediatoris, et intercessionem: quis est qui condemnet? cum Christus mortuus sit, et sit in dextra Dei, et intercedat pro nobis. Et certe semper primum petenda est remissio peccatorum et reconciliatio. Haec vera, certa et perspicua sunt, iuxta testimonia in scriptis propheticis et apostolicis, et iuxta exercitia omnium piorum in Ecclesia.

32. Has veras et salutares consolationes non sinant sibi excuti homines pii ullis sophismatum praestigiis, nec contemnant ministerium Evangelii, nec abduci se ab Ecclesiis recte docentibus sinant per homines *τετυφωμένους*, et errones, qui splendidis verbis iactitant religiones Angelorum, et neque corpus doctrinae integrum tradunt, neque quid sentiant audent exponere. Sed tantum aliorum dicta reprehendunt, neque prodeunt ipsi ex latebris, neque suam Ecclesiam ostendunt, et sciunt plausibilem esse vituperationem Ecclesiarum nostrarum apud multos, qui volunt esse Pyrrhonii, et non curant dictum ad Ebraeos 10.: Non deserentes congregationem nostram.

33. Taxat Stenkefeldius etiam quaedam horridiora dicta de stoica necessitate, quae non sunt in confessione communi harum Ecclesiarum, sed alibi in privatis scriptis sparsa sunt, de quibus breviter respondemus, nos doctrinam, quae in communi confessione harum Ecclesiarum extat, amplecti reverenter profiteri, nos esse, et Deo iuvante mansuros esse cives harum Ecclesiarum iuxta communem confessionem earum quae extat, nec disputare nos iam de privatis scriptis, quanquam non facit candide Stenkefeldius, quod eo etiam criminatur, quos scit illa Stoica fideliter refutasse.

34. Necessaria diligentia est considerare, qui sint hostes verae Ecclesiae, et munire pios contra corruptelas, sicut scriptum est: Cavete a Pseudoprophetis. Papistae stabiliunt sua idola, Missam in quaestum collatam invocationes mortuorum, monachorum hypocrisin et multas falsas opiniones, de peccato, de iusticia, de Ecclesia, de cultibus humana autoritate institutis Anabaptistae vagantur spreto ministerio, et circumferunt magnum Chaos fanaticarum opinionum, et damnant totum politicum ordinem, nunc et Samosateni furor renovatur scriptis Serveti, recens iterum editis et auctis, in quibus cum alia falsa dogmata traduntur, tum vero maxima contentione oppugnatur doctrina symboli Niceni de filio Dei et de Spiritu sancto. Saepe vociferatur Servetus nos Latinam vocem personae acute intelligere, dici tres personas, ut in scena, quia unus et idem qui nominatur pater alias aliter se ostenderit.

35. Sed nos, ut et confessio harum Ecclesiarum pie adfirmat, symbola, Apostolicum, Nicenum, et Athanasianum constanter retinemus, et congruere ea cum scriptis propheticis et apostolicis non dubitamus.

36. In dicto Ioh.: *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος,* adfirmamus *λόγον* intelligendum esse filium, qui est integra et coaeterna imago aeterni patris *ὑφιστάμενος, καὶ ὁμοούσιος τῷ ἀϊδίῳ πατρὶ,* qui quidem semper adfuit Ecclesiae, ut et Irenaeus loquitur.

37. Et ipse inquit: Antequam Abraham natus est, ego sum, Et de hoc filio iudico loqui senem Iacob cap. 48. Genes. cum ait: Deus coram quo ambulaverunt patres mei, Abraham et Isaac. Deus qui pascit me ab adolescentia usque ad hunc diem, Angelus qui eripuit me ex omnibus malis. Sic et in Michea dicitur: Egressiones eius ante dies mundi.

38. Est autem integra et substantialis imago patris *καὶ ὑφισταμένη*, et *λόγον* ideo dici scripserunt veteres, quia cogitatione nascitur. Sed recte sic dicitur, quia nobis sic patefactus est, quod per eum dictum est decretum de ordine creationis et reparationis humani generis, et quod profert ex arcano sinu aeterni patris Evangelii vocem alloquens primos parentes, et dinceps Prophetas, et colligit Ecclesiam aeternam, et est efficax per ministerium Evangelii.

39. Ecclesia Latina aliter usa est nomine personae quam vetus lingua, graecis vocabulum *ὑφιστάμενος* magis proprium et perspicuum est. Et definitio tradita est a scriptoribus in Ecclesia, persona est subsistens individuum intelligens, incommunicabile, non sustentatum in alio.

40. Tanta cum sint certamina, óro ipsum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, ut nos gubernet, et copulet mentes et corda plurimorum in nostris Ecclesiis, ut unum simus in ipso, et sicut in Daniele scriptum est, in tantis praeliis stet pro filiis populi sui et adiuvet nos, nec sinat extingui lucem veritatis.

41. Nihil haec curae sunt Papistis, qui sua idola propugnant, docent invocationem creaturarum absentium, quae horribiliter obscurat invocationem filii Dei.

42. Et colunt Maozim auro et argento. Nervus est enim potentiae et opum pontificiarum opinio, quod missa mereatur remissionem peccatorum, et omnia bona iis pro quibus fit. Cum autem multiplex sit idolorum cultus, in missa papistica, necesse est obedire huic dicto: Fugite idola. Nec ullus ritus habet rationem Sacramenti, ut in Ecclesia loquimur, nisi in ipso usu, qui divinitus institutus est.

43. Discamus doctrinam de vera invocatione, et tueamur verae Ecclesiae societatem et coniunctionem, etiamsi est aliqua membrorum dissimilitudo, quae tamen de fundamento vere consentiunt, et simus vigilantes in vitandis idolis et fanaticis opinionibus. Semper Ecclesiam praecipue duo genera hostium exercuerunt. Ab una parte Pharisaei sequentes rationis humanae imaginationes. Ab altera autem parte fanatici homines qui et enthusiasmos iactitarunt, quales ipsi audivimus aliquot Anabaptistas gloriari, quorum vanitatem postea tristissimi eventus ostenderunt.

44. Omnes pii suam invocationem cogitatione discernere debent ab ethnica et omnium aliarum sectarum invocatione. Necesse est igitur intueri Deum patefactum illustribus testimoniis in Ecclesia, et cogitare editas promissiones, sicut Iacob precatur: Deus patrum meorum Abraham et Isaac, id est, qui te patefecisti illustribus testimoniis meis patribus et tradidisti eis hanc promissionem. Et postea dicit Ecclesia, Deus pater Domini nostri Iesu Christi, et cogitationem promissionis adfert ad Deum: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Ita et in invocatione mens cogitans quem Deum, ubi patefactum, et distinctum a commentitiis numinibus invocet, intuetur scripta prophetica, et simul promissionem cogitat, ut fides accendatur. Haec exercitia invocationis norunt omnes pii.

45. Quare nemo sinat se abduci a cogitatione scripti verbi et a ministerio Evangelii propter grandiloquentiam Stenkefeldianam, sed Pauli vocem audiamus, qui ait: Sermo Dei habitet in vobis abunde in omni sapientia, et docete et commonefacite vos mutuo. Ubi loqui eum de externa doctrina testantur haec verba, quod iubet et alii alios doceant, item postea mentionem facit Psalmorum. Simul autem sciamus verissimum esse, ubi vox Evangelii fide accipitur, ibi vere filius Dei *λόγος* in corde est efficax, ostendit patris voluntatem, et dat Spiritum sanctum, qui in corde laetitiam et invocationem accendit. Haec in quotidiana invocatione et consolatione discuntur, unde et verae Ecclesiae testimonia adversos homines fanaticos sumi possunt. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut sicut in agone precatus est: Pater, dilige eos ea dilectione qua me diligis, ita pro nobis quoque semper precetur, et nos doceat et gubernet, Amen.

Ex secunda oratione Nazianzeni de filio Dei.

Ἀλλὰ ἐπὶ τὰς τοῦ υἱοῦ κλήσεις ἔλθωμεν δοκεῖ γάρ μοι λέγεσθαι, υἱὸς μὲν, ὅτι τῷ πατρὶ κατ᾽ οὐσίαν μὲν, ὁμοούσιος ἐστὶ, λόγος δὲ ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς νοῦν λόγος διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, καὶ ἐξαγγελτικὸν, δύναμις δὲ ὡς συντηρκτικὸς τῶν γενομένων, καὶ τὴν τοῦ συνέχεσθαι ταῦτα χορηγῶν δύναμιν.

(LXVI.) *Propositiones de quibus responderunt Magister Georgius Aemylius Mansfeldensis et Simon Musaeus, et M. Petrus Praetorius Cotbusianus. Anno 1554. die quinto Maii, quo ante annos 1520 filius Dei admirando triumpho spectante magno coetu Apostolorum et Discipulorum in coelum ascendit.*

In omni vera invocatione Dei cogitandum est quid alloquamur, et quem Deum, ubi patefactum invocemus, et qualis sit, an et quare exaudiat, et segreganda est invocatio nostra in Ecclesia ab ethnica et ab aliis, et cogitatione discernenda est vera Ecclesia ab aliis sectis. Quare et gratis mentibus intuendae sunt patefactiones divinae, et hic verus Deus invocandus est, qui se patefecit misso filio, et edita lege, et edito Evangelio, sicut inquit Dominus: Quidquid petetis patrem in nomine meo, dabit vobis. Item: Nemo venit ad patrem, nisi per filium etc.

2. Hic cum discernantur personae, necesse est intelligi, et quid sit hoc loco Persona, et quare tres nec plures, nec pauciores agnoscendae sint. Ut igitur in Ecclesia loquimur, Persona est substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alio. Graeci magis perspicue dixerunt hypostasin, seu ὑφιστάμενον. Nam hoc queritur: An λόγος ante nativitatem ex virgine sit imago aeterni patris ὑφισταμένη, aut evanescens cogitatio, seu vox, aut propositum, non vivum, non intelligens? Item: An πνεῦμα sit ipse pater movens, seu motus creatus, aut an sit agitatio, seu flamma ὑφισταμένη, viva et intelligens?

3. Talis est autem essentia divina, sapiens, et volens talia, qualia praecipit in lege, et misericors, sicut se in Evangelio patefecit. Et sciamus essentiam divinam distinguendam esse ab omnibus creaturis, et repudiandas esse philosophicas imaginationes, quae fingunt Deum esse ἐνδελέχειαν infusam omnibus creaturis, ita, ut sine his non possit esse. Sed adest creaturis liberrime, sicut vult, et quatenus vult, ac pia cogitatione discernamus Deum ab omnibus malis et immundis naturis, id est, quarum voluntas non congruit cum ordine, qui in lege proponitur.

4. Et mens alloquens Deum conditorem, cogitet aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, patefactum voce sua, ut in baptismo Christi et alibi, et cogitet ipsum Filium, imaginem καὶ λόγον aeterni patris, patefactum in promissionibus, et in adsumta humana natura et miraculis, et Spiritum sanctum patefactum in Pentecoste et alibi. Deinde sciat λόγον esse personam missam ad Ecclesiam ab initio, et protulisse Evangelium ex sinu aeterni patris, et semper adfuisse Ecclesiae pro ea deprecatum esse, et adsumta humana natura, placasse iram aeterni patris, et propter hunc mediatorem Deum et hominem, nos certo accipere remissionem peccatorum, et reconciliationem et exaudiri, ac nunc quoque sacerdotum esse hunc filium conservantem ministerium Evangelii, et colligentem ac servantem Ecclesiam sua potentia, et interpellantem pro nobis, et voce Evangelii dicere eam consolationem et monstrare patrem, et per eum dari Spiritum sanctum in corda, qui laetitiam et invocationem exuscitat, ut Paulus inquit: Misit Deus Spiritum filii sui in corda.

5. Haec invocatio fuit nota Patribus, ut scriptum est: Abraham vidit diem meum, et laetatus est. Intelligebant enim traditam promissionem de gratia et de bonis aeternis.

6. Quare Latomus Lovaniensis impie scripsit, non aliam fuisse noticiam Dei in Abraham, quam qualis fuit in Xenophonte et Cicerone. Talis confusio Ecclesiae et Ethnicorum execranda est.

7. Execranda est etiam confusio, quam Thammerus facit, qui semper ait, notum fuisse omnibus gentibus Christum, quia lex nota fuit. Et his praestigiis suam impietatem confirmare conatur. Cum Paulus ad Romanos dicat: Potentiam Dei notam fuisse gentibus, Christus autem nominetur potentia Dei ad Corinthios, sequi Christum notum fuisse. In hoc argumento non videt Paulum ad Romanos loqui de potentia ostensa in opificio creationis. Ad Corinthios vero nominatur Christus, Potentia non solius creationis, sed reparationis et salvationis hominum.

8. Execranda est et Samosateni et Serveti impietas, similis Mahometicae, qui negant in hoc dicto: ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, oportere intelligi, τὸν λόγον personam esse seu ὑφιστάμενον. Damnandus est et Arius, qui negat filium esse ὁμοούσιον patri.

Sint igitur nota discrimina personarum, et in invocatione cogitentur. Pater aeternus est prima persona divinitatis, neque nata aliunde, neque aliunde procedens, neque creata, sed quae ab aeterno filium genuit, imaginem suam, et una

cum filio et Spiritu sancto condidit omnes creaturas, et conservat earum substantias.

9. Filius aeternus est secunda persona divinitatis, non creata ex nihilo, sed a patre ab aeterno genita, de ipsius substantia, et est substantialis et integra imago aeterni patris, *ὁμοούσιος* patri, quam pater sese intuens et considerans gignit, quae nobis sic manifestata est, quod sit *λόγος*, ac persona, per quam pater dicit decretum, et totum ordinem creationis et reparationis hominum, et quod hic filius missus immediate patefecerit Evangelium, et adsumserit humanam naturam, et sit mediator, redemtor et salvator, colligens Ecclesiam in genere humano, et resuscitans eam ad vitam aeternam.

10. Spiritus sanctus est persona tertia divinitatis, procedens ab aeterno patre et filio, et *ὁμοούσιος* eis, et est amor et laeticia substantialis, et mittitur voce Evangelii in corda credentium, ut adsensionem in eis confirmet et accendat motus congruentes Deo, et excitet invocationem et laeticiam in Deo acquiescentem.

11. Filius nominatur *λόγος* non tantum respectu patris, quia cogitatione nascitur, sed etiam ideo, quia nobiscum loquitur, profert arcanum et admirandum decretum de nostra salute ex sinu aeterni patris, sustentat ministerium Evangelii, et ei adest, est efficax per vocem Evangelii, monstrat in cordibus aeternum patrem, sicut inquit: Nemo novit patrem nisi filius, et cui volet filius revelare. Et per eum datur Spiritus sanctus, ac recte dictum est ab Athanasio: In quocunque homine dicitur esse Spiritus sanctus, in eo est per verbum. Laetari in Deo, et in eo acquiescere, et eum invocare, motus sunt quos antecedit vera Dei noticia, et agnitio misericordiae per filium ostensa.

12. Nec potest fieri vera invocatio, nisi beneficia mediatoris nota sint, et fide, id est, fiducia mediatoris corda ad Deum accedant, sicut scriptum est: Quomodo invocabunt, nisi credent? Et Ephesios 3.: Per quem audemus accedere in fiducia, quae est per fidem in ipsum.

13. Necesse est igitur scire discrimen legis et Evangelii, in quo admirandum decretum de remissione peccatorum, de restitutione naturae humanae, et de iusticia aeterna patefecit per filium, qui missus est, et ut sit Angelus huius magni consilii, et ut sit mediator, redemtor et salvator, merito et efficacia, quem utinam recte agnoscamus, et laeti in tota aeternitate celebremus.

14. Cum de lege cogitamus, valde impediuntur omnes homines puerilibus imaginationibus in hac nostra infirmitate, ut magnitudinem et amplitudinem huius divinae sapientiae non satis consideremus, sed quasi Solonis aut Decemvirales tabulas aspicientes, existimemus legem Dei, tantum huius politicae consuetudinis carcerem et mutabile vinculum esse. Hanc nostram caliginem taxat Paulus, inquiens: Lex spiritualis est, Ego autem carnalis sum venundatus sub peccatum, id est: Lex non est tantum politicum frenum, sed est aeterna et immota sapientia in Deo, et norma iusticiae in voluntate Dei, discernens bona et mala, quae est patefacta rationali creaturae in creatione, et postea saepe repetita et sancita voce divina in Ecclesia, ostendens quod sit Deus, et qualis sit, et quod sit iudex, obligans omnes rationales creaturas, ut sint conformes illi normae Dei, et damnans omnes ac denuncians horribilem destructionem omnibus, quae non congruunt ad illam normam, nisi sit facta reconciliatio propter Mediatorem, quae alibi in promissionibus revelata est, non est noticia nascens nobiscum.

15. Etsi non satis est legem in Ecclesia docere, tamen semper vult Deus et vocem legis moralis in Ecclesia sonare, et semper retinuit eam in vera Ecclesia, et illustre testimonium et demonstratio est, ostendens, qui coetus sit populus Dei. Cum enim Ethnici, Mahometistae et Papistae leges aliquas habeant contrarias Decalogo, impossibile est eos esse Ecclesiam Dei. Ut enim Ethnici finxerunt nova numina, sic Papistae iubent invocare homines mortuos, instituerunt falsa sacrificia et falsas adorationes. Item, legem habent de coelibatu sacerdotum, contrariam divinae. Item, prorsus delent praeceptum de concupiscentia sicut Pharisaei.

16. Hoc testimonium de Ecclesia gratum est piis mentibus, et magnum Ecclesiae decus est, quod in solo eo coetu semper mansit lex Dei incorrupta.

17. Per legem agnitio est peccati. Necesse est igitur legem in Ecclesia sonare, ut semper intelligant homines ordinem et discrimen inter recta placentia Deo, et non recta, quibus vere et horribiliter irascitur Deus, et expavescant agnitione peccatorum. Et hac ipsa noticia legis utitur Deus

tanquam fulmine, cum corda iudicat, ut scriptum est: Aculeus mortis peccatum est. Potentia vero peccati lex est. Item: Sicut leo contrivit omnia ossa mea.

18. Sed non satis est in Ecclesia legem docere, qua Deus omnium peccata iudicat, etiam illorum, qui sunt extra Ecclesiam. Verum necesse est agnosci filium Dei mediatorem et eius beneficia, sicut pater coelestis clamat: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Et in Psalm. dicit: Osculamini filium. Et in Esaia scriptum est: Noticia servi mei, iusti, iustificabit multos. Colligitur ergo Ecclesia Dei, ministerio Evangelii, in quo et arguitur peccatum, et monstratur filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, immensa misericordia missus, ut propter eum et per eum gratis reddantur nobis iusticia et vita aeterna.

19. Est igitur Evangelium, praedicatio poenitentiae, et promissio, quam ratio non tenet naturaliter, sed revelata divinitus, in qua Deus adfirmat se propter filium mediatorem, Dominum nostrum Iesum Christum, gratis, non propter ulla nostra opera, aut virtutes nostras remittere peccata, et imputare iusticiam credentibus in filium, ac simul vivificare nos per filium, et sanctificare dato Spiritu sancto, et facere nos haeredes vitae aeternae. Haec bona omnia complexus est Paulus, cum inquit: Gratia Dei et donum per gratiam unius hominis Iesu Christi in multos exuberavit.

20. Mirando consilio decretum est, ut hic mediator sit Deus et homo, et causas in tota aeternitate considerabimus. Inchoari tamen hanc sapientiam vult Deus in hac vita, vult nos cogitare non frustra hoc foedus cum natura humana factum esse, vult gratos celebrare hunc summum amorem erga nos. Cum diabolus horribili odio Dei avulsisset genus humanum a Deo, et vicisset homines, rursus hoc modo redditur Deo genus humanum facto decreto, ut filius adsumeret massam naturae humanae. Et rursus per hominem vincitur potentia diaboli, sicut statim in prima promissione dictum est: Semen mulieris conteret caput serpentis.

21. Nec adest naturae humanae *λόγος* quam adsumsit, tantum societate, sicut adest Abrahae, Iacob, Prophetis, sicut Nestoriani fingebant: sed unio est hypostatica *τοῦ λόγου* et humanae naturae assumtae, ut gestetur humana natura a verbo non solum inseparabiliter, sed ita etiam, ut nisi sic sustentaretur, illa massa prorsus interiret. Non enim esset unum *ὑφιστάμενον*, nisi sic gestaretur haec massa.

22. Etsi exemplum prorsus simile monstrari non potest, tamen vetustas usa est hac similitudine. Esse unum *ὑφιστάμενον*, *τὸν λόγον* et adsumtam naturam humanam, sicut homo est unum *ὑφιστάμενον*, habens animam et corpus. Hac similitudine usi sunt Athanasius, Cyrillus, et Iustinus qui tamen addit correctionem: *τινὲς μὲν τὴν ἕνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν. καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατά τι γοῦν.*

23. Causae autem cogitentur huius mirandi consilii. Nisi decretum fuisset, ut massa ex genere humano adsumeretur, et sic rursus vivificaretur per verbum, quo conditum erat, prorsus fuisset extinctum genus humanum, et reliquum mundi opificium frustra conditum esset. Ita propter hanc massam adsumendam servatur natura.

Cumque immensa misericordia deprecante filio servaretur genus humanum, et Deus tamen vellet iusticiae suae satisfieri, congruebat poenam persolvi per aliquem in genere humano, ac ut aequivalens precium esset, in hanc personam poena derivata est. Nec potuisset iram Dei sustinere sola creatura, nec vincere mortem, et restituere iusticiam et vitam. Ideo hic redemtor et salvator, Deus et homo est. Et congruit hunc esse mediatorem et deprecatorem, qui videt pectus patris et corda invocantium. Item naturae omnipotentis est, assidue adesse Ecclesiae et eam protegere. Et cum verbo condita sit natura, quod est imago aeterni patris, rursus per verbum vivificatur, et restituitur in nobis imago Dei. Haec cum reverenter cogitantur, accendunt gratitudinem et invocationem.

24. Considerata doctrina de persona mediatoris, beneficia etiam scire necesse est. Grati agnoscamus et celebremus hoc ingens beneficium Dei, quod vult Ecclesiam colligi ministerio Evangelii, scilicet voce Evangelii audita, seu lecta et cogitata, quia expresse scriptum est: Quomodo audient sine praedicante? Item: Quam speciosi sunt pedes Evangelizantium pacem? Id autem ministerium immediate inchoavit filius Dei *λόγος*, proferens Evangelium ex sinu aeterni patris, et ut tunc simul et foris sonabat vocem, et corda perterrefacta vivificabat monstrans voluntatem aeterni patris, et Spiritus sanctus accendebat lae-

titiam et invocationem, ita et deinceps servat Ecclesiam, adest ei, et est efficax voce Evangelii. Execrandus est autem error Stenckefeldii, qui abducit homines ab externa voce, et contendit, Deum sine externa voce sanctificare homines.

25. Dominus iubet praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine suo. Cum igitur corda perterrefacta praedicatione poenitentiae, audiunt promissionem, et ei vere credunt, hac fide gratis propter filium Dei mediatorem iustificantur, id est, accipiunt remissionem peccatorum, et imputationem iusticiae ac reconciliationem, et vivificantur per filium Dei, qui et voce Evangelii dicit in cordibus credentium consolationem, et effundit in ea Spiritum sanctum, et facit eos haeredes vitae aeternae.

26. Papistae corrumpunt doctrinam Pauli, cum ait: Fide iustificamur, quia dicunt synecdochen esse, et interpretantur, fide praeparamur ad iusticiam: Et iusti sumus, id est, accepti Deo propter noticiam historiae et dilectionem et alias virtutes.

27. Addunt et hoc, hominem semper debere dubitare, an sit in gratia, et hanc dubitationem non esse peccatum.

28. Haec impia deliramenta sunt execranda. Ac sciendum est fidem non tantum esse noticiam historiae, cum Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus.

29. Sed fides, de qua Paulus loquitur, est adsentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni gratiae, et est fiducia acquiescens in Deo propter mediatorem, et clamans Abba pater.

30. Ait et Osiander fidem esse praeparationem ad iusticiam, quia fide accipitur divinitas, quae postea movet ad iusta facienda. Ita re ipsa hoc dicit, hominem novitate iustum esse, scilicet quia divinitas in eo novas actiones efficit. Non enim iam alia absurdiora recitamus, quae scribit.

31. Ecclesiae nostrae cum Prophetis et Apostolis dicunt, non esse hominem iustum, id est, habentem remissionem, et acceptum Deo ad vitam aeternam propter propriam dilectionem, aut propter novitatem propriam, quia scriptum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Iob 9.: Vere scio, quod homo non est iustus coram Deo.

32. Sed quanquam in renatis habitat divinitas, tamen semper oportet nos retinere hanc consolationem, quod propter obedientiam mediatoris simus iusti, id est, habentes remissionem et imputationem iusticiae, fide, id est, fiducia misericordiae promissae propter filium, gratis, sicut Paulus inquit: Iustificati sanguine ipsius. Item: Per obedientiam unius iusti constituentur multi.

33. Aeternus pater per filium voce Evangelii consolantem corda dat Spiritum sanctum. Ita vere habitat divinitas in credentibus, et accendit novas actiones. Et tamen his actionibus in infinitum anteferenda est obedientia et intercessio filii Dei. Hanc semper immediate intuetur fides, et agnoscit mediatorem esse umbraculum et intercessorem inter patrem et nos, et accipit remissionem peccatorum et imputationem iusticiae. Vera est igitur propositio: Propter obedientiam filii Dei, sola fide sumus iusti, id est, habentes remissionem peccatorum et imputationem iusticiae et vivificationem, sicut scriptum est: Iustus fide sua vivet.

34. In hac ipsa consolatione cum erigimur, filius Dei vere est efficax in credente, et liberat eum a doloribus inferorum, sicut inquit: O mors, ero mors tua, o inferne, ero pestis tua. Et sanctificatio inchoatur, qua imago Dei in credentibus renovatur, et adsimilatio sit ad filium, ut congruant mens et voluntas accensa Spiritu sancto ad verbum et filium Dei.

35. Manet ordo in tota aeternitate, ut creatura Deo obediat, ideoque filius Dei missus est, ut obedientia in nobis restituatur, non ut confirmetur peccatum. Non ideo filius Dei sudavit sanguinem, et crucifixus est, ut horrendis furoribus licentia concedatur. Sed ut Ecclesia colligatur in genere humano, cui Deus suam sapientiam, iusticiam et laetitiam in tota aeternitate vult communicare, in qua erit Deus omnia in omnibus. Cum igitur dicitur: Non estis sub lege, id solis conversis ad Deum et fide liberatis a condemnatione dicitur. Nec deletur lex ipsa, quae est aeterna sapientia Dei, sed sub lege esse, est condemnatum esse lege.

36. Et tamen cum semper in hac vita reliquum sit peccatum in renatis, fide sunt iusti et liberati a lege, id est, a condemnatione et doloribus inferorum, propter mediatoris obedientiam. Hac fide accedunt Prophetae ad Deum, sicut inquit Daniel: Non in iusticia nostra, sed misericordia tua, propter Dominum exaudi nos. Et in hoc ipso Pauli dicto, Estis sub gratia, idem signi-

ficatur, sic ad Deum accedendum esse, agnitione gratiae, id est, gratuitae misericordiae certo donatae propter mediatoris obedientiam et intercessionem. Haec vera consolatio semper praeluceat invocationi, nec obruatur impia doctrina Papistarum et concilii Tridentini, quae iubet conversos dubitare, an sint in gratia, nec obscuretur Enthusiastarum et Anabaptistarum praestigiis, qui iubent te aspicere novitatem, et abducunt mentes a conspectu mediatoris.

37. Manifestum est, cum Paulus ait: iustificamur fide, in verbo iustificationis eum comprehendere hanc relationem, accipere remissionem et reconciliationem. Deinde quae obedientia, et quomodo placeat, et nominetur iustitia et sanctitas, suo loco dicitur.

38. Ipsa symboli recitatio: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam, testatur praeceptum Dei esse, ut quaeramus, quae et ubi sit vera Dei Ecclesia, et ut singuli se ad eam adiungant fide, invocatione, confessione et dilectione, iuxta haec dicta, Psalm. 25.: Odi Ecclesiam malignantium, circumdabo altare tuum Domine. Et Psalm. 26.: Unum petii a Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Psal. 83.: Beati qui habitant in domo tua Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Psal. 121.: Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem.

39. Est autem vera Ecclesia visibilis in hac vita, coetus amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, recte utentium Sacramentis, in quo filius Dei per ministerium Evangelii est efficax et multos regenerat, et facit haeredes vitae aeternae. Et sunt in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

40. Non loquimur de Ecclesia, ut de idea Platonica, sed monstramus eam, quae et ubi sit, et signa non fallacia ostendimus, ut discerni vera Ecclesia ab aliis congregationibus possit, quae sunt hostes verae doctrinae. Recens Bavarici Episcopi, et alii alibi leges sanguine scriptas ediderunt, in quibus praecipiunt impios cultus et impia onera. Talium legum autores ac propugnatores nequaquam sunt membra verae Ecclesiae Dei. Tenenda est enim regula: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

41. Manifestum est autem papisticos defendere multos tetros errores. Non recte docent de peccato, et de iustificatione, et de fide, confirmant impium dogma de dubitatione. Non recte docent, quae opera sint cultus Dei, et quomodo placeant Deo: fingunt homines posse instituere cultus Dei, et eos cultus necessario servandos esse: corrumpunt totam doctrinam de poenitentia, dicunt contritionem oportere sufficientem esse, et mereri remissionem: dicunt necessariam esse enumerationem omnium delictorum in petenda absolutione: fingunt satisfactiones canonicas, et aiunt esse compensationes poenarum purgatorii: defendunt invocationes hominum mortuorum, praecipiunt adorationem falsam signorum, cum nihil habeat rationem Sacramenti extra usum institutum divinitus, horribili prophanatione coenam Domini conferunt in quaestum, et prorsus ethnico more fingunt sacrificulos mereri facienti et aliis, et quidem ex opere operato sine bono motu utentis etc. Prohibent coniugium iis qui sunt idonei ad coelibatum. Pingunt Ecclesiam velut regnum, in quo dominari dicunt Romanum Episcopum, et habere autoritatem instituendi cultus et transferendi imperia politica.

42. De his tantis rebus cum papistici Episcopi defendant impios et perniciosos errores, non sunt Ecclesia Dei, et regula tenenda est: Fugite idola.

43. Servat autem filius Dei semper aliquos qui retinent fudamentum, nec probant errores pugnantes cum articulis fidei, et admoniti non defendunt idola, quanquam in hac infirmitate alias plus, alias minus lucis est. Et immensa bonitate filius Dei subinde tenebris depulsis reddit doctrinae lucem, sicut Psalm. 15. dicitur: Tu sustentas haereditatem meam. Funes ceciderunt mihi in praeclaris. Haereditas mea praeclara est mihi. Simus igitur cives huius verae Ecclesiae. In hac cum sit ministerium Evangelii, certissimum est eam et mandatum habere vocandi et ordinandi ministros Evangelii, sicut Paulus Tito praecipit, ut ministros constituat. Et usitatum fuit in Ecclesia veteri eligere ministros Evangelii *χειροτονεῖν πάσης συμψήφου ἐκκλησίας*, quod non de hostibus Evangelii, sed de verae Ecclesiae suffragiis intelligi necesse est. Quare non terreamur clamoribus illorum, qui ritum ordinationis ministrorum Evangelii ad hostes verae Ecclesiae retrahere conantur.

44. Et in ritu ordinationis, quo nunc papistici Episcopi utuntur, adduntur impia et tyrannica vincula, petitur verae doctrinae improbatio,

et promissio coelibatus, et iubentur ordinati sacrificare pro vivis et mortuis. Ac nemo mediocriter institutus in Ecclesia non intelligit quantum mali sit in his vinculis. Propter has etiam manifestas et gravissimas causas fugiendus est hic ritus Episcoporum.

45. Graeca Ecclesia vetus totam administrationem coenae Domini nominat *λειτουργίαν*, quod non significat sacrificium, sed publicum ministerium, et apte congruit ad totam actionem. Vult Deus immensa bonitate filium exaudiri et agnosci in toto genere humano. Ideo vult nostros congressus non esse similes Eleusiniis, sed vult honestam et publicam congregationem fieri, ut late doctrina propagari possit, vult conspici honesta exempla in ordine congressuum, vult audiri et iudicari doctores. Ac servat Deus aliquas politias, ut congregationes honestae fieri possint. Vult autem horum congressuum nervum esse coenam Domini. Fiunt ergo haec ministeria, docet Pastor Evangelium, hortatur omnes ad precationem et ad gratiarum actionem, et simul cum populo dicit precationem et agit gratias, deinde piis exhibet corpus et sanguinem Christi. Haec omnia vetustas nominavit *λειτουργίαν*. Et accessit collatio eleemosynae ad iuvandos pauperes.

46. Papistae mutato veteri more, dicunt sacrificulum offerre pro vivis et mortuis, et hac oblatione mereri facienti et aliis, et prorsus ethnico more addiderunt, mereri eum, ex opere operato, ut loquuntur, sine bono motu utentis. Haec idolatrica execranda sunt.

47. Nunc astute aliqui haec portenta tegunt, et ut rem et consuetudinem retineant, novis fucis pingunt morem, dicunt sacrificulum non mereri, sed adplicare Ecclesiae beneficia Christi.

48. Nos dicimus, in novo Testamento nullam fieri adplicationem alieno opere, sed proprio usu Sacramenti et fide, quia scriptum est: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate.

49. Et recte dicimus, Sacramentum esse adplicationem generalis promissionis ad singulos, qui fide utuntur. Accedens igitur consolationem quaeras, et credas te hoc pignore confirmari, quod vere sis membrum Christi, et quod pro te quoque Christus fuderit sanguinem. Postea accedunt et hi usus, quod sumtio est testimonium de confessione doctrinae, ostendit quam Ecclesiam probes, obligat etiam omnes ad mutuam dilectionem, et quasi foedus est, quo paciscuntur omnes, se pacem et concordiam Ecclesiae non turbaturos esse.

Ex Gregorio Nazianzeno de appellationibus filii Dei.

Δοκεῖ γάρ μοι λέγεσθαι υἱὸς μὲν, ὅτι ταυτόν ἐστι τῷ πατρὶ κατὰ οὐσίαν, λόγος δὲ ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς νοῦν λόγος, οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς καὶ τὸ ἐξαγγελτικὸν, δύναμις δὲ ὡς συντηρητικῶς τῶν γενομένων, ἀλήθεια δὲ ὡς καθαρὰ τοῦ πατρὸς σφραγὶς καὶ χαρακτὴρ, φῶς δὲ ὡς λαμπρότης ψυχῶν, καὶ γνῶσις.

(LXVII.) *Propositiones de discrimine verae Ecclesiae Dei et aliorum hominum, quibus disputavit M. Paulus de Eizen Hamburgensis, Superintendens Ecclesiae Dei in inclyta urbe Saxoniae Hamburga. Anno 1556. Die Maii 18.*

Quanquam demonstrationes sunt natura notae, quae testantur esse Deum, et docent qualis sit, tamen assensio languefit, et multi et assidui sunt aestus et Euripi dubitationum, et quia in mentibus caligo est, et quia magna est impiorum multitudo, et magis floret. Contra vero Ecclesia coetus est exiguus, miser, spretus, sine imperio, sine humanis praesidiis, aeger, dissipatus, exulans in mundo, et qui saevitia tyrannorum et fanaticorum furoribus assidue laceratur.

2. Haec tristia spectacula cum intuentur infirmae mentes, cohorrescunt et disputant, An hic miser coetus sit Ecclesia Dei: sed confirmandae sunt testimoniis et patefactionibus divinis.

3. Esse aliquam Dei Ecclesiam in genere humano manifestum est ex patefactionibus divinis, quibus Deus addidit testimonia, resuscitationem mortuorum, et alia miracula. Ipsa etiam magnitudo calamitatum humanarum et lex, ostendunt genus humanum non tantum ad huius vitae aerumnas conditum esse, quia et fieri aliquando legem oportet, et finem esse calamitatum, cum fiet lex. Non enim frustra lex et insita est mentibus, et repetita voce divina.

4. Quae et qualis sit Ecclesia Dei ostendunt etiam illae ipsae patefactiones. Nam ille coetus est Ecclesia, in quo Deus se patefecit in membris

certis, et qui vocem doctrinae Dei incorruptam et integram legem et promissionem de mediatore amplectitur. Et talis est Ecclesia, qualia sunt illa membra, et qualis est coetus amplectens vocem doctrinae integram, etiamsi est aerumnosus, dispersus, et oppressus multiplici tyrannide.

5. Nec fingimus ideam Platonicam, cum Ecclesiam in hac vita nominamus, sed monstramus Ecclesiam visibilem, quae conspici et exaudiri potest, iuxta dictum: In omnem terram exivit sonus eorum. Estque visibilis Ecclesia coetus amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, et recte utentium Sacramentis, in quo filius Dei vere est efficax, et multos regenerat voce Evangelii et Spiritu sancto, et facit haeredes vitae aeternae. Et sunt tamen in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

6. Duo sunt genera doctrinae in Ecclesia, inde usque ab initio, cum Adam et Heva recepti sunt, lex et Evangelium. Una est lex moralis in tota aeternitate, quae est sapientia aeterna et immota norma iusticiae in Deo, discernens recta et non recta, patefacta rationali creaturae, in creatione, et postea voce divina saepe repetita in Ecclesia, ostendens quod sit Deus, et qualis sit, et obligans omnes rationales creaturas, et praecipiens, ut sint omnes conformes Deo, et denuncians iustam et horrendam iram Dei adversus peccata, quae Deus damnat, et destruit omnes non conformes, nisi fiat remissio et reconciliatio propter filium mediatorem.

7. Evangelium est praedicatio poenitentiae et promissionis, quae non est naturali luce nota, sed ex arcano consilio divinitatis per filium prolata est, qui missus est, ut propter eum et per eum immediate colligatur Ecclesia, ostendatur misericordia Dei voce Evangelii, et dentur remissio peccatorum, reconciliatio, imputatio iusticiae, vivificatio et donatio Spiritus sancti, haereditas vitae aeternae, iusticiae et gloriae aeternae, gratis, fide accipientibus promissionem propter mediatorem.

8. Etsi lex quoque testimonium est de Ecclesia, nam in sola vera Ecclesia semper retenta est integra et incorrupta legis doctrina, caeterae sectae omnes eam corruperunt et mutilaverunt: tamen vox Evangelii proprie facit discrimen Ecclesiae et aliarum gentium, sicut inquit Paulus: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id, quod positum est, quod est Iesus Christus.

9. Non invocant verum Deum Mahometistae, et omnes alii ignari et hostes Christi, ut hoc tempore defensores Serveti et similes, quia qui filium non honorat, non honorat patrem.

10. Universa scriptura veteris et novi Testamenti praecipit invocare Messiam. Et igitur Messias omnipotens. Hic perpetuus consensus universae scripturae sit in conspectu et ad confirmandum dogma, quod filius, qui est imago aeterni patris, sit Deus, et ad exuscitandam invocationem.

11. Filius nominatur *λόγος*, non solum quia cogitatione patris nascitur, sed etiam quia est persona missa, ut per eam immediate colligatur Ecclesia, proferens Evangelium ex sinu aeterni patris, quae semper adest Ecclesiae, ostendit credentibus patris misericordiam voce Evangelii, et vivificat eos, et dat Spiritum sanctum, servat ministerium Evangelii et Ecclesiam. Haec facit inde usque ab initio et antequam assumsit humanam naturam, et nunc in natura assumta. Haec interpretatio adpellationis *λόγος* dulcissima est, et commonefacit nos de perpetua praesentia et efficacia filii Dei in Ecclesia. Congruit autem cum dicto: Filius qui est in sinu patris ipse enarravit nobis. Item: *τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν.* Item: Nemo novit patrem nisi filius, et cui volet filius revelare.

12. Esse autem *λόγον ὑφιστάμενον*, seu personam, multa dicta testantur, quae adfirmant eum esse antequam assumsit humanam naturam. Antequam Abraham natus est, ego sum. Item, Paulus ad Corinthios: Bibebant ex spirituali comitante eos petra, Petra autem erat Christus. Et Iohan. 17.: Glorifica me pater apud te ea gloria, quam habui apud te, antequam fuit mundus. Et in Epistola ad Ebraeos nominatur filius, per quem omnia condita sunt. Et hic filius dicitur esse *ἀπαύγασμα* gloriae et character substantiae patris. Et ad Colossenses dicitur, omnia per ipsum condita esse. Item, dicta Iohannis primo et Iohannis quinto: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Denique sint in conspectu illustria testimonia, ut fides et invocatio in nobis confirmentur, et celebremus hanc mirandam bonitatem, quod vere filius Dei missus sit ad Ecclesiam ab initio, et quod vere sit custos Ecclesiae, et sit efficax voce doctrinae, et agamus gratias, quod hoc mirando foedere amorem testatus est, quod

assumsit humanam naturam, et ut nos redimeret inenarrabili humilitate se voluntati aeterni patris subiecit. Tu fili Dei Domine Iesu Christe accende in nobis veram agnitionem tui, et eam in nobis confirma contra Diabolos, qui veritatem horribili odio tui oppugnant, constitutis maximis imperiis Mahometicis in genere humano, et excitatis aliis organis contra gloriam filii Dei.

13. Sed teneatur haec firmissima regula: Impossibile est ullos coetus reiicientes scripta prophetica et apostolica esse Ecclesiam Dei. Quare non frangamur conspectu multitudinis et potentiae Mahometicae, etsi triste et horrendum spectaculum est.

14. Papa etsi videri vult retinere libros propheticos et apostolicos, tamen et idola manifeste contraria contra legem Dei, et dogmata falsa defendit, et manifestis mendaciis addit parricidia, ut agnosci possit, regi consilia pontificia a Diabolo, qui est mendax et homicida.

15. Lex divina et immutabilis inquit: Dominum Deum tuum adorabis et ei soli servies. Papa iubet invocare homines mortuos, et circumfert panem adorandum, cum extra institutum usum nihil habeat rationem Sacramenti, et multiplex est in Missa pontificia idolorum cultus.

16. Nunc etiam factio pontificia fingit novum deliramentum. Ait sanctos invocandos esse ut mediatores, Christum tantum ut Deum, quia tantum fuerit mediator in passione.

17. Huic deliramento opponimus dicta Roma. 8.: Qui est in dextra Dei, qui et interpellat pro nobis. Et Ebre. 7.: Semper vivens, ut interpellet pro eis. Et in Psalmo: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchizedech. Et ipse inquit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

18. Mediator est persona divinitus constituta, ut sua merita pro nobis offerat, et sit deprecatrix, et habeat promissionem quod exaudiatur.

19. Solus igitur filius Dei Dominus noster Iesus Christus est mediator, et nomen mediatoris personae competit, quae est Deus et homo.

20. Omnis vera invocatio, quae fit ad Deum, semper intelligatur complecti Patrem, Filium et Spiritum sanctum, iuxta dictum: Pater meus usque modo operatur, et Ego operor. Et non agnoscitur pater, nisi et filius agnoscatur. Et sic discernimus nostram invocationem ab ethnica: Omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi. Et usitate dicitur: Pater noster qui es in coelis, hoc loco Pater est essentiae nomen, non tantum unius personae.

21. Semper igitur Filius utroque modo invocandus est, et cum Patre ac Spiritu sancto, ut Deus dator bonorum. Et ut mediator, missus ac intercedens. Idque servamus in forma usitata: Omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator cum Filio et Spiritu sancto, sapiens, verax, bone, misericors, miserere mei propter filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, quem voluisti pro nobis esse victimam, μεσίτην καὶ ἱκέτην, et iustifica me propter eum et per eum, et sanctifica me Spiritu sancto tuo etc. Sic ipse dicit: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, id est, me nominato, credentes vos propter me exaudiri etc. Certe vult agnosci et invocari etiam, ut sacerdos et assiduus deprecator pro nobis, et nominatim hoc dici, da Deus propter filium.

22. Sic et Daniel precatur: Exaudi nos Deus, non propter iusticiam nostram, sed per misericordiam, propter Dominum.

23. Multae sunt etiam aliae corruptelae pontificiae in doctrina de lege, peccato, gratia, fide, iusticia, poenitentia, Ecclesia, ministerio evangelico, traditionibus humanis, unde intelligi potest, talium errorum defensores, non esse Ecclesiam Dei.

24. Manifesta Evangelii deletio est, fingere hominem in hac vita esse iustum lege, seu propriis operibus, et in hac imaginatione multi sunt involuti errores.

25. Manifesta Evangelii deletio est, dicere semper dubitandum esse, an sis in gratia.

26. Falsa interpretatio est: Fide sumus iusti, scilicet formata, quasi hoc velit Paulus, Non fide, sed propter sequentem dilectionem, videlicet, propter proprias virtutes homo est iustus. Similis corruptela est Osiandricorum, Fide iustificamur, scilicet praeparative.

27. Universa prophetica et apostolica scriptura perpetuo consensu hoc adfirmat, hominem in conversione accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iusticiae, vivificationem, Spiritum sanctum et haereditatem vitae aeternae, propter mediatorem gratis, fide, non pro-

pter nostram dignitatem, aut nostra merita, aut nostras virtutes. Hanc et Pauli sententiam esse adfirmamus, qui quidem et prophetica testimonia eo citat, ut Ecclesia videat eum non discedere a doctrina Prophetarum.

28. Hanc perpetuam sententiam Prophetarum et Apostolorum Dei beneficio retinent et nostrae Ecclesiae, cum dicimus: Sola fide iustificamur, et reiiciunt Papisticam et Osiandricam synecdochen, quae cum splendidissime defenditur, tantum hoc dicit, renatos novitate iustos esse. Nam Osiander expresse definit iusticiam his verbis: Iusticia est quod efficit nos iusta facere: quod quid aliud est, quam homines iusta faciendo iustos esse? At Psalmus inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

29. Verissimum est habitare Deum in sanctis, et in eis efficacem esse, et illas pulcerrimas virtutes in Ioseph, Daniele et similibus, sine ulla dubitatione esse motus divinos, iusticiam, et sacrificia Deo grata, sed propter haec quanquam divina bona, persona non est iusta coram Deo, id est, habens remissionem peccatorum et reconciliationem. Imo haec bona ne esse quidem possunt, nisi praelucente fide, quae credit personam recipi et placere propter filii Dei obedientiam, et filium Dei velut umbraculum esse quo tegimur in iudicio Dei, sicut dicitur: Sumus dilecti in dilectione. Item: Iustus fide sua vivet.

30. Nominantur autem illae virtutes, Iusticiae et Sacrificia, quia in reconciliato sunt, res congruentes cum voluntate Dei, imo sunt opera Dei et testimonia de Deo in cordibus, et in Ecclesia. Et sunt sacrificia quibus vult Deus celebrari. Et longe superant Philosophorum virtutes, quia in philosophicis non lucet agnitio Dei, et non sunt λογικὴ λατρεία, id est, cultus in quibus lucent noticia Dei, timor, fides.

31. Et severissime execrandus et fungiendus est furor Antinomorum, qui fingunt non contristari et non excuti Spiritum sanctum sceleribus contra conscientiam, cum clarissime dictum sit 1 Corinth. 6.: Ne erretis, scortatores, idolorum cultores, moechi etc. non possidebunt regnum Dei. Item: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

32. Non ideo filius Dei missus est, et tantis miraculis collegit et servavit Ecclesiam, servata familia Nohae in diluvio, educto populo ex Aegypto et Babylone. Non ideo adsumsit humanam naturam, sensit iram aeterni patris, sudans sanguinem, et victima in cruce factus est, ut tu omnibus furoribus opinionum, libidinum, crudelitatis indulgeas, ut David rapiat alterius coniugem, interficiat virum, irritet iram Dei, ut seditio sequatur plena scelerum et calamitatum. Sed ideo immensa misericordia nos redemit, ut deleat peccatum et mortem, et nos vivificet, ac sibi adsimilet et aeternam iusticiam in nobis restituat, sicut Paulus inquit: Transformamur in eandem imaginem, id est, adsimilamur filio, qui est imago aeterni patris, sapientia seu luce, quae est agnitio Dei, et motibus congruentibus verbo Dei.

33. Filius dicens consolationem in mentibus nostris voce Evangelii, ostendit praesentiam patris, et vivificat credentem, et dat Spiritum sanctum, ut confirmet cor, et accendat invocationem et alios motus tales, qualis ipse est, sicut 1 Iohan. 4. dicitur: In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, et ipse in nobis, quia de spiritu suo dat nobis. Et digna est consideratione sententia Athanasii: In quocunque dicitur esse Spiritus sanctus, ibi est per verbum, id est, per filium, efficacem voce Evangelii.

34. Haec transformatio in nobis est nova obedientia, quae non est meritum vitae aeternae. Sed ideo quia manet ordo immutabilis, ut creatura rationalis Deo obediat, et quia ad aeternam iusticiam restituimur, necessaria est. Et tamen retinenda est exclusiva, *sola fide*, id est, fiducia misericordiae propter mediatorem iusti sumus, et haeredes vitae aeternae. Non enim habemus in hac vita legis impletionem, de qua dicit Paulus: Nos spiritu ex fide spem iusticiae expectamus.

35. Hanc totam doctrinam cum Papistae multipliciter corrumpant, et errores sophismátum praestigiis et tyrannica crudelitate defendant, non sunt vera Dei Ecclesia.

36. Ecclesiam intelligunt Papistae esse regnum Episcoporum alligatum ad ordinariam successionem, ut ipsi nominant, et ad traditiones humanas, ut si Regnum Gallicum describerent, alligatum ad ordinariam regum successionem, et ad certas regni leges et iudicia. Haec Politica κακοζηλία plena est multorum errorum.

37. Alligata est autem Ecclesia ad incorruptam Evangelii doctrinam, quae et ministerium Evangelii, et usum Sacramentorum ordinat, et

hoc modo Deus aeternam Ecclesiam per filium colligit, et voce Evangelii est efficax, ut expresse dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et Paulus sic describit regnum Christi in hac vita, cum ait: Tradet regnum Deo et patri.

38. Regnum Christi aeternum est, ut in Luca dicitur: Regni eius non erit finis. Sed quia modus alius est regni in hac vita, alius post iudicium, ideo Paulus inquit: Tradet regnum Deo et patri. In hac vita regnum Christi, est filium missum esse, ut proferat Evangelium ex sinu aeterni patris, antea ignotum omnibus creaturis, et assumta humana natura redimat Ecclesiam, et eam voce Evangelii immediate colligat et vivificet dato Spiritu sancto, sit redemtor et salvator, protegat et servet Ecclesiam, et sit caput omnia in omnibus perficiens, et post mortem resuscitet nos, et vestiat munda natura, ut deinde visibiliter habitet in nobis Deus, ut sit omnia in beatis omnibus. Regnat igitur Christus in hac vita in Ecclesia per ministerium Evangelii. Post hanc vitam, etsi manet Rex et caput Ecclesiae, tamen modus alius erit, scilicet visibilis conspectus.

39. Cum igitur universa scriptura prophetica et apostolica adfirmet, voce Evangelii colligi Ecclesiam, et cum hac voce et cogitatione scripti verbi Deum efficacem esse, non est audiendus Stenckefeldius, qui non desinit vociferari, Deum se sine medio communicare, sine voce ministerii, sine cogitatione scriptae doctrinae. His fanaticis clamoribus abducit homines a lectione, et cogitatione scriptae doctrinae, ut manifestissima exempla multorum ostendunt, qui Pastores aut pellunt, aut audire nolunt, et iactant illa enthusiastica oracula Stenckefeldii.

40. Opponamus autem certissima testimonia divinitus tradita, Roma. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Roma. 10.: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Iohan. 1.: Unigenitus filius qui est in sinu patris enarravit nobis. Quam ob causam filius Dei λόγος missus est? quare Deus tam arcani et mirandi decreti nuncium vult filium esse? si non huius vocis cogitatione homines convertit, et vivificat. Psalm. 118.: Haec est consolatio mea in adflictione mea, quod eloquium tuum vivificat me. Vult nos Deus in trepidationibus et pavoribus intueri promissionem revelatam. Ibi vult nos quaerere et agnoscere suam voluntatem, et adsentiri promissioni. Et certissimum est ipsum filium Dei λόγον in adsentientibus efficacem esse. Ideo Psalmus 129. dicit: Expectavi Dominum, expectavit anima mea, et in verbo eius speravi.

41. Tota scriptura prophetica et apostolica plena est testimoniorum, quae non solum praecipiunt ut discamus, audiamus, cogitemus scripta divinitus tradita, sed etiam ut sciamus Deum hac ipsa cogitatione efficacem esse, ut Romanorum decimo: Prope est verbum in ore tuo etc. Et ad Corinthios nominatur Evangelium ministerium Spiritus, id est, quo Spiritus sanctus datur et est efficax.

42. Et quid opus est longa refutatione? Cum Paulus de lectione praecipiat, et dicat inde consolationem petendam esse, anteferatur Stenckefeldio, qui removet lectionem, et iubet expectare enthusiasmos simulatione torvitatis, ut multos vidimus impostores abiicientes doctrinae metas, qui postea et opiniones tetras sparserunt, et seditiones moverunt.

43. Retineamus potius dictum Pauli: Sis assiduus et attentus in lectione, consolatione et doctrina. Orditur Paulus a lectione, quia Evangelium non est natura notum, ut doctrinae philosophicae, sed discendum est ex scriptis, quae Deus voluit per Prophetas et Apostolos mandari literis. Et lectioni addit consolationem. Deus igitur ea lectione efficax est. Doctrina est enarratio lectionis seu scripti, cum vox docentis ostendit argumenta, membra, exitus in proposita materia. Et ad Colossenses inquit: Sermo Christi habitet in vobis abunde in omni sapientia, et docete, et emendete vos mutuo.

44. Eludit haec dicta Stenckefeldius sermo, id est, ipse filius. Sed in his dictis expresse fit mentio lectionis, et doctrinae, et commonefactionis. Ac detestentur bonae mentes petulantiam et sophisticam in eludendis manifestis testimoniis. Scimus cogitationem sine actione divina, literam esse, sed simul hoc dicimus, Filium Dei per cogitationem scriptae doctrinae efficacem esse. Et hunc ordinem immensa sapientia et bonitate Dei constitutam esse. Nec aliter senserunt pii unquam in Ecclesia, sed semper fuerunt homines fanatici et enthusiastici, qui caeca ambitione moti καὶ τετυφωμένοι similia deliramenta circumtulerunt, quia opinione enthusiasmi et colloquiorum

divinorum terrentur homines et adducuntur, ut tales impostores magnifaciant, quales fuerunt nostra aetate multis noti Pelargus, Monetarius, Monasterienses, Campanus, et multi alii.

45. Salomon simul de ministerio externo et de filio Dei concionatur: Fui coram eo artifex, et deliciae quotidianae, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrae suae, et delectationes meae cum filiis hominum. Spectacula nobis omnium pulcerrima proponit, adfirmat filium Dei formatorem fuisse immediatum ordinis et oeconomiae in creatione operum mundi. Et hunc ipsum filium Dei delectari hominum consuetudine. Quid potest dici dulcius? Significat autem filium Dei missum esse ad homines, et adiungit externum verbum, ait hanc sapientiam clamare in portis civitatis. Ita et nos dicimus filium Dei adesse Ecclesiae, et efficacem esse voce Evangelii, sicut et in Iohanne scriptum est: Ego sum vitis, vos palmites. Et ad Ephesios: Christus est caput Ecclesiae omnia perficiens in omnibus.

46. Praeterea in opinionibus Papistarum magnum chaos est errorum, de traditionibus humanis in Ecclesia, eorum errorum defensio etiam discernit veram Ecclesiam ab impiis congregationibus.

47. Opera non mandata divinitus nequaquam sunt cultus Dei, iuxta dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Talia sunt monachorum vota, discrimina ciborum, coelibatus sacerdotum, et similia.

48. Nunc Cynicus Austriacus renovat deliramenta de perfectione. Nominat perfectionem, simulationem paupertatis, cum sit parasitus aulicus.

49. Impossibile est opera non mandata a Deo, perfectionem esse, cum non sint cultus Dei. Et manifeste dicat vox divina: In praeceptis meis ambulate, non in praeceptis patrum vestrorum. Et cum nullus homo in hac pravitate naturae possit satisfacere legi Dei, manifestum est, non esse in hominibus perfectam obedientiam. Sed Paulus inquit, In Christo consummati estis, videlicet imputatione. Et postea in vita aeterna erit perfectio re ipsa in nobis, cum erit Deus omnia in omnibus beatis, id est, cum ita fulgebit in nobis Deus, ut non sit simul peccatum, sicut in hac vita in sanctis etiamsi sunt Templum Dei, tamen adhuc haeret in eis peccatum.

50. Certissimum est, duo genera esse operum in Ecclesia, signa promissionum, quae nominantur Sacramenta et Sacrificia. Ac insulse cogitant de Sacramentis in novo Testamento, qui imaginantur, baptismum et coenam Domini ritus esse principaliter ad hoc institutos, ut discernant Christianos ab aliis coram hominibus, sicut Toga discernebat Romanum a Graeco. Sicut aliqui scripserunt.

51. Sed Sacramenta novi Testamenti sunt signa voluntatis Dei erga nos, id est, sunt ritus a Deo instituti, ut sint testimonia seu pignora, quod Deus exhibeat nobis promissa beneficia in Evangelio. Hic primus finis est, postea possunt accedere alii fines et significationes, ut hic est calix novi Testamenti, id est, novae promissionis, qui erit pignus testificans dari vobis promissa in novo Testamento, et promissio est accipienda fide. Sic igitur utendum est Sacramento, ut credas tibi exhiberi promissa in Evangelio, remissionem peccatorum et reconciliationem. Recte etiam dicitur, esse ea testimonia adplicationis, ut cum promissio generalis sit, usus Sacramenti est pignus testificans promissionem ad te pertinere. Hic primus et proximus finis est coenae Domini. Postea est nervus congregationis, testimonium confessionis, foedus benevolentiae erga Ecclesiam, et privatim erga omnes cives eiusdem Ecclesiae. Possunt enim unius operis plures esse fines. Haec in genere de ratione Sacramenti scire necesse est.

52. At Sacrificia sunt opera a Deo mandata, facienda in fide, in quibus Deo nos aliquid offerimus, videlicet obedientiam, qua testamur hunc vere Deum esse, quem sic colimus, et ostendimus eum sic velle coli, ut castitas Ioseph est opus a Deo mandatum, fit vera fide, et praestat Deo obedientiam, qua testatur hunc vere esse Deum, qui sic colitur, et ostendit eum sic velle coli. Obedientia Stephani in supplicio, est opus mandatum a Deo, fit vera fide, et praestat hunc honorem Deo, testatur hunc vere Deum esse qui sic colitur, et ostendit eum sic velle coli.

53. Osiander tres gradus fecit sacrificiorum: Typica, Propiciatorium, et Alimenta Sacerdotum. Altera distinctio magis perspicua est, quae facit duas species, Propiciatorium et *εὐχαριστικὸν*. Unicum est autem re ipsa propiciatorium, videlicet obedientia filii Dei, quae est *λύτρον* pro nobis, et meretur nobis reconciliationem. Nec esse plura

testatur dictum: Unica oblatione consummavit sanctos. Ac Paulus Roma. 8. nominavit περὶ ἁμαρτίας, ubi haec vera Syntaxis est, condemnavit peccatum, scilicet, nostrum in carne nostra, περὶ ἁμαρτίας, id est, per hostiam, quae nominabatur περὶ ἁμαρτίας. Quod autem in lege quaedam nominabantur Propiciatoria, habebant id nomen propter typum, nec merebantur remissionem, sed cum pii offerebant, erant εὐχαριστικά.

54. Sunt autem omnia caetera piorum sacrificia εὐχαριστικὰ, videlicet omnia opera a Deo mandata, facta in fide, ut in eis Deo offerant obedientiam, et testentur hunc vere esse Deum, quem sic colunt, et ostendant eum sic velle coli. Sic sacrificia sunt castitas Ioseph, obedientia Stephani in supplicio, labor Pauli in docendo, beneficentia quam exercet Sareptana praebens hospitium Eliae.

55. Hac distributione considerata, manifestum est horrendam impietatem esse, quod fingunt Papistae, Missam esse sacrificium, quod mereatur remissionem peccatorum facienti et aliis.

56. Nec esse sacrificium εὐχαριστικὸν inde adparet, quia non institutum est, ut offerant Christum. Cumque offerre sit ingredi in Sanctum sanctorum, et derivare in sese iram Dei, haec ipsi tantum filio competunt, non aliis. Unde igitur haec audacia est, quod sacrificuli dicunt sese offerre Christum? Neque haec sunt in veteri Graeco Canone.

57. Nec minor est impietas, quod plurimi sacrificuli ventris causa ritum imitantur, prorsus ignorantes quid agant. Tales colunt Deum Maozim.

58. Haec ingentia mala satis deplorari non possunt, etiamsi tantum lacrymarum singuli funderemus, quantum undarum vehunt magna flumina. Sed orandus est filius Dei, ut ipse deleat omnia idola et nos doceat, et ad veros cultus omnium pectora flectat. Cum autem tantum idolorum et errorum sit in secta papistica, et accedat iniusta crudelitas, manifestum est Papam et Episcopos non esse Ecclesiam Dei, et scriptores qui praetexunt nomen Ecclesiae, his tantis sceleribus, Polum, Osium, Roardum, Canisium, Staphylum, et similes decipere ignaros, et horribiliter Deum offendere. Tenenda est enim regula: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Cum igitur Ecclesia sit coetus recte docens, vera gratitudine Deum celebremus, quod nos fecit cives verae Ecclesiae, et propter hoc ingens beneficium, pie fovere nostros coetus studeamus.

(LXVIII.) *Propositiones de quibus disputavit Magister Conradus Becker Brunsvicensis, vocatus ad gubernationem Ecclesiae Stadensis. Witebergae Anno* 1556. *Die ultimo Octobris, quo die ante annos* 39, *videlicet anno* 1517, *Reverendus vir D. Martinus Lutherus primum edidit Propositiones plenas eruditionis et pietatis, de Poenitentia contra tenebras papisticas, et contra aucupia indulgentiarum.*

In tantis confusionibus generis humani teneamus hanc veram consolationem, certo colligi aeternam a filio Dei Domino nostro Iesu Christo, etiam inter has horribiles imperiorum ruinas, et quidem colligi voce Evangelii, et non aliter. Et sic fieri Ecclesiae collectionem ab ipso filio Dei, donec resuscitabit omnes homines mortuos, iuxta haec dicta, Matthaei capite vicesimo quarto: Sic erit adventus filii hominis. Tunc duo erunt in agro, unus adsumetur, et alter relinquetur. Et Matthaei ultimo: Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et in ipsis coenae Dominicae verbis 1. Corinth. 11. promissio comprehensa est: Hoc facite donec veniet. Quid potest dici dulcius, quam promitti duraturum esse ministerium Evangelii, donec filius Dei resuscitatis mortuis ostendet se in iudicio universo generi humano. Et Esaiae quinquagesimonono: Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, et ab ore seminis tui, et posterorum seminis tui in aeternum, dicit Dominus.

2. Quotidie in recitatione symboli, cum dicimus, Credo esse Ecclesiam sanctum catholicam, hac cogitatione confirmemur. Etsi sunt magnae confusiones generis humani, tamen est aliqua Dei Ecclesia, in qua sola sunt electi propter filium haeredes dulcissimae consuetudinis cum eo, in qua Deus erit omnia in omnibus. Et haec vera Ecclesia, non casu, sed certo consilio Dei subiecta est cruci multipliciter, iuxta dictum: Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius, Ieremiae 12.

3. Etsi autem species Ecclesiae valde moesta est, tamen et quaeramus, quae sit Ecclesia Dei, et ubi sit, et sciamus esse immotam voluntatem Dei, ut singuli nos in eam simili invocatione et confessione includamus, et eam diligamus, iuxta dictum: Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem.

4. Vult Deus conspici et exaudiri Ecclesiam in genere humano, sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum. Et tradidit signa, per quae agnosci potest, quae sunt tria, vox Evangelii incorrupta, legitimus usus Sacramentorum, et obedientia debita ministerio. Ideo visibilem Ecclesiam in hac vita sic definimus. Ecclesia visibilis est coetus amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, et habens legitimum usum Sacramentorum, in quo coetu filius Dei per ministerium Evangelii certo est efficax, et in multis noticiam aeterni patris accendit, qui credunt se propter filium recipi, et eos sanctificat Spiritu suo sancto, et tamen sunt in eodem coetu multi non sancti, sed de doctrina consentientes. Sic de Ecclesia loquitur Dominus in similitudinibus, Matth. 13.

5. Hac definitione confirmati, scimus impossibile esse Mahometicam colluviem esse Ecclesiam Dei, quanquam et magna est, et habet potentissima imperia. Quia impossibile est esse Ecclesiam Dei eos, qui fatentur se Prophetarum et Apostolorum libros nec legere, nec probare, et palam contendunt in hoc *Iesu*, qui Ierosolymae crucifixus est et ex morte revixit, tantum esse naturam humanam, et rident, tanquam fabulas, ea quae adfirmamus, de persona missa ad Ecclesiam ab initio, item de hostia pro genere humano, et de iusticia fidei.

6. Et impossibile est esse membra Ecclesiae Dei alios similiter contumeliosos adversus filium Dei, quales multi et sunt et erunt, ut Servetus et Petrus Conyza Lituanus, quia scriptum est: Qui non honorat filium, non honorat patrem.

7. Maior Thammeri rabies est, qui nomen filii Dei et Spiritus sancti transformat in allegorias, perinde ac si Hesiodi theogoniam interpretaretur, et facit religionum confusiones, quasi gentes ignarae Evangelii, semper et fuerint et sint Ecclesia Dei, quia Christum norint, id est, aliquam habeant legis noticiam. Hanc enim interpretatur esse Christum, sapientiam Dei.

8. Interea et Stenckefeldiani blasphemas cantilenas edunt, in quibus ut furiae diabolicae, canunt, nihil opus esse ministerio evangelico, adflatus divinos fieri sine voce et cogitatione scriptae doctrinae.

9. Nec membra sunt Ecclesiae Dei Papistae pertinaciter defendentes idola, quorum multi contra conscientiam assentantur potentibus, multi fascinati sua sapientia, nolunt considerare manifesta testimonia divina in scriptis propheticis et apostolicis tradita. Et sibi praetextus fingunt, dicunt scripta prophetica et apostolica ambigua esse, sumendam interpretationem ex autoritate Pontificum, ut in iudiciis civilibus, regia vel praetoria autoritas est interpres legum.

10. Tenenda est regula: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Cum igitur Papistae multos magnos errores contra manifesta testimonia Evangelii et symbolorum defendant, necesse est ab eis dissentire et discedere. Qui sint autem errores papistici, confessio communis harum Ecclesiarum ostendit, ad quam nos referimus, quia totum corpus doctrinae complecti docentes in Ecclesia oportet. Nec satis est excerpere unum atque alterum membrum, quod plausibiliter exagitetur, et in caeteris, astute occultare sententiam, ut Stancarus et multi errones faciunt. Facile est, inquit Nazianzenus, reprehendere, sed recta docere difficile, sicut Demosthenes inquit: *ἐπιτιμᾶν παντὸς ἐστὶ, συμβουλεύειν δὲ οὐ παντὸς.*

11. Utrumque vult Paulus doctorem facere, ut ad Titum scribit: *ἀντέχεσθαι τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.* Adfirmamus igitur nos de toto corpore doctrinae amplecti scripta prophetica et apostolica, et quidem in ea sententia, quae in symbolis expressa est, et quae recitatur in communi confessione edita cum subscriptionibus docentium in hac Ecclesia et vicinis, et contrarias sectas et opiniones reiicimus.

12. Non est alligata Ecclesia ad ordinariam Successionem Episcoporum, sed ad Evangelium. Ibi est Ecclesia Dei, ubi vox Evangelii est incorrupta, iuxta dictum: Oves meae vocem meam audiunt. Et manifeste dicitur contra blasphemos iactantes ordinarium successionem: Vos ex patre Diabolo estis. Quanquam nomen ordinariae successionis nihil est, nisi *σχῆμα λόγου,* cum collegia sint sine antiquis monumentis, sine studiis doctrinae et pietatis, sine legitima electione, similia centaurorum exercitibus. Basilius ait, se Ecclesias praecipuas adiisse, ut testimonia et monumenta

veteris doctrinae inquireret. Quid nunc ostendi monumentorum aut doctrinae ab Episcopis et Canonicis potest?

13. Fontes igitur quaeramus, sicut Esaias praecipit: Ad legem et ad testimonium, si quis non dixerit iuxta verbum hoc, non erit ei matutina lux. Iuvamur autem et symbolis et testimoniis primae et purioris Ecclesiae, quia vult Deus Ecclesiam edere testimonia, et dictum est: Sedet filius Dei ad dextram aeterni patris, dans dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores et Doctores, ut non circumferamur omni vento doctrinae, inter praestigias hominum etc. Filius Dei *λόγος* aeterni patris, inde usque ab initio adest Ecclesiae suae, alloquitur eam, et mittit Prophetas. Deinde in carne concionatur, mittit Apostolos, et subinde post Apostolos, eorum auditores, Polycarpum, Irenaeum, et paucos alios deinceps, qui doctrinae puritatem quaesiverunt, cum simul omnibus temporibus magna agmina fuerint fanaticorum et tyrannorum, et ardelionum, qui doctrinam ad malos adfectus hominum inflexerunt. Sicut nunc valde multi sunt, non solum tyranni, qui barbarica crudelitate stabiliunt idola, sed etiam rhetorculi, qui novos colores illinunt idolis, ut defendant errores, ut sunt Polus, Osius, Groperus, et alii multi.

14. Vera Ecclesia semper inde usque a Patribus sensit, filium Dei *λόγον* esse missum ad Ecclesiam, et esse *ὑφιστάμενον*, non esse sonum creatum, evanescentem. Ideo Iacob inquit de filio Gene. 48.: Deus patrum meorum, et Angelus, qui eripuit me ex cunctis malis, benedicat pueris istis. Ac sunt illustria testimonia, quod sit *λόγος ὑφιστάμενος*, quae adfirmant ante assumtionem humanae naturae, missum esse ad Ecclesiam, et quae loquuntur de omnipotentia et de invocatione, ut Dominus inquit: Antequam Abraham natus est, Ego sum. Et Paulus expresse adfirmat, Christum adfuisse populo in deserto. Item, ad Coloss.: Qui est ante omnia. Iob 19.: Scio quod redemtor meus vivit. De omnipotentia sint in conspectu haec dicta: Ego vitam aeternam do eis, pater meus usque modo operatur, et Ego operor. Ego sum vitis, vos palmites, sine me nihil potestis facere. De Spiritu suo dat nobis etc. De invocatione: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et Ego reficiam vos. Psalmo 2.: Osculamini filium. Beati omnes qui confidunt in eo. Esaiae 11.: Stat radix Iessae, ut sit signum populis, ad eam gentes confugient. Psalmo 72.: Orabitur coram eo semper. Et Ieremiae trigesimo tertio: Hoc est nomen quo vocabunt eum, Iehova iusticia nostra, id est, hoc praedicabitur de Messia, quod ipse sit Iehova iusticia nostra, et propterea sic invocabitur. Et Paulus directa invocatione utitur 2. Thess. 2.: Ipse Dominus noster Iesus Christus, et Deus et Pater noster confirmet vos in omni sermone et opere bono.

15. Haec et similia testimonia quotidie in invocatione cogitemus, ut nos contra furias diabolicas Mahometi, Samosateni, Serveti, Convzae, Thammeri et similium confirmemus, et consideremus quid invocemus, et filio Dei verum honorum tribuamus, agnoscamus eum etiam ante assumtionem humanae naturae missum esse ad Ecclesiam, et *λόγον* esse immediate alloquentem nos, et semper adesse Ecclesiae, sicut inquit: Ego sum vitis, vos palmites. Item: *τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν.*

16. Alloquimur autem filium dupliciter, et ut datorem bonorum simul cum Patre et Spiritu sancto, sicut Paulus ad Thessalonicenses loquitur: et ut mediatorem missum ad Ecclesiam, et semper intercedentem pro nobis, de quo modo invocationis ipse inquit: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vult peti se nominato, id est, fiducia propiciationis per ipsum factae, et fiducia assiduae intercessionis. Haec omnia in invocatione cogitanda sunt, atque ita dulcessit doctrina *περὶ λόγου*, et de mediatore.

17. Nec Cynici clamores probandi sunt, qui negat Christum nunc intercessorem esse, negat item recte dici: Fili Dei Domine Iesu Christe, intercede pro nobis apud aeternum patrem, cum tamen filius sit Sacerdos in aeternum. Et nota sint testimonia Roma. 8. et Ebrae. 7. Et sit nota dulcis sententia Eusebii, quae extat libro decimo historiae Ecclesiasticae pag. 112.:

Ὁ μέγας τῶν ὅλων ἀρχιερεὺς αὐτὸς Ἰησοῦς ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ, τὸ παρὰ πάντων εὐῶδες θυμίαμα, καὶ τὰς διὰ εὐχῶν ἀναίμους καὶ ἀΰλους θυσίας, φαιδρῷ τῷ βλέμματι καὶ ὑπτίαις ὑποδεχόμενος χερσὶ τῷ κατὰ οὐρανὸν πατρὶ καὶ θεῷ τῶν ὅλων παραπέμπεται πρῶτος αὐτὸς προσκυνῶν, καὶ μόνος τῷ πατρὶ τὸ καταξίαν ἀπονέμων σέβας· εἶτα δὲ καὶ πᾶσιν ἡμῖν εὐμενῆ διαμένειν, καὶ δεξιὸν εἰς ἀεὶ παραιτούμενος.

18. Confundunt et obruunt Papistae discrimen legis et Evangelii, et horribiliter furit Tham-

merus, cum fingit Evangelium tantum esse noticiam naturalem legis, et omnes homines habentes disciplinam iuxta legem, iustos esse coram Deo. Sciamus autem necessariam esse in Ecclesia doctrinam de distinctione legis et Evangelii, et utrumque genus doctrinae recte et sine sophistica intelligatur.

19. Ut igitur discrimen legis et Evangelii sit in conspectu, definitiones tradimus, quas recte et non calumniose intelligi volumus, aut magis concinnas tradi. Nec iam de politia Moysi, de ceremoniis aut de foro loquimur, sed de lege aeterna, quae puerili appellatione nominatur Lex Moralis. Hanc definimus hoc modo.

Lex moralis est aeterna et immota sapientia et regula iusticiae in Deo, discernens recta et non recta, volens recta, et horribili ira destruens contraria, cuius noticia in creatione rationalibus creaturis insita est, et postea saepe repetita et declarata voce divina, ut sciamus quod sit Deus, et qualis sit, et quod sit iudex, obligans omnes creaturas rationales, et praecipiens, ut omnes sint conformes ipsi, et habeant integram obedientiam iuxta totam legem, et accusans ac destruens omnes non conformes, iuxta dictum: Maledictus qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in lege. Cum autem in definitione sit vocabulum, immota, ex Evangelio adiicitur interpretatio, nisi fiat remissio et reconciliatio propter filium mediatorem. Nam ante promissionem aliter iudicari non potuit, nisi iram prorsus immutabilem esse, et sic est immutabilis, quod Deus peccato semper irascitur et non sine poena remittit, quam in filium mediatorem immensa bonitate et mirando consilio, transtulit: recipit autem creaturam suam propter filium. Suntque execrandi furores Stoicorum et Antinomorum, qui fingunt Deum velle peccata.

20. Definitio peccati apud Iohannem recte tradita est, *ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία*. Et insaniunt Papistae, qui negant malam concupiscentiam esse *ἀνομίαν*. Et insulsissime dicunt, legem tantum de actionibus concionari, non de defectibus in natura, quae sunt tristissima vulnera, videlicet, carere luce Dei, fluctuare horrendis dubitationibus, vagari coecis affectibus, de quibus malis inquit Paulus: Omnes carent gloria Dei, id est, Deo lucente in ipsis, et complente eos sua iusticia, ne sit peccatum in eis. Et sycophantice ludit Synodus Tridentina, confirmans errorem papisticum de his ingentibus morbis in hac misera natura hominum. Cum Paulus usus sit atrocissima descriptione: Sensus carnis inimicicia est adversus Deum.

21. Evangelium est praedicatio poenitentiae, et promissio quam non novit ratio naturaliter, sed revelata divinitus, in qua Deus adfirmat se gratis, non propter ulla nostra merita, aut dignitatem nostram, sed propter obedientiam filii, credentibus in filium, certo remittere peccata, et donare eis imputationem iusticiae et reconciliationem, in qua filius Dei voce Evangelii consolatur et vivificat corda credentium, et liberat eos a morte aeterna, et facit eos templa Dei, dato Spiritu sancto sanctificante eos, et accendente tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus, et donat haereditatem vitae aeternae credentibus, quod propter ipsum gratis habeant remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, reconciliationem, et haereditatem vitae aeternae.

22. Falsa est imaginatio Pharisaeorum, Papae, Monachorum, quae fingit, homines in hac immunditie naturae mereri remissionem peccatorum, et iustos esse hac obedientia, quam homines utcunque praestare possunt legi. Hoc somnium humanae rationis clarissime refutatur hoc dicto: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.

23. Sed Deus immensa bonitate instituit ministerium Evangelii, et ut ipse agnoscatur, et ut homines salventur, in quo ministerio vult argui peccata omnium hominum, qui nascuntur in hac immunditie naturae, vult et sonare promissionem de beneficiis filii. Et quidem vult argui cum caetera peccata, quae lex ostendit, tum hoc tristissimum peccatum quod in Evangelio ostenditur, quod mundus ignorat et contemnit filium Dei, et sicut impius latro in cruce eum deridet, sicut maxima potentia in genere humano, mahometica et papistica, contumeliis adficit filium Dei. Et rabies ingeniorum in Epicureis, et praestigiatoribus quibuscunque, ut in Ebione, Mahometo, Serveto, Thamnero, et aliis multis, furentur oppugnat eum.

24. Oppugnat eum et Stenckfeldius, cum non desinit vociferari, Deum communicare sese sine cogitatione doctrinae scriptae, atque ita abducit homines a publico ministerio, et a lectione et cogitatione doctrinae, quasi frustra filius Dei protulerit externam Evangelii vocem ex sinu aeterni patris, et quasi frustra dictum sit in Psalm.:

Praedicabo praeceptum, Dominus dixit ad me: Filius meus es tu. Item, cum fides nitatur promulgato verbo, qualis potest esse fides sine cogitatione scriptae doctrinae? Tales Enthusiasmi fuerunt initia furorum Anabaptisticorum, ut Pelargum et Monetarium audivimus iactantes suos adflatus, et adspernantes doctrinam scriptam.

25. In ministerio divinitus instituto, primus Sacerdos fuit ipse filius *Dei λόγος* alloquens Adam et Hevam, arguens peccatum, et iram Dei ostendens, deinde et promissione edita revocans morituros ex morte. Hic summus Sacerdos et deinceps adest ministerio Evangelii, et est in eo efficax, iuxta dictum: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, Roma. capite primo.

26. Ostendit Deus iram suam adversus peccata, voce ministerii et terroribus, de quibus dicitur: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Et in Psalm.: Veniet Deus noster, et non silebit, ignis devorans antecedit eum. Ostendit item iram in horrendis spectaculis poenarum alienarum et nostrarum, ac maxime in morte filii. Vult igitur nos expavescere agnitione irae suae, vult nos assidue clamare: Converte me Domine, et convertar. Ne illudatis, inquit Esaias vicesimo octavo, ne poenae vestrae fiant duriores. Non est enim conversio ad Deum, nec fides in his, qui perseverant in sceleribus contra conscientiam, et securi velut perpetua Bacchanalia agunt in tantis Ecclesiae doloribus et aerumnis. Item, qui taxari idola nolunt, sive intelligant quod agunt, sive non intelligant. 1. Corinth. 6.: Ne erretis, scortatores, adulteri, idolatrae etc. regnum Dei non possidebunt. Et Esaiae ultimo: Ad quem respiciam? ad adflictum contritum spiritu, et trementem sermones meos.

27. Nec vero tantum arguuntur peccata voce ministerii et iudicio Dei, sed offertur etiam voce Evangelii promissio gratiae, et quidem severissime praecipitur vera agnitio filii Dei, et praecipitur perterrefactis, ne fugiant Deum, nec ruant in aeternas blasphemias, sed ut credant sibi propter obedientiam filii gratis certo donari remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, reconciliationem, liberationem a morte aeterna, et vivificationem, quae fit per filium, per quem et Spiritus sanctus datur, et haereditatem aeternae iusticiae et vitae. Ac vera est propositio: *Sola* fide iustificamur coram Deo.

28. Idem dicit Paulus cum ait: Gratis fide iustificamur, et damnandae sunt corruptelae papisticae, Osiandricae, Thammericae, quae omnes re ipsa similem synecdochen fingunt: Fide praeparamur, ut postea alia re iusta simus. Monachi dicunt: dilectione. Osiander nominat non virtutes, seu effectus, sed causam efficientem, ait hominem fide praeparari, ut postea iustus sit Deo ipso efficiente in eo novas virtutes. Sic interpretatur ipse iusticiam essentialem.

29. Etsi renatus est templum Dei, et verissimum est eum gubernari a Deo, et in eo inchoatam esse novam obedientiam, sicut scriptum est: Dabo legem meam in corda eorum: tamen renati in hac vita procul absunt a perfectione legis, et haeret adhuc in eis magna moles peccati, multiplex ignorantia, magni fluctus dubitationum, multi errantes adfectus, alias stulta securitas, alias stulta trepidatio, multi lapsus ignorantiae, turpis ingratitudo. Denique magnitudo peccata adhuc in nobis haerentis non penitus perspicitur, sed crescit agnitio in exercitiis poenitentiae et in cruce. Et fatentur sancti suam immunditiem, et eam deplorant gemitibus inenarrabilibus. Sicut Psalmus inquit: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non est iustus coram te omnis vivens. Haec mala extenuare, et fingere hominem iustum esse coram Deo, propter novitatem, seu propter iusticiam inhaerentem, ut nominat liber Interim, coeca hypocrisis est.

30. Sed retinenda est vera consolatio, quod etiam post conversionem homo sit iustus coram Deo sola fide per misericordiam gratis propter obedientiam mediatoris, sicut Paulus hanc consolationem proponit, Roma. 8.: Quis condemnabit? Christus intercedit pro nobis etc. Non iubet nos confidere propter novitatem, aut essentialem iusticiam. Ita vera humilitas et poenitentia crescant in agnitione nostrae infirmitatis, sicut Dominus inquit: Nisi egeritis poenitentiam, omnes similiter peribitis. Et retineantur certa consolatio et invocatio, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. Item ad Ephesios: Per quem audemus accedere in fiducia per fidem ipsius etc. Et recte dictum est ab Augustino: Totius fiduciae certitudo est in precioso sanguine Christi.

31. Ut autem coeca arrogantia Hypocritarum taxanda est, qui fingunt se iustos esse coram Deo propter suam novitatem, sic et furor Antinomorum execrandus est, qui, ut scriptum est, trans-

ferunt gratiam Dei εἰς ἀσέλγειαν, fingunt se iustos esse fide, etiamsi ruant in scelera contra conscientiam, et talibus sceleribus negant excuti Spiritum sanctum. His furoribus opponenda est sententia: Milita bonam militiam retinens fidem et bonam conscientiam. Non ideo filius Dei sudavit sanguinem, non ideo in cruce mortuus est, ut licentia et audacia in sceleribus confirmentur.

32. Vera est utraque propositio: Non estis sub lege, sed sub gratia. Et: Manifesta sunt opera carnis. Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Et cum Paulus dicat, debitores sumus, non carni etc., nihil dubium est, novam obedientiam necessariam esse eo ipso, quia hic ordo divinus immutabilis est, ut creatura rationalis Deo obtemperet. Et vocabula, necessarium et debitum, proprie intelliguntur de divino ordine, non de extortis metu ab invitis, quae interpretatio peregrina est, ut non proprie dicitur: debes latroni pecuniam. Qualis incertitudo et vitae confusio esset, dicere novam obedientiam non esse necessariam, et serere imaginationem, quasi concedatur licentia violandi legem Dei, contra conscientiam?

33. Nec tamen nova obedientia est meritum vitae aeternae: sed est sacrificium Deo debitum, et placens in his qui fide iusti sunt, et quidem placens propter mediatorem, sicut ait Petrus, et habet ingentia praemia spiritualia et corporalia iuxta consilium Dei, sicut inquit Paulus: Pietas habet promissiones praesentis et futurae vitae.

34. Sacrificium Spiritus est opus mandatum a Deo, factum in agnitione et fiducia filii Dei, ad hunc finem, ut Deo honorem tribuamus, id est, ut et testemur ea obedientia, nos agnoscere hunc vere esse Deum iudicem et salvatorem quem invocamus, et quem dicimus sic velle coli, ut castitas Ioseph fuit sacrificium.

35. Missa papistica non solum non est sacrificium, sed sine ulla dubitatione multiplex εἰδωλολατρεία est, propter quam Deus horribiliter irascitur mundo.

36. Negari non potest veram esse propositionem, nihil habere rationem Sacramenti nisi in usu instituto. Non igitur oblatio papistica et circumgestatio ad coenam Domini pertinent.

37. Horrenda impietas est, quod Papa dictum ex epistola ad Ebraeos ad suam potentiam detorquet. Translato sacerdotio fit legis translatio, unde racionatur, Papam posse instituere cultus, et peccatum esse violare traditiones factas in Ecclesia autoritate humana.

38. Vox divina adfirmat talia opera excogitata humana autoritate non esse cultus Dei, iuxta dictum: Frustra colunt me mandatis hominum.

39. Et cum opinio cultus assuitur ut in votis monachorum et similibus, manifesta et ethnica εἰδωλολατρεία est.

40. Nec necessitatis opinio addenda est. Sed retinenda est doctrina firmissima Pauli: Nemo vos iudicet in cibo et potu etc.

41. Hanc doctrinam in Ecclesia retineri necesse est, ne ethnico more cumulentur superstitiones, et ne laquei conscientiis iniiciantur, et ne obscurentur beneficia filii Dei, et ne deleatur vera Dei invocatio.

42. Totus ordo politicus est opus Dei et testimonium de Deo, quod sit Deus conditor sapiens et iustus, discernens recta, et non recta, et destruens non recta, et quod vere sit custos legitimae societatis. Est autem Magistratus vindex, id est, executor a Deo constitutus, ut externa scelera puniat, non tantum pugnantia contra secundam tabulam, sed etiam contra primam: sicut et lex Moisi periuros et blasphemos punit in sua politia.

43. Debent igitur Reges et Principes, suo quisque loco, abolere impios cultus et blasphemias, et severe punire blasphemos, ac removere eos, ne contagia aliis noceant. Sed iudicia Ecclesiae constituantur, in quibus pii et docti Magistratus sese membra Ecclesiae esse sciant, et iudices omnes regulam teneant, ut iudicent iuxta verbum Dei, sicut Deut. 17. praeceptum est, nec stabiliant idola et errores propter viciosam consuetudinem et coecam φιλαυτίαν et propter alios errantes adfectus.

44. Haec cura Magistratibus mandata est in Psalmo secundo: Et nunc Reges intelligite. Et Psalmo vicesimo tertio: Aperite portas Principes vestras, et aperiamini portae mundi. Θεῷ δόξα.

(LXIX.) *De his propositionibus Deo iuvante respondebunt Reverendi viri* **Paulus Eberus** *Kittingensis, Pastor Ecclesiae Dei in oppido Witeberga,* **Cimbrius, Erasmus Laetus,** *M.* **Iohannes Cogelerus** *Quedelburgensis, et M.* **Paulus Crellius** *Islebiensis, Die vicesimo octavo Novembris. Anno* 1559.

Propositio.

Professio, quae nominatur Apostolicum Symbolum, commonefactio est ad confirmandas et consolandas pias mentes utilissima. Ut autem in aliis articulis aliae commonefactiones propositae sunt, ita in hoc articulo: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam, asseveratio est opposita multis horribilibus scandalis, quae turbant homines, ut dubitent, an sit aliquis coetus Deo placens, distinctus a caeteris hominibus, et ubi et in qua porte generis humani sit illud agmen a Deo electum.

2. In tantis confusionibus hominum et opinionum, et cum ubique similia vicia, et similis fortunae varietas sit, disputant multi, fortassis omnes pariter casu nasci et occidere, et opiniones temere ortas et receptas esse.

3. Deinde in eo ipso coetu, qui Christianus nominatur, quantum semper fuit, est, et erit horribilium distractionum, odiorum et furorum? Statim post Apostolos, quam portentosae opiniones vagatae sunt? Praeter Ethnicos et Iudaeos fuerunt Ebionitae, Marcionis colluvies, obscoena factio Carpocratis, et alii multi. Postea magis distractum est genus humanum in Samosateni, Manicheorum, Arii, Pelagianorum sectas. Hoc tempore quam terribilis est γιγαντομαχία. Haec scandala intuens homo non ferreus, ita cohorrescit, vix ut erigere se possit.

4. Sed tamen adversus ea consolationem quaeramus, et fides, ut immota rupes consistat, inquiens: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam, et veris gemitibus clamemus ad filium Dei: Credo Domine, opem fer imbecillitati meae, simul etiam quaeramus, quae et ubi sit vera Ecclesia, in qua certum est esse electos, qui sint haeredes aeternae salutis, et nos in veram Ecclesiam includamus, iuxta haec dicta, 2 Iohan. 1.: Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet.

Psalm. 26.: Unum hoc requiro a Domino, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

Psalmo 83.: Beati qui habitant in domo tua Domine.

Psalm. 91.: Plantati in' domo Domini in atriis domus Dei nostri florebunt.

2. Corinth. 6.: Ne distrahamini in diversa iuga cum gentibus.

1 Corinth. 10.: Fugite idola.

5. Nec loquimur de Ecclesia, ut de idea Platonica, sed visibilem Ecclesiam quaeri volumus, quae in hac vita est visibilis congregatio omnium amplectentium Evangelii doctrinam incorruptam, et legitimum usum Sacramentorum, in qua congregatione filius Dei est efficax voce Evangelii, et multos regenerat, et haeredes aeternae salutis efficit, etsi simul in hac visibili congregatione multi sunt non sancti, sed tamen doctrinam eandem profitentes. Haec descriptio congruit ad similitudines, Matth. 13. de sagena missa in mare etc.

6. Sunt et valde multi infirmi, qui habent contagia errorum, sed tamen sunt dociles, nec pertinaciter defendunt idola aut pravas opiniones, evertentes fundamentum. Ideo dicitur: Infirmum in fide adsumite, ne turbatus obruatur fluctibus dubitationum.

7. Hac definitione Ecclesiae constituta, manifestum est, excludi omnes homines et omnes coetus, ubicunque sunt, qui profitentur doctrinam pugnantem cum fundamento, id est, qui aut palam abiiciunt scripta prophetica et apostolica, et symbola, aut Ethnici, blasphemi Iudaei, Mahometistae, et similes, aut cum videri volunt amplecti scripta prophetica et apostolica et symbola, tamen sanciunt et defendunt contraria, ut Haeretici, Pontificii, Anabaptistae, Servetus, Stenckfeldius, et alii angeli enthusiastici.

8. Norma sit iudicii scripta prophetica et apostolica, et symbola, quae re ipsa sunt breves dogmatum recitationes, quae in scriptis propheticis et apostolicis sparsa sunt diversis locis, nec sunt alia doctrina extra illos fontes.

9. Pontificii normam faciunt iudicii consuetudinem suam, ut Ethnici consuetudinem multorum seculorum opponebant Christianis, quia confirmatae temporibus falsae opiniones difficulter evelluntur ex animis, sicut vere inquit Aristoteles: ὡς εἰώθαμεν οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι. καὶ τὰ παρὰ ταῦτα οὐχ ὅμοια φαίνεται.

10. Sed nos in Ecclesia scire oportet, hanc vocem divinam anteferendam esse omnium homi-

num et seculorum exemplis et autoritati: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Item, quicunque aliud Evangelium docet, anathema sit.

11. Multum adiuvamur verae Ecclesiae testimoniis, sicut praeceptum est, ut infirmiores a firmioribus doceantur, et erigantur, ac mandatum divinum est, ut Ecclesiam audiamus doctricem, sicut scriptum est: Nisi vitula mea arassetis, non invenissetis. Sed tamen conferenda est vox docentium ad normam, et fides nititur verbo Dei. Nec tantum haec recens et barbarica colluvies sacrificulorum et monachorum consideranda est, sed universa antiquitas Ecclesiae, et delectus adhibendus est.

12. Sciunt Staphylus, Canisius, Hosius et alii plurimi, qui defendunt idola pontificia, falsissimum esse, quod iactitant, consuetudinem huius temporis in suo coetu, consensum perpetuum esse Ecclesiae, sciunt nova idola excogitata esse et stabiliri, quae vetustas vicina Apostolis prorsus ignoravit, in quorum defensione cum manifeste contra conscientiam suam agant, deplorandi sunt.

13. Cum praedictum sit, magnas opinionum confusiones in ultima et delira mundi senecta fore, necesse est consuli scripta prophetica et apostolica, iuxta dictum Iohannis 14.: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

14. Et agnitam veritatem amplecti necesse est, quia terribilis sententia prolata est contra blasphemos, Matth. 12.: Blasphemia Spiritus non remittetur hominibus.

15. Et contumeliosum est adversus Deum, dicere, Legem moralem, Articulos fidei, promissionem gratiae et aeternae salutis in sermone prophetico et apostolico esse ambigua et incerta dicta, ut notae confusae erant in foliis Sibyllae, sicut Staphylus vociferatur.

16. Adfirmamus igitur nos amplecti scripta prophetica et apostolica, et quidem in hac ipsa sententia, quae in symbolis expressa est, et nos vere cives esse Ecclesiae Christi, et vere Ecclesias nostras, quarum extat confessio exhibita a Duce Saxoniae Electore Iohanne et Marchione Brandeburgensi Georgio, et aliis quibusdam in conventu Augustano, Anni 1530. esse partem Ecclesiae catholicae Christi, et iniuste nobis obiici, nos esse desertores Ecclesiae et schismatum autores.

17. Sunt enim schismatum et scandalorum autores, etiamsi ordinariam habent autoritatem, plurium seculorum et multitudinis suffragia, qui voci divinae adversantur, sicut Elias dicit: Non ego turbo Israël, sed tu.

18. Haec praefati sumus ad consolationem multorum, qui praestigiis Pontificiorum turbantur de ordinaria autoritate, de longi temporis consuetudine et de schismatum calamitatibus multa tragice vociferantium.

Nunc et capita quaedam doctrinae recitabimus.

19. Confitemur in filio Dei Domino nostro Iesu Christo nato ex virgine, duas esse naturas, *τὸν λόγον* aeterni patris coaeternum, et humanam naturam assumtam ex virgine, et adfirmamus in Iohanne, cum dicitur: *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος,* intelligi oportere *λόγον ὑφιστάμενον,* viventem et intelligentem, et constanter damnamus Samosatenum, Servetum, Conyzam, et similes, qui astute eludunt dicta Iohannis, et negant oportere intelligi *λόγον ὑφιστάμενον.*

20. Duae sunt adpellationes filii, *λόγος καὶ εἰκὼν,* quarum altera declarat alteram. Cum enim sit *εἰκὼν,* statuendum est, esse *λόγον,* quia *λόγος* est imago cogitatione genita.

21. Hac declaratione saepius usi sunt veteres scriptores, sed extat et haec apud Nazianzenum, dici *λόγον,* quia sit persona immediate proferens Evangelium ex sinu patris, quod Angelis et hominibus ignotum erat. Haec declaratio illustris est, et magis intelligi potest, et docet nos de immenso beneficio Dei, quod filius ab initio ad Ecclesiam missus sit, et allocutus sit patres, et promissionem patefecerit. Quare et ipse inquit: *τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν.*

22. Damnamus et Arianos, qui dixerunt: *τὸν λόγον εἶναι ἐκ μὴ ὄντων,* ac laeti invocamus filium Dei coaeternum patri *καὶ ὁμοούσιον,* sicut ipse inquit: Venite ad me omnes qui laboratis. Et prophetica et apostolica scriptura docet invocandum esse filium.

23. Qualis sit copulatio in Christo, *τοῦ λόγου* et humanae naturae, in coelesti consuetudine discemus. Sed certo damnamus Nestorium, qui contendit tantum societate auxilii, *τὸν λόγον* in Christo esse, ut fuit in Elia, aut aliis sanctis. Sed unio est hypostatica *τοῦ λόγου* et humanae naturae adsumptae, ut gestetur humana natura a

verbo, non solum inseparabiliter, sed ita etiam, ut nisi sic sustentaretur, illa massa prorsus interiret.

24. Etsi exemplum prorsus simile nullum est, tamen vetustas usa est hac similitudine: Sicut homo est unum *ὑφιστάμενον*, habens animam et corpus, ita *λόγος* et assumpta natura sunt unum *ὑφιστάμενον*, cum gestetur humana natura a divina. Hac similitudine usi sunt Athanasius, Cyrillus et Iustinus, qui tamen addit correctionem: *Τίνες μὲν τὴν ἕνωσιν, ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατά τι γοῦν.*

25. Damnamus et Eutychen, qui confusionem naturam finxit, dixit divinitatem mortuam esse.

26. Canitur nunc quoque in Graeca Liturgia precatio opposita Samosateno, Ario, Nestorio, et Eutychi, his verbis: *Μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ, ἀθάνατος ὑπάρχων, καὶ καταδεξάμενος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου μαρίας, ἀτρέπτως ἐνανθρωπήσας σταυρωθείς τε χριστὸς ὁ θεὸς, θανάτῳ θάνατον πατήσας, συνδοξαζόμενος τῷ πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, σῶσον ἡμᾶς.* Eam precationem recte intellectam et nos probamus.

27. Spiritus sanctus, de quo dicitur: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem etc. Item, Act. 2.: Dextera Dei exaltatus, promissionem Spiritus sancti accipiens a patre, effudit etc., non est motus creatus, sed est *ὑφιστάμενον* procedens a patre et filio, *ὁμοούσιον* patri et filio.

28. Hanc confessionem opponimus non solum Serveticis et Stancaro, qui falsas et virulentas calumnias de nostris Ecclesiis spargit, sed etiam ipsis Diabolis, ut asseveratio nostra ad posteritatem ostendat, nos constanter amplecti et retinere symbolum Apostolicum, Nicenum et Athanasianum.

29. Non casu, nec tantum ad ingentes miserias huius aerumnosae vitae nascimur, sed immensa bonitate Deus propter filium, et per eum colligit aeternam Ecclesiam, edita promissione gratiae, quam ignotam omnibus creaturis filius protulit ex sinu aeterni patris.

30. Idem filius Dei Dominus noster Iesus Christus mittens Apostolos, iubet eos in suo nomine praedicare poenitentiam et remissionem peccatorum. Vult igitur argui omnia peccata, et legem enarrari in ministerio evangelico, sicut ipse Dominus, qui est finis et interpres legis interpretatur Matthaei 5. et alibi, et vult hoc horrendum peccatum accusari, quod homines non norunt filium, nec credunt in eum, sicut inquit: Spiritus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me. Manifestum est autem proprie in Evangelio doceri, quis sit filius, et quare missus sit.

31. Deinde vult et promissionem gratiae, et salutis aeternae proponi, qua fit consolatio, quia credenti certo donantur gratis propter filium remissio peccatorum, imputatio iusticiae, Spiritus sanctus, et haereditas aeternae salutis. Haec sola fide accipiuntur, et cum accipiuntur, Spiritus sanctus exuscitat in cordibus laeticiam acquiescentem in Deo, invocationem et alias virtutes, sicut scriptum est: Iustificati fide pacem habemus erga Deum. Item: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.

32. Haec fiunt verbo Dei cogitato, sive lectum, sive auditum sit. Nec communicat se Deus in iustificatione sine suo verbo, ut fanatica Stenckfeldii turba fingit adflatus sine cogitatione verbi Dei, cum Paulus expresse dicat: Fides ex auditu est.

33. Et quidem saepe comperimus monstrosa ingenia falso iactare adflatus, et quia domicilia sunt Diabolorum, furiae et *ἀλάστορες* fiunt urbium et gentium. Tales erant Monetarius, multi in urbe Monasteriensi, et alii multi similes veterum illorum Carpocratis, Marcionis, Montani etc.

34. Utraque concio universalis est, concio arguens peccata, et promissio gratiae. De peccato inquit Paulus Roma. 3.: Ut omne os obstruatur, et reus sit totus mundus Deo. Promissio universalis est: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Et nihil dubium est, summum et severissimum praeceptum esse, ut omnes homines credant filio Dei, iuxta dictum: Spiritus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me.

35. Utrumque severissime mandatum est, ut dolentibus consolationem proponamus, iuxta Evangelium de filio Dei, et ut ipsi audiant et se sustentent cogitatione Evangelii, et repugnent dubitationi. Hoc cum faciunt, vere trahuntur a Deo. Nam Deus verbo trahit, non ut herbae sine

cogitatione medentur. Et veri dolores et sensus consolationis discernunt hypocrisin a vera conversione.

36. Utrumque sit certissimum, sensum consolationis testimonium esse praesentiae Spiritus sancti, qui est Arrabo gratiae, et assidue confirmandam esse certitudinem in invocatione, sicut meminimus sanctam matronam non multo ante mortem dicere, non se petere longam vitam, sed haec se petere, ne extinguatur haec consolatio, quam Deus cordi tribuisset.

37. Nititur autem haec fides nec dignitate propria, nec qualitatibus propriis, sed ipso Deo et mediatore agnito per verbum. Sicut in Psalmo dicitur: Spero in verbo eius, spero in Dominum.

38. Horrenda vox est, docere homines vocatos et dolentes, ut maneant in dubitatione, donec vi cogantur credere, sed doceantur potius, ut confugiant ad filium Dei assidua invocatione: Converte me Domine, et convertar. Credo Domine, opem fer imbecillitati meae. Petite et accipietis. Ephe. 3.: In Christo habemus *παῤῥησίαν καὶ προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ.* Cum talibus consolationibus erigimur, fit hoc, quod vetus dictum inquit: Praecedente gratia, comitante voluntate. Nec voluntas quae sanari incipit, iam se ut truncus habet, aut scopulus. Sed recte dictum est, et quidem verecunde, quod Nazianzenus scripsit: *Πᾶν τὸ κατορθούμενον παρὰ θεοῦ ἐστὶ, δέδοται δὲ τοῖς καλουμένοις, καὶ οὕτω νεύουσι.*

39. Hic processus a verbo initium sumens, et intelligi potest, et usum habet in docendis et consolandis iis, qui anguntur. Prius de electione disputare, est quaerere non mandata, et implicare mentes incertitudini.

40. Nec sequitur ex hoc processu meritum stabiliri, imo fides non accenderetur, nisi gratuitam misericordiam intueremur.

41. Removemus igitur illa tum manichaea, tum enthusiastica, quae fingunt violentam impressionem adflatuum expectandam esse, et interea dubitandum de gratia, quod cum dicunt, pugnant cum hoc dicto: Sola fide iustificamur.

42. Simul etiam damnamus Pelagianos, qui sunt blasphemi contra Spiritum sanctum, et re ipsa tollunt articulum fidei: Credo in Spiritum sanctum. Imo grati hoc summum Dei beneficium, et agnoscimus, et expetimus, et celebramus. Quid enim dare maius potest quam se ipsum? sicut inquit: Effundam de meo Spiritu. Et quanta consolatio est in tanta infirmitate nostra, habere hunc *Παράκλητον* gubernatorem et opitulatorem.

43. Datur autem cogitatione Evangelii, ut saepe adfirmant dicta divina Gal. 3., ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem.

44. Imaginatio stoicae necessitatis, est abyssus horribilium errorum et confusionum animi, Deum contumelia adficit, delet invocationem, extinguit diligentiam in regendis moribus, et praecipitat mentes in desperationem.

45. Etsi igitur pie et constanter profitemur, Deum adesse omnibus creaturis generali actione, ut nominatur, id est, conservatione substantiarum, donec conservantur, sicut dulcissime concionatur Psalmus: Domine probasti me etc. Et quanquam multa sunt fatalia, ut poenae scelerum, et translationes imperiorum, et multa in privatis mirabiliter gubernantur, tamen regula constantissime tenenda est: Deum non esse causam peccati, nec velle, nec efficere, nec adprobare peccatum, nec impellere voluntates ad peccandum.

46. Etiam in non renatis reliqua est aliqua libertas regendae locomotivae, ut usitate nominamus, quia etiam post depravationem generis humani manet nervorum talis natura, ut cogitatione impelli possint, ut cieant externa membra vel coërceant, ut Achilles quanquam ardet ira, tamen potest manus frenare, ne interficiant Agamemnonem.

47. Ac severissime praecipit Deus etiam non renatis, ut disciplinam praestent, quae est regere externos gestus, ut congruant ad externa opera Decalogi, et declarat iram suam adversus violantes disciplinam horribilibus poenis in hac vita, et nisi fiat conversio, aeternis post hanc vitam.

48. Nec tamen haec disciplina est impletio legis Dei, nec iusticia coram Deo, nec meritum remissionis peccatorum et gratiae.

49. Tristissima etiam sunt huius libertatis impedimenta, imbecillitas, quam nascentes nobiscum adferimus, et diabolicae insidiae et impulsiones, quae mala considerare debent conversi ad Deum, ut confugiant ad filium Dei, et auxilium petant. Sic scriptum est: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.

50. Quanquam valde multa Deus in omnibus renatis ita agit, ut voluntas humana se tan-

tum ut subiectum patiens habeat, ut Paulus inquit 2. Corinth. 1.: Excellenter onerati fuimus supra vires, ut desperaverimus de vita. Item Ierem. 10.: Scio Domine, quod non est hominis via eius. Et manifestum est humanam naturam imparem esse magnitudini certaminum et periculorum: tamen regulae tenendae sunt de plerisque actionibus, quae testantur, aliquid esse loci diligentiae nostrae seu voluntati comitanti Spiritum sanctum, ut Ephesios 5.: Videte quomodo accurate ambuletis, non ut fatui etc.

51. Et certe manet natura nervorum in renatis, et quidem cor iuvatur et accenditur Spiritu sancto. Scipio abstinens ab aliena sponsa, regit tantum locomotivam. Ioseph regit locomotivam, sed iuvatur cogitatione verbi Dei, et Spiritu sancto incendente cor ad invocationem Dei, et petitionem auxilii, et ad intellectum ac amorem castitatis. In hac lucta, etsi caro sentiebat infirmitatem, tamen mente servit legi Dei, et volens vitat illecebras. David volens indulget illecebris, et effundit Spiritum sanctum. Haec necessaria doctrina adsidue cogitanda est, ut et diligentia et invocatio accendantur, sicut mandatum est: Petite, et accipietis. Et Timotheum iubet Paulus ἀναζωπυρεῖν donum Dei. Et ad Ebrae. 12. dicitur: Teneamus gratiam, per quam serviamus bene placentes Deo cum reverentia et cautione. Nam Deus noster ignis consumens est. Hae commonefactiones sunt utiles vitae, et intelligi possunt. Praestigiae sophismatum de coactione, ne intelliguntur, nec sunt utiles vitae.

52. Damnamus et Pelagianos et Pontificios. Utrique enim fingunt posse legi Dei in hac vita satisfieri, et homines mereri remissionem peccatorum, et iustos esse coram Deo propter propria opera, seu propter propriam obedientiam. Et adfirmamus verae Ecclesiae doctrinam semper fuisse, esse et futuram esse hanc, Hominem sola fide coram Deo iustificari, propter filium Dei gratis.

53. Eadem est enim vox Prophetarum et Apostolorum, quod accipiant remissionem peccatorum et imputationem iusticiae, et sint iusti imputata iusticia, et accepti Deo ad vitam aeternam, propter mediatorem filium Dei per misericordiam gratis, sola fide, id est, fiducia misericordiae, propter mediatorem promissae, non propter proprias qualitates aut virtutes, aut propter iusticiam essentialem. Ideo Daniel inquit: Non propter iusticiam nostram, sed per misericordiam propter Dominum exaudi nos. Et David inquit: Eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam. Et haec fides accenditur per Spiritum sanctum cogitatione promissionis, iuxta dictum: Fides ex auditu est.

54. Hanc esse sententiam Pauli in acerrima contentione de iustificatione, in Epistola ad Romanos, nihil dubium est, et hanc esse necessariam et vere salutarem consolationem omnes pii intelligere possunt. Damnamus igitur corruptelas, quae contra hunc articulum variae excogitatae sunt omnibus temporibus. Origenes, Thomas, et alii multi synecdochen fingunt, fidem intelligunt noticiam historiae, et addunt hominem iustum esse coram Deo, propter sequentem obedientiam, quam nominant dilectionem. Osiander etiam synecdochen facit, ut ipse nominat, sed splendidius loquitur, ait fide praeparari hominem, ut fiat iustus ipso Deo in eo agente, quod idem est, ac si diceret, hominem iustum esse sequente novitate.

55. Verissimum est in regeneratione seu conversione, fide accipi Spiritum sanctum, et inchoari novam obedientiam, sicut Paulus inquit: Per Christum habemus gratiam et donum. Sed etiam de renato haec necessaria consolatio semper in hac vita retinenda est, quod sit iustus sola fide, id est, habens remissionem peccatorum, et acceptus Deo ad vitam aeternam propter mediatorem filium Dei, quia certum est inchoatam obedientiam nequaquam satisfacere legi Dei, et nondum in renatis in hac vita restitutam esse conformitatem cum lege, de qua dicitur: Deus erit omnia in omnibus beatis. Fatentur ergo et deplorant omnes sancti peccatum in eis adhuc haerens, ut Roman. 7.: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, etc. Et in Psalmo dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Iob 9.: Vere scio, quod hoc certum sit, quod non sit iustus homo coram Deo. Et cap. 14.: Quis dabit purum de polluto, ubi nullus est purus? Hanc molem peccati in corde securi hypocritae levem esse somniant, sed pii, qui habent exercitia poenitentiae, qui et dubitationibus et multis errantibus motibus repugnant, hi aliquo modo et sentiunt et deplorant naturae vulnera. Ideo confugiunt ad filium Dei mediatorem, et statuunt se sola misericordia propter ipsum iustos reputari, et haeredes esse vitae aeternae.

56. Falsum est igitur, quod Pontificii dicunt, bona opera esse merita vitae aeternae.

57. Manet tamen aeternus et immutabilis ordo sapientiae et iusticiae in Deo, ut creatura rationalis Deo obtemperet. Ideo vera propositio: Nova obedientia est necessaria. Non addimus hanc particulam ad salutem, sed dicimus: sine ulla sophistica necessariam esse, quia hunc ordinem sanxit Deus. Et qualis barbaries est, offundere populo hanc imaginationem, quod licitum sit ruere contra conscientiam in omnia scelera?

58. Damnamus et hanc falsam et barbaricam imaginationem Antinomorum, qua fingunt, non effundi Spiritum sanctum delictis contra conscientiam, cum Paulus expresse dicat: Scortatores, adulteri etc. non possidebunt regnum Dei, et Iudae 1.: Transferunt gratiam Dei in *ἀσέλγειαν*.

59. Quomodo autem placeat Deo inchoata obedientia, quanquam valde languida est, recte in Ecclesiis nostris exponitur. Nam utrumque scire necesse est, et quomodo persona sit accepta, et quomodo placeant opera. Nam hae quoque barbaricae voces execrandae sunt, Deus non curat opera. Item: Bona opera obsunt saluti. An Deus non curat opera, cum horrendam iram suam adversus peccata in toto genere humano ingentibus calamitatibus declaret? Quare etiam hoc docemus: Etsi bona opera non sunt merita vitae aeternae, tamen mereri ea mitigationem multarum poenarum publicarum et privatarum in hac vita, et donorum incrementa, iuxta haec dicta: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur a Domino. Item: Date et dabitur vobis.

60. Cum igitur manifestum sit, Pontificios magna errata contra legem Dei et contra Evangelium defendere, et addere manifesta idola et parricidia, necesse est seiungi ab eis, iuxta dictum: Fugite idola. Nec tamen simus errones, sed ostendamus nos coniunctos esse cum eo coetu, qui recte docet, et non defendit pertinaciter idola, et opiniones cum fundamento pugnantes, quia Deus vult esse Ecclesiam, et consociationem cum Ecclesia, et in hanc includamus nos, sicut dulcissime dictum est in versu Nazianzeni: *Ζήτω Νῶε κιβωτὸν, ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω.* Haec, ut supra dictum est, quotidie cogitanda sunt, cum dicimus: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam.

61. Solebat dicere senex non *ἄθεος* Faber Stapulensis, illud Catonis: Quem fugiam habeo, quem sequar, non habeo. Fatebatur manifeste et fugienda esse idola pontificia, sed videbat naevos in nobis, propter quos coniunctionem metuebat. Sed sciamus dictum filii Dei: Beatus qui in me non fuerit offensus. Etiamsi est magna infirmitas in nobis, tamen Ecclesiae consociatio expetenda est, et certum est, defensores idolorum et parricidas non esse Ecclesiam, et eorum societatem fugiendam esse. Erant et in Iudaea tristissimae dilacerationes tempore Zachariae, Simeonis, Iohannis Baptistae, et tamen horum coniunctio expetenda erat, etiamsi in horum auditoribus magna fuit infirmitas.

62. Manifestum est, esse cultus idolorum invocationem hominum mortuorum, et adorationem panis in circumgestatione, et in sacrificiis pontificiorum. Haec idola perinde fugienda sunt, ut ethnica.

63. Refutat invocationem hominum mortuorum haec vox expresse: Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies. Et qualis amentia est, invocare aliquid, a quo nescias te cerni et audiri?

64. Dignum memoria est Lutheri dictum, Invocationem hominum mortuorum eo quoque detestandam esse, quia obscurat hoc illustre argumentum de Christo: Prophetica et apostolica dicta docent invocandum esse Messiam. Est igitur in eo natura divina.

65. Caeterum historiam universae Ecclesiae, seriem patefactionum Dei, per quos, ubi, quibus testimoniis doctrina repetita sit, quomodo Deus praesentiam suam in Ecclesia ostenderit, nosse necessarium est, quantum haec inquiri possunt. In ea consideratione gratiarum actio fiat ad Deum, confirmetur et fides exhibitis testimoniis, et cognitis piorum confessionibus. Expavescamus etiam intuentes horribilia vasa irae, Saulem, Absolonem, fanaticos doctores, tyrannos, et veris gemitibus petamus, ut Deus faciat nos vasa misericordiae, propter filium et per eum, sicut inquit: Ego sum vitis, vos palmites. Denique amplissima sapientia est consideratio historiae Sanctorum, remota eorum invocatione.

66. Fremant licet omnes hypocritae et portae inferorum, tamen hanc veram doctrinam proponi necesse est: Non habet panis rationem Sacramenti extra institutum usum, quia Sacramenta

sunt actiones certo modo divinitus institutae, quam sententiam cum Eccius refutare in colloquio Regensburgensi non posset, incensus ira, postea tantum vini hausit, ut mox secuta sit saevissima febris.

67. Totum chaos rituum ecclesiasticorum, qui hominum autoritate instituti sunt apud Pontificios, plenum est errorum, et fuit carnificina conscientiarum impediens fidem et invocationem, finxerunt necessariam esse enumerationem delictorum, satisfactiones canonicas, discrimina ciborum et similes ritus esse cultus Dei et merita, contenderunt peccata esse violationes traditionum, quae humana autoritate in Ecclesia conditae sunt. Haec deliramenta manifeste pugnant cum his dictis: Frustra colunt me mandatis hominum. Et nemo vos arguat in cibo etc. Et tamen impudentia tanta est Esauitarum, ut tales ineptias defendant editis sycophanticis scriptis.

68. Manifeste inquit Paulus: Prohibitionem coniugii esse doctrinam Daemoniorum. Et hanc prohibitionem Pontificii tuentur barbarica saevitia, pellunt in exilia pias familias sacerdotum, qui in coniugio vivere malunt, alicubi etiam interficiunt eos. Talium scelerum defensores non esse Ecclesiam Dei, manifestum est, quia sunt organa Diabolorum, qui libidinum confusiones odio Dei confirmari volunt, et sunt homicidae.

69. Talium scelerum et factionum nos non esse socios laetemur, quia scriptum est: Non communices alienis peccatis. Et opponamus mandata Dei adversariis vociferantibus, nos esse schismatum et scandalorum autores. Difficile est non languefieri talibus criminationibus, et ingens rabies est Diaboli, qui circumit ut leo rugiens, quaerens, quem devoret, qui et tyrannos et fanaticos spiritus armat, ut maiores dissipationes faciant. Sed credimus hos nostros coetus sonantes vocem Evangelii, esse Ecclesiam Dei, et eum precamur, ut nos gubernet et protegat. Amen.

(LXX.) *Propositiones de iudiciis Ecclesiae, de quibus disputabit Magister* David Voit, *Lector Academiae Regiomontanae, die* 15. *Martii, Anno* 1560.

Certissimum est filium Dei velle in Ecclesia iudicia esse de doctrina et de moribus, et nequaquam velle infinitam licentiam esse ludendi deliciis opinionum, et praestigiis cavillationum, nec velle exempla vitae sine censura esse. De his iudiciis loquitur Dominus, inquiens: Dic Ecclesiae, et Paulus in secunda epistola ad Corinthios et 1. Timoth. 5. Et exemplum Synodi in Actis extat.

2. Recte dicitur normam iudiciorum in Ecclesia esse scripta prophetica et apostolica, et symbola, quae quidem sunt breves recitationes articulorum fidei, ex scriptis propheticis et apostolicis collectae, ut simul in conspectu sit doctrinae summa. Necesse est enim retineri dictum Pauli: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Et dictum Iohannis: Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Item: Frustra colunt me mandatis hominum.

3. Viennensis Esauita impudenter dicit, ineptum et ridiculum esse, a Scriptura petere certam sententiam de difficilibus religionis controversiis. Tales voces contumeliosas haud dubie puniet Deus, et ostendere nos contrariam confessionem necesse est.

4. Nos dicimus veram Ecclesiam doctricem audiendam esse, sed tamen fidem niti verbo Dei expresso in scriptis propheticis et apostolicis. Vult enim Deus in Ecclesia ministerium docendi esse, vult legi illa scripta, et moneri rudiores de genere sermonis, et ostendi membra et ordinem in universa doctrina, non vult interpretes alia dogmata extra scripta prophetica et apostolica gignere.

5. Et manifestum est, collatione locorum, intentione et studio opus esse, sicut Paulus inquit: Sis assiduus et intentus in lectione, doctrina et consolatione. Item: Sermo Christi habitet in vobis abunde in omni sapientia, et docete et commonefacite vos mutuo.

6. Huius studii rectrix est vox verae Ecclesiae in docendo, sicut dictum est: Nisi arassetis vitula mea, non invenissetis.

7. Ac loquimur de verae Ecclesiae voce, ut cum in Iudaea essent Pharisaei et Zadducaei, qui peregrinas interpretationes comminiscebantur, et quidem vocabulum Pharisaei significat interpretem, adeo gloriosum titulum illi sibi sumserunt, tamen praeter hos erant vera Ecclesia visibilis, Zacharias, Elisabeth, Simeon, Anna, Ioseph, Maria, soror Mariae, et horum auditores multi.

Hi cum audiebantur, iudicari potuit, ipsi ne retinerent nativam sententiam Prophetarum, an Pharisaei et Sadducaei. Ita nunc iudicari potest, an Pontificii, Anabaptistae et alii haeretici retineant nativam sententiam in scriptis propheticis et apostolicis, an vero nos: quanquam cum Pontificiis paucae controversiae sunt *τοῦ ῥητοῦ καὶ διανοίας*, quia in plerisque controversiis Pontificii manifeste pugnant cum expressis praeceptis divinis. Ut cum iubent invocare homines mortuos, cum iubent fieri adorationem panis in circumgestatione, cum iubent manere in dubitatione de gratia, cum affirmant homines satisfacere legi Dei externa obedientia, et iustos esse propria legis impletione, cum prohibent coniugium magnae parti hominum, qui non sunt idonei ad coelibatum, cum contendunt cultus Dei esse opera a Deo non mandata, imo perfectiones esse, ritus monasticos, ut desertionem propriarum facultatum, ut scribit Canisius.

8. Denique multa sunt, ubi facilima est diiudicatio, volentibus sine sophistica iudicare, qualia et haec sunt: Nova obedientia non est necessaria, seu bona opera non sunt necessaria. Homo habet se pure passive in malis et bonis operibus. Has portentosas et diabolicas voces detestamur, et dolemus tantam aliquorum audaciam esse, ut in Ecclesia Dei haec sonare audeant.

9. Nec tantum docet auditores vera Ecclesia, sed etiam testimonio suo confirmat, sicut Dominus inquit: Et tu conversus confirma fratres tuos. Item: Infirmum in fide assumite, ne dubitatione opprimatur.

10. Quanquam igitur opponunt Pontificii scripta prophetica, obscura et incerta esse, tamen adfirmamus legentibus et adhibentibus piam collationem certa esse, sicut Paulus inquit: Evangelium nostrum non est velatum, nisi in his qui pereunt. Et cum aeternus pater de coelo ediderit hoc mandatum de filio: hunc audite, et filius proferat Evangelium ex sinu aeterni patris, non existimemus nobis offerri ambigua folia Sibyllae.

11. Graviter scripsit Epiphanius: *τὰ θεῖα ῥήματα οὐ πάντα ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλὰ ὡς ἔχει. θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως δύναμιν.*

12. Certe nativa verborum significatio in lege morali in promissione gratiae et salutis aeternae, et in articulis fidei in symbolis, et alibi, ubi proprio sermone recitantur, retinenda est.

13. Quod autem dicit Epiphanius sensu et speculatione opus esse, sensu intelligit singula vocabula declarari. Sensu, id est, experientia discimus quid sit dolor, pavor, mors, consolatio, fides, laeticia, vita. Speculationem nominat dialecticum ordinem membrorum, definitiones, divisiones, distinctiones, iudicium de consequentiis. Haec non gignunt peregrinas sententias, sed nativas recte ordinant.

14. Quanquam igitur incidunt controversiae *ῥητοῦ καὶ διάνοιας*, tamen hae diiudicandae sunt ex scriptis propheticis et apostolicis, et ex his diiudicari possunt a piis, qui doctrinam Ecclesiae didicerunt, qui quidem et testimoniis veteris Ecclesiae, quae nondum discesserat ab Apostolorum vestigiis adiuvantur.

15. Cum Anabaptistae tollunt distinctionem Dominiorum et Politicum ordinem, propter haec dicta: Da omni petenti te. Item: Non vindicantes vosmetipsi, refutantur collatione locorum. Alibi enim expresse comprobantur, politicus ordo et distinctio dominiorum, et recte instituti in Ecclesia norunt discrimen legis et Evangelii, et discrimen aeternae iusticiae et politicae. Et valet vera sententia propter doctrinam certo a Deo traditam, qua fides nititur, non propter autoritatem personarum iudicantium seu ordinis, ut arroganter fingit Esauita, valere determinationes in quaestionibus dubiis, propter Pontificum et Episcoporum ordinem.

16. Dissimilia sunt iudicia politica, et dogmatum iudicia in Ecclesia. In politicis valet determinatio in quaestione dubia, autoritate regia seu praetoria, quia Deus armavit magistratus hac potestate. Et necesse est obtemperare propter ordinis gradum, qui mandatum etiam habet tuendae suae sententiae gladio.

17. Et tamen nec politica potestas habet autoritatem pronunciandi contra ius naturae, seu divinum nobis traditum. Sed cum incidunt quaestiones de iis, quae non possunt demonstrationibus extrui ex iure naturali, ibi propter probabilem rationem et autoritatem magistratus valet sententia, quia negocia politica ratione iudicari possunt.

18. Sed in iudiciis dogmatum non valet sententia propter autoritatem ordinis, sed propter

certa testimonia divina. Quia necesse est regulam retineri: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

19. Fuerunt Synodi aliquot quarum magna fuit frequentia, quae scelerate erraverunt. In Synodo Syrmiensi et Antiochena praesens fuit Imperator Constantinus, ubi magna frequentia Episcoporum decrevit in Christo nato ex virgine non esse divinam naturam. Sic errarunt et Arminensis et Seleuciensis Synodus. In Ephesina secunda tanti fuerunt tumultus, ut Antiochenus Byzantino defendenti veritatem calces illiserit, ex quo ictu intra triduum Byzantinus mortuus est, quam ob causam illa Synodus nominatur *λῃστρική*.

20. Et multae pontificiae Synodi confirmarunt manifesta idola, invocationes hominum mortuorum, et adorationem panis in circumgestatione, etc.

21. Cum igitur manifestum sit errare Synodos posse, necesse est quaerere normam iudiciorum non errantem, scilicet scripta prophetica et apostolica, et symbola. Et quanquam aliquando errantium maior est multitudo, tamen veritas in Ecclesia in aliquibus manet, iuxta dictum: Nisi Dominus reliquisset nobis semen etc. Cum Apostoli Christo pendente in cruce consternati tacent, retinent tamen lucem veritatis mater, et soror matris, et conversus latro in cruce, et pauci alii. Talibus exemplis consolemur nos nunc quoque adversus multitudinem eorum, qui crudelitatem contra veram Ecclesiam exercent, et confirmemus nos testimoniis divinis.

22. Veram confessionem edidit Synodus Nicena de filio Dei, quae adfirmavit, intelligi oportere *λόγον ὑφιστάμενον*, cum dicitur: *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος*. Etsi huius Synodi testimonio et similibus admonemur et confirmamur, tamen fides nititur testimoniis, quae extant in scriptis propheticis et apostolicis, quae sine ambiguitate idem adfirmant.

23. Monachi contendunt in Paulo non esse retinendum *τὸ ῥητὸν*, cum dicitur: Iustificamur fide, gratis sine operibus legis, sed adfingunt peregrinam sententiam contrariam Paulo, dicunt esse synecdochen: praeparamur fide, ut dilectione iusti simus. Haec synecdoche refutatur perpetuo consensu propheticae et apostolicae scripturae, quia expresse dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Iob 9.: Vere scio quod non sit homo iustus coram Deo. Et ad Roma. 3.: Ut omne os obstruatur, et totus mundus reus sit Deo. Hac posita perspicua antithesi, sequitur exclusiva: Sola misericordia propter mediatorem coram Deo sumus iusti, quod dicimus: Sola fide. Sicut Paulus inquit: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

24. Hanc veram, necessariam et dulcissimam consolationem delent Pontificii, Hosius et similes, qui adfingunt Paulo synecdochen contrariam continuae ipsius disputationi.

25. Simul autem cum fide accipitur consolatio, Spiritus sanctus est arrabo gratiae, accendit in corde laeticiam acquiescentem in Deo et invocationem, qua clamamus: Abba pater, iuxta dictum· Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.

26. Manichaei adfingunt peregrinam sententiam huic dicto: Scio Domine, non est hominis via eius: ergo inquiunt, nec bona nec mala agunt homines, sed impelluntur coacti. At collatio perpetuae doctrinae in scriptis propheticis et apostolicis ostendit, Deum nec velle, nec efficere peccata, sicut expresse dicitur: Non Deus volens impietatem tu es. Et dicitur aliqua esse carnis iusticia; est ergo delectus et libertas aliqua regendae locomotivae. Nec necesse est Davidem rapere alterius coniugem. Et quanquam bonae actiones fiunt ducente mentem et corda Spiritu sancto, non tamen prorsus ociosa est humana voluntas. Et tamen multa Deus in omnibus sanctis agit, in quibus voluntas eorum tantum est subiectum patiens. Et Deus mirabiliter regit eventus.

27. Ideo in Ieremiae dicto non comprehendantur malae actiones, et in bonis non excludatur cogitatio verbi, et diligentia, de qua dicitur: *ἀκριβῶς περιπατεῖτε, μὴ ὡς ἄσοφοι.*

28. Enthusiastica et Stenckfeldiana sunt, dicere manendum esse in diffidentia et fremitu adversus Deum, donec rapi et cogi te sentias et credas. Imo regula tenenda est: Fides ex auditu est. A verbo Dei exordiendum est, et in veris doloribus sustentemus nos promissione gratiae, intueamur filii Dei sacrificium, et opponamus dubitationi consolationes divinitus traditas, et simul misceamus precationes, sicut scriptum est: Petite et accipietis. Haec cum fiunt, certum est

trahi mentes a Deo, et veri dolores, et verae consolationes discernunt pios ab hypocritis.

29. Hac in vita usum habent, et a piis intelligi possunt, ad quorum iudicia provocamus. Sicut docet Psalmus: Expectavi Dominum. In verbo eius speravi.

30. Haerent in omnium animis tristissimae dubitationes, quibus non repugnare est profundum et magnum peccatum, quod gignit tetros fremitus adversus Deum, qui tela ignita Diabolorum invitant, contra quae iubet Deus opponi cogitationem verbi et precationem, sicut in Salomone dicitur: Omnis sermo Dei clipeus est igni purgatus sperantibus propter ipsum. Item: Orate, ne intretis in tentationem. Haec lucta sit assidua, semper in conspectu sint dicta certa et illustria, et misceatur precatio, ut Dominus inquit: Oportet semper orare.

31. Tentationibus de indignitate opponenda est doctrina de gratuita reconciliatione. Tentationibus vero de electione opponantur promissiones universales, nec labefactemus fidei initia alienis disputationibus non mandatis a Deo, sed simus memores dicti Syracidae: Quae Deus tibi praecepit, sancte cogita. Non agit verbum Dei sine cogitatione, ut fiunt magicae actiones.

32. Horrenda impietas est Pontificii dogmatis, quod iubet dubitare de remissione peccatorum, sicut et Synodus Tridentina decrevit.

33. Multae controversiae diiudicari possunt ex Grammatica cognita phrasi. Hosius argumentatur de sacrificio: Graeci nominant administrationem coenae Domini λειτουργίαν, igitur est sacrificium. At λειτουργία significat proprie ministerium publicum, et maxime conveniens nomen, est ad nostrarum Ecclesiarum consuetudinem, in qua minister publice exhibet sumentibus.

34. Regula firmissima est, Nihil habere rationem Sacramenti extra usum institutum, quia nulla creatura habet autoritatem instituendi Sacramenta. Ergo pontificiae adorationes in oblatione et circumgestatione sunt idolorum cultus. Et regula tenenda est: Fugite idola. Necesse est autem et veros usus discere, et in sumtione agnoscere nos Christo insitos esse, tanquam surculos et vere participes esse summorum beneficiorum, quae Ecclesiae meruit, et pro eis gratias agere. Ideo dictum est: Hoc facite in mei recordationem.

(LXXI.) DISPUTATIONES DUAE,

prima *de iusticia fidei.* Secunda *de bonis operibus.* Habitae a ***Bernhardo Ziglero,*** D. Theologiae.

Disputatio prima:
De iusticia fidei.

Huius propositionis: Fide iustificamur, variae corruptelae non solum hoc tempore, sed etiam olim excogitatae sunt, quae magna vigilantia cavendae et refutandae sunt, ne praestigiis sophismatum inducantur tenebrae simplici veritati, et obscuretur gloria filii Dei, et vera ac necessaria consolatio conscientiis eripiatur.

II. Cum autem de Iustificatione loquimur, necesse est haec tria complecti, remissionem peccatorum, et imputationem iusticiae, et donationem Spiritus sancti, vivificantis corda fide, id est, fiducia mediatoris, in quo motu vere fit hoc in nobis, quod dicit Christus: Spiritus sanctus glorificabit me. Tunc vere agnoscitur mediator, et simul fit inchoatio novae obedientiae.

III. Perspicua, aeterna et immota Evangelii sententia est, Agentibus poenitentiam remitti peccata, non propter propria benefacta, sed propter filium Dei gratis per fidem, qua et articulos omnes fidei credunt, et sibi applicant articulum de remissione, ac sibi ipsis remitti peccata credunt.

IV. Actor. 10. dicitur: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Et ad Roman. 3.: Iustificamur gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine eius.

V. Nec obscura sunt haec intelligenti, quid sit Evangelium, et quod sit discrimen legis et Evangelii.

VI. Cum Adam et Eva lapsi essent, norant legem, et inde ratiocinabantur, se damnatos esse: Iusticia Dei est immutabilis, damnari inobedientes est iusticia Dei, ergo non mutabitur sententia de damnatione.

VII. Hoc argumentum nulla creatura solvere potuit, sed filius Dei inenarrabili consilio et immensa bonitate, motus misericordia generis humani, factus est deprecator, et illi argumento sic respondit, ut iusticiae Dei satisfieret, quia

oportebat aliquem in genere humano poenam solvere, fit decretum, ut ipse adsumat humanam naturam, et fiat victima. Ita ipso deprecante, et in sese derivante poenam, mirabili sapientia, mixta misericordia et iusticia pater reconciliatus est.

VIII. Cum igitur audirent vocem promissionis de semine, intelligebant se recipi, et sibi remitti peccata, propter illud venturum semen, non propter aliquam propriam compensationem aut dignitatem.

IX. Et particula exclusiva, *Gratis*, quam saepe repetit Paulus, sic intelligenda est, ut excludat nostra merita a remissione peccatorum: non autem meritum Christi, quia oportuit iusticiae Dei satisfieri, poena in mediatorem derivata.

X. Ac necesse est exclusivam retineri propter has necessarias causas.

XI. Primum ut tribuatur debitus honor filio Dei.

XII. Secundo, ut conscientiae in vera poenitentia certam et firmam consolationem teneant. Quia si remissio penderet ex conditione nostrae dignitatis, fieret incerta.

XIII. Tertio, ut invocatio ad Deum fieri possit, quia conscientia dubitans an simus recepti, fugit Deum et non invocat. Ideo scriptum est: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae.

XIV. Sunt qui improprie exclusivam interpretantur, quasi nihil agat voluntas. Gratis, id est, Deus sine aliquo nostro motu concurrente, sine contritione, sine fide, infundit novas qualitates.

XV. Haec interpretatio impropria est, non enim ideo tollitur meritum, quia nihil agamus, sed ut mediatori debitus tribuatur honos, et sit certa promissio.

XVI. Quare non excluduntur contritio et caeterae virtutes, quae existunt in conversione, sed hoc adimitur eis, ne sint meritum, seu causae impulsivae remissionis peccatorum, et reconciliationis et iustificationis.

XVII. Necesse est enim in conversione aliquam esse contritionem, id est, aliquos pavores, et agnitionem irae Dei adversus peccata. Ideo dicitur: Agite poenitentiam. Et apud Iesaiam: Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito, etc. Vere enim et horribiliter irascitur Deus omnium peccatis. Et hanc suam iusticiam vult aliquo modo agnosci: ideo et ingentibus calamitatibus oneravit totum genus humanum, ut ira conspiciatur, et ipsa voce ministerii Spiritus sanctus arguit peccata. Certissimum sit igitur Deum valde detestari carnalem securitatem, et velle ut expavescamus agnitione iustissimae irae adversus peccata.

XVIII. Adversarii verba quidem huius propositionis retinent, quia toties a Paulo repetita et inculcata sunt: *Gratis iustificamur* propter Christum per fidem: sed aliam sententiam affingunt contrariam Evangelio. Negant enim hanc propositionem, de qua Paulus proprie dimicat, Agentem poenitentiam oportere credere, se ipsum recipi a Deo, propter mediatorem gratis, et expresse iubent dubitare: Anathema inquiunt sit, qui docet agentem poenitentiam debere statuere, quod vere accipiat remissionem peccatorum, et placeat Deo.

XIX. Huic doctrinae de dubitatione necesse est constanter adversari, quia manifeste delet promissionem Evangelii, et postea multae corruptelae sequuntur.

XX. Sic intelligunt, gratis fide iustificamur, id est, aliquibus gratis infunduntur novae qualitates, sed ita, si habeant professionem doctrinae de Christo, qualem habent et Daemones, nemo tamen statuat se iustum esse, aut placere Deo.

XXI. Haec tota imaginatio est ociosae mentis philosophica speculatio. Sicut enim Philosophi discernunt heroicas virtutes a communibus: sic isti dicunt in conversis accendi novas et ardentiores virtutes, quam sunt in aliis.

XXII. Hoc quidem verum est, sed non satis est hoc docere; nam conscientia non docetur in pavoribus, quid statuere de voluntate Dei debeat.

XXIII. Promissio autem ideo tradita est, et ministerium Evangelii ideo institutum est, et servatur divinitus, ut nos voluntatem Dei sciamus, et agnitione misericordiae Dei recipiamur, et ex pavoribus erecti donemur nova luce et vita.

XXIV. Affirmamus igitur agentem poenitentiam oportere non solum mutilam quandam fidem habere, hoc est, nosse et credere articulos fidei veros esse, sicut credunt Daemones, sed oportere sibi applicare articulum de remissione: Credo remissionem peccatorum, non tantum aliis dari Petro et Paulo, sed credo etiam, mihi ipsi vere remitti omnia peccata propter mediatorem.

XXV. In hac consolatione simul datur Spiritus sanctus, et accenditur nova lux, iusticia et

vita, sicut ad Galatas dicitur, ut promissio Spiritus donetur per fidem.

XXVI. Affirmamus igitur etiam hoc, dari Spiritum sanctum, et novam iusticiam seu novam obedientiam inchoari in hac vita.

XXVII. Status autem huius controversiae est, an cum dicitur: *Fide iustificamur*, intelligi necesse sit fidem, quia sibi quisque propter mediatorem remitti peccata credit. De hac fide speciali dimicatio est.

XXVIII. Hanc reiiciunt adversarii, et praecipiunt dubitare. Haec corruptela multos alios errores confirmat, nihil esse imputationem iusticiae. Item, homines iustos esse propria legis impletione. Item, promissionem Evangelii inanem sonitum esse, nec editam esse, ut mentes consoletur aut fide accipiatur, quia necesse aut pium sit dubitare. Item, quanquam promissio est universalis, tamen cum dubitatio praecipitur, tollitur haec consolatio, cum mens in dubitatione ethnico more cogitat: fortasse ad me nihil pertinet promissio. Item, non intuetur mens mediatorem, nec eo utitur, cum existimat in dubitatione manendum esse. Denique multi errores impliciti sunt doctrinae adversariorum de dubitatione.

XXIX. Cum igitur doctrina illa praecipiens dubitare, et falsa sit, et deleat necessariam consolationem, et excutiat veram invocationem: necesse est errorem illum refutari.

XXX. Teneamus igitur haec praecipua et firma argumenta de fide, qua sibi quisque applicat promissionem.

Primum, quod recitat Paulus ad Roma. 4.: Promissionem fide accipere necessarium est, ut Paulus clare affirmat: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Accipere autem promissionem fide, est repugnare dubitationi, et nos singulos de nobis statuere, pertinere ad nos reconciliationem. Ergo repugnare dubitationi necessarium est.

Secundum: Si non est facienda applicatio, frustra est edita promissio, et frustra sonat in Ecclesia vox absolutionis. Cur enim autoritate divina pronunciatur haec sententia: Remittuntur tibi peccata, si simul praecipitur dubitatio. Ioh. 5. dicitur: Qui non credit Deo, accusat eum mendacii. Quid aliud fit ab ipsis praecipientibus dubitationem? Certe Davidem oportuit credere voci Nathan: Dominus abstulit peccatum tuum: ita et nos in Ecclesia vere debemus absolutioni credere, tanquam voci Dei de coelo sonanti.

Tertium: Iustificati fide pacem habemus. Manifestum est dubitatione non effici pacem conscientiae, sed magis augeri pavorem. Vult autem Paulus talem esse fidem, quae pacem efficiat in conscientia, et quidem accedat ad Deum, ut Roma. 5. dicitur. Necesse est igitur hanc fidem intelligi de speciali, quae repugnat dubitationi, et perterrefactis mentibus lenit dolorem, cum acquiescunt in mediatore.

Quartum: Tollens hanc fidem specialem, tollit usum mediatoris, quia dubitans an recipiatur, non amplectitur beneficium mediatoris, sed relinquit eum tanquam otiosum, nec accedit ad eum, confugiens ad ipsius intercessionem. Haec autem fuga mentis pugnat manifeste cum his dictis, ad Roma. 5.: Per hunc habemus accessum etc. Ad Ephes. 3.: Per quem audemus accedere, et fiduciam habemus per fidem in ipsum. Haec descriptio satis perspicue ostendit postulari talem fidem, quae sit fiducia accedens ad Deum, et multis insignibus verbis eam illustrat, ut mens pavida et dubitans attrahatur ad Deum adiuncta mediatori.

XXXI. Haec argumenta perspicua sunt omnibus, qui norunt exercitia poenitentiae et fidei. Qui vero tam manifestis argumentis et testimoniis Pauli repugnant, ostendunt se velut Ethnicos, nec poenitentiae nec fidei exercitia novisse, et indulgere dubitationibus, quarum plena sunt hominum pectora, ut clamores multorum in aerumnis ostendunt, qui tunc ostendunt suas dubitationes, ut 4. Aeneid. inquit rex impius:

> Nos munera templis,
> Quippe tuis ferimus: famamque fovemus manem.

Talis est invocatio removentium mediatorem filium Dei et fidem.

XXXII. Etsi autem sanctorum animi etiam in hac vita ingentibus dubitationum fluctibus saepe concutiuntur, tamen pii promissionem divinam opponunt, et repugnant dubitationi, et in mediatore acquiescunt.

Disputatio secunda:
De bonis operibus.

I. Ideo immensa bonitate Dei et conditum est genus humanum, et redemtum, ut sit Ecclesia, cui

Deus suam sapientiam et iusticiam communicet, et in qua vicissim agnoscatur, et in omni aeternitate celebretur. Postquam igitur fide mediatoris recepti sumus, restituuntur in nobis obedientia congruens cum voluntate Dei et vita aeterna, ut celebremus Deum in laetitia et gratiarum actione in omni aeternitate.

II. Quare nequaquam existimandum est, ita nos receptos esse, ut nulla in nobis conversio ad Deum et mutatio fiat, sed adhuc regnet peccatum, et securi laxemus frenos cupiditatibus. Sed necesse est in hac vita inchoari novitatem Spiritus, sicut expresse affirmat Paulus, inquiens: Superinduemur, si tamen non nudi inveniemur.

III. Nec ideo filius aeterni patris Dominus noster Iesus Christus crucifixus est, et iram horrendam in sese derivavit, ut nos furenter ruamus in omnia scelera, et somniemus libertatem, quae sit *ἀνομία,* cum potius velit nos ad imaginem suam restitui, sicut Paulus inquit: Oportet nos fieri similes imaginis filii Dei.

IV. Cum latro in cruce conversus est, et fide receptus, simul inchoata est in eo nova obedientia, et multa bona opera simul extiterunt, poenitentia seu contritio, fides et agnitio Dei, et agnitio huius Messiae ibi pendentis, agnitio irae Dei adversus peccata, ingens dolor animi deplorantis sua scelera et multiplicem contumaciam, fides accipiens remissionem peccatorum, et vitae aeternae haereditatem propter Messiam, fiducia misericordiae et praesentiae Dei in iis aerumnis quas sustinebat, dilectio Dei, et *προαίρεσις* bona obediendi Deo, quae est iusticia universalis, spes liberationis, patientia subiiciens animum Deo in hac tristi poena, invocatio, confessio, refutatio blasphemiarum. Denique huius latronis conversio insigne exemplum est universae Ecclesiae propositum, ut multa inde discamus omnes. Primum ut cogitemus nos quoque tanquam ibi pendentes reos esse, damnatos et calamitosos. Deinde, ut statuamus gratis nobis donari remissionem peccatorum, nos vere recipi, et fieri haeredes vitae aeternae propter filium Dei, et fides in hac consolatione in corde laetitiam pariat, exsuscitet nos ad invocationem, patientiam, confessionem, et refutationem malorum dogmatum. Hoc modo latronis exemplum intuentes, reiiciamus ineruditorum clamores, qui dicunt in latrone converso non fuisse bona opera.

V. Semper autem in hoc capite de nova obedientia, seu de bonis operibus, hae sex quaestiones comprehendendae sunt:

Quae bona opera fieri necesse sit.

Quomodo fieri possint, et quae causae concurrant.

Quomodo placeat Deo nova obedientia.

Quae sint causae necessitatis.

An maneant peccata in hac mortali vita in renatis.

De discrimine peccatorum.

De prima quaestione.

VI. Lucerna pedibus meis verbum tuum, inquit Propheta. Vult enim Deus immensa bonitate sua nos voce regi, non vult nos nostris imaginationibus, opera et cultus excogitare, ut horribili audacia fecerunt Ethnici, qui subinde nova numina excogitarunt, deleverunt et leges morales, ut lege Laconica licuit de alterius uxore cum eius marito pacisci. Et omnibus aetatibus Diabolus aliquos incitat ad excogitanda nova dogmata et cultus novos, ut in ea multitudine, quae nomen habet Ecclesiae, saepe falsa dogmata sparsa sunt, et excogitatae pravae invocationes, ut invocatio mortuorum et idolorum, leges coelibatus, et monastici cultus. Adversus hanc audaciam humani generis tenenda est doctrina: Frustra me colunt mandatis hominum. Et sciendum est, normam inchoatae obedientiae oportere esse praecepta Dei, quorum summa in Decalogo comprehensa est, quem sapienter intelligi, iuxta declarationem a Christo et Apostolis expressam oportet. Ideo dictum est: Si vis in vitam ingredi, serva mandata.

VII. Haec nova obedientia non est tantum externa disciplina, sed etiam in corde nova lux, vera Dei agnitio, fides, timor Dei, fiducia, dilectio, spes, vera invocatio, constantia seu firmitas in vera sententia, fortitudo, temperantia, amor, castitas, et aliae virtutes. Etsi autem in hac mortali vita simul in nobis multum est caliginis et sordium, tamen inchoari virtutes, quas nominavimus, et esse in nobis iusticiam bonae conscientiae necesse est. Nec possunt vera invocatio, et fides, quae est fiducia misericordiae, simul esse cum mala conscientia, id est, cum *προαιρέσει* delinquendi.

De secunda quaestione, videlicet de causis.

VIII. Illustria testimonia sunt veri et magni amoris in Deo erga genus humanum, quod et in creatione in nos transfudit suae sapientiae et insticiae radios, et deinde filium pro nobis victimam esse voluit, ne totum genus humanum periret, et quod in nos effundit Spiritum sanctum, qui est ὁμοούσιος aeterno patri et filio eius Domino nostro Iesu Christo.

IX. Nec vero maius ac melius quicquam dare Deus potest, quam hanc talem societatem sui Spiritus, quo nos cum divinitate copulat, et accendit in nobis veram lucem, iusticiam et vitam. Suntque execrandi furores Pelagianorum, qui horrenda impietate et ingratitudine negant Ecclesiae dari Spiritum sanctum, et superbe affirmant homines legi Dei satisfacere posse propriis huius miserae et languefactae naturae viribus.

X. Etsi et non renati aliquo modo possunt externa legis opera facere, quia ut disciplina in toto genere humano servetur, et servari possit, voluit Deus hanc libertatem reliquam esse, qua voluntas humana regit externa membra, seu locomotivam, ut usitate loquimur, tamen sine auxilio Spiritus sancti non inchoatur interior obedientia.

XI. Datur autem Spiritus sanctus, cum in conversione seu poenitentia vocem Evangelii audimus et cogitamus, et corda fide eriguntur, et in ea consolatione sustentantur agnitione misericordiae Dei, et incipiunt acquiescere in Deo, eum invocare, et ut Paulus inquit, clamare Abba pater. Ideo Paulus nominat Evangelium ministerium Spiritus. Item: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et in Zacharia dicitur: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum, videlicet quo moveamur, ut assentientes voci Evangelii statuamus nos esse in gratia, et hac fide accedentes ad Deum invocemus, etc.

XII. Concurrunt itaque hae causae, verbum Dei, et Spiritus sanctus illustrans mentem, et adiuvans voluntatem, et voluntas non repugnans, sed assentiens, et quidem cum iam iuvetur Spiritu sancto, luctans et ipsa cum infirmitate nostra, et non indulgens diffidentiae, et aliis vitiosis affectibus.

XIII. Nequaquam enim ita cogitandum est: Indulgebo diffidentiae aut pravae cupiditati, donec sensero mihi velut coacto, alios novos motus insitos esse, sed luctetur voluntas, ne repellat Spiritum sanctum. Nec sensus seu experientia praecurrat fidem, ut cum exploras an aqua calida sit aut frigida, sed fides antecedat sensum aut laetitiam in corde. Recte igitur dictum est: *ἕλκει μὲν ὁ θεὸς, βουλόμενον δὲ ἕλκει.* Et istud Augustini: Praeeunte gratia, comitante voluntate.

XIV. Non sit igitur ignava voluntas, praesertim cum Spiritus sanctus restituere libertatem coeperit, severe imperet externis membris, pugnet ut retineat Dei donum. Quare Paulus praecipit: Ambulate accurate, non ut fatui, id est, quibuslibet opinionibus sine iudicio applaudentes et ruentes quo impellunt errantes cupiditates. Et in Psalmo dicitur: Nolite fieri sicut equus et mulus. Et cum vere dictum sit: Vitare peccata, est vitare occasiones peccatorum, aliquis est locus diligentiae humanae in vitandis occasionibus, ut Ioseph vitabat colloquia familiaria dominae. Agamus autem Deo gratias totis pectoribus, quod in hac magna imbecillitate nos luctantes suo Spiritu adiuvat, regit consilia in multis rebus, quae humana prudentia regi non possunt, flectit voluntatem ad bona, reprimit temerarios impetus cordis, dat bonos exitus in negociis inextricabilibus, et confirmat mentes et voluntates, ne a Deo deficiant. Sicut Paulus inquit, Roma. 8.: *τὸ πνεῦμα συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν.*

De tertia quaestione: Quomodo placeat nova obedientia.

XV. Cum in hac mortali vita nobis in conspectu sint multae nostrae sordes, excruciant animos et impediunt invocationem hae dubitationes assiduae, an placeamus Deo, an tales exaudiat, an tales fecerit haeredes vitae aeternae. Necesse est autem discrimen esse Ecclesiae Dei, et omnium aliorum hominum, qui non sunt vera membra Ecclesiae Dei. Dubitant de voluntate Dei erga se viri praestantes virtute, Aristides, Xenophon, Atticus. Sed Abraham, Petrum, Paulum, necesse est non dubitare, an Deo placeant, an sint in gratia, an exaudiantur a Deo, iuxta illud: Omne quod non est ex fide peccatum est.

XVI. Quare maxime necessarium est, in tanta dissimilitudine et infirmitate virtutum, certo scire, quomodo placeant Deo membra Ecclesiae.

Quanta dissimilitudo est Eliae, et mulieris meretricis conversae? Et tamen mulierem conversam quoque necesse est statuere, se receptam esse, placere Deo, et exaudiri a Deo. Nisi enim haec fides in ea luceat, non accedit ad Deum nec invocat.

XVII. Ut igitur haec doctrina perspicua sit, hoc ordine praecipua membra comprehendi possunt. Primum sciamus mandatum Dei aeternum et immotum esse, ut singuli conversi ad Deum statuamus recipi et placere personam propter filium Dei mediatorem, gratis, etiamsi adhuc in nobis reliqua est magna infirmitas, et multae sordes. Secundo, agnoscamus nos nequaquam satisfacere legi Dei, et adhuc circumferre in nobis peccata, et hanc nostram infirmitatem veris gemitibus deploremus. Tertio, et tamen sciamus Deum postulare, ut sit in nobis inchoata obedientia, fides et iusticia bonae conscientiae, et haec opera ipsi placere in reconciliatis propter mediatorem fide.

XVIII. Horum trium membrorum consideratio necessariam doctrinam et consolationem continet. Prohibet arrogantiam propriae dignitatis, et tamen ostendit portum, scilicet mediatorem, ac iubet eluctari ex dubitatione, ac statuere nos esse in gratia propter mediatorem. Et de amplitudine misericordiae Dei nos commonefacit, cum affirmat etiam hanc inchoatam et mendicam obedientiam in reconciliatis, quorum magna dissimilitudo est, Deo placere.

XIX. Multae perniciosae alucinationes sunt eorum, quorum scripta extant de hac quaestione. Alii iubent semper in dubitatione manere, an placeamus Deo, alii signa colligere docent in nostris operibus. Sed utrique errant, ignorantes discrimen legis et Evangelii. Promissioni credere necesse est, et mentes deducendae sunt, ad intuendum mediatorem, et ad promissionem firma fide et spe amplectendam, non ad munditiem nostram magnifaciendam, de qua Psalmus dicit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

De quarta quaestione:
Scilicet de causis, cur necessaria sit nova obedientia.

XX. Et tamen semper manet sententia verissima, necessariam esse inchoatam obedientiam, et ut supra dixi, cum fide iusticiam bonae conscientiae. Et necessitatis causa est, non tantum ut serviatur proximo, ut quorundam fuit agrestis oratio, sed alia principalis est, videlicet debiti, quod non significat coactionem seu violentiam, sed aeternum et immotum ordinem, quo creatura rationalis universaliter Deo ad obedientiam obligata est. Ideo et Paulus inquit: Debitores sumus.

XXI. Deinde accedunt et plures causae. Necessitas a causa formali sumta est, quod cum conversio revera complectatur hos motus, timorem Dei, consolationem, novam lucem, agnitionem Dei et Domini nostri Iesu Christi, et fiduciam acquiescentem in mediatore, dilectionem, invocationem, spem, nec potest quidem esse et retineri fides, quae est fiducia misericordiae, nisi simul sint aliae multae virtutes. Haec non sunt obscura mediocriter eruditis, et non ignorantibus vera exercitia poenitentiae et invocationis.

XXII. Datur vita aeterna propter filium Dei, non propter nostram dignitatem. Et spes vitae aeternae sit certa propter mediatorem, non propter nostram dignitatem, iuxta illud: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Item: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et tamen bona opera merentur multa praemia spiritualia et corporalia, quae dantur tum in hac vita, tum post hanc vitam, ut multae tristes poenae publicae et privatae mitigantur propter poenitentiam, et bona opera aliquorum in Ecclesia, iuxta illud: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.

XXIII. Non dubium est comminationes divinas ratas esse, ac Deum vere irasci peccatis, iuxta illud: Deus ignis consumens est. Et haud dubie punit peccata in hac vita, et post hanc vitam, in his qui non convertuntur. Rursus etiam promissiones legales, id est, quae promittunt praemia pro operibus, ratae sunt reconciliatis, etiamsi legi non satisfacimus: sed quia placet obedientia in reconciliatis, meretur praemia in illis legalibus promissionibus proposita, ut: Date et dabitur vobis. Item: Qui dederit potum aquae uni ex minimis meorum propter doctrinam, habebit mercedem. Vult Deus et talibus promissionibus exerceri fidem. Nec dubium est haec promissa praestari.

De quinta quaestione:
An sint peccata in renatis, in hac mortali vita.

XXIV. Manifestum est caliginem et magnos dubitationum fluctus in mentibus esse, manifestum est et multa magna incendia esse viciosa-

rum cupiditatum in renatis: Manent igitur peccata in renatis in hac mortali vita, videlicet radix, de qua dicit Paulus: Sensus carnis inimicicia est adversus Deum, et huius radicis fructus, dubitationes et vitiosi affectus, et multa errata, quae per ignorantiam accidunt, et magnae neglectiones seu omissiones, ut usitate loquimur, in omnibus.

XXV. Sed donec reconciliati repugnant pravis motibus, et non ruunt contra conscientiam, ac retinent fundamentum, et fide propter mediatorem statuunt tegi haec mala, manent in gratia, et non effundunt Spiritum sanctum. Suntque haeredes vitae aeternae, sicut inquit Paulus: Nulla nunc condemnatio est his qui in Christo Iesu ambulant.

XXVI. Sed qui scientes ruunt contra conscientiam, aut qui non retinent fundamentum, et impia dogmata amplectuntur, et pertinaciter stabiliunt, etiamsi coeco errore peccant ignorantes, ut multi ab Arianis seducti, tales effundunt et contristant Spiritum sanctum, et nisi convertantur, ruunt in aeternum exitium, sicut Paulus inquit: Si secundum carnem vivetis, moriemini. Item: Qui facit peccatum ex Diabolo est.

De sexta quaestione, videlicet: de discrimine peccatorum.

XXVII. Nequaquam igitur fingenda est ἀνομία, et confirmandi furores multorum, qui cum audiunt fide homines iustos esse, et manere in renatis peccata, sibi indulgent, et ruunt contra conscientiam, ac interea sibi blandientes, somniant se iustos esse, et placere Deo, cum non sint simul mala conscientia, id est, propositum delinquendi, et fides, quae est fiducia misericordiae: Et contristent et effundant Spiritum sanctum, ruentes contra conscientiam.

XXVIII. Manifestum est ex dicto Evangelii Matth. 12.: Tunc vadit, et assumit alios septem spiritus etc. Item: Qui stat, videat ne cadat, et ex aliis multis testimoniis et exemplis, renatos labi posse, et lapsos amittere gratiam et Spiritum sanctum, et reos fieri aeternae poenae. Et de Aaron dicitur Deut. 9.: Adversus Aaron quoque vehementer iratus est Dominus, et voluit eum conterere.

XXIX. Gradus a Paulo constitutus est, cum inquit: Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Item: Manifesta sunt opera carnis, etc. Talia facientes regnum Dei non possidebunt. Vocat manifesta, quod in quolibet iudicio conscientiae agnosci et damnari possint.

XXX. Itaque propter lapsus contra conscientiam gratia amittitur, et excutitur Spiritus sanctus. Ac distantia infinita est inter lapsus contra conscientiam, et alia peccata, quae non excutiunt Spiritum sanctum.

XXXI. Usitatae sunt appellationes, nominare peccata mortalia, quibus admissis amittitur gratia: Venialia vero caliginem et ἀταξίαν, quae nobiscum nascuntur, et vitiosos affectus, quibus tamen repugnamus.

XXXII. Errant autem furenter monachi, qui dicunt venialia esse parvas ordinis conturbationes praeter legem, non contra legem. Nam certum est, vitia reliqua in nobis esse mala pugnantia cum lege Dei, ut Paulus Rom. 7. perspicue affirmat. Nec extenuanda est turpitudo huius ἀταξίας, sed agnoscendum et celebrandum beneficium mediatoris, qui est umbraculum, quo haec peccata teguntur.

XXXIII. Hanc distinctionem peccatorum existimo apte his appellationibus illustrari posse, si distinguatur peccatum in peccatum regnans, et non regnans, quae nomina congruunt cum phrasi Pauli, qui ait: Non regnet peccatum. Et videtur phrasis ex Genesi et Psalmis sumta esse, ut 4. capite Genesis dicitur: Tu domineris eius. Et Psalm. 119.: Non dominetur mei omnis iniquitas.

Conclusio.

Hanc explicationem doctrinae de fide et bonis operibus, indico veram esse, et consensum catholicae Ecclesiae Dei perpetuum, quem quidem et Ecclesiae in his regionibus sonant uno spiritu et una voce, cum vera Dei Ecclesia omnium temporum, meque semper ad declarationem piam coram nostris Ecclesiis offero, si quid forte obscurius, aut nondum satis explicate dictum est, ut videmus rem difficilem esse, perspicue tantam rerum amplitudinem exponere. Quare et in veterum scriptis sparsa sunt multa non satis proprie dicta, et tamen perpetuam sententiam Ambrosii, Augustini, Bernardi, Tauleri, Wesseli, et multorum aliorum congruere nobiscum certum est: ac filium Dei oro, ut mentes nostras regat, ut vera invocatione et vera obedientia eum celebre-

mus, ac colligat sibi inter nos haereditatem, cui Deus suam bonitatem in omni aeternitate communicet, Amen.

(LXXII.)

CAPITA DISPUTATIONIS

de Ecclesia, Iusticia, Fide ac ministerio eius, ex Iesaia proposita a D. Bernardo Ziglero. Ad diem quartum Aprilis, praesidente sacrae Theologiae Doctore Bernardo Ziglero, proponetur ad disputandum locus Iesaiae ex capite 26. secundum quasdam sententias illius certo numero thematum comprehensas, ut sequitur.

Iesaiae XXVI.

In die illa cantabitur canticum novum in terra Iuda, est nobis civitas firma, salutem posuit (Deus) muros et copias (eius). Aperite portas et ingredietur gens iusta, custodiens fidem. Cogitatio suffulta (hoc est, firma et immota, scilicet quod) servabis pacem. Quia in te speratur. Sperate in Domino in aeternum, quia in יָהּ Deo est petra aeterna.

Themata.

I. Luculenta descriptio est Ecclesiae Dei, et promissio, quae testatur mansuram esse Dei Ecclesiam etiam ruentibus imperiis. Hac consolatione et tunc Propheta ipse et alii pii se sustentabant, et nos in tantis tumultibus regnorum confirmemus nos, ne fracti desperatione studium docendi et discendi Evangelii abiiciamus. Ideo sic orditur Propheta: In die illa cantabitur canticum novum in terra Iuda. Id est, hoc canticum, hanc consolationem teneamus, mansuram esse Ecclesiam Dei.

II. Qualis autem coetus est? Est civitas firma, cuius muri sunt salus, in quam apertis portis ingreditur gens iusta, custodiens fidem. Haec definitio dextre intellecta recte describit Ecclesiam, et convenit cum dicto Psalmi: Haec porta Domini, iusti intrabunt in eam. Estque sententia: Ecclesia est coetus, quem Deus servat, vocatus praedicatione Evangelii, iustus ac placens Deo, custodiens fidem, id est, assensum quo amplectitur verbum Dei, hoc est, vere credens, esse Deum, esse ei curae genus humanum, dedisse eum promissiones, et has servare, et hac fide invocandum esse, etc.

III. In hac definitione tantum ponuntur renati, sicut Ephes. 5.: Ecclesiam non habentem maculam. Nam Spiritus sanctus loquitur de vivis membris.

IV. Et tamen haec ipsa renatorum Ecclesia nusquam collocanda est, nisi in Ecclesia visibili vocatorum, iuxta illud Pauli: Quos elegit, hos et vocavit.

V. Quoties de Ecclesia cogitamus, veniat in mentem huius Paulinae vocis: Quos elegit, hos vocavit. Nulli sunt electi nisi in coetu vocatorum. Sunt autem vocati audientes, discentes, et profitentes puram Evangelii doctrinam. Nulla extra hunc coetum electio, nulla illuminatio fingatur. Sed sciamus in hoc coetu vocatorum semper aliquos esse electos. Haec magna piis consolatio est, et eos invitat, ut se ad hunc coetum vocatorum adiungant, hunc foveant, cum hoc Deum invocent.

VI. Multae traduntur distinctiones de Ecclesia, obscurae et interdum tanquam ideam Platonicam describentes, sed pium et verum est, unam dici Ecclesiam coetum vocatorum visibilem. In quo etiamsi magna turba est non renatorum, tamen in hoc solo coetu sunt renati et haeredes vitae aeternae.

VII. Etsi quaerunt viri politici Ecclesiam similem imperiis mundi, quae habent unum aliquem principem visibilem, instructum potentia et praesidiis, et legibus ac ritibus distinguentem suum coetum a caeteris regnis, ut imperium pontificium ad hanc humanorum imperiorum formam constitutum est, tamen Ecclesia visibilis seu vocatorum, est dissimilis imperiis mundi. Habet caput Christum, et colligata est voce et confessione Evangelii, et cum sit sine humanis praesidiis, mirabiliter servatur a Deo omnibus aetatibus. Sic in Iesaia dicitur capite 46.: Qui gestamini in utero meo. Senescentem Ecclesiam ego portabo, ego feci, ego gestabo, ego salvabo. Et cap. 51.: Posui verba mea in ore tuo, et umbra manus meae protexi te, ut plantes coelos etc. Hic quoque deducit nos Iesaias ad Ecclesiam visibilem, in qua sonat vox Evangelii. Ideo dicit: Posui verba mea in ore tuo. Et hanc divinitus defendi inquit.

VIII. Idem vult Iesaias in hoc capite 26.: Ecclesia est civitas firma, cuius muri sunt salus,

id est, quam filius Dei colligit, servat, defendit, liberat, resuscitat ex morte.

IX. Itaque cum angimur animis et quaerimus ubi Ecclesia Dei mansura sit, cum videmus imperiorum ruinas, Principum distractiones, et varias confusiones rerum humanarum, respiciamus ad haec dicta: In alvo Dei erit Ecclesia. Certo mansura est, et Deo curae erit, ubicunque erit. Sic non solum de universo corpore cogitandum est, sed singuli nobis in omnibus periculis, et in ipsa morte hanc consolationem proponamus. Expelleris ex patria, discedis ex vita? Quonam? Cogita te gestari in alvo Dei, cogita hoc dictum Iesaiae: Muros Ecclesiae salutem esse. Aderit filius Dei, qui est caput Ecclesiae, et invocantem servabit, sicut scriptum est: Oves meae vocem meam audiunt, et ego vitam aeternam do eis. Nemo rapiet eas de manu mea.

X. Additum est in definitione Ecclesiae, coetum esse, qui ingreditur apertis portis, iustum, custodientem fidem. Haec differentia plane discernit hunc coetum ab omnibus imperiis et politiis mundi. Attica civitas seu Romana, coetus est devinctus legibus ad certa officia civilia, sed non est iustus coetus, id est, placens Deo, et custodiens fidem, scilicet erga Deum.

XI. Brevis est descriptio, ut sunt membra in Prophetis, sed plura loca conferenda sunt. Vocat iustam gentem quae custodit fidem, scilicet erga Deum. Non loquitur Propheta de fide, aut veritate tantum ut homines prophani loquuntur, intelligentes fidem seu veritatem, virtutem servantem pacta inter homines: sed de Dei agnitione et invocatione hic dicitur, sicut postea clare addit: In te speratur seu confiditur. Sperate seu confidite in Domino.

XII. Est ergo iusticia, custodire fidem erga Deum, id est, agnoscere et statuere quod sit Deus, quod se patefecerit, dederit promissiones de filio, quod iuxta has promissiones velit exaudire et salvare. Haec fides est fiducia misericordiae propter Christum promissae, de qua Paulus concionatur, cum toties ait iustificari nos fide.

XIII. Congruit ergo Iesaiae dictum cum Pauli doctrina, Ecclesiam esse iustam, id est, acceptam Deo ad vitam aeternam fide, id est, fiducia misericordiae propter Christum promissae. Estque vera propositio: Iustificamur fide, id est, fiducia mediatoris Christi, non propter opera nostra aut dignitatem nostram.

XIV. Hanc fidem textus ipse definit: Fides est cogitatio firma, statuens de Deo, dare eum pacem, id est, reconciliationem, nec effundere ingentem iram adversus nos, sed parcere nobis propter filium et dare salutem.

XV. Haec fides non tantum noticia est in intellectu, ut vocant, sed etiam est fiducia in voluntate, nitens proposito mediatore, per quem pax restituta est. Et est firmus assensus, vincens Epicureas tentationes, et legis iudicium, accusans nos propter nostram indignitatem. Etsi vident suos lapsus ingentes, Adam, Aaron, David, Manasse, Petrus et similes, tamen erigunt se promissione donatae remissionis peccatorum, et statuunt se placere Deo propter mediatorem, quanquam horribiliter lapsi sint, et tenent regulam aeternam et immotam. Gratia exuberat supra delictum. In hac consolatione cum fides ex magnis dubitationibus eluctatur, satis intelligi potest, cur Propheta dixerit cogitationem firmam esse.

XVI. Haec fides luceat in invocatione, spe, dilectione et aliis suis exercitiis. Ac ne intelligi quidem potest quid dicatur, nisi accedant exercitia invocationis.

XVII. Cum autem sola Ecclesia sit populus invocans Deum, caeteri enim homines omnes aberrant a Deo, docenda est Ecclesia de hac fide, nam sine ea nulla fit vera aut salutaris invocatio Dei.

XVIII. Horrendas igitur tenebras stabiliunt multi, qui hanc doctrinam de fide oppugnant, et docent semper dubitandum esse, an simus in gratia. Haec dubitatio est fugere Deum, non invocare. Sic invocabat Saul, sed corde fugiente Deum. Sic invocant Ethnici, quos si interroges quid agant, an existiment se exaudiri, dicent profecto suos animos plane oppressos esse dubitatione. Sicut saepe in tragoediis tales voces erumpunt calamitosis.

XIX. Hinc sunt et tenebrae in enarratione Prophetarum, quod dicta de fide et invocatione vera non intelligantur ab illis interpretibus, qui obruta hac parte doctrinae de promissione et fide, tantum putant concionari Prophetas de disciplina, ut Hesiodum aut Theognidem, et doctrinam Ecclesiae tantum putant legem esse.

XX. Hi errores taxandi sunt, ut illustrentur ingentia beneficia donata nobis per filium Dei, et vere celebretur filius Dei, et fiat vera invocatio, et discernatur ab ethnica invocatione, denique

ut verum discrimen conspiciatur, Ecclesiae Dei et aliorum coetuum.

XXI. Meminerint ergo omnes studiosi perpetuo hanc eruditam definitionem fidei hoc loco in textu Esaiae cap. 26. traditam. Fides est firma cogitatio statuens Deum dare pacem, scilicet propter filium promissum, et accendens fiduciam, ut hic dicitur, ut confidamus Domino. Congruit autem haec definitio cum dictis Pauli. Fides est motus, quo statuimus nobis remitti peccata propter mediatorem, et accedimus ad Deum et clamamus Abba Pater. Haec definitio traditur Rom. 5.: Iustificati fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum etc. Et Rom. 8.: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba Pater. Et Ephes. 3.: Per quem audemus accedere in fiducia. Et Ebrae. 4.: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae.

XXII. Etsi cum hac fide accipiente remissionem semper coniunctae sunt aliae virtutes, dilectio et spes, tamen ideo dicitur: Fide iustificamur, ut intelligamus nos non propter nostras virtutes, sed propter filium Dei recipi a Deo.

XXIII. Interim prodest tenere differentias et definitiones harum virtutum. Fides est adsentiri omni verbo Dei et promissioni gratiae, et confidere nos iuxta promissionem a Deo recipi et exaudiri. Spes est expectatio futurae liberationis. Differunt perspicue fides et spes, eo quod fide agnoscimus verbum Dei, et accipimus praesens beneficium, scilicet remissionem peccatorum. At spe expectamus futuram integram liberationem. Quod igitur cavillantur aliqui, fiduciam esse actum spei, plane respondeo fiduciam praesentis reconciliationis esse actum fidei, sed fiduciam expectantem futuram liberationem esse actum spei. Dilectionem Iohan. definit in Epistola cap. 5.: Haec est dilectio Dei, ut mandata eius servemus. Est igitur dilectio Dei, servare mandata eius cum quadam laetitia, quae oritur ex agnitione misericordiae, beneficiorum et praesentiae Dei curantis et recipientis nos propter filium. Propter hunc Iohannis locum scholastici doctores de dilectione, ut Philosophi de iusticia, universali locuti sunt. Sed haec iustitia dilectionis etsi hic inchoanda est, tamen adhuc valde imbecilla et exigua est, ideo oportet consolationem illam alteram proponi, quod fide propter filium Dei placeamus, sicut Galat. 5. dicitur: Nos spiritu ex fide, spem iusticiae expectamus. Item nulla nunc condemnatio, quasi dicat, etsi nondum sumus sine peccato, tamen nulla condemnatio est ambulantibus in Christo *Iesu*.

XXIV. Haec doctrina vera est, pia et utilis Ecclesiae, sed quia ab ociosis et non exercentibus invocationem in veris doloribus, non intelligitur, ideo multi reclamant.

XXV. Ecclesia intelligit cur subiecta sit cruci, et agnoscit iram Dei adversus peccata, et clamitat cum Iesaia: Iniquitates nostrae ut venti dissipaverunt nos, qua voce quid significetur melius intelliges, si iam Hungariae dissipationes aspicias, aut miserandas Ecclesiarum dilacerationes. Moveamur ergo nostris et communibus miseriis, et discamus veram invocationem, et petamus fiducia filii Dei remissionem peccatorum, et faciamus fructus dignos poenitentia. Haec si faciemus, haec doctrina et illustrior erit et dulcior.

XXVI. Cum Iesaias nominat fidem, item definit, fidem esse cogitationem firmam, certe requirit praedicationem verbi Dei seu ministerium Evangelii. Nam fides ex auditu est, ut Paulus inquit. Ideo iubet in textu aperiri portas, id est, ministerium Evangelii exerceri: et hic locus rursus admonet, quod supra dictūm est Ecclesiam iustorum oportere collocari in hac visibili Ecclesia vocatorum, in qua pura vox Evangelii sonat, et non defenduntur pertinaciter errores pugnantes cum Evangelio.

XXVII. Commendatur etiam nobis ministerii evangelici efficacia et dignitas. Tantum per ministerium evangelicum Deus est efficax, iuxta illud: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Damnemus ergo furores anabaptisticos, qui ministerium damnant, et quaerunt novos adflatus suis speculationibus. Veneremur etiam maiore studio et adiuvemus ministerium in Ecclesiis et scholis, et sciamus hoc officium Deo gratum esse et Deum propter ministerium aliquas politias servaturum esse.

B) PROPOSITIONES

ex Tomo III. operum Melanth. Basil. quae in operibus Melanth. Witenbergensibus non sunt recusae.

(I.) *De rebus politicis.*

(Opp. Mel. Basil. T. III. p. 294.)

Maxime prodest homini Christiano tenere discrimen Evangelii et doctrinae politicae.

Quod videlicet Evangelium doceat iustitiam aeternam cordis et vitam aeternam. Interim vero neque oeconomiam neque politiam aboleat.

Nec satis est hoc nosse, sed etiam scire oportet, quod oeconomia et politia, magistratus, leges, iudicia, poenae, capitalia supplicia, militia, bella, distinctio dominiorum, contractus et similes ordinationes politicae sint vere ordinationes divinae.

Prodest hac sententia hominum animos confirmare, quia qui sic sentiunt, magis reverentur magistratus et leges.

Haec reverentia parit tranquillitatem rebuspublicis.

Et hae ordinationes non tantum permissive a Deo proficiscuntur, sicut mala dicitur Deus permittere.

Quanquam sunt ordinationes rationis humanae, tamen ratio humana non posset retinere pacem in rebuspublicis, in tanto furore diaboli et impiorum hominum, nisi singulari opere Dei conservarentur respublicae, et quorundum mentes gubernarentur ad illas res ac leges inveniendas, quae muniunt pacem.

Ideo Salomon inquit, ut oculus videat, ut auris audiat, Deus facit, id est, ut sapiunt principes, ut pareant populi Deus facit.

Et recte ait Augustinus: iura humana per Imperatores et rectores seculi Deus distribuit humano generi.

Itaque politiae vere sunt opera Dei, sicut vices temporum, cursus solis, terrae foecunditas. Neque solum condidit Deus has ordinationes, sed perpetuo conservat. Postremo etiam approbavit verbo suo, Ego dixi, Dii estis, id est mea authoritate regnatis et meum officium administratis.

Ergo politicae ordinationes sunt bonae creaturae Dei.

Praeclare et sapienter ait Xenophon, quod sicut bestiae non possunt regi nisi a natura superiore, videlicet humana, ita homines non possunt regi nisi a quadam divina natura.

Ius naturae vere est ius divinum, scriptum divinitus in mente hominis, sicut lumen oculis divinitus inditum est. Et recte ait Imperator, naturalia iura divina providentia constituta esse.

Leges ita approbantur, si non pugnent cum iure naturae.

Impia et seditiosa opinio est, quod Christiano non liceat tenere proprium, aut quod desertio facultatum sit cultus aut perfectio christiana.

Error est sentire, quod Christus Matth. 5. de vindicta, consilium, non praeceptum dederit.

Quod dicitur, mihi vindictam, ego retribuam, significat, vindictam opus esse ad gloriam Dei pertinens.

Itaque cum magistratus exercet vindictam, administrat alienum officium.

Magistratus praecepto Dei coguntur vindictam exercere Romanorum 13. Vindex Dei est.

Aliis omnibus prohibetur vindicta praecepto Dei. Itaque Christi verba sic accipi necesse est, ne detorqueantur ad tollendos magistratus. Non enim volebat ibi abrogare politicas ordinationes, sed singulos docebat de puritate cordis erga Deum.

Sicut Gigantes finguntur intulisse bellum coelo, ita cum tota natura bellum gerunt monachi, qui sentiunt perfectionem esse in desertione facultatum, et praeferunt suum vitae genus functionibus civilibus, quae habent mandatum et verbum Dei. Item Anabaptistae, qui sentiunt, non licere magistratus gerere, militare, iudicia exercere, iurare.

Sicut licet Christiano uti hac luce, hoc aëre, et aliis bonis creaturis Dei, ita licet uti politicis

ordinationibus, quia perinde creaturae Dei sunt atque lux, aër etc.

Licet igitur Christiano magistratus gerere, exercere iudicia, iurare, litigare in foro, accusare et defendere militare. Et alibi aliis politiis ac legibus uti potest, sicut alibi aliis dierum spaciis utitur. Non enim sumus ad certam formam politiae alligati sicut Iudaei, quia Evangelium non instituit politiam externam sicut lex, sed tradit iustitiam aeternam cordis.

Errant qui iudicant, edicta magistratuum tantum habere poenam temporalem. Paulus enim iubet obedire non tantum propter poenam, sed propter conscientiam. Quare et Deus minatur poenas aeternis his, qui violant edicta magistratuum.

Vere et sapienter dictum est a *Druso*, rempublicam sacram esse, quare ab omnibus ei poenae solvantur, qui eam violant.

Causa rotunditatis in Iride non est proprie figura solis relucens ut in speculo, sed figura nubis.

(II.) *Alia.*

(Opp. Mel. Basil. T. III. p. 299.)

Aristoteles recte sentit, *usuras* esse contra naturam.

Porro non dubia regula est de politica iustitia, ius naturale vere esse ius divinum.

Et tamen Moyses concedit Hebraeis, ut usuras exigant ab alienigenis.

Permiserunt olim leges Imperatorum exigere usuras. Nec peccasse iudicamus Imperatorem, cum permisit usuras exigi.

Sicut approbat Evangelium magistratum, ita approbat contractus, quos iudicat magistratus esse honestos et utiles reipubl.

Et pertinet iudicium de contractibus ad magistratus, non ad Evangelii ministros. Quare viderint ministri Evangelii, ne temere pronuncient, qui contractus sint vitiosi, ne iudicentur in alieno negotio *πολυπραγμονεῖν*.

Peccatum est usuras exigere, sed quas magistratus iudicat usuras esse. Peccatum est non solvere pactas usuras, etiam cum peccant isti qui exigunt.

Cum maxima sit dissimilitudo contractuum, longe errant isti, qui omnes reditus iuxta damnant.

Pactum de redimendo non viciat emptionem, ut testatur L. Si fundum. C. de pacto inter empt. et vendit.

Quoties autem vera emptio constituitur, legitimus est contractus, etiam si accesserit pactum de redimendo.

Duo genera sunt in usu, aut emitur fundus aut emitur servitus in bonis venditoris, cum pacto revendendi. In utroque casu vera emptio constitui potest. Utroque igitur genere Christianus uti potest, ut aliis politicis ordinationibus.

Iudicium de contractibus non pertinet ad illos, qui docent Evangelium, sed ad magistratus.

Et convenit, magistratum non esse *μισάνθρωπον*, sed leges ad aequitatem flectere, et multa temporibus concedere.

Et Theologo satis est docere, quod Christiano liceat uti politicis ordinationibus. Nec quaerat *ἀκριβοδίκαιον* in talibus, nec alliget conscientias ad certam formam et prorsus exactam.

Utilis est regula, in moralibus negociis sufficere moralem certitudinem, hoc est, non esse rationem exactissimam quaerendam, sed medium *ἐν πλάτει* accipiendum est.

(III.) *De contractu redemptionis.*

(Opp. Mel. Basil. T. III. p. 300.)

Bona opera debent habere testimonium verbi Dei, ut tota nostra vita regatur verbo Dei et fide, iuxta illud: Quidquid non est ex fide peccatum est.

Quare et de contractibus quaerendum est verbum Dei, ut certo sciamus, utrum Deus probet eos.

Tantum haec regula satis munit conscientiam de contractibus, videlicet, quod Deus approbet distinctionem dominiorum in praecepto: Non furtum facies, ubi necesse est, contractus simul probari. Et alio loco scriptura approbat politias. Romanorum 11. In summa: Evangelium non abolet legem, sed maxime approbat et requirit in vita corporali ac politica.

Itaque contractus tales liciti sunt, quos magistratus et leges approbant.

Periculose docent, qui hac regula omissa quaerunt ex natura operis, non ex lege totam causam quare contractus sit bonum opus. Magis est lex consideranda quam natura operis, quia lex habet authoritatem propter testimonium Dei, ra-

tio, etiam si non fallit, tamen non habet testimonium Dei.

Quidam sine fine disputavit, qui contractus sint probandi. Neque finis ullus est talium disputationum, si consideretur non lex, sed natura operis.

Sic in aliis multis negociis pleraque lege iusta sunt, etiamsi ratio de natura praesentis operis aliter iudicet, ut, quod suspenduntur fures, si operis natura spectaretur, infinitae quaestiones existerent. Nunc iudici satis est, legem sequi, quia Deus approbat civiles ordinationes.

Hoc unum pertinet ad Theologum, quod iam admonuimus, ostendere quod Evangelium approbet contractus consentientes legibus, quia approbat civiles ordinationes, sicut de medicina admonet, quod liceat uti remediis sicut cibo ac potu.

Quales debeant esse contractus, non magis ad Theologum pertinet, quam qualia pharmaca debeant in singulis morbis dari.

Itaque non est concedendum docentibus Evangelium, ut contra usitatos contractus ad populum vociferentur, sed admonendi sunt, ut huius rei iudicium ad magistratus et forum reiiciant.

Praeclare dixit Cameracensis, Cavendum esse, ne facile pronunciatur usurarios esse contractus, quia varii contractus in vita necessarii sunt, cum sint iuris gentium.

Sed huius dicti ratio tenenda est, ne conscientia relinquatur ambigua, videlicet ideo valere contractus, quia Deus approbat iudicium magistratus ac leges de civilibus negotiis.

Magistratus autem non tantum unam formam contractus in specie, aut medium indivisibile constituit. Sed sumit medium ἐν πλάτει iuxta probabiles rationes, quod ad pacem et societatem hominum quadrat. Verum est enim illud, summum ius, summa iniuria.

Emptio non viciatur per pactum de redimendo. L. si fundum cod. de pac. inter empt. et vendit.

Cum autem emptio legitimus contractus sit, sequitur, et hunc contractum legitimum esse; in quo inest pactum redemptionis. Si tamen sit vera emptio.

Et is, qui emit, dominium consequitur, etsi alienare non potest, quia pactum de non alienando non repugnat naturae dominii, ut docet Bartolus L. ita quis, de verborum obligationibus.

Hic contractus dissimilis est mutuo, quia in mutuo licet danti mutuo repetere sortem, hic emptori non licet pecuniam repetere.

Tres species ponemus huius contractus, aut emitur certus fundus, aut certi fructus in fundo certo pro proportione.

Facile iudicari potest, in his duabus speciebus prorsus nihil esse vicii, cum recte concurrant omnia, quae requiruntur in emptione, merx certa, certum precium, consensus.

Tertia species est, cum emitur reditus in universis bonis alicuius civitatis, ubi civitas obligata est actione personali, et ius, quod vocatur hic merx, non videtur in certo corpore esse.

Panormitanus tamen et hanc tertium speciem approbat, cum inquit: Sicut ergo quis potest emere libere totam possessionem in ἐμφύτευσιν, vel emere annuum reditum iam constitutum ab antiquo, ita licitum est de novo constituere et emere. De usuris cap. in civitate.

Et cum ius oporteat in aliquo corpore esse, est et hic ius in corpore.

Ut si quis emat in alterius bonis servitutem agendi itineris per agrum, ita in rebus ratis fructificare potest constitui servitus, ut pars fructuum redeat ad aliquem. Et huius servitutis corpus constitui possunt omnia bona alicuius personae aut communitatis.

Quidam defendunt, et in persona constitui posse reditum. Quod etsi subtiliter disputatur, tamen placet hoc, quod Iurisconsulti docent, in rebus constituendum esse reditum, ut videlicet sit aliqua certa merx, et ius sit in aliquo corpore.

Itaque cum et hic sit merx, videlicet ius ex alienis bonis percipiendi fructus precium, et consensus, probanda est et haec tertia species.

Praeclare inquit Baldus, hunc contractum licitum esse, si habeat aequitatis recompensationem et proportionem, cap. 1. de Iureiurando.

Sicut igitur in aliis contractibus conservanda est aequitas, ita in hoc contractu videndum est, ut pericula pariter compensentur, videlicet ne census exigatur, si periit corpus.

Et tamen in his casibus quoque ut in omnibus contractibus fieri debet, medium debet ἐν πλάτει sumi.

In summa, cum hi contractus legi iusti sint, et Christiani tuto legibus et politicis rebus uti

possint, recte possunt et his contractibus uti Christiani, qui longe debent magistratus iudicium ac legem praeferre aliis rationibus.

(IV.) *De discrimine Evangelii et Philosophiae.*
(Opp. Mel. Basil. T. III. p. 311.)

Cum Paulus ait, Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, non improbat philosophiam sed abusum, ut, si quis dicat, cave ne vino decipiaris, is non vituperat vinum sed abusum.

Loquitur autem Paulus de illo abusu, qui maxime nocet in Ecclesia, videlicet cum ita accipitur scriptura quasi nihil aliud doceat, nisi rationis humanae doctrinam. Facile est enim astutis hominibus callida interpretatione Evangelium transformare in philosophiam seu doctrinam rationis humanae. Sicut Iulianus Apostata Christianos arguit inscitiae, quod male intellectis figuris scripturae absurda dogmata peperissent.

Philosophia continet artes dicendi, physiologiam et praecepta de civilibus moribus. Haec doctrina est bona creatura Dei, et inter omnia naturalia dona praecipuum. Et est res in hac vita corporali ac civili necessaria, sicut cibus, potus, sicut publicae leges et caetera.

Philosophia de moribus est ipsa lex Dei de civilibus moribus.

Omnium ineptissimi sunt, qui somniant, sic differre philosophiam et Evangelium, quod utraque doctrina sit lex de moribus, sed Evangelium addat quasdam leges de externis operibus, qualis est, non esse vindicandum, et similes quasdam.

Imo si quis affert ex Evangelio ullam legem de vita civili pugnantem cum philosophia aut legibus Imperatorum, is statim reiiciatur.

Sicut manus Iacob similes sunt manibus Esau, ita Evangelium de vita civili nihil prorsus praecipit aliud quam quod philosophia et ipsae leges docent.

Pomponius Atticus et Paulus Apostolus differunt, quod de Deo dissentiunt. Alter dubitat, utrum Deo curae sint res humanae, et sine Deo vivit, alter certo statuit, quod Deus vere puniat; item quod ignoscat propter Christum, quod respiciat et audiat. Non dissentiunt in illo genere civilium morum.

Ioseph, David, Esaias, Daniel sunt homines politici, quales fuerunt Fabius, Scipio, Themistocles. Nec differunt civili forma vitae, sed differunt fide erga Deum.

Evangelium non est philosophia aut lex, sed est remissio peccatorum et promissio reconciliationis et vitae aeternae propter Christum, de quibus rebus nihil potest humana ratio per se suspicari.

Cum igitur Evangelium doceat de voluntate Dei erga nos, Philosophia vero doceat de rebus subiectis rationi, nec de voluntate Dei aliquid affirmet, satis apparet, Evangelium non esse philosophiam.

Et ut maxime iudicet ratio de voluntate Dei, certe hoc per se neque ratiocinatur neque affirmat, quod Deus gratis velit ignoscere propter Christum.

Evangelium autem approbat leges de bonis moribus et iubet eis parere.

Sicut igitur Christianus lege Dei pie utitur, ita et philosophia pie uti potest. Et cum sciat, philosophiam legem Dei esse; eo magis veneretur doctrinam philosophorum et rectas sententias bonorum scriptorum.

Quod autem philosophia sit lex Dei, hinc quoque intelligi potest, quia est noticia causarum et effectuum naturalium, quae cum sint res ordinatae ex Deo, sequitur philosophiam esse legem Dei, quae est doctrina de illa divina ordinatione.

Sicut Astronomia est cognitio motuum coelestium, qui divinitus ordinati sunt, ita philosophia moralis est cognitio operum, videlicet causarum et effectuum, quos Deus ordinavit in mente hominis.

Itaque philosophiam vocamus non omnes omnium opiniones, sed tantum hanc doctrinam, quae habet demonstrationes.

Verum autem unum est, ut dicunt philosophi, quare una tantum philosophia vera est, videlicet, quae minimum discedit a demonstrationibus.

Stoica philosophia non recte iudicat de ἀπάθεια et ridicule philosophatur de προηγμένοις et ἀποπροηγμένοις, et sunt ineptissimi, qui dixerunt, nullum philosophiae genus similius esse Evangelio quam Stoicorum doctrinam.

Ineptit etiam Augustinus, qui dicit, se Christianorum doctrinam in Platonicis reperisse, praeter hunc unum articulum: Verbum caro factum est.

Recte dixisset Augustinus, si dixisset, eas leges de moribus se reperisse apud philosophos, quae leguntur apud Christianos. Nam Evangelium prorsus ignorant philosophi, qui ignorant reconciliationem fide propter Christum contingere. Caeterum leges de civilibus moribus communiter norunt cum Christianis.

Nec apparuit Christus ideo, ut novas leges de moribus ferret, cum antea ratio norit leges. Et ferre leges ad magistratus pertinet, ad quos constituendos nihil opus est nova revelatione; pertinet enim res ad iudicium rationis.

Nec Epicurea philosophia recte iudicat de fine bonorum, et ineptit Valla, qui unum Epicurum Philosophis omnibus anteponit.

Aristotelis philosophia diligentissime quaerit demonstrationes, ideo una longe omnibus sectis antecellit. Et recte iudicat de fine bonorum et ratione virtutum. si quidem de civili vita et civilibus virtutibus intelligitur.

Philosophia tamen non tam angustis finibus continetur, ut existimari debeat tota in hos libros inclusa esse, qui extant ab Aristotele scripti, sed elementa sunt apud Aristotelem. Mathematici, Medici ac Iurisconsulti fastigium imponunt his quasi fundamentis.

Hactenus dictum est de discrimine Evangelii et Philosophiae. Aliud autem est quaerere de discrimine legis divinae et philosophiae. Haec ita conveniunt sicut Decalogus et lex naturae conveniunt: quia philosophia, quatenus habet demonstrationes, est ipsa lex naturae. Sed Decalogus clarius praecipit de motibus cordis erga Deum.

(V.) *Alia disputatio: de eodem Pauli dicto.*

(Neque in opp. Mel. Basil., neque in Witeberg. legitur haec Melanthonis dissertatio, neque eam commemoravit Strobelius in bibliotheca Melanthoniana. Inveni eam in bibliotheca Gymnasii Gothani sic inscriptam:

„Philippi Melanchthonis in locum ad Colossenses: Videte ne quis vos decipiat per philosophiam inanem, dissertatio. Recens edita. Basileae excudebat Adamus Petrus, Mense Augusto, anno MDXXVII." 1 pl. 8.

Qua occasione data Melanthon idem argumentum retractaverit, nescio. Puto autem, Melanthonem haec in schola ore tradidisse, eaque a discipulo calamo excepta, et ex eius scheda a bibliopola edita esse.)

Hoc in loco collatio humanae iusticiae ad christianam instituitur. Est autem valde necessarium cognoscere, quid inter utramque intersit, ut sciamus, quatenus exigat Deus iusticiam humanam, et quatenus improbet eam Philosophia, quatenus est scientia loquendi, et rerum naturalium et civilium morum, et ea tantum de rebus naturalibus ac moribus civilibus adfirmet ac docet, quae certa ratione apprehendit, est vera et bona creatura Dei: Est enim ipsum iudicium rationis, quod in rebus naturalibus et civilibus moribus Deus dedit humanae naturae, verum et certum, quia dicit Paulus Rom. 2.: Gentes habent legem Dei scriptam in cordibus, id est, habent iudicium, quo iudicare possunt, neminem laedendum esse, gratiam pro benefactis habendam esse, magistratibus obsequendum esse, et similia. Habent ergo homines verum ac certum iudicium a Deo de civilibus moribus: Item habent de rebus naturalibus, de numerando, de mensuris, de aedificando, de remediis morborum, sicut scriptum est: Honora medicum, nam propter necessitatem creavit eum Deus: Cum enim ait a Deo creatum esse, docet, quod scientia naturae corporum et remediorum sit vera ac certa, et a Deo nobis ostensa. Cum igitur Paulus ait: Cavete ne quis vos decipiat per philosophiam, non est sic accipiendum, quod illa philosophia, quae docet loqui, ac remediorum naturas, aut corporum, sit vana: permittit enim uti nobis isto iudicio rationis sicut vestitu et victu, non vetat numerari aut metiri corpora, non vetat aedificare, non vetat pingere, non vetat mederi morbis corporum, non vetat iudicia exercere, imo quia audis haec dona Dei esse insita naturae, multo magis debes hanc philosophiam venerari, quam Deus dedit ad vitae praesidia paranda: vult enim Deus nos laborate, et vivunt commodius, qui sciunt remedia morborum, qui sciunt regere respublicas, quam barbari: denique qui omnes illas artes sciunt, quibus in hac corporali vita servanda utendum est, ut numerandi artem, metiendi, aedificandi, tempora ex motibus coelestibus discernendi: Haec omnia cum sint Dei dona, eo magis amplecti et exosculari debebamus: Ideo Salomon dicit, sapientiam bonam esse et praestare iusticiae, sicut lux tenebris praestat, Ecclesiast. 2. Sed de Deo errat philosophia tripliciter,

Primo de gubernatione rerum. Nam etiamsi permittat, quod Deus condiderit res, tamen offensa ratio, quia in mundo tam multa iniuste fiunt, negat a Deo res gubernari, sed somniat, quod Deus nunc ocium habeat, et sinat suo quodam impetu naturam ferri, sicut faber, qui navem fecit, ubi absolvit, discedit ab ea et committit eam fluctibus et non gubernat eam. Hic Christiana doctrina diversum docet, et monet nos, ne per philosophiam decipiamur. Tum fallit philosophia, quando de Deo, aut de Dei consiliis incipit iudicare: quia animalis homo non percipit ea, quae Dei sunt. Significat autem animalis homo totam naturam corporalem, non renovatam a spiritu sancto. Illa itaque natura corporalis nihil potest de Dei voluntate adfirmare, quae tantum discitur ex verbo Dei, sicut Esaias ait, ad legem et ad testimonium, qui non dixerit secundum verbum, huic non erit matutina lux. Sunt igitur sententiae certae et manifestae ex scriptura eligendae, quibus discamus, non modo res a Deo conditas esse, sed etiam gubernari, Deum nos alere ac tegere, alios servare, alios punire, nec discessisse Deum tanquam a navi fabrum, sed regere res sicut gubernator navem regit praesenti quadam motione, ut probant hae sententiae, Matthaei sexto: Pater vester, qui est in coelis, pascit illa. Matthaei decimo: duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. Ioannis quinto: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Eph. 1.: operatur omnia secundum consilium voluntatis suae. Coloss. 1.: omnia per ipsum consistunt. Actorum 17.: in ipso vivimus, movemur et sumus. Psal. 103.: omnes viae hominum patent oculis eius. Proverb. 16.: dante te illis, colligent. Et in oratione dominica: panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Secundo errat philosophia de iustificatione, si statuat, coram Deo satis esse civilem iusticiam. At christiana doctrina docet, iusticiam coram Deo fidem esse in Christum. Et sicut in apibus naturales virtutes non efficiunt eas christianas aut iustas coram Deo, sic nec civiles mores seu naturales virtutes nos faciunt iustos coram Deo. Habent apes prudentiam quia tecta construunt et constituunt rempublicam. Habent et iusticiam, quia suis regibus diligentissime obtemperant. Item iuvant se mutuo, levant onere fessas, a vi et iniuriis abstinent: Est in eis et mira fortitudo, quia acerrime dimicant cum fucis. Postremo magna temperantia in eis est, quia et venerem nesciunt, et mella ad nostrum usum conficiunt. Et sicut ob has virtutes non dicuntur christianae, ita nec homines sunt christiani propter solos civiles mores, sed quia credunt, quod propter Christum Deus nobis peccata condonaverit et receperit nos in gratiam, sicut Paulus ait: arbitramur iustificari homines per fidem sine operibus legis. Et primae Corinthiorum primo: non glorietur omnis caro in conspectu eius, ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et iusticia et sanctificatio et redemptio. Neque vero tollit christiana doctrina civiles mores, sed eos exigit, et philosophiam seu rationem praecipientem de civilibus moribus approbat, sicut et civiles magistratus approbat, et testatur, se authorem esse civilium ordinationum, Roman. decimo tertio: omnia, quae ordinata sunt, a Deo ordinata sunt. Et ab his qui non habent spiritum sanctum, tamen exigit, ut frenentur civili iusticia. Ut dicit Paulus: lex est iniustis posita. Item: lex est paedagogus. Sed in eo dissentiunt ratio et Evangelium, quod Evangelium negat civilem iusticiam satis esse coram Deo.

Tertio fallitur, si putat rationem satis habere virium ex sua natura contra vicia, nec videt opus esse spiritu sancto, qui et corda reddat puriora, et regat nos, ne vel ab infirmitate naturae vel Diabolo praecipitemur in manifesta flagicia. Sed Evangelium docet, cor esse impurum et ardere concupiscentia: Item, diabolum nobis ita insidiari, ut etiam in manifesta flagitia pertrahit. Ideo promittit spiritum sanctum, qui corda transformet, regat et gubernet nos. Iohannis 15.: sine me nihil potestis facere. Et Rom. 8.: qui spiritu Dei aguntur, filii Dei sunt. Qualis autem sit homo, et quo ruat desertus a Deo, Saulis exemplum ostendit. Sic igitur philosophia seu iudicium rationis de divina voluntate nihil certi adfirmare potest, sed de natura rerum deque civilibus moribus recte iudicare potest. Quare errant qui ex ratione aut philosophia iudicant de doctrina christiana. Imo saepe magna est consolatio piorum, quod non ex rationis nostrae iudicio aestimanda est voluntas Dei, ut quoties de iustificatione cogitamus scire, quod Deus solam fidem imputet pro iusticia, mirifice consolatur animum. Rursum etiam errant hi, qui aspernantur philosophiam iudicantem de naturalibus rebus: nam id est condemnere Dei donum cum omnibus crea-

turis Dei, quo cum gratiarum actione uti debebamus, et sentire, quod sint Dei beneficia. 1 Timoth. 4.: Et sicut insania esset dicere quod ex artis sutoriae praeceptis sit iudicandum de doctrina christiana, ita desipiunt, qui ex philosophia iudicant de doctrina christiana. Dicit enim Petrus, prophetias non esse humana voluntate editas. Rursus desiperent etiam hi, qui dicerent, artem sutoriam pugnare cum doctrina christiana. Ita desipiunt, qui naturam et morum cognitionem dicunt pugnare cum religione. Ita Paulus non ait, philosophiam esse malam, sed sic ait: videte ne quis vos decipiat per philosophiam, ut si dicat: vide, ne te decipiat vinum. Deinde quod addit, inanem deceptionem, hic significat argumenta de divina voluntate ex philosophia collecta. Non est enim philosophia, cum de divina voluntate ex ratione iudicamus, sed sunt inania somnia, sicut Epicurus negavit, Deo res nostras curae esse, item platonici disputaverunt, Deum gignere cogitationem quandam; et Aristoteles disputat, mundum esse aeternum, nec aliquando coepisse. Et admiscuerunt doctrinae christianae philosophiam, qui docuerunt, quod nostris meritis iustificemur: Et quidam scripsit: fundamenta doctrinae christianae philosophiam Platonicam esse. Sic pro certis adfirmare, quae ratio aut philosophia non potest adfirmare, imo quae prorsus sunt extra iudicium rationis aut philosophiae posita, ea est inanis deceptio. Et sicut in lege praeceptum est, ne quis dissimile semen serat in eodem agro, cavendum est, ne commisceatur Evangelii doctrina et philosophia. Sed Evangelium est doctrina vitae spiritualis et iustificationis coram Deo: Philosophia vero est doctrina vitae corporalis, sicut vides medicinam valetudini servire, navigantibus discrimina tempestatum, mores civiles communi hominum tranquillitati. Est autem huiusmodi usus *) necessarius et a Deo probatus, sicut multis locis docet Paulus, utendum esse creaturis Dei cum gratiarum actione. Et tamen usus talium rerum corporalium non iustificat coram Deo, sicut Deus praecepit edere, neque tamen id iustificat hominem, ita dieta ex Medici praescripto, item tempestatum discrimina observare non iustificat: item civiles mores, ut non gerere arma ubi leges prohibent, aut vestire secundum leges exigit Deus, neque tamen id iustificat coram Deo.

*) Addidi *usus*, quod excidisse manifestum est.

Paulus praecipit, secundae Timoth. secundo, ὀρθοτομεῖν verbum veritatis. Ideo et nobis cavendum est, ne misceamus Evangelium et Philosophiam: aut hanc damnemus ea ex parte qua adprobat eam Deus. Postremo hoc omnium maxime refert admoneri, quod facillime ratio decipitur, ut assentiatur incompertis et falsis, etiam in diiudicandis naturalibus rebus, et multa turpia contra naturam probat, quando non gubernatur verbo Dei. Ad Romanos primo: obscuratum est insipiens cor eorum; item: tradidit illos Deus in reprobum sensum. Item secundae Thess. secundo: mittit illis Deus efficacem deceptionem, ut credant mendacio. Item Proverbiorum vicesimo nono: cum defecerit prophetia dissipabitur populus. Cuius rei multa exemplo videmus in iis, qui laudant eos, qui sibi mortem consciverunt, ut Seneca Marcellinum quendam praedicat, libro epistolarum undicimo. Et quam multa contra naturam Diogenes fecerit, notum est. Ostendit autem Deus huiusmodi horribilia exempla, ut incutiat nobis metum, ne nimium confidamus viribus nostrae rationis, et ut verbo suo doceri et regi nos patiamur. Finis.

(VI.) *Alia.* (*De haereticis puniendis per Magistratum.*)

(Opp. Melanth. Basil. T. III. p. 324.)

Regnum Christi affert res aeternas, remissionem peccatorum, iustitiam aeternam et vitam aeternam, et administratur tantum verbo sine vi corporali: alioqui enim dissolveret Evangelium semper praesentes politias.

Regnum corporale affert res corporales, disciplinam honestam, pacem publicam, et cohercet vi corporali.

Quare Episcopus excommunicans neque possessiones neque victum neque corpus neque civilem societatem eripit.

Nec dat Evangelium potestatem Episcopis constituendi aut leges ferendi de rebus civilibus aut regnis mundi.

Sicut potestas civilis pro officio suo debet prohibere latrocinia, furta, et similia externa delicta, pugnantia cum secunda tabula, ita debet externa delicta pugnantia cum prima tabula prohibere et punire, sicut blasphemias, violatum iusiurandum, impias imprecationes etc. quia de tota lege dictum est: lex est iniustis posita.

Ecclesiastica potestas tantum iudicat et excommunicat haereticos non occidit. Sed potestas civilis debet constituere poenas et supplicia in haereticos, sicut in blasphemos constituit supplicia. Nam manifestae haereses sunt blasphemiae.

Sed sicut in aliis criminibus iudex non irrogat supplicium, nisi re perfecte cognita, ita multo magis in atrocissimo crimine haereseos iudex non prius saevire debet, quam rem perfecte cognoverit.

Et cognitio non tantum ad presbyteros, sed etiam ad reliquam Ecclesiam pertinet, sicut Christus omnibus praecipit: cavete a pseudoprophetis. Item: dic Ecclesiae.

Et sicut Magistratus in aliis delectis gradus poenarum constituit, et interdum exasperat poenam pro tempore, idem fieri in haeresibus potest. Nam hoc ius penes magistratum est, et nihil ad Evangelium pertinet. Discernet inter manifestas blasphemias, quae tollunt dogmata, et inter abusus, qui non tollunt dogmata, sed ad abusum conferunt.

Nec obstat, quod quidam dicunt, fidem non esse nostrae potestatis. Non enim plectitur fides, sed haeresis, hoc est professio certi dogmatis, quae est in nostra potestate, sicut alia externa delicta.

Nec obstat hoc, quod dicunt potestatem civilem dominari corpori et rebus corporalibus, non animae. Nam potestas est custos totius legis, quod ad externa officia attinet. Quare etiam externa officia et possessiones pertinentes ad primam tabulam iudicat. Nam et prima tabula propter disciplinam pertinet ad vitam corporalem.

Haec vera sunt in genere, et scire ea prodest. Nam illa persuasio in quibusdam potestatibus neque Ecclesiae neque reipublicae utilis est, quae sine discrimine omnes sectas tolerant, errore quodam, quasi ad potestatem non pertineat quid quisque profiteatur de religione.

Ac fieri potest, ut impii Principes hac regula valde abutantur: Prodest tamen scire, quod sit Principum officium. Ideoque addidi de cognitione, quae debet hoc fieri diligentius, quo maiores et obscuriores sunt controversiae religionum.

Sunt autem duo testimonia clara, ex quibus iudicari de doctrina potest: Miracula et Scripturae divinae.

Apostoli aperte docebant contra legem, eamque abrogabant. Sed habebant miracula, quare cedere eis Iudaei debebant. Sic et ethnici principes propter miracula debebant credere Apostolis.

Nunc Ecclesia habet scripturam, ex qua iudicare debet, non ex scriptis doctorum, qui non habent vocationem apostolicam, aut ex praescriptione aut vulgi persuasionibus.

Prodest tamen scire, quae dogmata habeant testimonia Ecclesiae, quae non habeant. Etsi enim statim degeneravit doctrina, et vera Ecclesia in paucis ita duravit, ut non valde conspici possit, tamen, cum semper fuerit Ecclesia, extiterunt de plerisque maximis rebus testimonia. Atque utinam plura essent conservata ab his qui praefuerunt.

Aristoteles eruditissime ratiocinatur in meteoris, coelestes motus causas esse motuum et variarum mutationum in inferioribus, quia enim, ait, coelestis motus primus est, et ciat alia corpora, fit, ut ipsis corporibus etiam causa sit motuum, qui ipsis proprii sunt. Recte igitur inde ratiocinatur, inferiora corpora affici et regi a coelestibus.

(VII.) *Alia.* (*De perfectione christiana.*)
(Opp. Basil. T. III. p. 325.)

Perfectio christiana non est opus susceptum sine mandato Dei, quia scriptura inquit: Frustra colunt me mandatis hominum. Quod si tales cultus sunt irriti, certe non sunt perfectiores ac meliores praeceptis.

Ac profecto plus quam ridiculum est, fingere, quod desertio facultatum aut coelibatus sint opera meliora quam vera et perfecta dilectio Dei, verus timor, vera et magna fiducia Dei.

Perfectio christiana est opus a Deo praeceptum.

Non sunt consilia Evangelica discedere a facultatibus, res in commune conferre, non iudicare, non litigare, non bellare.

Episcopis et presbyteris licet habere proprium sicut licet eis uti aliis politicis ordinationibus. Licet etiam eis tenere donationem regum et principum, scilicet honores, iurisdictiones, reditus et alia commoda.

Quanquam difficilis est administratio utriusque negotii, Imperii et Ecclesiae, tamen non est contra Evangelium, Episcopum tenere praedia et

iurisdictionem, sicut artificium texendi in Paulo non pugnabat cum Apostolatu.

Et cum faciet Episcopi officia, scilicet cum pie docebit populum, erit vere et Episcopus et Princeps.

Ac Episcopi et presbyteri sunt usufructuarii in his, quae ab Ecclesia accipiunt, non tantum usuarii.

Quod textus dicit: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, facit contra aliud genus Episcoporum, quod praetextu Evangelii dominatur, et novas leges fert, et urbibus eiicit cives, qui nolunt doctrinae suae subscribere. Non vetat, quenquam exercere iurisdictionem quae iure humano in propriis bonis contigit.

Omnino sunt abducendi animi hominum ab illis superstitiosis, fanaticis et seditiosis opinionibus, quae laedunt dignitatem rerum civilium, ac fingunt inopiam aut similem hypocrisim in Evangelio consuli aut praecipi tanquam opus iustificans, aut magis iustificans.

Imo Christiano licet uti politicis rebus sicut cibo, potu, aëre, artibus, architectonica, medicina. Ita licet gerere magistratus, res proprias tenere, exercere iudicia, iure bellare ac militare, defensione magistratus uti in iudiciis ac litigare, sic tamen quemadmodum Paulus ait, ut mundo utatur, non abutatur.

Ac iudicem christianum oportet uti praesentibus legibus atque institutis. Nec debet iudicare controversias ex Mosaicis legibus. Nam Evangelium non est seditiosa doctrina, nec tollit res politicas.

De Iride.

Etsi iris velut speculum reddit lumen, tamen non potest imaginem solis reddere, sicut specula distinctas imagines reddunt. Et caussa figurae Iridis est figura nubis.

(VIII.) *De caussis per accidens.*

Aristoteles recte discernit caussas per se et caussas per accidens.

Clarum est enim iudicio rationis plurimos eventus non habere caussas per se. Clarum et hoc est, contingentiam oportere poni, etsi neque providentiam, neque fatum tollimus.

Providentia est caussa per se. Est et fatum caussa per se, sed nec propinqua nec totalis.

Fortuna et casus sunt caussae propinquae per accidens. Nec est repugnantia *), eidem eventui tribuere caussas providentiam et fortunam.

Luna vicenis diebus septenisque et tertia diei parte peragit cursum suum, et tamen a tricesima luce, ut inquit Plinius, cursus ad easdem vices exit.

Tametsi luna aequaliter movetur in suo circulo, tamen inaequaliter a coitu conspicitur, aliquando enim novissima et prima eodem die, aliquando altero, aliquando vero tertio primum egressa ex radiis solaribus conspici potest.

Singulis mensibus luna coniungitur et opponitur soli, non tamen singulis mensibus fiunt eclipses.

Cum corpus solare maius sit quam luna sexies millies sexcenties et quadragesies quater, potest tamen totalis eclipsis solis accidere, quae tamen propter aspectus diversitatem non universalis existere potest sicut in luna.

(IX.) *Casus.* (*De stupro.*)
(Opp. Basil. T. III. p. 327.)

Filiam Martis Alcippen Alirrichous per vim stupravit. Cum autem Mars occidisset iuvenem in stupro deprehensum, accusat eum Neptunus pater Alirrochoi, deque eo supplicium lege sumi petit. Dii iudicium in Areopago exercuerunt, et re cognita Martem absolverunt.

Nos defendimus recte iudicatum esse a Diis.

Atticum fuit, non romanum de stupro sine vi facto (aut) ducere aut dotem dare, Mosaicum fuit, ducere et dotare. Romanae leges honestius iudicant de stupro. Nec id impium dictu. Nam politia Mosaica nihilo plus ad iustificationem coram Deo facit, quam politia Romana.

Et cum Deus attemperaverit legem mosaicam illi genti, reperiri possunt aliqua instituta, Romanae reipubl. meliora in genere quam Iudaicae.

Itaque etsi aliae Respubl. severius puniunt furtum, stuprum aut alia delicta, quam Iudaica, tamen iustae sunt leges.

Illud vero est seditiosum, quod quidam indocti sentiunt, Christianos oportere uti Mosis legibus.

Si raptus et stuprum vi factum paria crimina sunt, quia utrumque lege Iulia pronunciatur esse

*) In textu: *pugnantia*, ex mendo.

vis publica, iure occisus est Alirrochous in facto deprehensus.

Et iure Marius absolvit adolescentem, qui in simili casu Tribunum militarem occidit.

Nec seditiose fecit is adolescens, etsi eum, qui in magistratu erat, occidit.

(X.) *Alia.*

(Opp. Basil. T. III. p. 327.)

Germani Principes iure tenent titulum Romani Imperii. Licebat enim Rom. petere auxilium adversus latrocinia ab exteris regibus.

Et Carolus defendens Romam atque Italiam adversus Longobardos, iure belli factus est dominus urbis atque Italiae, quia quae legitimo bello capta sunt, iuste tenentur. Nam bellum est res licita.

Ideo autem bello consequitur victor dominum, ut populi capti habeant defensorem et rectorum. Belli enim finis pax esse debet. Neque vero ulla certa pax esset unquam, si victor non consequeretur dominium.

Quare iure belli coactus est *Carolus* Italiam tanquam suam constituere ac defendere. Sequitur autem imperii titulus possessionem urbis atque Italiae.

Romanus Pontifex non potuit authoritate Evangelii imperii titulum transferre, quia Evangelium tradit de regno spirituali, non habet mandatum de corporalibus regnis aliquid constituendi aut mutandi. Itaque Carolus tenuit imperium non propter translationem pontificis, sed iure belli.

Sed cum constitutum sit, aut propter ecclesiasticam concordiam, aut propter defensionem ordinis ecclesiastici, ut Imperator a Romano Pontifice coronetur, rectum est accedere pontificis authoritatem.

Scriptura non instituit Monarchiam civilem, ita quod praecipiat omnibus hominibus uni alicui Monarchae parēre, sed praesentibus regibus ac Magistratibus parēre iubet.

Praescriptio nunc tuetur Principes, iuxta quam certissimum est imperii ἀξίωμα ad Germanos pertinere. Quae autem praescriptione tenentur, etiam bona conscientia coram Deo tenentur; quia cum magistratus divinitus approbatus sit, approbata est et praescriptio a magistratu ordinata.

Item effectus est vini in ebriis, et si alii sint hilares, alii furiosi, alii lachryment, sicut poëta dixit: *τῶν χρωμένων γὰρ τοῖς τρόποις κεράννυται.*

(XI.) *Alia.*

(Opp. Basil. T. III. p. 329.)

Locus de iure regis in historia Samuelis approbat in genere quaslibet regnorum formas, rationi consentientes. Non enim omnes formae similes sunt, sed alibi libertas est, alibi servitus, alibi gradus quidam servitutis.

Libertas intelligi debet non *ἀναρχία,* sed ubi certo iure reguntur homines, et Regum potestas legibus circumscripta est, iuxta quas iudicia exercuntur, et suum quisque tenet.

Talis fuit propemodum status regni iudaici. Talis status fuit et Graeci et Romani Imperii. Et hoc tempore imitamur veterem illam formam Romani Imperii.

Peccant Reges, quando imperant aliquid contra leges suas et contra formam imperii. Ideo peccabat Achab eripiens vineam Naboth, etsi locus ille de iure regio potestatem ei concedat occupandi aliquid ex privato.

Ambrosius prohibet Imperatorem occupare templum et clare ait: nec mihi fas est tradere, nec tibi Imperator accipere, etsi allegatur, universa Imperatoris esse.

Nec proptera tollitur rerum privatarum proprietas, etiamsi universa sint Imperatoris.

Evangelium nec Monarchiam aliquam corporalem constituit, nec unam certam regni formam praescribit, sed concedit, ut alibi sint aliae regnorum formae.

Ergo quatenus ius concedit rerum proprietatem, quatenus ius concedit defensionem, licet beneficio iuris uti. Et alibi servitus durior, alibi defensio aliter conceditur.

Politia Mosis non magis ad nos pertinet quam politia Solonis. Sed sicut magistratibus nostris, ita et legibus magistratuum nostrorum parēre debemus. Nec est absurdum aut contumeliosum dicere, quod ius Romanum sit honestius et rectius iudicialibus legibus Moysi.

Quia apparet in lege Moysi, quosdam illarum gentium mores, etsi habebant aliquid vicii, permissos esse. Ita Deus velut Princeps sapiens concedendum censuit praesentibus moribus.

Haec collatio iuris Romani cum Mosaico non est inutilis; auget enim dignitatem et alit reverentiam praesentium legum.

Insaniebat igitur *Carolostadius*, qui contendebat, res iudicari oportere ex Moyse. Insaniit et *Viglephus*, qui sensit, impios nullum dominium habere posse.

Plinius recte dicit, ideo lunam in coniunctione non cerni, quia haustum omnem lucis aversa illo regerat, unde accipit. Et quia non totus orbis accipit lumen, ideo luna non statim integra apparet.

(XII.) *Alia.*
(Opp. Basil. T. III. p. 334.)

Veritas est Dei donum, et quidem praecipuum in natura hominis.

Philosophia est veritas, quare hostes *philosophiae* belligerantur cum Deo et cum natura hominum. Nam et veritas res est divina, et in primis naturae hominum conveniens.

Cum autem Christianos praecipue deceat dona Dei ornare et conservare, decet etiam praecipue eos philosophiae studium. Et prodest aliqua ex parte philosophiae cognitio ad docendam et tractandam christianam doctrinam.

Philosophia in primis videre debet, quae sint certa quae incerta. Non est enim philosophicum affirmare incerta pro certis, aut affirmare aliquid contra iudicium rationis. Itaque multae sunt opiniones sectarum, quae nihil minus sunt quam philosophia.

Academici non recte iubent ἐπέχειν de omnibus rebus, nec recte disputant, omnia incerta esse.

Stoici non recte affirmant de fato, et stulte tollunt contingentiam et libertatem humanae voluntatis. Et haud scio, an ex illis stoicis disputationibus serpserit in Ecclesiam disputatio, quae tollit contingentiam et libertatem humanae voluntatis.

Epicuri sententia de fine bonorum non est philosophica; nam contra naturam hominis est, voluptatem finem esse bonorum.

Peripatetica philosophia purior est aliis sectis. Non enim affirmat ea, quorum ratio non habet demonstrationes, ut de aeternitate mundi et aliis nonnullis.

Non negat *Aristoteles* providentiam, et tamen ponit contingentiam. Philosophia moralis Aristotelis vera est et plena humanitatis.

Etsi verum est, philosophiam moralem partem esse *legis divinae*, tamen plurimum differt a lege divina. Item plus etiam differt ab Evangelio, et impietas est, haec doctrinae genera inter se confundere.

Quod *Augustinus* ait, omnia se dogmata Evangelii legisse apud Platonicos praeter illud: et verbum caro factum est, aut obscurissime aut falso dictum est.

SCRIPTA PHIL. MELANTHONIS

AD HISTORIAM PROFANAM ET PHILOSOPHIAM SPECTANTIA.

I. CHRONICON CARIONIS.

Melanthonem rerum ab initio gestarum cognitionem satis profundam habuisse, qualem homo doctus illo tempore habere potuit, scripta eius minora satis testantur. Non solum enim in epistolis et in iudiciis suis, ut etiam in praefationibus, quas aliorum libris praeficit, abundam historiae priorum seculorum cognitionem conspiciendam praebuit, sed etiam in orationibus academicis saepius tractavit argumenta historica insigni modo.

Unum vero tantum edidit scriptum, quod totam historiam praeteritorum temporum complectitur, videlicet *Chronicon Ioannis Carionis*, de quo nunc nobis paucis exponendum est.

De Carionis vita et scriptis et nominatim eius chronica breviter sed non ubique vere exposuit auctor quidam in „der Allgemeinen Encyklopädie der Wissenschaften und Künste von Ersch und Gruber. Bd. XXI. S. 48.", sed uberius et multo doctius bei Strobelius in seinen „Miscellaneen literarischen Inhalts." Th. VI. S. 141—206: „Von Carions Leben und Schriften."

Natus est *Ioannes Carion* a. 1499 in oppidulo Bietigheim in episcopatu Wurceburgensi, et literas didicit potissimum in schola Witebergensi, ubi Melanthone prae ceteris doctore est usus. Vocatus 1522 in aulam Ioachimi I., Princ. Elect. Brandenb. ut Mathematicus aulae, Principem Electorem ipsum, astrologiae deditum, et filios eius docuit mathematicam et astrologiam. Idem vero, vino nimium deditus, diem iam obiit a. 1538, praematura abreptus morte. Scripta eius astrologica, potissimum vaticinia, quae edidit, recensuit Strobelius l. l. Praeterea etiam compendiariam rerum a mundo condito historiam, secundum Danielis vaticinium de quatuor mundi monarchiis dispositam, conscripsit, „Chronick" appellatam, eamque Melanthoni, praeceptori misit, ut eam perlegeret, passim emendaret, eamque a typographo Witebergensi typis exscribi curaret. De qua re Melanthon ad Camerarium (Vol. II. p. 505.) haec scripsit: „Carion misit huc *χρονικά* excudenda, sed ea lege, ut ego emendarem. Sunt multa scripta negligentius. „Itaque ego totum opus retexo, et quidem germanice, et constitui complecti praecipuas mutationes maxi„morum imperiorum." Ex verbis: ego totum opus retexo, voluerunt quidem multi coniicere, hoc totum scriptum non quidem Carionis sed Melanthonis esse, quam quidem coniecturam Peucerus, Melanthonis gener, suo quoque confirmavit testimonio, qui in dedicatione Chronici Carionis editi a. 1572 haec scripsit: „Nomen Chronici Carionis retinui, quia mutare illud autor primus sanctae memoriae, Phil. Melanthon, „socer meus, noluit. Occasio nominis huius inde extitit, quod cum Ioh. Carion mathematicus ante annos „quadraginta coepisset contexere chronicon, et recognoscendum et emendandum, priusquam praelo sub„iiceretur, misisset ad Phil. Melanth., hic, quod parum probaretur, *totum aboleuit una litura*, alio con„scripto, cui tamen Carionis nomen praefixit: sed et hoc, cum retexuisset, amici nomen et memoriam, „a cuius primordiis *ἀφορμὴ* prima Chronici contexendi nata atque profecta esset, titulo posteritati com„mendare voluit."

Minime vero verum est, Melanthonem omnia a Carione scripta *una litura delevisse*, imo verba: *totum* opus retexo, tantum indicant, Melanthonem omnes libri partes emendasse. Non enim *omnia* sed tantum „*multa* negligentius scripta" reperit et retexuit. Idem Melanthon ipse testatus est in epistola ad Corvinum (Vol. II. p. 560.), cui exemplum scripti, postquam prodierat, transmisit et simul scripsit:

„Mitto tibi χρονικὸν in quo etsi sunt mei *quidam loci*, tamen *ipsa operis sylva non est mea*. Misit „enim Carion ad me farraginem quandam negligentius coacervatam, quae a me disposita est, quan-„tum quidem in compendio fieri potuit. In fine adieci tabellam annorum mundi utilem et veram, „quam spero tibi et aliis doctis placituram esse. Et si recudent opus nostri χαλκογράφοι, addam ex „Ptolemaeo testimonia."

Prodiit liber Carionis ineunte anno 1532 sic inscriptus:

„Chronica durch Magistrum Johann Carion fleissig zusammen gezogen, menigklich nützlich zu lesen. Wittenb. durch Georg Rhaw. 1532." 8.

Dicavit libellum Carion domino ac patrono suo Ioachimo I., Marchioni Elect., et data est epistola Berolini a. 1531. Totam historiam disposuit in tres periodos sive libros; lib. I. a mundo condito usque ad Abrahamum; lib. II. ab Abrahamo usque ad Augustum Imperatorem Roman.; lib. III. ab Augusto usque ad an. 1532. — Hoc opusculum ita placuit hominibus doctis illius temporis, ut multi eo uterentur in tradenda historia, inter quos etiam fuit ipse Melanthon. Quare non solum saepe recusum sed etiam latinum factum et editum est.

Germanice prodiit iterum eodem anno:

„Chronika durch Magistrum Johann Carion vleißig zusammengezogen, menniglik nützlich zu lesen. Gedruckt zu Wittenb. durch Nikel. Schirlenz im J. 1532."

Item prodiit apud Georgium Rhaw, Vitebergae 1533. — 1538. — 1549, ubi in inscriptione addita sunt verba: „Volstreckung dieser Chronika vom 32. Jahr der mindern Zahl bis ins 46." [d. i. fortgesetzt von 1532—1546.]

Porro recusum est hoc χρονικόν Augustae Vindelicorum 1532, item 1533 et 1540. Eundem libellum recudi curavit Io. *Funccius*, et historiam annorum inde a 1532 usque ad 1546 adiecit prolixiorem, sic inscriptum:

„Chronikon durch Mag. Johann Carion — — Vollstreckung dieser Chronika vom 32. Jahr der mindern Zahl bis in 46. durch Joh. Funcken (Pastor in Wohrd prope Norinbergam) zusammengetragen. [(Frankf. a. M.) 1546." 8.

Latinum fecit hunc libellum Hermannus *Bonnus*:

„Chronica Ioannis Carionis conversa ex Germanico in Latinum a doctissimo Viro Hermanno *Bono*, et ab autore diligenter recognita. Halae Suevorum ex officina Petri Brubachii. 1537." 8. — Recusus est liber ibid. 1539 et 1550. — Item Francof. 1555. Porro Lugduni Batavorum, 1546. 1558. Parisiis 1544. 1546. 1549. 1553. 1563. — Venetiis 1553 et 1556.

Quum autem Carionis liber, quo etiam Melanthon in enarrandis historiis utebatur, imperfectus esset, Melanthon, multum excitatus a multis, ut totum librum retexeret, tandem monitis amicorum cessit et librum ita emendavit et quasi novum fecit, ut iam non Carionis sed ipsius Melanthonis opus esse videretur. Prodiit igitur:

„Chronicon Carionis latine expositum et auctum multis et veteribus et recentibus Historiis, in narrationibus rerum Graecarum, Germanicarum et Ecclesiasticarum a *Philippo Melanthone*. Witebergae excusum in officina Haeredum Georgii Rhaw. Anno M.D.LVIII." 1 Alph. 3 fol. 8.

Dicavit librum Sigismundo, Archiepiscopo Magdeburgensi, Marchioni Brandenb. et in epistola dedicatoria quam dedimus Vol. IX. p. 531. diserte exposuit necessitatem et utilitatem cognitionis historiarum. Continet autem hoc primum Volumen librum primum et secundum operis Carionis, ergo historiam a mundo condito usque ad Augustum Imperat.

Post biennium prodiit secundum Volumen, inscriptum:

„Secunda pars Chronici Carionis ab Augusto Caesare usque ad Carolum Magnum. Exposita et aucta a *Philippo Melanthone*. Witebergae, cum gratia et privilegio ad sexennium. Anno M.D.LX." 380 pagg. 8.

Librum dicavit eidem Sigismundo, Archiepisc., et epistola data est d. 25. Mart. 1560. Vid. Vol. IX. p. 1073. Continet hoc volumen tantum partem libri tertii Carionis, videlicet historiam ab Augusto Imp. usque ad Carolum Magnum. Usque ad Carolum M. Melanthon etiam enarrationem libri chronici mense Martio 1560 in schola perduxerat, quum morte rebus humanis eriperetur. Mandavit Academia, ut Vol. X. p. 207 sq. vidimus, Casparo Peucero, ut Chronicon inde a Caroli Magni tempora pertexeret. Is igitur, quae in schola dictaverat, postea etiam edidit. Prodiit itaque:

„Tertia pars Chronici Carionis, a Carolo Magno, ubi Philippus Melanthon desiit, usque ad Fridericum secundum. Exposita et aucta a *Casp. Peucero.* Accessit locupletiss. rerum ac verborum memorabilium index. Witeb. exc. Petrus Seitz, Anno M.D.LXII." 1 Alph. 17 fol. 8.

Peucerus igitur in hoc volumine tertio priorem tantum partem libri tertii in Chronico Carionis exposuit. vid. historiam a Carolo Magno usque ad Fridericum II. — Reliquam igitur partem, nempe historiam a Friderico II. usque ad Carolum V., Imperatorem persequutus est in volumine quarto, quod, ut Strobelius l. l. habet, ita inscriptum fuit:

„*Quarta pars* Chronici Carionis a Friderico sec. usque ad Carolum quintum. Exposit*us* et auct*us* a Casparo Peucero. Pertinet hic liber ad partem tertiam Chronici. Witeb. 1565." 8.

Sed Strobelium hoc quartum volumen, quod anno 1565 prodiit, non in manibus habuisse, mihi persuasum est, neque hoc volumen in sua Bibliotheca Melanthoniana ad anno 1565 commemoravit. Imo puto illum verba „*Quarta pars* ex suo ingenio scripsisse, non ex exemplari aliquo descripsisse"; quam coniecturam etiam confirmant verba „*expositus* et *auctus*" in genere masculino, quae non quadrant in foemininum *pars,* sed in verbum *liber.* Imo quartum volumen, in exemplo quod meum est, sic inscribitur:

„*Liber quintus* Chronici Carionis a Friderico secundo usque ad Carolum quintum. Expositus et auctus a Casparo Peucero. Pertinet hic liber ad partem tertiam Chronici. Accessit locupletissimus rerum et verborum memorabilium index. Cum gratia et privilegio Caesareo, et Ducis Saxoniae, Electoris. Witebergae, Iohan. Schwertelius excudebat. Anno M.D.LXVI." 2 Alph. 5 fol. 8.

Epistola Peuceri dedicatoria ad Augustum, Ducem Saxon. Elect., data est pridie Calend. Novembr. anno 1565. — Dubio caret Strobelium habuisse exemplum aliquot recusum, in quo verba „*liber quintus*" quae primam lineam tituli formant deleta fuerunt, Strobeliumque arbitratum esse etiam hoc volumen, ut volumina tria priora inscriptum fuisse, videlicet: „Pars quarta." Neque, ut Strobelius ex die epistolae gratulatoriae coniecit, anno 1565 sed anno 1566 ineunte typis exscriptum est hoc volumen.

Saepius haec volumina, vel singula, vel omnia quatuor recusa sunt, ut narravit Strobelius l. l. Sufficit autem hic eam editionem commemorare, quam Peucerus ipse a. 1572 curavit; videlicet:

„Chronicon Carionis expositum et auctum multis et veteribus et recentibus historiis in descriptionibus regnorum et gentium antiquorum et narrationibus rerum ecclesiasticarum et politicarum Graecarum, Romanarum, Germanicarum et aliarum ab exordio mundi usque ad Carolum V. Imperat. a Phil. Melanthone et Casp. Peucero. Witeb. excud. Io. Crato. 1572." 746 pagg. in fol. exceptis praefatione et indicibus. —

Qui plura scire vult de editionibus huius libri Peuceri, is legat Strobelium l. l. Satis est hic commemorare, quod duo volumina, primum et secundum, a Melanthone scripta, Basileae 1559 recusa, et ab Eusebio Menio a. 1560 et 1562 germanica facta sunt.

Quum Melanthon ipse non nisi primum et secundum volumen conscripserit, tertium et quartum autem Peucerus, hic totum librum repetere noluimus, sed tantum Vol. I. et II., quae Melanthonis manu exarata sunt. Nam Peucerus ipse in epistola dedicatoria tertio volumini praemissa haec tradidit:

„Illi (Melanthoni) rebus humanis exempto, ego in pertexendo opere successor datus sum, qui si, ut „operae atque laboris, ita doctrinae, iudicii, prudentiae, et perspicuae planaeque orationis haeredi-

„tatem simul adiissem, minus repugnassem voluntatibus meorum collegarum, et de me etiam minus „laborassem. Sed cum nihil istorum in me sit, cessi tamen autoritati illorum, qui rem tantam mihi „imposuerunt, non quod considerem, navare me aliquid aut efficere posse his rebus dignum, sed „quod persuaderer, me, quae desint, adiicere debere, *quod autoris de multis rebus sententiam hisce „annis quindecim, quo cum eo vixi, cognovissem, et multa ex sermonibus familiaribus quotidianis „meminissem posteritate digna,* in quibus si non satisfacerem omnibus, eo minus tamen mihi peri„culi fore, quod non expectaretur aliquid priori simile."

Ex quibus verbis satis perspicitur, Melanthonem nullas chartas sua manu scriptas, quae in elaborando tertio volumine usui esse possent, reliquisse, quod, si factum fuisset, Peucerus sine dubio hic commemorasset. Quare volumen tertium et quartum, quippe totum Peucerianum, hic missum fecimus, et ea tantum dedimus, quae a Melanthone sunt perscripta.

CHRONICON CARIONIS

latine expositum et auctum multis et veteribus et recentibus historiis, in narrationibus rerum Graecarum, Germanicarum et Ecclesiasticarum

a *Philippo Melanthone.*

Witebergae excusum in officina haeredum Georgii Rhaw. Anno M. D. LVIII.

Nos Dei Gratia *Augustus* Dux Saxoniae, Sacri Romani Imperii Archimarscalcus et Elector, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, et Burggravius Magdeburgensis. Notum facimus universis ac singulis Subditis nostris, nostraeque Ditioni coniunctis, nec non aliis has literas nostras inspecturis. Postquam nobis Vidua olim Georgii Rhavii Typographi Vitebergensis, submisse significavit, quod Chronicon, antea sub nomine Carionis editum, et nunc recens a Doctissimo viro Domino Philippo Melanthone auctum, sumptibus suis et Latine et Germanice in publicum mittere, et prelo subiicere statuerit. Et obnixe petiit, ut ad hoc sibi et Haeredibus suis Privilegium clementer daremus, quo caveatur, ne intra sex annos Chronicon illud, alii praeterea Typographi, in Ditionibus nostris imprimant, aut alibi etiam editum vendant. Cunque defuncti Rhavii singulare studium in promovenda re literaria nobis commendatum sit, et constet, quanta sit utilitas Lectionis Historiarum, ita sane, ut et hanc editionem non tantum discentibus, sed etiam magnis viris hominibusque politicis, in tractatione rerum gravissimarum versantibus, maxime profuturam esse existimemus: Nos dictae Viduae precibus, pro ea quidem benignitate, qua miseras personas complectimur, atque ea animi propensione, qua erga discentes, et literarum studia, quae et Religionis et Status politici seminaria et nervi sunt, benigne affecti sumus, clementer annuisse, ipsique et Haeredibus suis Privilegium hoc dedisse. Ac damus sane eis Privilegium petitum his literis nostris, Vobisque omnibus et singulis serio mandamus, ut quisque diligenter animadvertat, ne intra annos sex, ab hoc tempore in Dominiis nostris, aut Iurisdictionibus vestris, sive vobis commissis, dictum Chronicon Latine aut Germanice edatur, aut alibi etiam impressum vendatur, sub poena vel mulcta trecentorum aureorum, cuius quidem mulctae media pars Fisco, et altera ipsi Viduae ac Haeredibus suis, sine ulla remissione a Typographis et Bibliopolis contra hoc delinquentibus solvi debet. Illud noluimus vos celare, sitque in eo certa nostra voluntas. In cuius fidem has literas Sigillo nostro munivimus, Quae datae sunt Saltzae 12. Februarii, Anno 1558.

Augustus Dux Saxoniae
Elector, etc.

Epistolam dedicatoriam lege in Epp. Vol. IX. p. 531.

CHRONICON.

Legerunt historias omnibus aetatibus etiam Ethnici, et quia cognitio per sese expetitur, et quia in exemplis multiplices commonefactiones proponuntur, tum de privatae vitae officiis, et de causis calamitatum, tum vero de consiliis publicae gubernationis, et de causis multarum horribilium mutationum in imperiis, sicut gravissime Polybius inquit: Historiae cognitionem esse verissimam institutionem et praeparationem ad actiones politicas, et illustrem magistram ad perferrendas fortunae vices. Etsi autem de Polybii dicto nunc non disputo: tamen manifestum est, exempla consiliorum in gubernatione multum prodesse. Ut urbs Roma praecipuas leges, et iudiciorum ordinem accepit a civitate Attica. Saepe etiam singularia exempla illius Reipublicae imitata est, ut cum usurarum magnitudo praebuit occasionem seditionibus, consilium Solonis secuta est de *σεισαχθεία*, et redegit usuras ad centesimas. Item cum interfecto Iulio, sanxit Senatus *ἀμνηστίαν*, ut fecerat Athenis Thrasybulus. Et ut Lysander in Graecia constituit *ὀλιγαρχίαν*, ac populo ademit summam autoritatem, et removit Oratores, qui populum concitabant: sic Romae Sylla debilitavit tribunitiam potestatem. Postea Augustus totum ius tribunitiae potestatis ad se unum transtulit, quia saepissime fuerunt Tribuni tubae seditionum. Ideo autem Augustus ad sese transtulit, ut etiam cum non erat Consul, ius retineret convocandi senatus, quod habuerat potestas tribunitia. Et regulae illae tutiores sunt: *οὐκ ἄγαθον πολυκοιρανίη*. Item, sapientissime constitutus est senatus Electorum in Germania, qui iam annis quingentis nervus fuit Germanici imperii. Etsi autem autores huius consilii Deus singulari modo rexit: tamen exempla aliqua considerasse eos consentaneum est. Et pene similem potestatem in Lacedaemone quinque Ephori habuerunt, aut initio septem Principes in Perside.

Nec tantum ad imitationem honorum consiliorum prodest historia, ut imitatio strategematum, sed multo magis ad praemonitionem in cavendis causis horribilium mutationum et calamitatum, cum regula universalis sit: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis in hac vita. Recitant historiae omnium temporum exempla, de poenis blasphemiarum, periuriorum, tyrannicae crudelitatis, seditionum, flagitiosarum libidinum, et rapinarum, quae poenae testimonia sunt providentiae et iudicii divini, et harum regularum: Non habebit Deus insontem, quicunque vane usurpat nomen eius. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item de libidinibus: Omnis anima, quae fecerit abominationes has, delebitur. Item: Veh qui spolias, quia spoliaberis. Et potest ceu commune argumentum inscribi omnibus historiis: Discite iusticiam moniti, et non temnere Divos.

Deinde de multis peculiaribus negociis historia monet. Saepe fuerunt infelicia foedera, praesertim dissimilia, et quia fiducia propriarum virium est insolens et infelix. Unde sequitur, quod dictum est a Theognide: *ὕβρις καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε, καὶ Κολοφῶνα.* Et accedit hoc, quod causae dissimiles sunt, ubi multi dissimiles coniuncti sunt. Ut, Atheniensium et Corcyreorum foedus utrisque exitiale fuit, cum Attici propter coniunctionem cum Corcyreis, quam fecerant in causa dubia, movissent bellum Peloponnesiacum. Item postea propter foedus cum Phocensibus seditiosis attraxerunt regem Macedonicum. Et regula est de dissimilibus foederibus apud Thucydidem libro tertio: *Ἐν τῷ διαλλάττοντι γνώμης διαφοραὶ ἔργων καθίστανται*, id est: Dissidentibus opinionibus et voluntatibus fiunt diversā opera.

Docet item, tantum necessaria facienda esse, nec movendas esse res non necessarias stulta *πολυπραγμοσύνῃ*, quae varias habet causas. Interdum aemulatio incendit animos, ut, Marius et Pompeius bella civilia moverunt praecipue ex aemulatione. Interdum ingenii pertinacia attra-

hit bellum. Causa belli Peloponnesiaci proxima fuit Periclis pertinacia, nolentis retractare iniustum decretum de Megaris. Cato nec morte Pompeii, nec amissis tot exercitibus permovetur, ut arma deponat. Saepe ambitione moventur res non necessariae ab inquietis ingeniis. Ut, Alcibiades suasor est belli gerendi in Sicilia, cum patria domestico bello arderet, et nulla magna causa esset, tam procul mittendi robur civium. Agathocles circumsessa urbe Syracusana abducit exercitus in Aphricam, qui ibi trucidantur. Sic aliquoties Galli exercitus in Italiam duxerunt.

Interdum moventur animi *κακοζηλίᾳ*. Ut, Demosthenes imaginatur suum consilium esse Themistocleum, defendendam esse Graeciae libertatem contra exteros reges. Cicero quia antea Catilinam oppresserat, sperat se simili foelicitate Antonium oppressurum esse. Hoc modo saepe in Ecclesia peccatur. Ut, Zedechias scit, a prioribus regibus defensum esse templum, ac sperat suam defensionem fore foelicem, quam Ieremias contra superiorum Prophetarum exempla dissuadebat. Iudaei aliquoties adversus Romanos moverunt seditiones, tanquam imitaturi Iosuam aut Maccabaeos etc.

Cum igitur legimus, quales habuerit eventus *πολυπραγμοσύνη*, cogitemus de regula, Necessaria facienda esse, et quidem cum petitione auxilii divini, Non movenda esse non necessaria. Ideo inquit Paulus: Qua vocatione vocatus es, in ea ambula. Et Siracides inquit capite 3.: Quae mandata sunt tibi, cogita sancte. Qui amat periculum, peribit in eo. 1. Thess. 4.: Sitis quieti, et agite propria. Ubi praecipit Paulus de vitanda *πολυπραγμοσύνη*, quae ruit extra vocationem. Tales multae admonitiones traditae sunt, etiam ab ethnicis sapientibus. Spartam nactus es, hanc orna. Et Aristophanes Periclem exagitat in fabula, cui titulus est Acharnenses: *Ἐρεῖ τὶς, οὐ χρῆν. Ἀλλὰ τί χρῆν εἴπατε*, id est, Dicat aliquis: Non opus erat? Sed dicite: Quid opus erat? Item: *πλείω πάρεργα ἔργων*. Denique de multis vitae et consiliorum regulis historiae nos monent. Et prudenter in exemplis considerandum est, ad quas regulas vitae accommodanda sint. Sed nunc de nobis in Ecclesia dicamus.

Praecipue historia opus est in Ecclesia. Primum, quia Deus immensa bonitate sua se patefecit, et patefactiones suas scribi voluit. Vult sciri initia generis humani, Ecclesiae exordia, instaurationes, conservationem et revelationem promissionis de filio, gloriosam promulgationem legis, missionem filii, et illustria testimonia, quae subinde edita sunt, ut nos de doctrina confirmaremur. Vult sciri discrimen Ecclesiae et aliarum congregationum sive sectarum, et cognosci omnibus temporibus, qualis fuerit Ecclesia. Ideo historiam Deus nobis per Patres et Prophetas optimo ordine, et numero annorum diligenter tradito, scribi voluit. Ac singulare decus est Ecclesiae, quod non alibi in toto genere humano invenitur antiquior series imperiorum et temporum. Nec alia gens habet retro annotatos certo numeros annorum.

Praeterea non modo decus est Ecclesiae, sed testimonium etiam de Deo, de providentia, de veritate doctrinae in Ecclesia, quod ordine monarchias quatuor statim initio secundae, videlicet Persicae, describit. Simul etiam multa magna bella regum Aegyptiacorum et Syriacorum praedicit. His vaticiniis cum eventus respondeat, fatendum est, et praedictiones illas a Deo traditas esse, et hanc doctrinam solam de Deo, quae simul tradita est per illos ipsos Prophetas, veram esse. Item, servari a Deo Ecclesiam, inter horrendas imperiorum confusiones, et propter eam Deo curae esse imperia.

Secundo, ut libri prophetici melius intelligantur, omnium temporum historia complectenda est. Et considerent Iuniores, fere ibi Herodotum ordiri suam historiam, ubi Hieremias desinit, videlicet in rege *Aprie*, qui Hieremiam interfecit. Erit igitur continua mundi historia: Libri prophetici, Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus de Philippo, Alexandro et successoribus. Polybius, Livius, et deinde alii post Livium.

Tertio ad diiudicationes gravissimarum controversiarum prodest nosse historias. Ut, statim post Apostolos orta sunt certamina plurima.

Cerinthus, Ebion, deinde Samosatenus et Arius lacerarunt doctrinam de filio Dei.

Manichaei finxerunt duo principia, pariter aeterna, contraria, Bonum et Malum, *φῶς καὶ ὕλην*. Probaverunt necessitatem stoicam, damnaverunt certos cibos.

Tacianus et alii multi damnarunt coniugium. Alii, ut Carpocrates, finxerunt raptus divinos, et voluerunt communes esse mulieres

Multi, et nominatim Pelagius, penitus damnaverunt doctrinam de Gratia, et de iusticia Fidei.

In talibus materiis valde prodest scire, per quos veritas defensa sit, quibus argumentis mendacia refutata sint, quae testimonia divinitus edita sint. Ut: Iohannes refutavit Cerinthum, et Cerinthum ruina balnei oppressit. Samosatenum refutavit Gregorius Neocaesariensis, clarus miraculis, et Dionysius Aegyptius. Marcionem et colluviem Manichaeorum refutarunt Polycarpus, auditor Iohannis, et Ireneus, auditor Polycarpi. Manem, qui primus autor fuit Manichaeae impietatis, interfecit rex Persicus, detracta ei cute, quod in curatione filii comperit, eum esse impostorem, non medicum. Marcion Diaconi coniugem ex Cypro abduxit, quae postea reversa multa de sectae turpitudine narravit. Arium refutavit tota Nicena Synodus, in qua multi martyres fuerunt. Et ostendit Deus iudicium suum adversus Arium, qui cum haberet novam aulae benevolentiam, Bizantium iturus ad disputationem, subita consternatione oppressus, declinans de via ad latrinam, ibi sanguinem et intestina effudit. Atque ita pene ut Iudas mortuus est, ut hoc tempore aliquot Hypocritae extincti sunt subitis terroribus, qui confessi sunt, se contra conscientiam oppugnasse veritatem. Latomus Lovaniensis inter horrendos mugitus confessus est, se contra conscientiam adversatum esse veritati. Pelagium refutarunt Ambrosius, Augustinus, Prosper, et alii.

Post ea tempora cum Romanum imperium dilaceratum esset a Gothis, Vandalis, et Hunnis, infusae barbarae gentes in Italiam, Graeciam et Asiam, mutarunt linguam, et multas Ecclesias et Scholas deleverunt. Inde sequutae sunt in doctrina tenebrae, et nova doctrinae forma nata est, et multae superstitiones receptae et confirmatae sunt, Ut, sacrificia pro mortuis, et invocatio hominum mortuorum, et initia monachorum. Et paulatim crevit Romani Pontificis potentia, quae deinde Germanicorum Imperatorum liberalitate instructa est magnis opibus, qui ei multa oppida in Italia attribuerunt. Hanc potentiam auxerunt postea fraudibus et bellis, et ex imperii reliquiis multa occuparunt.

Horum bellorum causae ex veris historiis indicari possunt, quae ostendunt, quibus occasionibus regna dare et eripere regibus conatus sit, et finxerit, summam monarchiam imperiorum *Petro* datam esse, iuxta versum scriptum in corona Rodolphi, quem Papa Imperatorem nominavit contra Henricum quartum: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. Leguntur et Synodi pontificiae, in quibus confirmati sunt errores et pontificia tyrannis. Magna igitur utilitas est historiae in diiudicatione multarum controversiarum.

Postremo et haec ingens utilitas adsidue cogitanda est, in collatione historiarum ethnicarum et nostrarum. *In historiis ethnicis* tantum cernuntur exempla irae Dei, contra atrocia scelera, iuxta regulas: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item contra periuros: Non habebit Deus insontem, qui vane nomen eius usurpat. Item: Veh qui spolias, quia spoliaberis. Item: Omnis anima, quae fecerit abominationes has, eradicabitur etc. *At in historia Ecclesiae* utriusque generis exempla proponuntur, Exempla irae in poenis, ut diluvii, conflagrationis Sodomae, interitus Pharaonis, et alia multa, quae ad legem referantur. Item exempla misericordiae seu gratiae. quae ad Evangelium referantur. Et testimonia manifestae praesentiae Dei in Ecclesia, quae docent nos de fide, de vera invocatione, de veris cultibus, et valde confirmant pias mentes. Ut, post lapsum voce filii recepti et servati sunt Adam et Eva. Manifesta praesentia Dei est in familiis Nohae, Abrahae, Isaac, Iacob, Ioseph, et deinde in Ecclesia Israël in deserto. Postea quoque in gubernatione Iosuae, Gedeonis, Samsonis, Samuelis, Ionathae, Davidis, Iosaphat, Eliae, Elisaei, Ionae, Ezechiae, Esaiae, Ieremiae, Danielis, manifesta praesentia Dei in Ecclesia conspicitur. Hanc totam seriem Ecclesiae omnium temporum intueri utile est. Ac in universa historia discernantur narrationes de Ecclesia ab ethnicis materiis, et ubi singulis temporibus fuerit Ecclesia, quam habuerit doctrinae vocem, quos praecipuos Doctores et testes, quae certamina, quales aerumnas et liberationes, consideretur.

Hanc admonitionem de utilitate historiae et de Ecclesia discernanda ab Ethnicorum tenebris, initio propter iuniores recitavi, et ut avidius legant historias, et ut Ecclesiam rectius nosse discant.

De ordine libri.

Utile est, semper in conspectu habere, quantum fieri potest, omnium temporum seriem, et praecipuas generis humani mutationes. Ad id maxime conducit nosse dictum, quod recitatur in Iudaeorum commentariis, hoc modo:

Traditio domus Eliae.

Sex millia annorum mundus, et deinde conflagratio.
Duo millia inane.
Duo millia lex.
Duo millia dies Messiae. Et propter peccata nostra, quae multa et magna sunt, deerunt anni, qui deerunt.

Hoc modo Elias de duratione generis humani vaticinatus est, et praecipuas mutationes distinxit. Duos primos millenarios nominat *inane*, quod simplicissime sic interpretor, nondum homines procul dissitas regiones occupasse, ante conditam Babylonem. Alii dicunt, nominari Inane, quia nondum certa politia Ecclesiae constituta fuit, et nondum segregata fuit Ecclesia a caeteris gentibus. Nondum etiam erant imperia, qualia postea in monarchiis fuerunt. Sed quaecunque causa est, quare sic dixerit Elias, hoc non dubium est, primam aetatem fuisse florentissimam, quia natura hominum minus languida fuit, quod ostendit longaevitas. Et fuit excellens decus, quod sapientissimi senes, pleni divinae lucis, simul vixerunt, et de Deo, de creatione, de edita promissione testes fuerunt, et multi artes invenerunt et illustrarunt.

Secundum tempus a Circumcisione numeratur, usque ad natum Messiam ex Virgine, quod non multo minus duobus millenariis continet.

De tertio tempore significat fore, ut non compleantur duo millenarii, quia nimium crescet impietas, propter quam citius delebitur totum genus humanum, et Christus se palam ostendet in iudicio, ut inquit: Propter electos dies illi breviores erunt.

Distribuemus igitur historiam in tres libros, iuxta dictum Eliae. *Primi libri* narratio brevis est, etsi haud dubie ante diluvium Deus multa illustria testimonia de sese aedidit, Et varia certamina fuerunt Ecclesiae et impiorum, Et multa admiratione digna in Artium inventione excogitata et tradita sunt.

Secundus liber erit prolixior, quia tunc et Ecclesia habet suas mutationes, promissio repetitur, et alligatur ad certam stirpem, et Ecclesia distinguitur a caeteris gentibus, et fit promulgatio legis, et collocatur Ecclesia in sede et politia certa. Et in id tempus incidunt monarchiae, in quibus magnae mutationes generis humani acciderunt, dignae consideratione. Ac praedixit Deus seriem quatuor monarchiarum, ut significet Messiae adventum et finem mundi, videlicet humanae generationis, et tempus ultimi iudicii. Intelligas autem *monarchiam* non quidem complexam omnes regiones et gentes, sed tantam, quae magnam partem orbis terrarum tenuit, et tantam habuit potentiam, ut caeteros reges compescere posset. Ideo enim voluit Deus monarchias constitui, ut homines legibus, iudiciis et disciplina regerentur.

Hoc ut fieret Deus dedit monarchas, instructos potentia, qui et leges honestas conderent, et iudicia ac disciplinam armis defenderent. Et mutat Deus imperia, cum haec officia negliguntur, et Principes vel ipsi faciunt, vel non puniunt, iniustas caedes, libidinum confusiones, direptiones, et alia atrocia scelera. Vult enim Deus, politicum ordinem testimonium esse de providentia, et de iudicio suo, et vult hoc modo utcunque servari societatem hominum, coniugia, disciplinam, doctrinas, et vult imperia esse hospitia Ecclesiae.

Est et hoc singulare monarchiarum decus, quod aliqui praestantes reges in numero monarcharum vocati sunt ad veri Dei agnitionem, et ad ornandam Ecclesiam, ut Nabuchodonosor, Ephimerodas, Darius Medus, Cyrus, Artaxerxes Longimanus, Constantinus, Theodosius, Arcadius, Valentinianus, Carolus Magnus, Ludovicus pius, Henricus Saxo, Otto primus, ut de caeteris non dicam.

Ostendit autem liber Danielis, Deum ipsum quatuor monarchias numerare, et significare, quartae monarchiae tempore Messiam palam praedicaturum esse Evangelium et sacrificium facturum, ad quod mittendus erat, et deinde finem fore generationis hominum, et sequuturam esse resuscitationem hominum mortuorum. Voluit enim Deus sciri, hanc generationem hominum non fore perpetuam. Voluit item sciri tempora utriusque adventus *Christi.* Ac magna

confirmatio est piorum: cum videmus, hunc fuisse monarchiarum ordinem et successionem, ut praedicitur, non dubitemus, sequuturum esse iudicium. Sic autem numerantur monarchiae.

1. Prima est Chaldaeorum, qua et Assyrii vicini comprehenduntur. Nam alias statim initio potentiores fuerunt reges in Babylone, alias vicini reges in Ninive. Nec dubium est, Babylonem et Niniven diversas urbes esse.

2. Secunda dicitur *Persarum.*

3. Tertia Alexandri et proximorum successorum.

4. Quarta Romanorum, quam significat Daniel tandem dilacerandam esse, et pedes partim ferreos, partim luteos fore. Etsi alii ferreos pedes intelligunt regnum Turcicum, caeteros luteos pedes: tamen ego existimo, Turcicum regnum, quod manifestas blasphemias contra verbum *Dei* profitetur, et ex professo delere nomen *Christi* conatur, non annumerari monarchiis, quas Deus legum et disciplinae causa constituit. Sed ferreos pedes intelligo aliquot potentes imperatores Germanicos, ut Carolum primum, Ludovicum filium, Henricum Saxonem, quem usitate Aucupem nominant. Veteres Germanicae historiae nominant eum Humilem, ut sic dicam. Deinde Otthones, Henricum Bombergensem. Postea fuerunt multi imbecilliores, quos significant lutei pedes. Sed mixti fuerunt et fortes Principes, qui res utiles gesserunt, ut Lotharius Saxo. Nam Turcicum imperium prorsus a monarchiis seiungo, quas *Deus* legum et disciplinae causa constituit.

Sunt igitur peculiares descriptiones Turcicae tyrannidis. Ut apud Ezechielem prophetia de Gog et Magog proprie ad Turcas pertinet. Et cornu loquens blasphemias, et conterens Ecclesiam apud Danielem, de toto Mahometico regno concionatur. Singularis furor est ortus a diabolis in hac ultima senecta mundi, Deo permittente propter horribilia hominum peccata, tyrannis *Mahometica*, dissimilis omnium regnorum: quia ex professo conatur delere nomen *Christi.* Nec ornat genus humanum legibus aut disciplina: Sed vastat orbem terrarum, ut et nomen *Turca* vastationem seu vastatorem significat.

Sit autem grata nobis consideratio, quod Deus et Germanicam gentem hoc honore ornavit, ut reliquias Romanae monarchiae eam tenere, et praecipuos esse custodes Europae voluerit. Nec dubium est, Italiae post longas vastationes salutarem pacem et ornamenta civilia restituta esse Caroli et Ludovici virtute, et ab his defensam esse Galliam et Germaniam, depulsis a Gallia Saracenis, et a Germania Ungaris, ornatas esse Ecclesias, et excitata doctrinarum studia, cum in Aegypto et in Aphrica penitus deletae essent Ecclesiae, et in Asiam infusi essent Saraceni et Turci, qui ibi quoque delebant Ecclesias et literas. Ut igitur in Europa reliquiae Ecclesiae et doctrinarum servarentur, rursus ibi divinitus pulchra coniunctio facta est, Italiae, Galliae et Germaniae, quae ab uno *Carolo* tenebantur, qui tanquam monarcha erat Europae, et custos pacis, religionis, legum et disciplinae. Postea Italiae et Germaniae coniunctionem retinuerunt Othones, Henricus Bombergensis et Cunradus Spirensis. Post hunc cum iam Romanorum Pontificum potentia crevisset, furiae pontificiae accenderunt in Germania bella civilia, quibus potentia Germanici imperii praecipue languefacta est. Non enim procul abest dies triumphi, in quo se filius Dei palam ostendet generi humano, et Ecclesiam aeterna gloria ornabit, et omnes impios in aeternas poenas abiiciet. Interea tamen, ut minus sit confusionum, optandum est, ut Principes in Germania hoc decus sapientia et virtute tueantur, nec privatis discordiis Germaniam ipsi dilacerent. Hanc curam praecipuam esse oportebat summi in terris Senatus, videlicet collegii *Electorum*, ut Europa et caput et vires haberet contra Turcicam barbariem, et tyrannos, qui iniusta bella movent, perniciosa toti Europae. Nos autem Deum ardentibus votis et gemitibus precemur, ut in hac turbulenta senecta mundi et ruinis imperiorum servet aliqua Ecclesiae hospitia, et tribuat eis salutarem gubernationem.

Annorum series ex Philone.

Mille sexcenti quinquaginta sex ad diluvium.

Ducenti nonaginta duo ad Abraham natum.

Quadringenti viginti quinque ad Moisen natum.

Octuaginta ad exitum ex Aegypto.

Quadringenti octuaginta ad templum Salomonis.

Centum triginta octo: ad regem Ioas, et finem stirpis Salomonis.

Ducenti nonaginta unus: ad migrationem spontaneam Ieconiae.

Undecim: ad excidium Ierosolymae sub Nabuchodonosor.

Septuaginta exilii Babylonici post destructam Ierosolymam.

Triginta sex: Iesus magnus sacerdos, cuius fit mentio in Zacharia sub Cyro.

Octo: Ioiakim absente patre.

Viginti: Iesus reversus a rege Persico.

Quadraginta octo: Ioiakim iterum.

Viginti et unus: Eliakim.

Viginti quatuor: Ioiada.

Viginti quatuor: Ioathan.

Decem: Iaddua sub Alexandro.

Summa annorum ad Alexandrum usque tria millia quingenti octuaginta quatuor.

Viginti septem: Onias priscus.

Tredecim: Simon priscus, celebratus a Siracide.

Viginti: Eleasar.

Viginti septem: Manasses.

Viginti octo: Simon Iustus.

Triginta novem: *Onias* filius eius, interfectus ab Andronico, praefecto Antiochiae, quem pecunia corruperat Menelaus ad Oniam interficiendum, ut ipse Menelaus pontificatum occuparet.

Anni quinque: *Iudas Maccabaeus.*

Novendecim: *Ionathas.*

Octo: *Simon* frater Iudae Maccabaei.

Viginti sex: Ioannes Hircanus.

Unicus annus: Aristobulus.

Viginti septem: Alexander.

Novem: Alexandra.

Triginta quatuor: Hircanus ultimus.

Triginta septem: *Herodes.* Natus est autem *Christus* anno 30. Herodis.

Hanc Philonis tabellam addidi, quanquam propter interregna desunt anni aliquot. Sed propter Philonem et propter seriem historiarum prodest studiosis et hanc tabellam in conspectu esse.

Liber primus,

qui complectitur duo millia annorum, inde usque ab initio mundi.

Singulari consilio *Deus* in Ecclesia extare et semper conservari voluit initia mundi, et seriem annorum: quae quidem et testimonium est de Ecclesia, et magnum decus. Vult enim sciri Deus originem generis humani, et divinas patefactiones, et testimonia patefactionum, et quae doctrina, et quomodo propagata sit. Vult sciri certo, ideo conditum esse genus humanum, ut inde aeterna Ecclesia colligatur. Vult et causas sciri calamitatum humanarum, et mortis, et agnosci filium, per quem liberabimur ab his malis, et restituentur iusticia et vita aeterna. De his tantis rebus ut certi essemus, anni metae in motu Solis constitutae sunt, et primis patribus ostensae sunt, et in doctrina primorum patrum, divinitus tradita, annorum series diligenter perscripta est. Et addidit *Deus* omnibus temporibus illustria testimonia, quae ostendunt, eam doctrinam a primis patribus transmissam ad posteros, veram et non fabulosam esse. Huic doctrinae divinitus traditae de initiis mundi et generis humani, et de patefactionibus divinis, constanter assentiamur.

Sumamus igitur ex primo libro Moisi narrationes de creatione mundi et hominum, de hominum lapsu et causis calamitatum, de restitutione Ecclesiae post lapsum, et de annorum serie et firmissima assensione eas amplectamur. Nec alias imaginationes, sive Democriti, sive Platonis, sive Aristotelis anteferamus. Itaque hae res maximae initio actae sunt, quas Deus voluit notas esse:

I. Creatio mundi et hominum.
II. Institutio Ecclesiae et coniugii.
III. Certum opus, quod esset testimonium obedientiae.
IV. Institutio dominii.
V. Lapsus, causa mortis et calamitatum.
VI. Restitutio Ecclesiae, et poenae mitigatio.
VII. Prima promulgatio promissionis de Salvatore, redditurο iusticiam et vitam aeternam: *Semen mulieris conteret caput serpentis.*

Harum maximarum rerum cognitionem in Ecclesia necessariam esse non dubium est, et quanta sit magnitudo, piae mentes utcunque cogitare possunt, etiamsi prophani homines has narrationes derident, aut in μυθολογίας transformant. Nos vero credamus voci divinae, et in singulis narrationibus amplitudinem consideremus.

I. Primum sciamus, unicum hunc mundum creatum esse, in quo se filius Dei patefecit, nec esse aut fuisse alios mundos, quia in Moise expresse dicitur: Postquam homo conditus est,

Deus postea cessavit alias res condere et creare, videlicet alios novos mundos, aut novas elementorum aut animantium species. Et condito *homine* quievit Deus, quia vult in homine acquiescere, et eo delectari, et ei in tota aeternitate communicare sese suam sapientiam, iusticiam et laeticiam.

II. Secundo cogitemus, qualis sit conditus homo, videlicet talis, ut sit imago similis Deo. Interpretatur autem Paulus imaginem ad Ephesios 4: Iusticiam et sanctitatem veritatis. Complectitur ergo imago incorrupta potentiam cognoscentem, in quam transfusa est lux divina, quae est vera et firma agnitio Dei et legis, et noticia de vera obedientia et de iudicio Dei. Deinde complectitur et voluntatem et cor, quod ardebat motibus Spiritus sancti, et integra obedientia sine peccato. Ad haec dona adiuncta fuit libera et non impedita electio voluntatis. Sunt autem in Deo summa bona, sapientia, iusticia, et libertas electionis. Horum summorum bonorum radios cum in nos transfuderit, testimonium ostendit, vere a se hanc creaturam diligi. Et quidem ideo transfudit ea in nos, ut hae ipsae noticiae testentur, esse *Deum*, et doceant nos, qualis sit, et discernant eum a malis naturis. Iam cogita, quantum decus fuerit *homo* ante lapsum, cum vere esset domicilium et templum Dei, sine peccato, sine morte. Et cogita, quanta fuerit ingratitudo, avertere se a Deo ad diabolos, et excutere Deum. Excusso autem Deo, qui est fons vitae, sequuta est mors, ut postea dicetur.

III. Tertio, Ecclesiae initium est ipsa creatio hominis, cum illis donis, quae erant data, ut Deum celebrarent. Et addidit Deus mandatum de externo testimonio, quo ostenderent obedientiam erga eum, et ut esset occasio colloquendi de Deo, videlicet mandatum de ligno seu arbore scientiae boni et mali. Caeterum radius lucis divinae insitus menti norat mandata moralia, et in his obscurior erat prohibitio vagarum libidinum. Ideo mox post creationem et alterum mandatum expresse traditum est: *Erunt duo in carnem unam*, id est, inseparabiliter iuncti. Hac voce sancitur *coniugium*, et expresse prohibentur omnes vagae libidines.

IV. Quarto recitatur *coniugii* institutio, et insertae sunt narrationi multae gravissimae sententiae, quarum explicatio nota sit. Sunt autem initio creati duo, quia Deus voluit genus humanum esse Ecclesiam. Et conditi sunt *mas* et *foemina*, ut esset ordinatus et dulcis amor.

V. Quinto, condita Ecclesia, et sancita lege coniugii, institutum est etiam dominium rerum corporalium, quae necessariae sunt vitae corporali. Ita agnoscamus res praecipuas statim initio ordinatas esse: Ecclesiam, Oeconomiam et Politiam. Est autem ordinatum dominium his verbis: *Subiicite vobis terram, et dominamini piscibus maris* etc. Id est, generi humano trado hoc ius, ut de usu harum rerum tales ordinationes faciat, quae prosint ad aequalitatem conservatricem societatis. Hic et distinctio dominiorum et contractus comprehenduntur. Post diluvium vero haec eadem lex repetita est, et expresse addita summa lex, quae est nervus imperiorum, de poena *homicidae*. Haec lex fons est politicae gubernationis in hac depravata natura, et initium imperiorum, ut postea dicemus.

VI. Sexto recitatur lapsus primorum parentum, et mox restitutio et inchoatio universae Ecclesiae, quae sequuta est post lapsum. Et exponitur causa mortis et calamitatum, ignota Philosophiae. Hic rursus maximae res proponuntur: Concio arguens peccatum, et arcana promissio de venturo semine mulieris, per quod deleto peccato et morte ostendit Deus restituendam esse iusticiam et vitam aeternam. Haec concio fuit initium novae Ecclesiae, et vox una et eadem est, qua colligitur Ecclesia usque ad postremum tempus generationis mundi. Hac voce tunc, cum argueretur peccatum, primi parentes senserunt se amisisse primam naturae lucem, rectitudinem et laeticiam, qua in Deo laetati fuerant. Et extincti fuissent terroribus mortis, sed audita promissione, quam filius Dei (qui ideo λόγος dicitur, quia ex sinu aeterni patris hoc arcanum decretum protulit) rursus senserunt se recipi a Deo, et reddi sibi vitam. Hoc primum fuit miraculum post creationem rerum, quod de promissione testimonium fuit, quod Deus morituris opitulatus est sine causis secundis, et ostendit se Ecclesiam collecturum et servaturum esse, etiam extra illum naturae ordinem, quem antea condiderat. Ac prorsus miranda res est. Non potuit Adam ratiocinari, Deum aliud velle, nisi iuxta legem, videlicet homines perituros esse, cum cogitaret: Iusticia Dei immutabilis est. Iusticia Dei est, ut inobedientes pereant: Ergo immutabile est decre-

tum de nostro exitio, etc. Huic argumento nulla creatura respondere posset. Sed filius Dei responsionem ostendit, qui Minorem sic explicat: Iusticia Dei est, ut inobedientes pereant: Nisi satisfiat iusticiae Dei poena deprecantis filii pro genere humano, et in sese iram inenarrabili misericordia derivantis. Prolata igitur promissione rursus Ecclesia condita est, ac deinceps semper huius promissionis doctrina fuit Ecclesiae propria, et eam ab aliis coetibus, qui se postea a primis parentibus seiunxerunt, distinxit.

VII. Septimo recitantur causae calamitatum. Poenae sunt primi lapsus, mors, aerumnae Ecclesiae, tristissimae insidiae diabolorum, iuxta dictum: *Ponam inimicicias inter serpentem et semen mulieris.* Simul autem amplissima consolatio proposita est de gloriosa victoria, qua Ecclesia omni tempore servabitur ab illo Domino, qui assumpta humana natura erit semen mulieris. Haec tota doctrina paulatim illustrata est, ut non dubito, colloquiis filii Dei cum parentibus, sicut Iohannes inquit: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Et ipse affirmat, se initio locutum esse in Ecclesia, cum inquit: *τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν.* Et in Proverbiis Salomonis: Delectatio sapientiae filii cum filiis hominum.

VIII. Octavo, Paradisus significat et locum terrae meliorem, et talem hominum statum, in quo sine peccato et sine morte vixissent. Et cum quatuor fluminum fontes in paradiso fuerint, significatum est, illam meliorem partem terrae homines fuisse habitaturos, qui irrigatur ab Euphrate, Tigride, Gange et Nilo. Id spacium propemodum est tertia pars totius orbis terrae.

Eiici autem ex Paradiso est, ex illo meliore statu eiici, et quidem habere omnia elementa minus foelicia. Fuisse autem sedem primorum hominum in regione vicina Damasco non dubium est. Quare et ibi conditos esse credamus. Postea describitur generatio primae sobolis, et ostenditur, qualis fuerit prima Ecclesia, et quae certamina statim inter fratres exorta sint. Ac ibi conciones legis recitantur, et sancitur lex, quae prohibet et punit homicidia, et expresse dicitur de venturo iudicio: *Si bonus fueris, eris acceptus:* Sin malus, peccatum tuum quiescet, donec revelabitur. Hic significatum est, futurum esse, ut aliquandiu differantur poenae. Quanquam autem differantur, tamen certo venturas esse inquit. Ac verbo *quiescendi* horribilis securitas generis humani taxata est, quae coeca et furens contemnit iram Dei, donec sentiuntur poenae.

Postea narrantur poena Cain, et series posteritatis ipsius, et artium inventio. Necesse est et anni rationem statim initio cognitam et traditam esse, quia series annorum inde usque ab initio generis humani in sacris libris diligenter recitata est. Et postea in narratione diluvii menses numerantur. Est autem magna pars scientiae de motibus astrorum, scire motus Solis et Lunae. Quare fatendum est, et huius doctrinae initia a primis parentibus tradita esse. Et cum Adam ante lapsum aspiciens totum coeli et terrae opificium, multa intellexerit, quae postea homines acie mentis penetrare non poterant, non dubium est, eum semina doctrinarum de Deo, de coeli motibus, et de rebus nascentibus tradidisse posteris.

Longaevitas etiam patrum signum est, quod ostendit, doctrinam ab eis propagatam esse. Ideo enim longa vitae spacia multis concessa sunt, ut essent testes de continuis patefactionibus Dei, de forma, collectione et defensione Ecclesiae, et totius doctrinae illustratores.

Initio et figuras literarum excogitatas esse necesse est. Quia ut patrum series annotaretur, opus fuit literis. Et citatur prophetia Henoch, quam scriptam esse consentaneum est.

Ac memoria dignum est, quod veteres quidam tempora mundi sic distribuerunt. Ut in homine praecipuae vires sunt *ἡγεμονικὸν*, *θυμικὸν* et *ἐπιθυμητικὸν*, ita dicunt initio in genere humano praecipue regnasse *ἡγεμονικὸν*, id est, excelluisse sapientiam cum artes inventae sunt, et gubernatio adhuc paterna fuit, plena sapientiae, iusticiae et autoritatis.

Secunda aetas fuit *θυμικὴ*, in qua excelluit fortitudo in bellis, et imperia constituta sunt. In hac aetate complector quatuor monarchias, sic, ut initium sit a Nimroth, usque ad Iulium Caesarem, post quem secuta est senectus hominum languida et dedita voluptatibus. In hac regnat *ἐπιθυμητικὸν*. Etsi enim et in postrema senecta multum est bellorum, tamen non geritur res simili vigore animorum et labore. Tumultus assidui sunt, quibus fiunt vastationes, non constituuntur nec ornantur imperia. Ita paulatim languefieri naturam consideremus, et cogitemus, multa deliria in Ecclesia et imperiis sequutura

esse, et ardentibus votis petamus, ut filius Dei nos in hac squalida senecta gubernet, ut Esaiae 26. dicitur: Etiam in senecta vos gestabo.

Scribit etiam Iosephus, *Adam* duas lapideas tabulas collocasse, in quibus scripsit initia creationis, lapsum hominum, et promissionem. Has tabulas existimo tanquam templum fuisse, et certi loci signum, in quem solitus est convocare suam Ecclesiam, et ubi sacrificia facta sunt, et recitata doctrina. Fuitque vox promissionis testimonium discernens veram Ecclesiam a coetu Cain, qui secesserat a patre, et habuit suos ritus et suam sectam. Ita statim initio verae doctrinae vocem et veram Ecclesiam pars humani generis deseruit, et promissionem oblita est: et tamen condita civitate necesse est, eos aliquam legis particulam retinuisse.

Postea in Moise breviter annotata est series annorum usque ad diluvium. Quia, ut supra dictum est, vult Deus sciri initia rerum, et tempora suarum patefactionum. Ac res miranda recitatur haec sola de *Henoch*, qui non est mortuus, sed vivens in coelum translatus est. Quod non existimemus clam nemine spectante factum esse, sed vel in Ecclesiae congregatione, vel spectantibus aliquot patribus fide dignis. Quia hanc translationem voluit Deus testimonium esse de vita et salute aeterna, danda his, qui Deum recte invocabant in agnitione promissi seminis. Ac duo similia testimonia generi humano ostensa sunt ante adventum Messiae: alterum Henoch ante diluvium, alterum Eliae post diluvium. Hi Prophetae testati sunt, Messiam abolita morte redditurum esse vitam aeternam, et conculcaturum caput serpentis.

Citatur et prophetia Henoch, de postremo iudicio in Epistola Iudae: *Ecce venit dominus* cum sancto exercitu suo, ut faciat iudicium contra omnes, et arguat omnes impios etc. In ea prophetia haud dubie comprehensa fuit copiosior doctrina de promissione, de *Messia*, et de futuris mutationibus generis humani.

Diluvium.

Anno a condito mundo millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, cum Noha inchoasset annum sexcentesimum, mense secundo eius anni, die septimo decimo, ingressus est Noha cum coniuge et filiis in arcam, et in ea mansit integrum annum solarem. Rursus enim egressus est mense secundo proximi anni, die septimo et vicesimo. Nam ad menses lunares duodecim addendae sunt decem dies, qui nominantur Epactae. Ita congruit ratio ad anni solaris periodum. Et numerus mensium et dierum in hac narratione ostendit, annum solarem complexum esse duodecim menses lunares, et dies decem. Ideo dicitur, Noha egressus esse ex arca anno aetatis suae sexcentesimo primo, videlicet anno a condito mundo, millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo.

Interea dum in arca vehitur familia Nohae, totum genus humanum universali diluvio periit. Haec poena primum significat, conditam esse hanc rerum naturam, ut serviat electis et iustis. Ideo sequuturum esse universalem interitum impiorum, et iustos mansuros esse in possessione aeterna operum mundi. Deinde hoc exemplo testatur Deus, se deinceps quoque peccata puniturum esse, quanquam sic mitigat iram, ut promittat condita Iride, se deinceps non puniturum esse genus humanum universali diluvio. Sed simul significat, in extrema poena igni conflagraturum esse mundum, et se ex ea massa novam mundi formam facturum esse. Ideo colores sunt in Iride duo. Ceruleus significat genus humanum aquis periisse. Igneus seu purpureus postea periturum esse igni, ut in secunda epistola Petri scriptum est.

Eodem anno a mundo condito 1657. cum Nohe egressus esset ex arca, rursus Ecclesiae data sunt testimonia, cum sacrificium de coelo incensum est, et testimonio Ecclesiae duae res additae sunt: Promissio de mansuro naturae ordine: et institutio politicae gubernationis. Tunc enim expresse lata est lex, ut *homicida* occidatur ab homine, qui praeest caeteris hominibus. Haec lex praecipua in ordine politico est, et nervus humanae societatis. Ita cernis rursus initia Ecclesiae et politiae. Deinde recitantur nomina eorum, qui ex filiis Nohae propagati sunt, et stirpes diversarum gentium. Voluit autem hanc seriem Deus notam esse, ut sciremus, ex qua stirpe voluerit Deus nasci *Messiam*, et ubi fuerit expectandus et conspiciendus. Nobis ad hoc etiam prodest nosse patrum nomina, ut sciamus gentium origines, quod non solum iucundum est, sed etiam utile. Series enim testatur, primam doctrinam de Deo esse hanc, quae in scripsis Moisi et deinceps in Prophetarum scriptis tradita est. Et

cum fateantur Graeci, se ab Iapeto et Ione ortos esse, ostendunt hanc narrationem Moisi veram esse, et se recentiores esse hac stirpe, quae hic commemoratur. Recensebo igitur nomina filiorum Nohae, et eorum qui ex eis propagati sunt.

Filii Nohae fuerunt Sem, Cham et Iaphet. Ex his omnes gentes procreatae sunt. Ac posteritas Sem loca vicina Euphrati versus Orientem occupavit. Cham loca vicina Iordani et Nilo, progressus versus Meridiem. Iaphet minorem Asiam versus Occidentem tenuit, unde multae gentes in Europa propagatae sunt.

Filii Sem quinque.

Elam, stirps est Persarum, quod in lectione Prophetarum scire necesse est, ubi cum nominatur Elam, intelliguntur Persae. Et fit mentio apud Xenophontem tribus Elamidos de Cyro. Significat autem nomen *Elam* adolescentem. Et inde nomen est Alma, Esaiae 7.: Ecce virgo concipiet.

Assur, id est, beatus, inde Assyrios esse vox ipsa ostendit. Et expresse dicitur in textu, ab Assur conditam esse Niniven, quam fuisse in Assyria constat. Significat autem *Ninive* Nini domum, seu simpliciter habitationem.

Ninus, id est, filius, Esaiae 14. Et sciant studiosi, diversas urbes esse, et interdum diversorum regum arces fuisse, Niniven et Babylonem.

Arphachsad, id est, sanans vastitatem. Ab hoc orti sunt Chaldaei. Et ab eius nepote *Eber*, Ebraei, id est, peregrinatores. Ab hac stirpe ortus est *Abraham*, ut Genesis 11. legitur. Constat igitur, Messiae stirpem esse *Sem*, filium Nohae.

Lud, id est, Natus.

Aram, id est, sublimis. Hinc Syrii orti sunt. Et metropolis Syriae est Damascus, ut Esaiae 7. scriptum est: Caput Aram Damascus.

Posteritas Cham.

Chus, stirps Aethiopum in ultima ora Aphricae, ubi Nili fontes sunt, ut Genesis 2. scriptum est: Circuit omnem terram Chus. Apud Ptolemaeum in illa interiore Libya nomen est Chusitae.

Filii Chus sunt, Saba et Evila. A Saba sunt Sabaei. Ab Evila pars Indorum.

Nimrod, id est, amarus dominator. Hic in Babylone primus ita dominatus est, ut vicinos vi coëgerit in unam imperii formam. Ab hoc igitur initum factum est, imperia vi et armis constituendi, cum antea plus valeret paterna autoritas, et seniori patri caeteri ultro parerent. Postea cito cum mores fierent deteriores, et grassari aliqui rapinis et caedibus cepissent, nec vellent a parentibus et vicinis coherceri aut puniri, et haberent turbam scelerum sociam, et receptus, necesse fuit tales praesidiis reprimi, et ad iudicia ac poenas pertrahi.

Ita primum imperia armis constituta sunt per virum fortem, praesidia ordinantem et ducentem, et iudicia praesidiis defendentem. Quia sine executione lex est inanis sonitus, ut Aeschines inquit: *Οὐδὲν ὄφελος πολιτείας, μὴ ἐχούσης νεῦρα ἐπὶ ἀδικοῦντας.* Ideo dicitur Nimrod fuisse robustus venator coram Domino, id est, venator ducens exercitus, ut armis cogeret homines ad legitimam obedientiam. Additur autem: *coram Domino*, quod significat, Deo dante ei robur, victorias, et successum in constituendo et retinendo imperio. Non enim retinetur obedientia, nisi Deo iuvante, ut ait Daniel: *Deus* transfert et stabilit regna.

Mizraim, id est, rebellis. Hic occupavit eam regionem, quae postea nominata est Aegyptus. Ac nunc quoque Arabes et Turci nominant eam Mizri. Filii autem Mizraim, Ludim, a quo Lydios ortos esse magis consentaneum est, quam a Lud. Quia ex Aegypto brevis navigatio est ad littus Minoris Asiae, et mores Lydiae gentis magis congruunt cum Aegyptiis. Et quia Lydii postea novas sedes in Italia quaesiverunt, aiunt ab ipsis spectacula nominari ludos. Sed hoc nomen videtur a Lezin factum esse, quod est ludentes, mimi, subsannatores.

Laabim, unde sunt Libyes. Fortassis ab aestu. Nam Laab significat flammam.

Phut, unde sunt populi in occidua parte Aphricae, circa Mauritaniam, ubi manet vetus appellatio fluminis Phut. Sic enim nominatur apud Plinium. Apud Ptolemaeum scribitur Pthuth, sed existimo apud Plinium rectius scriptam esse hanc appellationem. Est enim urbs Phythis. Et congruit significatio. Nam Phut significat cardinem. Est autem Mauritania finis terrae, Oceano proxima in Occidente. Et ab hoc nomine est nomen regis Epaphi, qui certavit cum Phaëtonte.

Enamim simpliciter est fons aquarum. Et concinnum est, quod inde dicunt nomen esse Cyrene, quod significat urbem fontis. Cum autem certissimum sit, Aegyptum cito occupatam esse (est enim inter prima regna mundi Aegyptus) credibile est, cito et inquisitam et occupatam esse uberrimam regionem, quae nominatur Cyrenaica: nec primos esse possesores posteros Argonautarum, quorum mentio fit apud Pindarum et Herodotum.

Magis etiam celebrata est ea regio propter miraculum fontis, qui in Meridie frigidissimus est, nocte calet, qui nominatur *Fons Solis*. Inde nomen videtur esse Cyrene, quod simplicissime, ut sonat, significat urbem fontis. Ac propter nominis convenientiam dicitur eam regionem primum occupasse hic vir Enamim, qui fuit nepos Cham. Nec procul a fonte isto fuit templum *Hamonis*, quam appellationem fuisse eandem, quae est Cham, consentaneum est.

Chanaan, id est, Mercator. Sidonii enim et Tyrii nautae et mercatores praecipui fuerunt, propter maris mediterranei opportunitatem. Filii Chanaan recitantur in Genesi, qui partim littus Syriaci occuparunt, partim Libano vicina.

Sidon, id est, Venator, condidit Sidonem notissimam urbem, ex qua postea deducti coloni, propter dissensionem civium, condiderunt in vicinia Tyrum.

Heth condidit Hebron, ubi aliquandiu habitavit Abraham, et ibi locum sepulturae coniugi emit, in quo et ipse postea sepultus est.

Iebuseus possedit Gabaa et Ierusalem. Ac expresse in Genesi descripti sunt limites regionis, quam tenuit posteritas Chanaan, quae postea deleta est propter idola, libidines et alia peccata, et divinitus collocati sunt in eam possessionem Israëlitae, qui fuerunt orti a Sem.

Consideres autem, posteros Sem versus Orientem in maiore Asia sedes magna ex parte tenuisse. Nam *Hevila* Indiam esse constat ex Genesi, ubi dicitur Ganges fluere per terram Hevila. Natus est autem Hevila ex pronepote Sem. Posteri autem *Cham* tenuerunt aliquandiu terram Chanaan, Aegyptum, Aethiopiam et Libyen. Posteri Iaphet sparsi sunt in Minorem Asiam, et progressi sunt versus Septentrionem, et multas Europae partes occuparunt.

Posteritas Iaphet.

Iaphet, id est, Dilatatio.

Filii Iaphet fuerunt:

Gomer, id est, finiens. Ab hoc orti sunt Cimmerii, qui postea Cimbri dicti sunt. Nam Ezechiel capite 38. expresse inquit, Gomer et Togorma latera esse Aquilonis. Fuisse autem Cimmerios ultra Thraciam, circa Maeotiden paludem, adpellatio Cimmerii Bosphori et oppidi Cimmerii testatur. Nec longa via est a Bosphoro Cimmerio per vicinam Russiam, Lituaniam, Livoniam et Borussiam ad Cimbricam Chersonesum, ubi in hoc littore postea late regnarunt, inde et Sicambri dicti sunt.

Magog, id est, de Gog, quod significat tectum. Ait autem Ezechiel, et gentem Magog septentrionalem esse, et quidem postremis temporibus late vastaturam esse Israël, id est, Ecclesiam Dei. Quare Scythicam gentem esse, id est, Turcicam intelligimus, quae olim in plaustris circumferebat Tuguria, ut subinde alia loca facilius occuparet. Cumque Apocalypsis ostendat, postremo regnaturum esse Gog et Magog, et nunc Turci latissime dominentur, consentaneum est, Turcicam gentem significari appellatione Magog.

Madai, id est, Modius seu Mensura. Ab hoc Medi orti sunt, qui versus Orientem progressi sunt. Gens clara, ut Daniel et Herodotus testantur.

Iavan vel *Iaon*, id est, Defraudator. Ab hoc certissimum est, gentem Ionicam esse ortam. Et firma testimonia ex Daniele sumi possunt, quae ostendunt, appellatione *Ionum* comprehendi Graecos. Nam eversorem regni Persici nominat regem Iavan, id est, regem Graecorum.

Sunt autem filii Iavan:

Elisa, a quo sunt Aeoles in Minore Asia.

Tharsis, a quo condita est Tharsus, quae fuit metropolis Cilicum.

Cethim, id est, Percussores, a quo Macedones ortos esse, certum est ex libro Maccabaeorum. Et vetustas non dixit Macedo, sed μακέτης, quasi dicas, a Cethim.

A *Dodanim*, quod significat Cognatos miseros, sunt Dodonaei in Epiro. Adeoque vetus est Dodonae appellatio, ut ibi Hellum regnasse dicant. Ideo nec reprehendo eos, qui Dodonaeos in Rhodum collocant. Nam et Rhodii fuerunt Doriensium coloni. Et manifestum est, Graecos,

id est, ortas ab Ione, multas terras occupasse in littore Minoris Asiae, in vicinis insulis, et in Europa. Pars etiam Italiae oram occupavit. Et consentaneum est, hunc *Ionem* esse, quem Latini *Ianum* nominaverunt, patrem et Latinae et Graecae gentis. Cum autem ex hac narratione in Moise discamus, unde natus sit *Ion*, videmus historiam Mosaicam antiquiorem esse gente Graeca. Et ignorantiam Graecorum deprehendimus, qui cum nesciant, quis fuerit *Ion*, alium quendam multis seculis post Iaphet fingunt, natum ex *Creusa*, Erechthei filia.

Thubal, id est, germen. In his gentium appellationibus quaedam certae sunt, ex nominum similitudine, et testimoniis propheticis, et aliarum historiarum. Ut Mizraim, Chus, id est, Aethiopes, Sidon, Iavan, Kitthim, et aliae quaedam, nec tamen similis est certitudo omnium interpretationum. Thubal interpretatur Iosephus Hispanos, et nominat Iberos. Fuerunt autem initio Iberi et Chalybes in Asia vicini, inter Pontum Euxinum et mare Caspium, metallicis venis clarissimi. Nomen autem Chalybes factum est ex alio vetustiore Alybes, quod congruit cum nomine *Iobel*, exigua metathesi literarum. Ac significat Iobel res natura in terra, Ein gewechs unter der erden. Inde Ialybes, Die dasselbige gewechs gesucht haben. Sicut nos dicimus, Die Berckleute. Hinc nomen urbis fuit Alybe, quam sic nominat Homerus: *τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθι ἀργύρου ἐστὶ γενέθλα.* Et Argonautas scribit Apollonius ad Chalybes in Asia venisse, de quibus inquit: Haec gens tellurem rigidam non vertit aratro, sed ferri venas scindit sub montibus altis, mercibus haec mutat, quae vitae alimenta ministrant.

Hos Iberos et Chalybes in Asia, qui ibi venas metallicas scrutati sunt, ortos esse a Tubal consentaneum est. Nam et Ezechiel collocat Tubal in Septentrionem. Scribit autem Iustinus in postremo libro, Chalybes in Hispaniam venisse, ut credibile est, illius gentis homines quaesivisse venas metallicas et in aliis terris. Ideo non temere interpretatur Iosephus Tubal Hispanos, quia Chalybes ex Asia in Hispaniam migrarunt. Existimo autem, varias gentes etiam initio in Hispaniam ex vicino Aphricae littore infusas esse.

Mosoch, id est, extendens, videlicet ab extendendis arcubus, seu iaculando videtur nomen factum esse, aut certe significat Longinquos et procul extensos, die da weit liegen. Congruit autem cum appellatione, quae adhuc manet, Moscoviae, quae est a veteribus appellationibus, quae extant *Μοσχικοὶ* et *Μοσσύνοικοι*, id est, Moschici et Mossinoeci, in Argonautico carmine. Et scribit Poëta, dictos esse a casis ligneis, quarum nomen fuit *Μόσσυνοι* apud ipsos. Ea gens, ut pleraeque aliae, cum primum in littore Ponti Euxini sedes teneret ad fluvium Thermodontem, ubi postea Cappadoces fuerunt, deinde versus Septentrionem progressa est. Psalmus inquiens: Hei mihi quod exulo in Mesech, significat, gentis eius feritatem insignem esse, sicut et in Argonautico carmine describitur.

Tiras, id est, Destructor. Ab hoc Thraces esse ortos aiunt. Mirum est autem, Fluviorum appellationes durabiliores esse, quam terrarum et montium, cum tamen fluvii moveantur, ac saepenumero alveos suos mutent, contra vero montes stent immoti.

Cumque nomen sit fluvii in Russia, Tiras, quem hodie nominant Nistrum, consentaneum est, ab hac appellatione filii Iaphet et fluvium et gentem nuncupatam esse.

Filii Gomer nominantur *Ascanes*, *Riphat* et *Togorma*.

Communis Ebraeorum sententia est, ab Ascanes ortos esse Tuiscones, exigua mutatione literarum, praeposito articulo: Die Ascanes. Inde Tuiscones.

Etymologia nominis *Ascanes* significat, eum antecelluisse autoritate propter doctrinam et virtutem, cum praeesset religioni. Quia Ascanes est sacerdos, ut custos ignis, Esch Cohen. Fuit autem vetustissima superstitio, apud ignem ex sacrificiis servatum dicere precationes.

Terra *Ascania* fuit supra Phrygiam, in Bithynia versus Cimmerium Bosphorum. Et in ea regione fuit palus Ascania, quae diu nomen retinuit, etiam Romanis temporibus. Et ductor exercitus inter auxilia Troianorum nominatur *Ἀσκάνιος*, Iliados 2. ubi haec sunt verba: *Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε, καὶ Ἀσκάνιος θεοειδὴς, τῆλ' ἐξ Ἀσκανίης*, hoc est, Phrygas ducebat Phorcys, et Ascanius Deo similis, procul ex Ascania. Nec mirum est, posteros Ascanis deinde in alia loca migrasse, ut progressi sunt Cimbri, et ex locis vicinis Bithyniae Caucones, et Caici, et Heneti.

Denique usitatas fuisse magnarum gentium migrationes nihil dubium est. Saepe etiam diversae gentes coniunctae sunt, et sedes in vicinis locis coeperunt, ut manifestum est, Teutonicae genti permixtam esse Henetam, et inde usque a Carpatho ad Albim sedes promiscuas habuisse.

Quid nunc usitatius est privatorum migrationibus? quarum consideratio commonefaciat nos de imbecillitate rerum humanarum, ut cogitemus, Unicam esse perpetuam patriam coelestem, hanc expetendam esse, et ad eam praeparandos esse animos nostros.

Riphat, inde *Riphei*, id est, Gigantes. Notissima est autem appellatio Ripheorum montium, de quibus etsi quid alii scribant, non ignoro, tamen in illa parte Septentrionis haec appellatio celeberrima fuit, in qua fuerunt Sarmatae, et inter Sarmatas Heneti, sicut Ptolemaeus inquit, Sarmatarum gentem maximam Henetos esse: Nomino autem *Henetos* omnes, ubicunque consederunt, qui lingua Polonica utuntur, etiamsi dialectis differunt.

Nec discrepat ab hac nostra interpretatione Ripheorum Iosephus, qui ait, a Riphat Paphlagones ortos esse, quorum appellatio posterior est. Nam in eo ipso loco, quem Paphlagones tenuerunt, fuisse Henetos ex Homero et Argonautico carmine apparet. Sic enim inquit Apollonius:

Παφλαγόνων, τοῖσιν δ' Ἑνετήϊος ἐμβασίλευε.

Progressi autem Heneti in littore maris Euxini, compleverunt magnam partem lateris Arctoi in Europa, et adhuc tenent eas regiones, quae nunc nominantur, Russia Lituania, Polonia. Et lingua et nomen Venetae regionis ad sinum Adriaticum ostendunt, Henetos in Illyricum et vicinas regiones progressos esse, sive ab Antenore eo ducti sunt ex Asia, sive cum iam in Europa essent, paulatim aliis occasionibus ad Meridiem processerunt in terras mitiores, minus frigidas, et frugum et vini feraces. Inde effusi sunt in has regiones inter Fistulam et Albim, et occupaverunt Boiemiam, in qua antea fuerant Hermunduri et Boii, et compleverunt littus Balticum, unde nomen est in Prussia sinus Venedici.

Cum igitur magnam Europae partem tenuerint Heneti, et adhuc teneant, et magna regna constituerint, consilio et virtute eos antecelluisse non dubium est. Sunt igitur a Riphat Riphei, qui sunt Sarmatae et Heneti. Nomen *Heneti*, ut sonat, significat Ebraeis Vagabundi, ut Graeci dixerunt *Νομάδες*, id est, subinde alia pascua et alia loca quaerentes.

Sarmata rectius Sauromata est, id est, Dux altitudinis. Quod intelligo de regione ardua, quia assurgit terra versus Septentrionem, quasi dicas, ducem superioris regionis. Ex nomine Sarmata existimo factum esse nomen *Sorabi*, paucis literis mutatis, quae appellatio adhuc est magnae regionis in Illyrico *Servia*. Et in historia Caroli Magni legitur, ad Salam ab eodem domitos esse Sorabos. Ubi adhuc sunt nomina Sorben et Zorbeck.

Inter filios Sem in primo libro *Παραλειπομένων* cap. 1. nominatus est *Gether*, a quo Getas ortos esse consentaneum est.

Getas autem Gottos postea nominatos esse non dubium est, qui progressi tenuerunt eam regionem, quae nunc Wallachia dicitur, et occupaverunt ripam Fistulae, et Sueciam et vicinas regiones, ubi nomen haesit Gotthia. Significat autem Geth molam. Gether dominus molae, fortassis quia posteritas loca uberrima tenuit.

Getas autem locutos esse Teutonica lingua non dubium est. Fuerunt ergo mixti genti Teutonicae, quae nomen habuit Tuiscones ab Ascane, ut supra dictum est, quod adhuc usitatum est. Unde autem sit nomen Germani, quod olim usitatius fuit, mirum est. Quidam inepte fingunt a Romanis nostros homines dictos esse Germanos, id est, fratres Gallorum, quod lingua, habitus et mores Gallorum et Teutonum similes essent.

Unde autem nomen sit Gallorum, nihil dubium est. Nam Wallen in lingua Teutonica significat peregrinari, et aliquas nostras gentes Rhenum transgressas in locis fertilioribus consedisse nomina ostendunt, ut Tungri, Senones, et aliae quaedam appellationes. Nomen igitur universi a peregrinando sibi indiderunt Wallen, quod est Galli. Nec vero appellationem Germaniae latinam esse arbitror, sed cum iisdem syllabis apud Herodotum appellationes Gentium, quae Persis vicinae fuerunt, sint *Γερμάνιοι, Δάοι, Σάκαι*, inde etiam a Caspio mari paulatim progressas esse arbitror, fugientes bella aut tyrannidem.

Fortassis ut discerent ab ethnicis idolis, hortatores et ductores Israëlitas habuerunt, a quibus doctrinam de vero Deo, et alias honestas leges multos in Oriente didicisse non dubium est. Ideo enim dispersae sunt decem tribus, ut ad alias gentes quoque perferretur noticia de vero Deo. Sicut

Herodotus scribit, in Colchica fuisse ritum circumcisionis.

Nomen Germaniae congruit cum Carmania. Sed etymologia potest esse Gerim Ani, id est, advenae miseri, seu pauperes. Nomen Dai significat scientes. Sacae a Sagan, quod interpretantur sacerdotem seu vatem, unde Latinis est Saga, et praesagium. Et apud Esaiam et Esdram est pro rectore populi. Inde est nomen Germanicum Segen, benedictio.

Haec pauca de multarum gentium stirpibus et dispersione addidi, quia Ecclesiae doctrinam antiquissimam et primam esse inde intelligitur, cum ibi certae stirpes multarum gentium cernuntur, quas ab illis maioribus ortas esse nomina et testimonia prophetica ostendunt. Deinde in tantis dispersionibus quaerendum est, ubi et quae fuerit Ecclesia Dei. Ideo enim praecipue voluit Deus extare chronica, seu historias et annorum seriem, ut sciamus ordinem patefactionum divinarum, et ubi et qualis semper fuerit Ecclesia.

Vixit *Nohe* post diluvium annos trecentos quinquaginta. Et rediisse arbitror ex Armenia in veterem patriam, id est, in loca vicina Damasco, ubi antea vixerat, et ubi primos parentes conditos esse sciebat. Et post diluvium agnoscere regionem potuit, consideratis spaciis dierum, et umbris in gnomone. Certum est enim, filium Nohae *Sem* rursus vixisse in illa regione, cum fuerit rex Salem, quae postea nominata est Ierusalem. Est enim Sem ille ipse, qui nominatur Melchizedec.

Fuit igitur Ecclesia Dei in iis locis, ubi fuerunt Nohe, Sem et filii Sem tantisper, donec retinuerunt veram doctrinam. Ac Sem doctrinae lucem retinuit. Sed cum eius posteri in Babylone essent, ibi paulatim vera doctrina extincta est, et impii cultus recepti et stabiliti sunt. Eduxit igitur Deus Abraham ex Babylone ad patrem maiorum suorum *Sem*, ut rursus insignem Ecclesiae coetum coniungeret statim post mortem Nohae. Nam a diluvio ad mortem Nohae sunt anni trecenti quinquaginta. Post mortem Nohae sunt anni sedecim usque ad migrationem Abrahae ex Charan in Palestinam, ubi Deo gratias agit, quod eductus sit, ex *Ur* Chaldeorum, id est, ex cultu idolorum Chaldeae. Nam Ur significat lumen, et inde nomen cultus fuit, quia ex igne divinitus accenso apud patres servabantur lychni. Inde postea nomen fuit *Orimasda*, id est, lumen sanctum: Orim Hesed.

Cum igitur venisset Abraham cum fratre ad Sem, cogitemus quam pulchrum collegium fuerit Sem, qui viderat diluvium, et deinde aliorum. Fuit autem Abraham natus ex filiis *Sem* hac serie:

Sem,
Arphaxad,
Sale,
Eber,
Phaleg,
Rehu,
Saruch,
Nachor,
Thare,
Abraham.

Cogitandum est autem, quam dulcis consuetudo fuerit Sem et Abrahae et cognatorum, cum octavum ex posteris videret Sem ad Ecclesiae societatem vocatum esse, et ei certam sedem promissam esse, et promissionem ei renovatam esse de *Messia*, per quem deleta morte restituenda esset vita aeterna. Non igitur cogitemus fuisse Ecclesiam illo tempore ignotam et futilem turbam: sed sciamus, ibi generis humani lumina fuisse, et vidisse multa illustria testimonia praesentiae Dei.

Semper autem et doctrina consideretur, quam praecipui viri in Ecclesia professi sunt, quae et a caeteris gentibus distinxit Ecclesiam. Repetita est ad Abraham promissio de semine venturo, quod abolito peccato et morte redditurum esset iusticiam et vitam credentibus. Hunc verum Deum invocabant patres, Sem, Abraham, Loth, et eorum auditores, qui se tradita hac promissione patefecerat, et invocabant fiducia illius venturi seminis, propter quod solum sciebant se recipi et exaudiri. Sicut Dominus inquit: Abraham vidit diem meum, et laetatus est. Hac fide, invocatione et confessione distinguebantur ab aliis gentibus membra Ecclesiae, et damnabant sectas, quae ab hac doctrina discesserant, et excogitabant quotidie novos cultus, nova numina et idola. Voluit Deus etiam semper vocem legis repeti in Ecclesia, ut ad Nohe repetita est lex prohibens homicidia. Ad Abraham repetita est lex prohibens incestas libidines, et ostensa poena Sodomorum, quae deleta sunt:

Anno ab initio mundi 2047.
Anno post mortem Nohae 41.
Anno ab adventu Abrahae in Palestinam 25.

Cum non multo ante Abraham victor pepulisset exercitum regum, qui abduxerant magnam multitudinem ex illis urbibus, quam Abraham reduxit. Ac semper in sola Ecclesia Dei mansit lex divina incorrupta, ut sit testimonium, qui populus sit Ecclesia.

Quanquam autem lex non erat ignota gentibus, tamen quia gentes nova numina et novos cultus fingebant, et permittebant tetras confusiones libidinum, etiam voce legis distinguebatur Ecclesia a caeteris gentibus. Et quia damnabat scelera, gentes saeviciam exercebant in Ecclesiam, quae tamen mirabiliter a Deo protegebatur. Inde intelligi potest, qualis fuerit Ecclesia, scilicet subiecta cruci, cum imperia tenerent multi impii, ut in Babylone et in Sodomis. Interea tamen Deus ostendit testimonia suae praesentiae in Ecclesia mirandis liberationibus, ut docent historiae Abrahae et Loth.

De Monarchiis.

Ut semper in historiis quaerendum est, ubi et quae Ecclesia Dei in genere humano fuerit: ita et series imperiorum consideranda est, quae voluit Deus constitui et disciplinae causa, et propter defensionem communis societatis. Nam si mali non reprimerentur, sed impune raperent aliorum res, coniuges, filios et filias, et trucidarent quos vellent, nulla posset manere honesta societas hominum. Cum autem initio fuissent paterna imperia, et nulla familia sontes reciperet, postea cum multitudo crevisset, et plures essent mali, et sontes haberent socios et receptus, Deus hoc novo consilio muniit societatem, videlicet excitato duce, qui armis et praesidiis coherceret populos, ne latrocinia exercerent, et ut ad iudicia et poenas vi traherentur. Adeoque cito crevit hominum malicia vivente adhuc Noha, ut circiter annum centesimum post diluvium et turris Babylonica condita sit, et gentium divisio facta sit, et mox Nemrod imperium armis constituere ceperit. Significat autem Nemrod amarum dominatorem, quia haec forma imperii fuit terribilior, quam antea paterna autoritas.

Et nominatur *Venator coram Domino*, quia et feras et latrones cepit, et a *Deo* armatus est robore et successibus, ut constituere durabilem imperii formam legibus, iudiciis, et praesidiis, et sontes vi trahere ad poenas posset. Ita initium regnorum in Babylone fuit, postea alibi alia orta sunt. Sed Deus singulari consilio societatem generis humani sic muniit, ut ordine maxima imperia, quae *Monarchiae* nominantur, constitui voluerit, ut plures gentes coniungi possent, et unius summi imperii potentia facilius tyranni punirentur. Ac in ipsis monarchiis exorta tyrannide, summa potentia vel ad alios duces, vel ad alias gentes translata est. Hic ordo imperiorum et causae mutationis considerandae sunt, quae comprehenduntur in dicto Siracidae, capite decimo: Regnum a gente in gentem transfertur, propter iniusticiam.

Hactenus in primo libro complexi sumus duos millenarios, in quibus recitantur initia mundi et generis humani, et primae Ecclesiae. Post diluvium posteritas Nohae, a quo iterum propagatum est humanum, et per eum instaurata Ecclesia. Et deinde per eius pronepotem *Nemrod* inchoata forma imperii.

Atque haec sunt initia primae monarchiae, quae tamen varias vices habuit. Nam a posteris Cham post annos fere ducentos translata est summa potentia ad posteros Sem, videlicet ad Assyrios, cum *Ninus* conderet Niniven. Prima igitur monarchia alias *Chaldaea*, aliis *Assyria* nominatur. Et Xenophon recte scribit, primos hominum Chaldaeos late regnasse.

Secundus liber Chronicorum.

Anno a condito mundo 2007. mortuus est *Noha.* Deinde sedecimo anno Abraham cum fratris filio Loth, venit ex Haran in Sichem, ubi quae fuerint aerumnae peregrinationum eius, et qualem collegerit Ecclesiam, ostendunt narrationes in Moise. Ac iam in Assyria et Babylone monarchiam tenebat Nini filius post matrem Semiramidem. Ac singulare et potens regnum in Aegypto esse coeperat, ubi regum communis appellatio erat *Pharao*, a libertate sumpta. Nam *Pharaones* significat liberos.

Attingit autem historia Israëlitica res gestas a regibus Babylonicis, Assyriis et Aegyptiis. Ideo recitabo quantum extat de regno Babylonico et Assyrio, ut in multis historiis ordo temporum melius cognosci possit, et hic quoque cernatur antiquitas stirpis Israëliticae, et consideretur, quomodo Ecclesia et duriter ab omnibus quassata

sit, et tamen servata divinitus, et quomodo propagata sit doctrina in has ipsas vicinas gentes.

Nemrod post annos circiter centum a diluvio.

Deinde post annos fere ducentos *Ninus* condidit Niniven in Assyria, ac summa potentia ad Assyrios translata est, qui et Niniven et Babylonem tenuerunt.

Semiramis, uxor Nini, condidit moenia Babylonis, et fossam fieri curavit, et progressa plures regiones occupavit.

Ninias filius Nini et Semiramidos vixit in ocio, adeo ut deinde in scriptoribus Ionicis propter ignaviam vituperetur, ut narrat Athenaeus libro 2.: Ἄριστος ἐσθίειν καὶ πίνειν. τὰ δε ἄλλὰ κατὰ πετρῶν ὤθει. Hoc regnante Abraham venit in Palestinam.

Post hunc in historia Sodomorum fit mentio regis Sennaar, id est, Babylonis, *Amraphel*, id est, dicens eversionem, Genesis 14. Credibile est autem, varias mutationes in his vicinis regnis, Chaldaeo et Assyrio accidisse. Ac nomina regum Assyriorum recensentur, sed quia res gestae non sunt additae, omitto caetera nomina.

Hoc plurimi scribunt, ex Assyriis regibus ultimum tenuisse monarchiam, id est, Babylonem et Niniven, *Sardanapalum*. Hic fortassis et propter vicia, et quia distractioni monarchiae proximus fuit, celebratus est. Nomen est plenum arrogantiae. Cum enim ruinae impendent, crescit superbia, sicut dicitur: Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. *Sar*, id est, dux: *Dan*, Iudex: *Niphil*, Eversor. Sic et Gigantes nominarunt se Niphil.

Aiunt autem, hunc Sardanapalum fucis pinxisse faciem, in Gynecceis omissa imperii cura, obscenis voluptatibus deditum fuisse. Propterea duo Principes, Praefectus Babylonicus *Phul Belochus*, et *Arbaces* Medus, bellum adversus eum moverunt. Narrant quidam, ab Arbace Medo interfectum esse, sed Duris scripsit, eum incensa regia Babylonica sese et mulieres, et reliquam turbam, quae ibi fuit, incendio perdidisse. Et quidem incendium durasse dies quindecim.

Hic tristis exitus ad exempla irae Dei pertinet, mutantis imperia propter Principum et populi delicta, et insignibus poenis magnitudinem irae ostendentis. Sunt autem ab exitu Abrahae ex Charan usque ad Sardanapali interitum anni mille triginta tres. Ac periit Sardanapalus regnante in Iudaea *Osia*.

Postea *Phul Belochus*, id est, Eversor vastans, Praefectus Babylonicus, tenuit Babyloniam et Niniven, et regnavit annos quadraginta octo. *Arbaces* vero Medus dominatus est Medis et Persis. Sed nunc pertexo seriem regum Assyriorum usque ad monarchiam Persicam. Nam Assyrii deinceps decem tribus Israëliticas, et postea tribum *Iuda* adsidue adflixerunt. In libro 4. Regum capite 15. dicitur hic Phul Belochus intulisse bellum regi Israëlitico Menahem.

Successit patri *Phul Assar*, id est, Eversor Assyrius, qui in libro 4. Regum cap. 15. nominatur *Tiglat Philassar*: sive a traductione Israëlitarum in exilium, sive ab ipsa Galilea, quia hic primus Galilea potitus est, et tribum Nephtali abduxit in Assyriam. Regnavit annos tres et viginti.

Salmanassar, id est, pacificus Assyrius. Regnavit annos decem. Anno quinto Samariam obsidione cinxit. Cumque in tota regione decem tribuum oppida passim delevisset, maiorem populi partem abduxit in exilium.

In capite decimo Hoseae fit mentio huius regis *Salman*, ubi dicitur: Sicut vastavit Salman domum Arbela in die prelii, matre super filios allisa: sic faciet vobis Bethel, propter maliciam scelerum vestrorum. Ubi latinus interpres lectionem inepte corrupit, cum haec sit nativa sententia: Regem Salman deleturum esse Samariae regnum, sicut evertit urbem Arbela.

Apud Ptolemaeum nomen est regis *Nabonassar*, a quo numerat ad Alexandri mortem annos quadringentos viginti quatuor. Hunc esse Salmanassarem annorum numerus ostendit. Nomen autem *Nebo* significat divinum, quia idolum fuit eius nominis, a vaticinando sic dictum, ut Graeci Pythium nominarunt. Nebonassar, id est, divinus Assyrius.

Sennacherib filius Salmanassaris, id est, biceps gladius, regnavit annos septem, qui ut imitaretur patrem, reliquam partem populi Dei delere conatus est, cinxit obsidione Ierosolymam, ubi cum Deus ab Esaia et Ezechia invocatus esset, Angeli missi trucidarunt exercitum Assyrium. Rex fugiens cum rediisset in Niniven, in templo a filiis interfectus est. Harum rerum fama tam celebris fuit, ut lib. 2.: Herodoti earum mentio fiat, quanquam non recitantur integre. Nomen

tamen Σαναχαρίβος retinet, et statuam eius inquit in templo Aegyptiaco stare, cum hac inscriptione: In me aliquis intuens pius sit: εἰς ἐμὲ τὶς ὁρέων εὐσεβὴς ἔστω.

Asar Haddon, id est, Assyrius acutus, successit interfecto patri, regnavit annos decem. Hic rursus mutata sunt haec vicina regna, et Assyrii amissa monarchia domiti sunt a Babyloniis, fuitque monarcha Chaldaeus *Merodach.*

Merodach, id est, amara contritio, Babylonius, domitis Assyriis tenuit monarchiam annos quadraginta. Huius mentionem facit Esaias capite 39.

Benmerodach, id est, filius prioris Merodach, recuperatoris monarchiae apud Babylonios. Regnavit annos viginti et unum.

Nabogdonosor Primus, id est, divinus, iudex, Assyrius, vel tribulator. Regnavit annos triginta quinque. Gessit bellum cum rege Aegyptio Neco, cuius belli mentio fit in historia Iosiae, 4. Regum 23. Et 2. Paral. 35. ubi scribitur, Iosiam interfectum esse in Mageddo. Quae appellatio de eadem historia extat et in Zacharia, cum inquit Dominus: Aspicient Me, quem confixerunt: In eo die erit planctus, sicut fuit in campo Mageddon, videlicet interfecto Iosia.

Herodotus lib. 2. mentionem facit eius belli, et pugnae locum nominat Magdalum, sicut et Ieremias eius nominis mentionem facit. Sed vicina sunt oppida in littore in regione tribus Manasse, Mageddo et Magdalum.

Nabogdonosor Magnus regnavit annos quadraginta tres. Celebratissimus est in historia prophetica, propter exilium tribus Iuda in Babylone. Anno sedecimo sui regni cinxit obsidione Ierosolymam regnante Zedechia. Apud Ieremiam cap. 39. scriptum est, obsidionem durasse annum integrum et sex menses. Proximo mense postquam urbs Ierosolyma capta est, iussit rex Nabogdonosor deleri urbem et templum, et trastulit Iudaeorum multitudinem in Chaldaeam, ubi exulavit tribus Iuda annos 70.

Et quanquam ingens calamitas est exilium, et ita dissipata erat gens Iudaica, et eversa urbs Ierosolyma, et deleta politia, ut humanis consiliis restitui non posset: tamen Deus mirabiliter et servavit gentem, et reduxit, et in exilio magna gloria ornavit. Nam Danielis confessione et doctrina conversi sunt ad veri Dei agnitionem quatuor monarchae: Nabogdonosor, filius Evilmerodach, et deinde Darius Medus, et Cyrus Persa. Haec non sunt facta sine insignibus miraculis, in quibus Deus testimonium ostendit de sua doctrina et de Ecclesia, quorum aliqua in historia Danielis recitantur, quem hic Nabogdonosor in Babylonem abduxerat.

Observes autem, hunc victorem Nabogdonosorem ortum esse ex Babyloniis regibus, videlicet a Merodach, cum iam post Sennacherib rursus dominarentur Babylonii Assyriis.

Evilmerodach, id est, insipiens Merodach, seu iunior Merodach, regnavit annos triginta. Primo anno, cum patri Nabogdonosor Magno successisset, liberavit Ieconiam ex carcere, et ei regium honorem et victum attribuit, ut in ultimo capite quarti Regum scribitur, et in ultimo capite Ieremiae.

Consentaneum est autem, et hunc amplexum esse doctrinam Danielis de vero Deo, quam et pater publico edicto professus est, eamque ob causam clementiam exercuisse erga regem Ieconiam. Et fortassis ideo Principes impii nominarunt eum stultum Merodach.

Balsaar, id est, dominus exercitus, regnavit cum fratribus annos quatuordecim. Hic amplexus est idolorum cultum, et vero Deo populi Israël palam in convivio maledixit, ut scriptum est Danielis 5. Tam cito bonorum Principum posteritas deseruit proximorum patrum doctrinam et exempla. Sic autem punitae sunt eius blasphemiae, ut capta Babylone, et ipso interfecto, monarchia translata sit ad *Persas.*

Cum autem Herodotus in libro 1. nominet Labynitum eum, qui capta Babylone a Cyro interfectus est, consentaneum est, hunc Balsaarum esse apud Herodotum Labynitum, quod significat, gladium tradentem vel inclinantem.

Hic finis est primae monarchiae, quae nominatur monarchia Chaldeorum et Assyriorum. Ac rursus hic illustre exemplum propositum est communis regulae: Regnum a gente in gentem transfertur propter iniusticiam, ac praesertim propter blasphemiam ac saeviciam, quae in Ecclesiam exercetur. Excitatus est autem Cyrus, ut postea dicam, ut populum Iudeorum rursus mitteret in Iudeam, ad instaurationem templi et politiae. Ipse enim doctrinam de vero Deo a Daniele didicerat.

Hactenus recitavi Catalogum aliquot regum Chaldaeorum et Assyriorum, praesertim eorum,

quorum fit mentio in prophetica historia, quorum seriem in conspectu habere utile est.

De Abraham, et de circumcisione.

Ut patefactionum divinarum series, et tota historia Ecclesiae conspectior esset, Deus singulari consilio monarchias et instituit, et notas esse voluit. Quare postquam catalogum regum Chaldaeorum et Assyriorum breviter recensui, rursus dicamus, quae et ubi fuerit Ecclesia. Dictum est autem, Abrahae migrationem in terram Canaan incidere in tempora filii Semiramidos, quia tunc sub rege ignavo et impio creverunt et tenebrae et tyrannis contra pios. Ac historia peregrinationis legatur in Mose. Nos breviter tempora annotamus.

Anno mundi bis millesimo vicesimo tertio Abraham ex Haran, notissima urbe in historiis (in quibus nominatur *Charrae*, et factum est nomen ab aestu) venit in terram Canaan, ubi primum eius domicilium fuit in Sichem, quae vicina fuit illi loco, ubi postea Samaria fuit, et uberrima regio est terrae Palestinae. Ac tunc Abram erat annorum septuaginta quinque. Inde in Aegyptum propter famem profectus est, ac post aliquot annos rediit.

Anno Abrahae nonagesimo nono instituta est circumcisio, cum iam aliquoties repetita esset promissio de venturo semine, propter quod Deus tollit peccatum et mortem, et restituit iusticiam et vitam aeternam. Ac tunc novo et admirabili signo, videlicet *circumcisione*, distincta est Abrahae posteritas a caeteris gentibus, et promissa est ei certa sedes, et decretum est, in ea posteritate semper fore Ecclesiam Dei, donec nasceretur Messias. Fore etiam membra Ecclesiae omnes, qui doctrinam eius populi amplecterentur, etiamsi ritum circumcisionis non assumerent illi, qui non erant nati ex semine Abrahae. Sic voluit Deus certo sciri, quae et ubi esset Ecclesia Dei, et conspici discrimen Ecclesiae a caeteris gentibus, ac intelligi, vocem promissionis de Messia seiungere Ecclesiam ab omnibus gentibus. Hanc qui non norant, non erant membra Ecclesiae, sicut scriptum est: Abraham vidit diem meum, et laetatus est. Et existimo, ipsum filium Dei visibili specie hospitem fuisse Abrahae, in coena, quae describitur in Capite 18. Genesis. Cogita autem, quam venerandus coetus Ecclesia fuerit, cum ibi saepe convenirent, Sem filius Nohae, qui viderat utrunque mundum, et nominatur *Melchizedek*, ac rexit oppidum, quod postea dictum est Ierusalem. Et Abraham, qui erat in vicina urbe *Hebron*, quae a Ierosolyma distabat circiter quinque Germanica miliaria. Item Loth et Abimelech rex in Gerare, quae distabat ab Hebron circiter duo miliaria Germanica. Et multi alii praestantes viri.

De poena Sodomae.

Simul autem consideres testimonia patefactionum divinarum. Eodem anno, quo instituta est circumcisio, et manifesta miracula addita sunt. Anus effoeta, et quae antea fuerat sterilis, fit gravida, et confirmata est Ecclesia dulcissimis consolationibus. Mox addita sunt et alia miracula, quae sunt exempla irae Dei, quibus Deus testatus est, se servare Ecclesiam, et puniturum esse impios. Tunc enim horribiliter Deus propter tetras libidinum confusiones flammis de coelo sparsis delevit urbes *Sodomam*, *Gomorram*, *Adamam*, *Seboim* et *Segor*, quarum ruinis demersis in terram, in earum urbium sede factus est lacus exhalans perniciosos fumos Ἀσφαλτίτης, qui extenditur Germanicis miliaribus octo. Et Strabo inquit: πλέον τὶ διακοσίων σταδίων. Et manet hodie hoc illustre testimonium irae Dei.

Prodest et seriem annorum considerare, ut videamus utrunque, et exiguo tempore hominum scelera magna incrementa accepisse, et Deum subinde nova testimonia in poenis et liberationibus ostendisse. Deletae sunt hae urbes, Sodoma, Gomorra, et caeterae, anno quadragesimo post mortem Nohae. Et post diluvium anno trecentesimo nonagesimo, vivente adhuc *Sem*, qui et diluvii et huius incendii spectator fuit, qui quidem ut testis et custos esset verae doctrinae, vixit post Abrahae mortem annos 35. Hi tales viri, *Sem*, *Abraham*, *Loth*, cum de voluntate Dei illam viciniam docerent, et cum Abraham recens cives Sodomorum abductos reduxisset, tamen ab impiis adeo spreti sunt, ut tanta scelera multi palam facerent, nec vererentur oculos talium virorum, quibus vere adesse Deum ex multis non dubiis testimoniis sciebant.

Profecto horribile spectaculum est tantus furor impiorum, cum optimos haberent doctores, voluntatem et iudicium Dei ostendentes. Sed hoc insigne exemplum monstrat, quomodo Ecclesia in hoc mundo inter impios spreta prematur, et servetur tamen.

Hic cogitentur caeterae historiae comprehensae in Moise, de Abraham, de oblatione Isaac, de filiis Isaac, Iacob et Esau, de peregrinationibus Iacob et filiis eius. Et consideretur, qualis illa Ecclesia fuerit, quae doctrina, quae aerumnae et liberationes, quae testimonia praesentiae Dei fuerint. Hic enim breviter annorum seriem annotamus.

Diligentissime vero consideretur historia Ioseph, per quem regnum Aegyptium, eo tempore florentissimum, constitutum est, et propagata vera doctrina de Deo in magna Aegypti parte.

Iacob fuit annorum nonaginta unius, cum ei ex Rachel natus est filius *Ioseph.*

Ioseph anno septimo decimo aetatis suae in Aegyptum venditus est, vivente adhuc Isaac, qui in communi dolore et luctu fuit, cum filio Iacob.

Vixit autem Isaac post venditum Ioseph annos duodecim.

Ioseph cum esset triginta annorum, ex carcere liberatur, et constituitur Princeps in regno Aegyptio, ut cap. 41. Genesis scriptum est.

Postea cum fames sequuta est, forma regni Aegyptiaci constituta est, et tributa ordinata sunt, et sacerdotum collegio reditus attributi sunt, ut essent doctrinae custodes. Etsi autem doctrina de Deo post Ioseph mutata est, et post exitum Israëlitarum ex Aegypto, et saepe postea magnae regni vastationes acciderunt, tamen doctrina de motibus coelestibus, et de natura rerum tempore, Assyriae, Persicae, Graecae et Romanae, usque ad barbariem Mahometicam, fere tribus millibus annorum.

Iacob descendit in Aegyptum anno aetatis suae centesimo tricesimo, vixit annos centum quadraginta septem. Fuit igitur in Aegypto fruens dulcissima consuetudine filii Ioseph annos septem et decem. Ac videns florentem regni statum, quod tunc habebat regem pium, cum quo saepe colloquebatur, et qui late propagari veram doctrinam curavit, et multis vicinis gentibus in fame opem tulit.

Ioseph vixit annos centum et decem. Nec inde usque a Ioseph ad tempora certaminum Moisi, alia historia de Israëlitis recitatur, praeter expeditionem filiorum Ephraim, quae extat in 1. Paral. cap. 7., ubi narratur, filios Ephraim duxisse exercitum ad occupandam Palestinam, vivente patre Ephraim, sed interfectos esse. Consentaneum est autem, eos, cum initia tyrannidis Aegyptiae viderent, et scirent, promissiones divinas patribus de occupanda et tenenda Palestina traditas esse, humanis consiliis voluisse excutere servitutem, et confisos esse singulari generis praestantia, quod essent orti a Ioseph, et amplissima promissione ornatus esset pater Ephraim. Hac fiducia humana, cum sine vocatione divina bellum movissent, repulsi et interfecti sunt. Id exemplum monet, ne Ecclesia sine vocatione divina bellum moveat ad servitutem corporum excutiendam, sed sciat, Deum etiam inter medias aerumnas servitutis tamen suas reliquias servaturum esse.

Postea exasperata est tyrannis regum Aegyptiorum contra Israëlitas, de qua legatur historia in Exodo. Ideo autem in regno florentissimo, et in tanta multitudine Israëlitarum in exitu ex Aegypto, et in vicinis gentibus, tot illustria miracula exhibita sunt, quia Deus certissima testimonia de sese et de sua lege, de promissione, de collectione Ecclesiae conspici voluit, quae quidem cogitari vult omnibus aetatibus, ut assensio de Deo et de tota Ecclesiae doctrina in nobis confirmetur. Sed priusquam ad eam historiam accedimus, brevissime de doctrina Iacob dicamus.

Promissio tradita Abrahae de semine, redditurо nobis iusticiam et vitam aeternam, deleto peccato et abolita morte, ipsi repetita est Genesis 28. Et hanc recte intellectam esse de aeternis bonis, et collectione aeternae Ecclesiae, constat postea ex concionibus ipsius Iacob, ut cum cap. 48. inquit: Deus benedicat his pueris, et Angelus, qui eripuit me de cunctis malis. Hic et Deum nominat, et nominat Angelum, videlicet filium Dei, *λόγον,* missum ad patres, et hunc affirmat, non esse creaturam: quia dicit, se per hunc Angelum a cunctis malis, a peccatis et morte liberatum esse. Haec vetusta testimonia de filio Dei saepe cogitemus, ut sciamus, vere filium esse *ὑφιστάμενον,* etiam ante assumptam humanam naturam, et semper adfuisse Ecclesiae, sicut et Ireneus inquit: Semper adfuit generi humano *ΛΟΓΟΣ.* Ita sint nostra chronica Narrationes non tantum de regibus politicis, sed multo magis de hoc rege, filio Dei, et de eius praesentia in omnibus mirandis operibus in Ecclesia.

Praedicit etiam Iacob tempus adventus Salvatoris. Et nominat eum Siloh, ut significet, se respicere ad primam promissionem, in qua dicitur: Semen *mulieris* conteret caput serpentis. Nam etymologia *Siloh* est: *χόριον αὐτῆς.* Sic

nominat foetum venturae matris. Expresse autem prima promissio loquitur de restituenda iusticia et vita aeterna, deleto peccato et abolita morte. Itaque vocem Evangelii eandem docuit Iacob, quae in scriptis propheticis et apostolicis de filio Dei et aeternis eius beneficiis postea scripta est, et quae est propria Ecclesiae doctrina, et eam a caeteris gentibus discernit.

De exitu Israëlitarum ex Aegypto.

Non longo tempore post mortem *Ioseph* reges Aegyptii abiecta doctrina Ioseph rursus idola coluerunt, et magicas artes amplexi sunt. Ita non diu retinent homines lucem veritatis, nisi divinitus servetur, sicut tunc veritas in populo *Israël* conservata est. Cum autem Aegyptii odissent Israëlitas, et metuerent eorum multitudinem, dura servitute eos premere coeperunt, et edicta proposita sunt de necandis infantibus. Haec calamitas longo tempore duravit, videlicet a nato Moise annos octoginta.

Inquit autem textus in Exodo capite 12., Ebraeos fuisse hospites in Aegypto annos 430. Inde Paulus numerum sumpsit, inquiens ad Galatas cap. 3., post promissionem Abrahae datam usque ad legis promulgationem annos esse quadringentos et triginta. Sunt igitur anni in Exodo et Paulo non numerandi a descensu Iacob in Aegyptum, sed a prima migratione Abrahae, cum ex Haran egressus, promissionem accepit, cum esset annorum septuaginta quinque, Et mox in Aegyptum profectus est propter famem. Horum annorum computatio haec est:

25. Viginti quinque anni, a migratione Abrahae ex Haran, ad natum Isaac.
60. Sexaginta, natus Iacob.
90. Nonaginta, natus Ioseph.
110. Centum et decem vixit Ioseph.
65. Sexaginta quinque post Ioseph natus Moises.
80. Octoginta a nato Moise ad exitum ex Aegypto.

Summa 430 anni.

Legatur autem integra historia de exitu Israëlitarum ex Aegypto, et de legis promulgatione in libro Moisi. Quia inter res maximas in genere humano verissime est illa patefactio Dei, facta, cum legem coelesti voce edidit in monte Sinai, audientibus sexcentis millibus virorum. Et ut non dubium esset, hanc esse doctrinam divinam, addita sunt tot testimonia: Eductio populi per mare rubrum, aquis cedentibus, et postea Pharaonis interitus, Manna de coelo sparsum, dum quotidie singulis duo χοίνικες dati sunt, id est, quatuor sextarii, et alia ingentia miracula, quorum consideratio in nobis fidem de tota doctrina in Ecclesia confirmet.

In ea historia hoc quoque nobis gratum sit, quod Paulus affirmat, ipsum filium Dei et ductorem et custodem Israëlitis adfuisse, et cogitemus, eum semper etiam Ecclesiae suae adesse, ut inquit: *Petra autem erat Christus.* Et placet mihi veterum interpretatio, qui cum Paulus inquit, legem per manum Mediatoris datam esse, intelligunt ipsum filium Dei, λόγον aeterni patris, fuisse oratorem ad populum, dicentem verba legis. Qui ipse postea in natura humana etiam inquit: Non veni solvere legem, sed implere. Haec suo loco copiosius declaranda sunt.

Est autem annus a condito mundo ad exitum Israëlitarum ex Aegypto bis millesimus quadringentesimus, quinquagesimus tertius. 2453.

Ab exitu Abrahae ex Haran quadringentesimus tricesimus. 430.

Post conflagrationem Sodomae anno quadringentesimo sexto. 406.

Anno ante fabricationem templi Salomonis quadringentesimo octuagesimo, ut scriptum est 3. Regum 6. cap. 480.

Considerandum est autem, quae regna tunc in genere humano praecipua fuerint, quibus spectantibus Deus Ecclesiam suam in loco certo constituere voluit. Magna fuit potentia monarchiae Assyriae, sed celebritas maior fuit Aegyptii, propter opulentiam et artes. Inter haec regna collocavit Deus Ecclesiam suam, et illustribus testimoniis suam patefactionem ostendit.

Nomina autem regum Aegyptiorum posteriorum, ut Necao et Apryis, qui extant in Herodoto, ad historias regum Iuda perspicue accommodare possumus, quia tempora nota sunt. Sed priorum regum tempora apud Herodotum et Diodorum non sunt ordine annotata.

Osiris, id est, auxiliator vir, seu beatus vir, qui existimatur vixisse tempore Abrahae, et *Isis* coniunx. Ischa, id est, virago.

Orus, id est, lumen. *Or*, qui praecipue doctrinas in Aegypto monstrasse dicitur, existimo

usum esse consiliis Abrahae, et doctrinam de vero Deo populis tradidisse. Fuit autem adiuncta doctrina de motibus coelestibus.

Filius nominatus est *Bocchoris*, id est, primogenitus vir.

Deinde *Busiris*, id est, Munitor, qui maxima opera extruxit. Et Diodorus Siculus scribit, eum condidisse Thebas Aegyptias. Cum autem celebrata sit Busiridis crudelitas, qui dicitur mactasse hospites, consentaneum est, famam crudelitatis ortam esse a saevicia, quam erga Ebraeos exercuit, necatis ipsorum infantibus. Et cum Pyramides aliquas construxerit, labore Ebraeorum constructas esse consentaneum est. Nam prope oppidum Busirin sunt tres Pyramides celebratissimae, quarum Plinius mentionem facit. Apparet autem eodem nomine plures fuisse reges Busirides.

Postea fuit interregnum, quia deleto rege in mari rubro, cum educti sunt Israëlitae, diu in Aegypto varias seditiones fuisse credibile est.

Post Busiridem nominatur a Diodoro post longum intervallum rex *Miris*, id est, acerbus vel crudelis. Hic rursus detersit Nili alveos, et eduxit lacum Myrin, et instauravit potentiam regni Aegyptii. Ideo clarior est multis aliis regibus.

Post hunc fuit, tempore Samsonis ante bellum Troianum, filius Miridis *Sesostris*, id est, ponens exactores, vel direptor, sub quo Aegyptii regni potentia valde crevit. Hic enim multas vicinas gentes domuit, et late in Asia regnavit, et navigiis lustravit maria, insulas et littora, ut terrarum metas inveniret, quarum cognitio initium fuit doctrinae cosmographicae. Fuisse eum ante Persica tempora ostendit narratio de Dario, qui cum vellet suam statuam collocari ante Sesostris statuam, a sacerdote prohibitus est, quia Darius nondum magnitudinem rerum gestarum Sesostris aequasset. Hanc libertatem sacerdotis Darius laudavit.

Post Sesostrin collocat Diodorus filium eodem nomine. Herodotus nominat *Pheronem*, quod existimo commune nomen esse *Pharao*. Hic coecus factus vixit in ocio.

Post eum regnavit *Proteus*, quem Diodorus nominat *Cetem*. Existimo autem a Graecis Protea nominatum esse, propter magiam, quia varias praestigias effecit. Ad hunc venit Paris cum Helena, et deinde Menelaus. Congruunt autem Troiani belli tempora ad tempora regis *Saul*.

Post Proteum collocat Herodotus *Rampsinitum*, id est, altum scutum, sub quo narrat furtum insigne, et fratrem furis, cui rex filiam dedit uxorem propter astutiam.

Deinde *Cephus*, id est, Petra, apud Diodorum, seu *Cheops* apud Herodotum, ignavus et avarus, qui etiam filiam prostituit propter pecuniam.

Huius filius fuit *Cephrim*, id est, Leo, invisus populo propterea quod templa multos annos clausit.

Post hunc nominatur *Mycerinus* apud Herodotum, seu *Cerinus* apud Diodorum, id est, Ordinator, quia hic restituit iudicia, iustissime iudicavit, et recte iudicantibus praemia dedit.

Deinde nominantur *Anysis* coecus, et *Sabacus*, qui videtur esse *Sesac*, 3. Regum 14. avarus, unde nomen est Saccus munerum.

Sethon, cui bellum illaturus Sennacherib Assyrius non potuit progredi in Aegyptum, amisso exercitu in Iudaea.

Psammitichus, cuius' patrem Sabacus occiderat, regno potitus expugnavit urbem Azotum in Syria.

Necos vicit Iosiam prope urbem Mageddo. Herodotus nominat Magdalum, quod generaliter Arcem significat. Postea idem Necos a Nabogdonosor victus est, ut Ieremias narrat capite 46.

Filius *Psammis*.

Deinde *Apryes*, quem nominat Ieremias *Ophrea*, capite 44. Sidonem delevit, et Ieremiam interfecit. Postea ab Amasi duce, qui Cyrenaicam, quae defecerat, pacavit, strangulatus est.

Hic et nomina regum, et rerum gestarum narrationes apud Herodotum congruunt cum Ieremiae historia, quare et tempora facile agnosci possunt. Gratum est autem videre, ubi propheticam historiam continua serie Herodotus sequatur. Simul et hoc cernitur, propheticam historiam longe vetustiorem esse Graeca. Deinde vero Graecam consentientem testimonium praebere propheticae historiae.

Hactenus vero ad *Amasin* usque ducta est series Aegyptiorum regum, usque ad Persicam monarchiam, quia Amasis tempora incidunt in Persicae monarchiae initia.

Cum Amasis tenuisset Aegypti regnum annos quadraginta quatuor, ut scribit Herodotus, successit filius *Psammenitus*, hoc est, clypeus inclinatus, qui cum sex menses regnasset, captus est a Cambyse, rege Persico, et aliquanto post interfectus. Suntque apud Herodotum de Psammenito hae narrationes, dignae memoria: Cum filia duceretur inter captivas servili habitu, missas ad aquam ferendam, sedit pater Psammenitus inter captos, videns praetereuntem filiam, ac caeteris plorantibus ipse tacitus sedit, oculis in terram defixis. Postea cum filius duceretur inter caeteros interficiendus, sedit eodem modo tacitus. Post hos cum familiaris quidam duceretur inter captivos, plorare et caput ferire coepit. Haec cum animadvertisset Cambyses, interrogari eum iussit, cur nunc ploraret, cum antea tacitus vidisset duci filiam et filium? Respondit, Domestica mala maiora esse lacrymis, sed amici calamitatem posse lacrymis significari. Aiunt autem, Croesum qui simul adfuit, et Principes Persicos illacrymasse, et Cambysen misericordia motum iussisse filium ei restitui incolumem. Ad quem reducendum cum nuncii mitterentur, iam adolescens interfectus erat. Ipsi tamen Psammenito tunc vitam donavit Cambyses, et erat ei redditurus Aegyptum, ut eam tanquam regius praefectus gubernaret. Sed cum Psammenitus non quiesceret, et sollicitaret Aegyptios ad defectionem, iussit eum postea Cambyses interfici.

Deinceps Aegyptum retinuerunt Persici reges usque ad Darium Nothum, cuius anno sexto Amyrteus Saites defecit a Persis, et in Aegypto regnavit. Et post hunc Nepherites, Achoris, et Nectanebos prior et posterior, quem expulit ex regno Persicus rex Ochus, qui Sidone incensa progressus recuperavit Aegyptum. Fugiens autem Nectanebos in Aethiopiam, exul ibi mortuus est.

Deinde post annos fere viginti occupata est Aegyptus ab Alexandro, post quem nati ex Macedonica stirpe reges Aegypti fuerunt, de quibus infra dicemus in tertia monarchia.

Nunc veterum regum Aegyptiorum catalogum contexui, ut aliquo modo conspici possit, quomodo series rerum Aegyptiacarum ad primam et secundam monarchiam, et ad politiam Israël congruat. Excelluit autem Aegyptus artibus et legibus, et aliquantisper doctrina Ioseph Ecclesiam ibi plantaverat. Sed reliquis temporibus plena fuit Aegyptus teterrimorum idolorum, ideo crebris mutationibus regni, et variis calamitatibus punita est. Postquam autem de Chaldaeis, Assyriis et Aegyptiis diximus, in quibus regnis tempore primae monarchiae multae mutationes et vastationes acciderunt. Nunc rursus de politia Israël dicemus, et breviter catalogum Iudicum et Regum inseremus: nam res gestae legendae sunt in prophetica historia, et simul considerandum est, qualis ibi fuerit Ecclesia, Quae sint a Deo illustria testimonia ostensa, Qui Prophetae missi sint, Quae fuerit forma gubernationis, Quomodo defensa sit politia Israël propter Ecclesiam, non humanis consiliis, sed a *Deo* subinde excitatis ducibus, sicut et Zacharias dicit: Non in exercitu, non in robore, sed in Spiritu meo, dicit *Dominus*.

Iudices populi Israël.

Cum *Israëlitae* quadraginta annos in deserto fuissent, *Moises* moritur, quadragesimo anno post exitum ex Aegypto, cum vixisset annos centum et viginti.

Huic successit *Iosua*, qui fuit dux populi Israël, annos triginta duos.

Non fuit autem successio ducum ex certa stirpe, aut electio certi Senatus, sed velut Aristocratia erat Seniorum in singulis tribubus, et summa autoritas erat legis divinae, quam sacerdotes quotidie docebant, Et hi consulebantur de gravissimis negociis, ut in Deuteronomio mandatum erat. Ita *lex Dei* erat domina, et rectrix huius populi, nec quisquam appetebat regnum, quia sciebant, hunc populum *Dei* esse, et a *Deo* protegi, nec humanis consiliis formam gubernationis novam constituendam esse, sicut Gedeon inquit: Non dominabor vestri, nec dominabitur vestri filius meus, sed dominabitur vestri *Dominus*. Sic divinitus conservata est haec Aristocratia annos post Iosue trecentos viginti quinque, usque ad mortem Eli. Excitavit autem Deus alias ex alia tribu foelices duces, ut ostenderet, divina potentia colligi et servari Ecclesiam, nec foelicem esse gubernationem, nisi *Deo* iuvante. Simul autem defensionis miracula testimonia fuerunt de doctrina huic populi tradita, et ostenderunt in hoc populo vere fuisse Ecclesiam Dei, et praesentem in ea esse Deum. Ac duces post Iosua fuerunt:

Othoniel, ex tribu Iuda, annos octo.

Ehud, ex tribu Beniamin, annos octoginta. Interfecit Eglon regem Moab, et profligatis Moabitis trucidavit decem millia hominum.

Debora et *Barac*, ex tribu Nephtali, annos quadraginta. Vicerunt Sisaram, ducem regis Iabin, qui tenuit Hazor, quae tunc adhuc fuit regia Cananaeorum in sorte Nephtali.

Gedeon, ex tribu Manasse, annos quadraginta. Vicit Madianitas.

Abimelech, natus ex concubina Gedeon, interfecit fratres septuaginta, et velut tyrannus regnavit in Israël tres annos, et interfectus est a suis civibus. Tanta calamitas accidit posteritati Gedeonis, quem Deus singulari modo vocaverat, et ornaverat illustribus victoriis et testimoniis, quia ipse tandem instituit cultum sine mandato Dei. Et voluit Deus ostendere, se non velle, quenquam occupare dominationem fiducia generis, sed retinendam esse Aristocratiam, et a *Deo* expectandam esse gubernationem.

Thola, ex tribu Isaschar, annos viginti sex.

Iair, ex tribu Manasse, in Galaad, quae regio fuit ultra Iordanem, versus Libanum et Arabiam, postea dicta Iturea, id est, scopulosa, quod idem Graecis est *Τραχωνίτις*, id est, aspera. Praefuit annos viginti duos.

Iepthe, ex tribu Manasse in Galaad, annos sex, temerario voto mactavit filiam tanquam hostiam.

Abesan Bethlehemites ex tribu Iuda, annos septem. Quidam scribunt, hunc esse *Boas*, patrem *Isai*, avum Davidis.

Elon, ex tribu Sabulon, annos decem.

Abdon, ex tribu Ephraim, annos octo.

Samson, ex tribu Dan, annos viginti.

Postea non nominantur duces, sed praecipua autoritas fuit summi sacerdotis *Eli*, cuius fuit infoelix exitus, amissa arca, quam Deus mirandis modis restituit Israëlitis, ut ostenderet, Ecclesiam suam non humanis consiliis et viribus, sed divina potentia colligi et servari.

Nec tamen aut veteribus exemplis aut hoc recenti et illustri miraculo moti sunt Israëlitae, quo minus humanis consiliis mutarent formam gubernationis a *Deo* institutam. Sunt autem anni Eli usque ad eius mortem quadraginta.

Samuel et *Saul*, annos quadraginta. Quanquam autem Samuelis gubernatio foelix et salutaris fuerat, tamen populus expetivit novam gubernationis formam. Hunc errorem et hanc cupiditatem populi Deus reprehendit.

Ac si quis interrogat: Quod fuerit populi peccatum, cum videatur sapienter deliberatum esse, ut certus dux esset? simplex responsio est haec: Duo magna peccata taxari, diffidentiam et audaciam novae formae constituendae, humano consilio, in politia divinitus constituta. Vult enim Deus intelligere Ecclesiam, protegi et servari eam a filio, qui est caput Ecclesiae, non humanis praesidiis. Et vult eam expectare defensionem divinitus, sicut expectaverat liberationem in Aegypto, plus octoginta annis. Hac fiducia tunc seniores abiecta cogitabant de humanis praesidiis.

Alterum delictum est, audacia constituendi novam formam in politia a Deo constituta. Nam Deus neque doctrinam, neque cultus, neque legem, quam tradiderat, mutari voluit. Quare nec formam politiae mutari volebat, quia talis mutatio etiam legem et doctrinam labefactat, sicut vincula legum saepe reges aegre ferunt. Multi etiam inflectunt religiones ad suas cupiditates, ut reges Samariae novum cultum regni causa instituebant. Nec desunt exempla veteris dicti, ulli aetati: *Pietas*, *Sanctitas*, Fides, privata bona sunt. Qua iuvat reges eant.

Haec consideratio de delictis populi commonefacit nos de protectione Ecclesiae, et de impia Pontificum et aliorum audacia, qui nova dogmata et novos cultus instituerunt aut stabiliunt, relicta puritate primae Ecclesiae. Item, qui contra vocationem movent Respublicas.

Adsentitur tamen Deus, et regem constituit, sed praedicit onera regni: Hoc est ius regis etc. Hic dicunt aliqui describi tyrannum, non regem, nec dici haec ita, tanquam approbante Deo servitutem. Sed textus nominat *ius regis*, et loquitur de oneribus, stipendiorum causa impositis, non tribuit potestatem instituendi extremam servitutem contra legem divinam. Quia Deuteronomii 17. praeceptum est, ut rex discat legem, et eam sequatur in tota gubernatione. Et punitur Achab, quia distinctionem dominiorum, in lege sancitam, tollere voluit, cum Naboth invito erepturus erat vineam. Quanquam autem et interdum mitis et salutaris est forma regni, tamen asperior est, quam Aristocratia. Et pauci in magna potentia moderati sunt.

Constituto autem regno, multa deinceps consideranda sunt, bona et mala. Summum bonum in qualibet congregatione est conservatio verae doctrinae de Deo et Ecclesiae. Quia homines ad agnitionem Dei, et ad aeternae Ecclesiae societatem, non tantum ad huius vitae mortalis ingentes aerumnas conditi sunt, sicut dicitur Matthaei 16: Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animam vero amittat? Item: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.

Laudatur ergo a Moise et aliis Prophetis politia Israël, quod in ipsa luceat vera doctrina, et quod ibi sit certo Ecclesia Dei. Ideo dicitur Deuteronomii 4.: Nec est alia natio, quae habeat appropinquantem sibi Deum, sicut adest Deus noster cunctis obsecrationibus nostris. Ad has laudes pertinet totus liber Salomonis, cui titulus est *Canticum.*

Hoc igitur in regio statu bonum est, quod aliquo modo piorum regum labor *Deo* iuvante profuit ad doctrinae conservationem, ut David, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias studia doctrinae et veros cultus adiuverunt.

Secundum bonum regii status fuit, quod in regum victoriis Deus illustria testimonia suae praesentiae in hoc populo ostendit, sese patefecit, et testimonia doctrinae et Ecclesiae exhibuit, et Prophetas regibus adiunxit. Summam etiam promissionem de *Messia* repetivit, et ad stirpem *Davidis* alligavit, ut certo sciretur, ubi et quando Messias venturus erat. Et huic promissioni hoc bonum adiunctum fuit, quod certo sciebant, illam politiam duraturam esse, donec Messias exhibitus esset. Haec bona non fuerunt in ethnicis imperiis. Ideo hoc regnum longe antecelluit in toto genere humano. Ac interiectum fuit aliis regnis, Aegyptio, Assyriaco, Chaldaeo et Persico, ut inde agnitio veri Dei propagaretur etiam ad multas alias gentes.

Tertium bonum fuit regii status, quod utcunque profuit ad durationem politiae. Sunt enim a principio Davidis usque ad mortem Sedechiae anni quadringenti sexaginta septem. Et tamen postea quoque post reditum ex Babylone duces fuerunt ex stirpe David usque ad Maccabaeos, annos trecentos septuaginta tres.

Haec bona fuisse magna et singularia opera *Dei*, agnoscendum est, sicut scriptum est: Nisi *Dominus* custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Et ut haec summa bona nostris politiis etiam tribuat, ardentibus votis petamus. Et ubi dantur, agnoscamus ea esse Dei opera, et grati Deum autorem et custodem celebremus, et retinere ea studeamus.

Ut autem caetera divina opera Diabolus odio Dei corrumpere conatur, ut in ipsa natura humana tristissimam destructionem fecit: Sic et ordinem in gubernatione variis furoribus turbat, et infirmitas humanae naturae per sese facile labitur, et extra ordinem ruit. Hae sunt causae innumerabilium viciorum et calamitatum in gubernatione. Itaque et in regno populi Dei multa magna mala accesserunt ad divina beneficia. Ambitio et aemulatio primum regem *Saulem* impulit ad crudelitatem et tyrannidem. *David* voluptati indulsit, ideo per seditionem a filio pulsus est. Salomon ad voluptates addidit cultum idolorum, ideo postea dilaceratum est regnum. Haec dilaceratio peperit adsidua bella civilia, seditiones et idolorum cultus. Et post annos ab initio Ieroboam ducentos quadraginta quatuor, tristissimam dissipationem decem tribuum, quae posteritatis Iacob pars maxima fuit, ac nequaquam existimavit futurum, ut ex hac sede eiiceretur, quae et divinitus promissa erat, et ingentibus miraculis tradita et defensa fuerat. Sed hoc exemplo multa Deus monet. Ostendit promissionem praecipuam non esse de hoc politico regno, sed de aeternis bonis. Et voluit in poenis disci discrimen promissionum aeternarum et temporalium. Ac profecto oportuit esse excellentem eruditionem sacerdotum, qui docuerunt rectum intellectum promissionum, Et ob hanc causam Prophetae missi sunt.

Postea huius regni exemplis monet Deus omnes homines, ut reverenter donis Dei utantur, et cogitent de iudicio Dei, et sese ad poenitentiam et veram invocationem exuscitent. Ac magnitudo poenarum utrunque ostendit, iram Dei adversus peccatum, et rursus praesentiam Dei, potenti dextra inter tantas confusiones servantis tamen regni partem, quatenus servatur, sicut inquit Ieremias: Misericordiae Domini quod non consumpti sumus.

Intuentes itaque historiam populi Israël, sciamus nos de multis magnis rebus commonefieri. Ac initio huius Chronici diximus, ex his historiis non tantum exempla politicae gubernationis petenda esse, qualia praebent res gestae in aliis imperiis: sed multo magis testimonia patefactionum

Dei, et irae ac misericordiae, et imagines calamitatum et liberationum Ecclesiae. Ac vult Deus, his testimoniis confirmari in nobis fidem et invocationem, et caeteras virtutes. Etsi autem haec cogitatio utilissima est, et in lectione Sacrorum voluminum omnia exempla diligentius illustranda sunt, tamen in hac temporum annotatione necesse est nos breviores esse. Sed lectores adhortor, ut mente integras historias intueantur, et cogitent, quare eas Deus Ecclesiae proposuerit.

David vixit annos 70. Regnavit annos 40. 2. Reg. 5. In huius historia non hoc tantum considerandum est, quod ornatus est a Deo multis admirandis et salutaribus victoriis, quae fuerunt testimonia praesentiae Dei in hoc populo: sed multo magis hoc, quod ad eum repetita est promissio de Messia. Eius promissionis quoque testimonia fuerunt illae victoriae. Ac non solum regis officio foelicissime functus est, sed etiam Doctor fuit praecipuus in hoc populo. Et in suis scriptis non tantum legis doctrinam, sed etiam Evangelium complexus est. Docuit, quis sit Messias, et quae sint eius beneficia. Et quidem Davidis dolores typi fuerunt dolorum Christi.

Cumque vir tantus esset David, simul fit exemplum infirmitatis humanae et poenarum. Turpiter labitur, et horribiliter punitur, et sustinet non solum suorum scelerum conscientiam, sed etiam ingentium scandalorum, quae peperit seditio. Est enim nimis verum dictum Thucydidis: *Ἐν στάσει πᾶσα εἰδέα κακοῦ ἐστὶ.*

Sed idem David testis est misericordiae et remissionis peccatorum. Vult enim Deus nos tenere regulam: Vivo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et vult nos intueri exempla eorum, qui redierunt ad poenitentiam, ne desperatione opprimamur. Haec sunt praecipua in Davidis historia, quem, etsi non parva macula deformatus est, tamen cogites fuisse *σκεῦος ἐλέους*, quia et Ecclesiae et politiae eius labores profuerunt, et rursus ad Deum conversus est.

In hanc totam imaginem intuentes de nobis ipsis quoque cogitemus, et ardentibus votis precemur filium Dei, ut Nos quoque faciat vasa misericordiae. Confirmemus etiam nos ipsius doctrina et exemplis, sicut ipse vult suas liberationes testimonia esse de promissione et voluntate Dei, quod et aliis invocantibus opitulari velit, sicut inquit Psalmo 33.: Accedite ad eum, et facies vestrae non confundentur. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum.

Salomon filius Davidis circiter vicesimum aetatis annum successit patri. Regnavit annos 40. Fuit igitur breve spacium aetatis, anni videlicet sexaginta aut circiter. Ut autem regna debent esse et defensio et gubernatio in pace, iuxta utranque tabulam Decalogi, id est, ut vera doctrina de Deo proponatur, et vera invocatio fiat, regantur mores, exerceantur iudicia, ordinentur tributa et praesidia, dedit Deus post bella Davidis pacem Salomoni, et instruxit eum excellenti sapientia, et adiunxit sapiens collegium Prophetarum, et aliorum excellentium eruditione et pietate. Sunt igitur eius opera convenientia paci, aedificatio templi, studia doctrinae, monumenta librorum de historiis Ecclesiae, de natura rerum, iudicia et ordinatio tributorum et praesidiorum. Fuitque Salomon et rex et doctor, sicut se nominat Ecclesiasten, id est, concionatorem. Extant adhuc tres libelli, qui sunt testimonia fidei ipsius, et doctrinam dulcissimam continent. Est igitur et Salomon exemplar boni regis in pace. Sed tamen idem fit etiam exemplum humanae infirmitatis. Haec excellens sapientia tunc senescit, cum maxime vigere debebat, et cedit mulierum affectibus, quibus aedificavit templa idolorum. Qua in re primum lapsus consideretur, quod in Ecclesia rex et doctor excellens, in quo fuerat Spiritus sanctus, admittit idolorum cultum. Simus igitur vigilantes, et petamus nos gubernari a Deo, ne approbemus aut stabiliamus idola. Deinde magnitudinem poenae intueamur. Tertio Regum 11. scriptum est, hunc lapsum Salomonis causam esse dilacerationis regni, quae postea sequuta est, quae et nova idola, et assidua civilia bella peperit. Nec dubium est, in hac postrema mundi senecta, orbem terrarum a Turcis vastari, et lacerari civilibus bellis ideo, quia Deus horribiliter irascitur cum aliis sceleribus, tum vero praecipue idolis, quae in ea parte generis humani, quae Ecclesiae titulum habet, dominantur. Quare adsiduis gemitibus petamus a Deo, ut veram invocationem ubique accendat, et omnia idola deleat.

Roboam, filius Salomonis, successit patri, cum esset annorum quadraginta unius. Regnavit annos 17. Vixit annos 58. Fuit negligens in tollendis idolis, in imperio superbus et ignavus. Fuit igitur infoelix et calamitosa universa eius gu-

bernatio. Creverunt sub eo idolorum cultus. Spretis seniorum consiliis, cum non vellet levationem onerum publicorum admittere, defecerunt ab eo decem tribus, et aliud regnum constituerunt. Gessit bella infoeliciter cum rege Ieroboam et cum Aegyptiis. Ita post auream aetatem Salomonis et peccata cumulata sunt, et magnae calamitates secutae. Haec exempla ostendunt, nec diuturnum esse foelicem statum regnorum, nec sedem eandem imperiorum diu manere, sicut in Siracide dicitur: Regnum a gente transfertur ad gentem propter iniusticiam. Quanquam autem et Ecclesiae nocent imperiorum ruinae, tamen Deus potenti dextra reliquias conservat, et propter eas aliquantisper imperia retinet, ne desint hospitia. Hanc consolationem Prophetae saepe repetunt.

Abia filius Roboam regnavit tres annos in Iuda. Vicit magno praelio exercitum Ieroboam.

Asa regnavit in Iuda annos 41. Delevit idola, etiam suae matris impios cultus sustulit. Vicit Aethiopes. Sed postea mutatus fecit foedus cum rege Syriae, et obiurgatus Prophetam inclusit in carcerem.

Iosaphat pius et foelix. Regnavit in Iuda annos viginti quinque. Fecerat foedus cum rege impio Achab, propter quod a Deo obiurgatus est. Postea domi iudicia constituit, et iudicibus pia mandata dedit, quae recitantur 2. Paralip. 19: Non hominis exercetis iudicium, sed *Dei*. Et vobiscum est in iudicio, videlicet et adiutor et vindex. Sit timor Domini vobiscum, recte cognoscite et sitis executores. Vicit Ammonitas sine praelio, ut victoria testimonium esset praesentiae Dei in isto populo, et doctrinae.

Tempore Iosaphat fuit *Elias* Propheta, et aliquandiu deinceps. Successit huic *Eliseus*, quos excitavit Deus immensa bonitate in regno impio decem tribuum, ut inde reliquias Ecclesiae excerperent, et idola delerent, et docerent populum quaerere veram doctrinam et veros cultus in Ierosolyma, et ostenderent testimonia de vera doctrina, ac ut aliquanto diutius hae decem tribus in patria retinerentur. Nam post hos statim abductae sunt. Ac ut autoritas maior esset, uterque natus est, non sub rege Iuda, sed sub regibus Samariae. Elias in oppido Thesbi ultra Iordanem, Elisaeus in Galgala, non procul a Iericho. Incidit autem gubernatio eorum in mediam aetatem mundi. Nam sub patre Iosaphat completa sunt tria millia annorum a condito mundo. Ita Deus non longis intervallis Doctores misit, quibus addidit illustria testimonia: Post Noe Abraham, Ioseph, Mosen, Iosue, Samuëlem, Davidem, et mox valde insignes Eliam et Elisaeum. Elisaeum audivit Esaias. Hunc Ieremias. Ieremiam Daniel. Danielem Aggaeus et Zacharias. Deinde fuerunt Malachias, Onias, Maccabaei, Simeon, Zacharias, Iohannes Baptista, qui monstravit Christum praesentem. Gubernatio autem *Eliae*, quantum ex scripta historia sumi potest, complectitur annos viginti circiter. *Elisaei* gubernatio circiter annos septuaginta. Fuit autem ingens beneficium, tales doctores tam longo tempore habere, qui de dubiis quaestionibus respondere poterant. Ac propagata est horum doctrina ad posteros, quia coetus discentium eos habuisse manifestum est.

Necesse est autem, totam seriem Prophetarum, eorum vocem, consensum doctrinae, miracula, coniunctionem inter ipsos, considerare. Nam consentiens vox doctrinae erudit et confirmat pias mentes, et illius pulcherrimi agminis coniunctio ostendit, et esse Ecclesiam Dei, et qualis sit. Monet docentes, ut ipsi quoque coniunctionem inter sese tueantur. Quid pulchrius est tali collegio, quale est Elisaei et discipulorum, in quo Deus habitat, et manifesta testimonia ostendit, et in quo studia sunt verae doctrinae de Deo et de natura rerum? Et ordine aliqua talia Prophetarum collegia fuerunt. In haec intueamur, quaerentes, quae et ubi fuerit Ecclesia Dei. Quanquam interea in illo ipso regno Israëlitico praeter haec collegia fuit magna multitudo impiorum sacrificulorum, multi reges cultores idolorum, multi seditiosi duces, qui regnum occupabant, et patriam dilacerarunt. Sic inter varias confusiones Ecclesiam tamen Deus servat, in qua pii omnes, ac praecipue doctores, eo coniunctionem magis amare, et omnibus officiis fovere debent, ut ipsa coniunctio decus aliquod afferat, ornet doctrinam et nomen Dei, et confirmet pios.

Ioram regnavit in Iuda annos 8. Dissimilis patri Iosaphat. Interfecit omnes fratres suos, coluit idola exemplo materno. Erat enim natus ex matre filia regis Samariae Achab. Fuit infoelix eius gubernatio. Tunc enim Arabes Iudaeam vastarunt, et filios Ioram interfecerunt.

Ochozias regnavit in Iuda annum unum, captus a rege Samariae *Iehu*, et ex vulnere mor-

tuus in Mageddo. *Athalia* vero mater, nata ex rege Samariae *Amri,* impia et crudelis, ut regnum retineret, interfecit omnes regni haeredes, praeter puerum *Ioas*, clam ereptum saeviciae mulieris tyrannicae. Hoc tempore regnum Iuda a stirpe Salomonis translatum est ad posteros Nathan, qui etiam fuit filius Davidis. Hic rursus exemplum proponitur, quod ostendit, regna mutari, et extingui familias propter idola et tyrannidem. Tota posteritas Salomonis deleta est. Interea tamen Deus mirabiliter servat promissiones de regno *Iuda*, et de venturo Messia. Transfert enim regnum ad posteros Nathan, ex quibus vult nasci Messiam. Ideo in genealogia Christi apud Lucam omisso Salomone inseritur Nathan.

Athalia tyrannica mulier regnavit annos septem, interfecit posteritatem Salomonis, et publice cultum et sacerdotium Baal in Iuda instituit. Ideo Ioiadas summus sacerdos ipsam et sacrificulos Baal interfecit, et cultum Baal sustulit.

Ioas servatus a coniuge summi sacerdotis regnavit in Iuda annos quadraginta, instauravit templum, et fuit initio rex pius et foelix, donec vixit *Ioiadas* summus sacerdos, cuius consiliis obtemperavit. Post eius mortem cepit idola colere, et interfecit Zachariam, illius filium, a quo ipse servatus erat. Postea Syriaci exercitus populati sunt Iudaeam, et Ioas a servis suis interfectus est. Regnante hoc Ioas mortuus est *Eliseus.*

Amasias regnavit in Iuda annos 29, initio pius et foelix. Vicit Idumaeos. Postea coluit idola, et moto bello non necessario dissuadentibus Prophetis victus est, et templum spoliatum est. Post aliquot annos ipse Amasias fugiens ex Ierosolyma interfectus est in Laches. Tempore Amasiae Sardanapalus fuit, quo oppresso monarchia Chaldaea divisa est, et retinuit Phul Belochus Babylonem et Niniven. Arbazes vero fuit rex Medorum et Persarum. Hactenus vero Chaldaei et Assyrii non intulerunt bellum Israëlitis et Iudaeis, sed deinceps Assyrii duriter adflixerunt decem tribus, et Ecclesia crescentem potentiam illorum regnorum magnis calamitatibus experta est. Sed vicit tamen, conversis regibus ad agnitionem veri Dei Nabogdonosor, Dario Medo, Cyro, et aliis.

Ozias, cuius et alterum nomen est *Azarias*, regnavit in Iuda annos quinquaginta duos. Initio pius et foelix, vicit Philistaeos et Arabes. Sed postea cum officio sacerdotis fungi vellet, et per sese sacrificaturus esset, Deus iram suam publica poena declaravit. Regem enim subita lepra percussit, quae postea haesit in eo in longa senecta.

Sub eo concionari coepit Esaias, natus in familia regia, qui cum a Manasse serra dissectus sit, fuit in ministerio prophetico annos circiter octoginta. Praedixit mutationes praecipuorum regnorum, quae postea sequutae sunt, regni Israël, Aegyptiaci, Syriaci, Babylonici, Assyriaci, eversionem Tyri. Et quidem nominatim vaticinatur, Macedones, Cittim et Dodonaeos potituros esse Tyro et Babylone. Doctrinam vero de Messia et de gratia splendidissime illustravit.

Iotham regnavit in Iuda annos sedecim. Pius et foelix, vicit Ammonitas. Anno secundo Iotham inchoantur Graecorum Olympiades, secundum quas Graecis longo tempore usitatum fuit seriem rerum gestarum in publicis monumentis perscribere. Sumi autem initium certum potest, retro numerando. Quia certissimum est, regni Alexandri mox post mortem Philippi initium esse primum annum Olympiadis centesimae undecimae.

Nomen autem Olympias comprehendit annos quatuor. Et factum est ab ordinario conventu Graecorum ad Elidem, qui celebrabatur semper post quartum annum, in mense, qui Graecis initium erat anni, videlicet in plenilunio, quod solstitio aestivo proximum est. Sic conventus ille anni initium Graecis erat. Ideo series annorum inde commode sumebatur. Quae autem insignes historiae Graecorum antecesserint hanc annotationem annorum, infra dicemus. Consideranda est enim temporum collatio, ut sciamus, Ecclesiae doctrinam antiquissimam esse.

Achas regnavit in Iuda annos sedecim, fuit impius, infoelix, fascinatus idolomania multipliciter, clausit templum Dei, et alibi in Ierusalem et in oppidis idola collocavit, cremavit et filium in sacrificio.

Eius tempore rex Israël et Syriae vastarunt Iudaeam, et Ierosolymam obsederunt. Achas igitur spoliato templo, mercede invitavit Assyrios, ut regi Israël et Syriae bellum inferrent. Propter hanc societatem obiurgatus est Achas ab Esaia.

Regnante Achas, anno primo 7. Olympiadis Romulus et Remus condere Romam coeperunt,

ut scribit Dionysius Halicarnassensis, et moenia primo inchoata sunt die vicesima prima Aprilis.

Ezechias regnavit in Iuda annos viginti novem, pius et foelix, rursus aperuit templum, delevit idola Achas, et restituit veros Dei cultus, et praecepit dari sacerdotibus ea, quae lex eis attribuit.

Ipso regnante res tristissimae in Israël acciderunt, et Deus ipsum inter tantas calamitates singularibus miraculis consolatus est. Ita mirabiliter Deus inter ingentes confusiones generis humani servat Ecclesiam. Nam anno ipsius sexto Salmanassar delevit regnum decem tribuum, et maximam populi partem abduxit, et in Assyriam et Medorum regionem collocavit, cuius calamitatis magnitudo non satis cogitari potest. Quam miserum est, Ecclesiam et familias honestas ex certis domiciliis et fundis exuti, et alibi collocari, ubi aut in servitute vivant, aut non habeant certa hospitia. Et tamen tristiora nunc fiunt a Turcis. Vetustas raro distrahebat singulas familias, sed colonias deducebat, et familiis alias sedes distribuebat, ut simul viverent parentes, filii et filiae. Sed Turci distrahunt coniuges, parentes, filios et filias, et distractos vendunt vel interficiunt.

Deplorat autem Esaias hanc dissipationem decem tribuum, inquiens: Iniquitates nostrae sicut venti dissipaverunt nos. Cum autem videamus vastationes similes, petamus ut Deus mitiget poenas, et servet Ecclesiae reliquias.

Postea anno quartodecimo Ezechiae Sennacherib, exemplo patris conatur delere reliquias populi Dei, et vastat terram Iuda, et cingit obsidione Ierosolymam. Sed Esaia et Ezechia invocantibus Deum, subito miraculo Deus trucidat exercitum Assyrium.

Sequenti anno aegrotanti Ezechiae promittit Deus sanationem, et signum additur, Solis regressus. His miraculis Deus et consolatus est Ecclesiam, quae viderat antea tristissimum spectaculum, abductionem decem tribuum, et ostendit praesentiam suam in Ecclesia. Vidit autem Ezechias interitum regni Assyriaci post necem Sennacherib, et filii eius Asar Haddon, qui a Merodach interfectus est, qui deleta Ninive Assyriam rursus subiecit Babyloni.

Manasses regnavit in Iuda annos 55 impius et infoelix. Coluit idola, cremavit filios in sacrificiis in valle Hinnon, unde postea nomen factum est *Gehennae*, id est, vallis praedationis (ein Mördergrube) Prophetam Esaiam senem serra dissecuit. Cumque Chaldaei vastarent Iudaeam, ipse Manasses captus, et in Babylonem abductus est, ubi annos decem retentus est. Sed cum rursus ad Deum conversus esset, et peteret sibi remitti peccata, et mitigari poenas, rursus in regnum remissus est. Ac rediens delevit idola, quae coluerat. Fit igitur insigne exemplum salutaris poenitentiae. Et tamen Prophetae inter causas excidii Ierosolymae, quod sub Nabogdonosor sequutum est, numerant peccata Manassae. Quia consentaneum est, exempla eius multos et ipso vivo et postea imitatos esse. Ac poenae corporales veniunt, quanquam mitigantur, etiam cum culpa remissa est.

Amon regnavit in Iuda annos duos, fuit impius et infoelix, et coluit idola, nec patris poenitentiam imitatus est. Interfectus est autem a suis servis.

Iosias regnavit in Iuda annos triginta unum, pius et foelix, delevit idola, et restituit veros Dei cultus, et sacerdotum gradus et officia. Instauravit templum, et reperit librum Mosi in templo, et rursus proferri ac legi iussit.

Anno eius tertiodecimo *Ieremias* concionari coepit, qui annos quadraginta fuit in ministerio prophetico, usque ad excidium Ierosolymae. Et aliquanto diutius postea in Aegypto, ubi ab Aprye rege interfectus est.

Regnante Iosia pax fuit in Iuda. Sed ipse non necessarium bellum movit adversus *Necao* regem Aegypti, qui Assyriis bellum intulerat. Cum igitur in campo Mageddo vulnus accepisset, aliquanto post mortuus est. Estque exemplum Iosias pii Principis, restituentis veram doctrinam. Talium protectorem se esse Deus in ipsorum historiis ostendit, sicut inquit: Glorificantes me glorificabo etc. Sed tamen hi quoque ut est humana infirmitas, sua errata habuerunt, propter quae et ipsi puniuntur, sed Deus eis mitigat poenas, ut ostendunt historiae Assae, Iosaphat, Amaziae, Osiae, Ezechiae et Iosiae.

Ioachus regnavit in Iuda tres menses. Postquam enim Iosiam praelio vicit rex Aegyptius Necao, vastata Iudaea successorem Iosiae in Aegyptum abduxit, et interfecit.

Ioakim, vel Iehoiakim, regnavit in Iuda annos undecim, praefectus regno a Necao, fuit

impius et infoelix. Cumque Nabogdonosor bellum inferret regi Aegyptio, in quo interfectus est Necao, indixit tributum huic regi Ioakim, et abduxit multos Iudaeos in Babylonem, inter quos et Daniel, et alii quidam nobiles adolescentes abducti sunt, quos rex honeste educari et doceri curavit. Cum autem Ioakim postea rursus defecisset a rege Babylonico, reversus Chaldaeus coepit Ioakim, et eum interfici iussit, et proiici cadaver ante urbem Ierosolymam inter caetera cadavera, sicut praedixerat ei Ieremias, capito vicesimo secundo: Sepultura asini sepelietur.

Ioachin sive *Ieconias* regnavit in Iuda tres menses. Cumque Nabogdonosor urbem Ierosolymam obsidione cinxisset, suasit Ieremias contra exempla priorum Prophetarum, ut fieret deditio. Utrunque enim praedixit, futurum ut Ierosolyma deleretur, et abductos Iudaeos in exilio Deo curae fore, et post septuaginta annos redituros, et patriam politiam instauraturos esse. Huic prophetiae cum crederet Ieconias, fecit deditionem. Quare et ipse et alii multi Ieremiae consilium sequentes in Chaldaeam abducti sunt, quos ibi Deus protexit. Caeteri Prophetae inde usque a Iosue suaserunt defensionem, Ieremias dissuadet, et servatur Ecclesia novo modo, videlicet in exilio, cum disputarent impii, promissam esse defensionem stirpi *Iuda* in hoc ipso loco. Sed pii sapienter discernebant promissionem aeterni regni et suae politiae, et sciebant, Deum promissa praestare mirabiliter, et promissiones bonorum corporalium intelligendas esse cum exceptione castigationis et crucis. Hanc doctrinam in illo excidio politiae discebant, ut vera consolatione confirmati non deficerent a Deo, et expectarent reditum divinitus.

Zedechias regnavit in Iuda annos 11 impius et infoelix, defecit a rege Nabogdonosor. Rediit igitur Nabogdonosor, et urbem Ierosolymam cinxit obsidione integrum annum et menses septem. Etsi autem Ieremias suadebat deditionem, tamen pertinacia tanta fuit, ut defendere urbem conaretur, cum quidem fame intra moenia quotidie multi perirent. Sed confirmabatur furor a malis doctoribus, qui vociferabantur, non posse deleri regnum Iuda, quia in promissione dicitur: Non auferetur sceptrum et doctor de Iuda, donec venerit Siloh. Nec tamen cogitabant, Deum mirabiliter praestare promissa. Et in promissionibus corporalibus exceptionem castigationis et crucis intelligi oportere. Servavit autem Deus etiam in exilio regiam posteritatem, et populum magnis miraculis servavit et ornavit, quibus et quatuor reges ad agnitionem veri Dei conversi sunt: Nabogdonosor et filius eius, Darius Medus et Cyrus. Non igitur defuerunt duces et doctores huic populo, cum dederit Deus exiguo tempore illustres doctores, Danielem, Ezechielem, et deinde alios, et manifestis miraculis ostenderit suam praesentiam in hoc populo.

Capta autem urbe rex Zedechias ex fuga retractus est, et ad regem Babylonicum adductus, ubi filii eius interfecti sunt, et pater effossis oculis Babylonem abductus est. Abducta est et maxima pars populi in Chaldaeam.

Nominatim autem iusserat rex parci Ieremiae, et ei concessum est manere in patria cum reliquiis populi, quarum tamen rabies tanta fuit, ut inter sese dimicarent, et contra mandatum Dei, quod eis Ieremias exposuit, in Aegyptum descenderent, ubi partim fame, partim crudelitate regum Aegyptiorum perierunt. Ita in poenis furor est summa poena, et calamitates auget.

Haec tota historia plena est exemplorum multiplicium. In poenis et furoribus impiorum cernitur ira Dei. Rursus et misericordia cernitur, cum inter tantas calamitates reliquiae Ecclesiae mirabiliter a Deo serventur, sicut inquit Ieremias: Misericordiae Domini, quod non consumpti sumus. Videmus autem et nos hoc tempore ruinas imperiorum et alias calamitates. Quare agnoscamus iram Dei, et conversi ad Deum petamus et expectemus poenarum mitigationem, et Ecclesiae conservationem.

Tempus exilii tribus Iuda in Chaldaea post destructionem Ierosolymae et templi, fuit annorum 70 usque ad Cyri edictum, ut suo loco dicemus, in secunda monarchia. Nam adhuc recitamus res praecipuas, quae tempore primae monarchiae acciderunt, quo tempore fuerunt florentissima regna Chaldaeorum, Assyriorum, Aegyptiorum, Ierosolymae et Samariae.

Iam in exilio considerentur testimonia praesentiae Dei in Ecclesia, quae ostendit Deus, ut confirmarentur pii adversus alios, qui vociferabantur, Iudaeos cum amisissent regnum, patriam et templum, nihilo magis curae esse Deo, quam alias gentes, ut iudicant homines ex adversis vel secundis rebus. Sed statim cum adoratio statuae mandabatur, ostendit Deus praesentiam suam,

servatis iis, qui propter confessionem in flammas coniecti erant, ubi simul conspectus est filius Dei inter tres viros.

Accesserunt et alia multa miracula, interpretationes somnii de ordine regnorum, de poena Nabogdonosor, et restitutione eius, de poenitentia eius, et haud dubie alia multa illustria testimonia praesentiae suae in Ecclesia Deus ostendit, quae consideremus, et ut sciamus, quae et ubi fuerit Ecclesia, et qualis fuerit in cruce, et discamus discrimen Ecclesiae et imperiorum politicorum. Ac saepe legatur integra Danielis historia.

Confirmant autem nos quoque his temporibus haec miracula, quia testantur, doctrinam Prophetarum veram esse, et ibi tantum esse veram Ecclesiam, ubi recipitur doctrina prophetica. Nam Iudaei post deletam a Tito Ierosolymam non retinent Danielem, qui praedixit, Christum stante politia Mosaica venturum esse, et numerum annorum expressit. Praedixit et futurum esse, ut interficiatur, et tamen tollat peccatum et mortem, et deinde politiam Iudaicam interituram esse, et Iudaeos non fore populum Dei. Has prophetias omnes Iudaei scelerate corrumpunt.

Monemur autem et hoc exemplo, ut quaerentes Ecclesiam non solum spectemus, qui retineant scripta prophetica, sed qui retineant ea sine corruptelis. Ut Papa et haeretici falso iactitant, se retinere scripta prophetica et apostolica, quia affingunt peregrinas opiniones.

Legantur et conciones propheticae eius temporis, apud Ezechielem, Danielem, Haggeum, Zachariam, Esdram. Ac de vaticinio Danielis, et de 70 hebdomadibus infra dicetur. Valde prodest etiam ad consolationem piorum, considerare insignia exempla conversionis regis Nabogdonosor, Darii, Cyri. Quam illustre exemplum est regulae: Gratia exuberat supra peccatum, conversio regis Nabogdonosor? Interfecit hic rex multos sanctos, deleverat templum, postea mandavit adorari statuas, coniecit in ignem viros sanctos, taxantes impios cultus. Tanta delicta attraxerunt horribilem poenam, a qua tamen Deus eum propter preces sanctorum liberavit. Et postea commonefactus hac poena audit Prophetas, et verum Deum agnoscit, et ad eum convertitur, ac recipitur, quanquam tanta fuerat moles peccatorum, ut magnitudo non cogitari satis possit. Sic igitur cogitate: Ostendit Deus iram suam adversus tantos reges, Davidem, Manassem, Nabogdonosor, quare nos quoque iudicium metuamus, et vere expavescamus agnitione nostrorum delictorum. Et cum receperit Deus contaminatos tam horrendis sceleribus, non dubitemus gratiam exuberare supra delictum, et filium Dei potentiorem esse toto regno peccati.

Discamus etiam recte intelligere dictum Danielis ad regem: Peccata tua remove iusticia, et iniquitates tuas beneficiis erga pauperes, et erit sanatio delictorum tuorum. Concio est poenitentiae, in qua prior pars praecipit conversionem: Abiice peccata, et convertaris ad iusticiam et beneficentiam erga iniuste oppressos. Sicut Esaias inquit: Desinite male facere, et discite recte facere. Secunda pars est absolutio, videlicet promissio remissionis peccatorum, quam oportet fide accipi. Ac in priore parte cum praecipitur conversio, non hoc dicitur, nostras virtutes mereri remissionem peccatorum, sed tantum traditum est praeceptum, in quo et verba recte intelligenda sunt. Regia concio est de toto Decalogo. Cumque nominatur Iusticia, comprehenduntur vera agnitio Dei, agnitio promissi salvatoris, et fides. Deinde praecipiuntur beneficia in gubernatione, ut cogitet, imperia a Deo constituta esse, ut foveant et tegant legitimam societatem, ac praesertim ut oppressae Ecclesiae opem ferant.

De regno Samariae.

Supra dictum est, post Salomonem dilaceratum esse regnum populi Dei, et a Iuda decem tribus avulsas esse. Ea dilaceratio regni et bella civilia adsidua peperit, et novos ac impios cultus. Quia reges Samariae, ne maior esset autoritas regum Iuda, propter templum et collegium sacerdotum, contra legem divinam instituerunt, ut in suo regno duobus locis, in Bethel et Dan, conderentur templa, ubi vituli aurei collocati sunt, ut significarent, ibi sacrificandum esse, et sacerdotes eo attrahebantur mercede, undique ex levissimis hominibus. Ita et doctrinae et cultuum depravatio regni mutationem sequuta est. Postea et alia ethnica idola, Baal et alia, addita sunt.

Quanquam autem in publica gubernatione talis depravatio a regibus instituta fuit: tamen Deus immensa misericordia in hoc impio regno excitavit excellentes Prophetas, Eliam, Elisaeum, Amos, Oseam, et alios, per quos Ecclesiam collegit, revocatam ad veri Dei agnitionem, et ad

veros cultus: Ita fuit Ecclesia sparsa etiam in regnum Samariae, quanquam ordinaria gubernatio erat impia, ut sub Pharisaeis et Zadduceis sparsi erant aliqui pii, Zacharias, Ioseph, et multi alii, qui recte senserunt, ut nunc sub regno pontificio aliqui sunt recte sentientes, qui confessionem ostendunt, quorum alii plus alii minus lucis habent. Et quidem Elias et Elisaeus magnos coetus docuerunt, annos amplius centum. Regnum vero duravit annos ducentos quadraginta quatuor. At Salmanassar Assyrius maximam partem populi abduxit, et collocavit familias in aliis regionibus, ubi aliquae retinuerunt veram doctrinam, et docuerunt multos inter Ethnicos. Tales fuerunt familiae Tobiae in Ninive, et Raguelis et Gabeli in urbibus Medorum. Et passim multas fuisse consentaneum est. Ita Deus mirabiliter ex decem tribubus aliquas Ecclesiae reliquas etiam inter gentes servavit, et voluit earum distractionem gentibus prodesse.

Manserunt et exiguae reliquiae decem tribuum in patria sede, sed dissipatae, et sine regno, ut in Osea praedictum est: Non faciam furorem irae meae, quia Deus ego sum in medio tui sanctus. Sed non ingrediar in civitatem, id est, cum promissionem tradiderim posteritati Iacob, servabo aliquas reliquias Ecclesiae in decem tribubus, nec penitus eas delebo, sed non intrabo in civitatem, id est, regnum destruam, nec amplius civitatem volo esse regiam sedem, nec defendam eam, sicut antea defendi.

Graecae historiae, quae ad tempus primae monarchiae pertinent.

Nomen *Iapeti* Graecis notum est, sed unde sit, ignorant. Liber Mosi narrat, eum esse filium Noe. Ex Iaphet natus est Iavan, a quo Graecos ortos esse nomen gentis Ionicae testatur. Et non dubium est, Prophetas cum nominant Iavan, intelligere Graecas gentes. Deinde ut fit in posteris et in diversis locis novae appellationes accesserunt.

Hellas est ab Hello, qui regnavit inter Dodonaeos, qui sunt a Dodanim, filio Iaphet. Nomen Graeciae recentius est, a Graeco, qui filius fuit Thessali. Sed veterem Ionicam gentem excelluisse sapientia et virtute, magnitudo urbium et coloniarum multitudo, et vetusta Homeri scripta ostendunt.

Sunt autem anni a diluvio Noe usque ad bellum Troianum circiter mille, quod ad tempora Saul refero. Inde intelligi potest, Graecam historiam multo recentiorem esse Mosaica. Etsi autem vetustiora quaedam recensentur ante bellum Troianum, tamen illa non multis annis antecedunt. Nihil est clarius Argonautica expeditione. Sed hanc antecesserunt Erechtheus Atheniensis, qui clarus factus est repressione Thracum, qui Atticam invaserant. Item *Perseus*, qui bellum gessit cum Persis, et Gorgonas occidit in Libya. Postea et Cadmus ex Phoenicia in Boeotiam navigavit, et nomina indicant originem. Cadmus enim lingua Phoenicum significat orientalem. Nomina Semele et Ino fuerunt appellationes simulacrorum. Semele prorsus significat effigiem seu simulacrum. Ino fortunam. Theba navim. Etsi autem illae vetustae narrationes plenae sunt fabularum, tamen nihil dubium est, multas res veras illis involucris significatas esse. Argonautica expeditio postea celebratior est, ad quam praecipui Principes ex universa Graecia convenerunt, qui in Colchicam ad Vellus aureum dicuntur profecti esse, id est, ad venas metallicas. Nam hodie quoque sunt in illa vicinia locupletes venae. Ac fieri potest, ut profectionis occasio fuerit crudelitas Aeëtae regis Colchicorum adversus Phryxum et eius filios. Fuitque propemodum talis praestantissimorum Principum, ultro suscepta militia, qualis fuit Principum Germanicorum, Gallicorum et Italicorum, qui duce Godefrido Bilionaeo recuperarunt Ierosolymam, quorum virtute diu repressi sunt Turci, ut tardius potiti sint Asia et Graeco imperio. Fuit autem Godefridus dux Lotharingiae, ut suo loco dicemus, in eadem natus familia, in qua nati sunt duces Bergenses et Iuliacenses. Nomen autem *Argo* certam figuram navis significat, et Argonautarum expeditio collocanda est in tempus vicinum aetati Samsonis, cuius coaetaneus fuit Hercules. Caetera de Argonautis legenda sunt in carmine Apollonii.

Sequitur Argonauticam expeditionem Thebana historia, plena horribilium exemplorum. Duxerat ignarus matrem Oedipus, qui postea hiatu terrae absorptus est, et filii de regno dimicantes, mutuis vulneribus interfecti sunt. Mater iacens inter filios vulneratos, sibi ipsi mortem consciscit. Filius Polynicis Thersander, qui Thebis potitus erat, postea in expeditione Troiana interficitur a Telepho. Ita rerum series ostendit, non lon-

gum intervallum esse inter Oedipi tempus et Troianum bellum. Et poenae scelerum commonefaciunt lectores de iudicio Dei.

De bello Troiano.

Troianum bellum vicinum esse temporibus Davidis, intelligi inde potest, quia ab initio regni Albani, ad Romae initium trecenti anni sunt, ut Vergilius inquit: Hic iam ter centum totos regnabitur annos. Sunt autem ab initio Romae anni retro numerati, videlicet ab anno Achas decimo ad regni Davidis initium, anni trecenti viginti duo. Quare etsi numerum de Troia non exacte quaero, tamen hoc ostendi potest, Ebraeam historiam multo esse antiquiorem Graeca, et Troianum bellum non multo prius fuisse Davidis temporibus. Haec collatio eo prodest, quia ostendit Ebraeam historiam et doctrinam Ecclesiae multo vetustiorem esse rebus Graecis. Legatur autem historia Troiana ex Homero. Et causa consideretur, videlicet adulterium Paridis. Deinde et Principum dissimilitudo, virtutes, scelera, discordiae, poenae vagatae per omnes familias, et mutatio regnorum Asiae, Graeciae et Latii. Ita cum ex uno bello magnae calamitates in utraque parte sequutae sint, agnoscamus, bella horribilem poenam esse, et non temere movendas esse Respublicas.

Reliquias Troianas duxit Aeneas in Latium. Antenor Henetos vicinos Troianorum in Illyricum et Istriam. Achilles et Aiax duo fortissimi viri, et orti ab Aeaco, sic perierunt, ut Achilles ab ignavo Paride per fraudem interfectus sit. Aiax furens sibi mortem conscivit. Palamedes qui antecelluit sapientia, ab Ulysse per calumniam oppressus est. Agamemnon reversus domum a coniuge incesta interfectus est. Ulysses diu vagatus, tandem domi a filio Telegono, qui ei ex Circe natus fuerat, occisus est. Diomedes a patria repulsus in Italiam venit, ubi socii dicuntur in aves conversi esse, quo significatum est. Piratas eos factos, et paulatim interfectos esse. Fuit igitur bellum Troianum vere ἴλιας κακῶν, non tantum ipsis Troianis, sed etiam multis aliis gentibus.

De veteri doctrina Ionum, Atticorum et Vicinorum. De Sibyllis, Atlante, Orione, Lino, Orpheo, Musaeo, Homero et Hesiodo.

Cum a diluvio Noae sint anni ad Troianum bellum circiter mille, consentaneum est, filium Noae Iaphet et eius posteros aliquandiu retinuisse doctrinam a patre traditam, quam et Sem retinuit, praesertim ante longinquas peregrinationes et bella. Occubavit autem posteritas Iavan Ioniam, ubi extincta doctrina patrum de filio Dei, tamen plus fuit literarum, disciplinae civilis, et artium, quam alibi. Sed Ethnici nihil recitant vetustius Sibyllis, quas fuisse multas credibile est. Nomen enim significat Vatidicam, Σίος Deus, βουλή Consilium. Sic appellatae fuerunt mulieres, quae habuerunt sua quaedam vaticinia, sive accepta a piis maioribus, sive quoquo modo Daemonum praestigiis sparsa. Citantur carmina Sibyllarum, quorum aliqua existimo retenta esse ex doctrina patrum, ut sunt quae congruunt cum Decalogo, de fugiendis idolis, homicidiis, adulteriis, incestis libidinibus, furtis et mendaciis. Haec carmina cum posterior aetas negligeret, rursus dicuntur a Phocylide aliqua ex parte collecta esse, et eius nomine in populo deinde repetita.

Sciant autem iuniores, aliud doctrinae genus esse Legem, aliud Evangelium, id est, promissionem de filio Dei. Ac gentes amantes disciplinam, quia lex natura nota est, ex naturali iudicio multas honestas sententias de moribus tradiderunt. Sed credibile est, has quoque multa legis dicta a patribus accepta retinuisse. At doctrina de filio Dei apud Ethnicos extincta fuit. Quod autem Lactantius citat quosdam Sibyllinos versus de Christo, si non falso tribuuntur Sibyllis, consentaneum est, acceptos esse a patribus tunc, cum adhuc doctrina de filio Dei nota esset.

Atlas dicitur ex Libya doctrinam de coelestibus motibus et stellis in Graeciam attulisse, cuius auditorem fuisse Orionem in Boeotia scribitur, a quo pulcherrimo sideri nomen inditum est, quia Graecis annum ordinavit. Et consentaneum est, metas anni scriptas esse ab ortu et occasu Orionis, Pleiadum et Sirii, quia maxime conspicuae sunt hae stellae inter minores. Nomen Orionis, ut ego existimo, est ab ὥρα, quod significat differentias temporum anni, Ver, Aestatem, Autumnum, Hyemem. Grammatici derivant ab οὖρον, id est, ab urina, quia cosmicus occasus in Novembri ciet saevas tempestates. Unde Vergilius inquit: Saevus ubi Orion hybernis conditur undis.

Linus quo tempore fuerit, inde intelligi potest, quia Herculem literas et musicam docuit, Quem cum obiurgaret, adolescens iratus tabulam,

in qua literas pinxerat, capiti Lini illisit, quo ictu Linus mortuus est. Scribunt hunc ex Phoenicia doctrinas in Graeciam attulisse. Reliqui habentur pauci ipsius versus, quorum hic celebratissimus est: *Ῥάδια πάντα Θεῷ τελέσαι, καὶ ἀντήνυτον οὐδέν.*

Orpheus Lini auditor, fuit comes Argonautarum. Scripsit bella Titanum, et expeditionem Argonautarum. Scribitur discerptus esse a mulieribus in Thracia, superstitione aliqua, quia mutaverat leges.

Homerus vixit post bellum Troianum, cum essent exacti anni centum et quinquaginta, et ante conditam Romam annos circiter centum et quinquaginta. Non procul abest ab Esaiae tempore. Eius carmen ostendit Principum familias eius aetatis, et pingit imagines variarum personarum, consiliorum, et mirabilium eventuum in vita. Quae imagines sunt exempla et commonefactiones de multis magnis rebus. Simul etiam dulcedo carminis Homerici ostendit, in Ionica gente excellentem fuisse linguae suavitatem, et magna doctrinarum studia.

Hesiodus vixit, cum anni centum post Homerum exacti essent, aliquanto ante tempus exilii Babylonici. Fuit sacerdos templi Musarum in Helicone. Nam Ascra Hesiodi patria ad radices montis Heliconis sita fuit. Scribit Pausanias, eius carmen adhuc suo tempore in plumbeis tabulis in eo templo servatum esse. Est autem partim concio de moribus, partim anni descriptio, seu ut nos nominamus, Calendarium. Ac talem fuisse ethnicorum sacerdotum doctrinam apparet, videlicet praecepta de moribus, et qualemcunque anni descriptionem, sumptam ab ortibus et occasibus stellarum. Vetustas et alium librum Hesiodi habuit, Astrologicum videlicet, quem Plinius citat, in quo plurium stellarum descriptiones fuisse apparet, quam in eo libro qui adhuc extat. Fuit igitur vetus sapientia Graeciae particula legis de moribus, cum natura nota, tum accepta a patribus. Item, Inquisitio herbarum et remediorum, consideratio stellarum, et qualiscunque anni descriptio. Et in his doctrinis praecipuam partem a Phoenicibus et Aegyptiis accepit, ad quos multi navigarunt.

Hesiodum scribunt senem interfectum esse ab hospitibus, seu errore seu praedae causa. Considerentur autem multorum excellentium virorum tristes interitus, quorum apud Ethnicos saepe causa fuit confirmatio idolorum, ut mortis Orphei et Hesiodi. Etsi autem fit mentio multorum aliorum vatum et scriptorum in hac antiquitate primae monarchiae, tamen eos omitto. Utcunque enim ex horum monumentis, quos recensui, intelligi potest, quae fuerit vetus Graeciae sapientia, quod considerandum est.

Simul autem necesse est mente cogitare, quid intersit inter Ethnicorum et Ecclesiae sapientiam, et ubi et quae interea fuerit Ecclesia Dei. Amiserunt enim gentes doctrinam de promissione mediatoris, et paulatim lex apud Ethnicos obscurata est, et magni furores in excogitandis idolis et libidinibus recepti sunt.

De initio urbis Romae.

Anno mundi 3212. anno primo septimae Olympiadis, die 21. Aprilis, videlicet quo Palilia celebrabantur, urbem Romam condere coeperunt Romulus et Remus, nati ex Rhea Sylvia, Numitoris regis Albani filia. Plutarchus initium collocat in annum tertium sextae Olympiadis. Etsi autem exigua differentia est, unius nempe anni, tamen potius sequimur Dionysium Halicarnassensem. Fuit autem annus primus septimae Olympiadis annus 10. Achas regis Iuda, qui proxime antecessit Ezechiam, suntque ab initio urbis Romae ad natum Christum ex virgine, anni septingenti et quinquaginta.

Quae fuerit forma primae gubernationis regiae, quae urbis incrementa, quae legum et Magistratuum mutationes inciderint, quanta fuerit civium virtus, quae bella, quam varii motus domestici, donec ea urbs monarchiam orbis terrarum adepta est, Ac deinde quomodo luxu, bellis civilibus, et fatali orbis mutatione rursus amiserit et virtutem et imperium, ex integris historiis cognoscendum est. Qua in lectione considerandum est, magna imperia divinitus constitui, ne fiant infinitae dissipationes hominum assiduis vastationibus et latrociniis, sed aliquo modo societas generis humani conservetur, et aliquantisper familiae in iisdem sedibus maneant, sint leges, coniugia, procreatio et educatio sobolis, iudicia, disciplina, artes, praecipue vero ut et Ecclesia habeat hospitia. Simul autem Deus per imperia et punit latrocinia et alia scelera, et prohibet, ne iniusti reges et gentes latius grassentur.

Constituit autem Deus imperia mirabiliter. Etsi enim armat virtute aliquos insignes duces,

tamen in tanta infirmitate humana experiuntur hi ipsi, humana consilia et vires humanas non sufficere ad constituenda et retinenda imperia. Sed fatentur omnes non furiosi, veram esse vocem Danielis: Deus transfert et stabilit imperia.

Persica potentia complexa erat florentissimam partem orbis terrarum, et erat instructa ingenti multitudine et robore hominum, et divitiis ingentibus. Hanc tantam potentiam evertit adolescens, natus in horridis montibus Macedoniae, quod fieri non potuit, nisi Deo et armante ducem, et gubernante eventus.

Quid mirabilius est, quam urbem Romanam, cum esset tam turbulenta, et quassaretur subinde domesticis discordiis, et saepe ab externis hostibus vinceretur, tamen monarchia potitam esse? Sed Deus subinde aliquos duces dedit, virtute praestantes, et eventus gubernavit, Camillum, Fabios, Scipiones etc. Voluit enim regum tyrannides punire, et in ea urbe collocare imperii arcem, sicut scriptum est: Propter iniuriam regnum a gente in gentem transfertur. Et magnam opulentiam ac potentiam comitantur luxus, superbia, discordiae, et alia scelera, quae poenas et mutationes imperiorum attrahunt, sicut dictum est: Nam caetera regna, luxuries viciis odiisque superbia vertit. Intuentes igitur imperia cogitemus de iusticia Dei, punientis scelera, et de bonitate eius, conservantis aliquam societatem generis humani et ordinem, ut colligi Ecclesia possit, et veris gemitibus petamus, ut det nobis salutaria imperia, et caveamus, ne nostris furoribus turbentur.

Initio Roma gubernata est a regibus, annos 244, teste Livio, quem in Romana historia sequi rectissimum est. Apud ipsum etiam rerum gestarum series legenda est, et considerandum, crevisse potentiam foris militari labore et disciplina: domi vero modestia et iusticia gubernationis, et ordinum ac onerum distinctione. Postea propter tyrannidem et libidines pulsam esse familiam regiam, sicut saepissime causae mutationum in imperiis libidines fuerunt, iuxta dictum universale: Omnis anima quae fecerit abominationes has, eradicabitur. Hic breviter nomina regum adscribemus.

Romulus regnavit annos triginta octo.

Numa annos quadraginta tres.

Tullius Hostilius triginta duos. Hic delevit Albam, et cives Romam migrare coëgit. In his fuit et familia *Iulia*, ab Iulo orta, quae regnum Albae tenuerat. Ideo dixit Homerus, Aeneae posteritatem regnaturam esse. Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.

Ancus Martius annos viginti quatuor.

Tarquinius Priscus annos triginta septem.

Servius Tullius quadraginta quatuor. In huius senectam incidit initium Persicae monarchiae, ut mox dicemus. Sed brevitatis causa hic omnium regum Romanorum nomina recitamus.

Tarquinius Superbus viginti quinque. Hic expulsus est regno propter filii scelus, qui Lucretiam per vim compresserat. Id exemplum notum sit inter libidinum poenas.

De secunda monarchia.

In fine primae monarchiae Deus etiam in regno Babylonico summos reges Nebucadnezar et eius filium ad Ecclesiae societatem ingentibus miraculis vocavit. Quia volebat his testimoniis ostendere, quae et ubi tunc erat vera de Deo doctrina et vera Ecclesia. Cum autem tertius a Nabogdonosor restitueret idola, et blasphemias caneret contra verum Deum, excussus est ex regno, et monarchia a Chaldaeis ad Persas translata est.

Hac translatione Deus simul et punivit blasphemum regem, et Ecclesiam exulantem reduxit in patriam, ne si finis non esset dissipationis, gens Iudaea funditus periret, quam voluit Deus habere certam sedem et politiam, ut sciretur, quae et ubi esset vera de Deo doctrina et Ecclesia, et ubi vellet nasci, conspici et audiri Messiam.

Legatur autem apud Danielem historia de causa translatae monarchiae, de blasphemiis Baldassari, et de manu scribentis in pariete tria verba, quae significant, circumactis periodis regnorum deficere autoritatem, et mox sequi discordias, quae sunt exitiosae imperiis. Quomodo autem congruant appellationes regum Persicorum a Graecis recitatae, ad Danielem et Esdram, initio breviter dicam.

Graeci Persicos Reges sic numerant:

Cyrus regnavit annos viginti novem.

Cambyses annos septem, menses quinque.

Darius, filius Histaspis, annos triginta sex.

Xerxes annos viginti.

Artaxerxes Longimanus quadraginta.

Darius Nothus novendecim.

Artaxerxes Mnemon quadraginta.

Ochus annos viginti sex.
Arsames annos quatuor.
Darius ultimus annos sex.

Apud Danielem Darius Medus nominatur ante Cyrum. Iosephus hunc Darium inquit esse Cyaxarem filium Astyagis, quod consentaneum est. Nam et Xenophon Cyrum Cyaxari adiungit. Ordo igitur hic est apud Metasthenem:

Darius et *Cyrus* simul regnarunt annos duos.
Postea *Cyrus* solus annos viginti duos.
Artaxerxes Assverus annos viginti.
Darius Artaxerxes Longimanus annos triginta septem.
Darius Nothus annos novendecim.
Artaxerxes Mnemon quinquaginta quinque.
Ochus annos viginti sex.
Arsames annos quatuor.
Darius ultimus annos sex.

In hoc catalogo Metasthenis pleraque nomina cum Graecorum enumeratione congruunt. Duo autem omissi sunt, Cambyses et Xerxes, quia Cambyses regnavit vivente patre. Cum igitur non liceret extra regnum proficisci regem cum exercitu, nisi domi prius rege creato, Cyrus ducturus exercitum in Scythiam, filium Cambysem creat regem Persarum. Ita anni Cambysis, qui regnavit absente patre, attribuuntur Cyri annis. Post Cyrum hic nominatur Artaxerxes Assverus, qui est Darius filius Histaspis, quem scribit Herodotus habuisse coniugem filiam Cyri Atossam, et nominat inter concubinas Artistonam, quam ait valde dilectam fuisse a Dario. Hanc consentaneum est fuisse Esther, cuius historia est in Bibliis.

Post Darium filium Histaspis nominant Graeci Xerxen, qui celebratissimus est propter magnitudinem exercitus, quem duxit in Graeciam. Videtur autem ideo hic omissus, quia eo discedente domi regnavit filius Artaxerxes Longimanus, cui familiaris fuit Esdras. Et post bellum Xerxes statim interfectus est, cum fratrem interfecisset, et haberet incestam consuetudinem cum eius coniuge et filia.

De Cyro primo rege Persico.

Cum imperia divinitus constitui et transferri certum sit, sicut Daniel inquit: Deus transfert regna et stabilit, sciamus etiam Principes aliquos excellenti sapientia et virtute a Deo ornari, et singularibus motibus regi, ut sint foelices in gubernatione, et salutares generi humano, prosint Ecclesiae, muniant honestam societatem hominum, legibus, iudiciis, poenis, disciplina, commerciis multarum gentium. Tales Principes divinitus instructos excellentia virtutum et foelicitate nominant Graeci viros heroicos. Suntque et in historiis et in quotidiana vita consideranda discrimina gubernatorum heroicorum, mediocrium, et tyrannorum, ut opera Dei discernantur ab operibus diaboli, et vasa misericordiae a vasis irae, et ut beneficia divina grati celebremus, et furores tyrannicos detestemur. Et multae insignes admonitiones sunt in singulorum historiis. Quanta virtutum praestantia est in Samsone, Hercule, Davide, Alexandro? Hi tamen et tetros lapsus habent, et in horribiles calamitates inciderunt. Haec spectacula nos admonent de nostra infirmitate, de modestia, ne ruamus extra metas, et de invocatione Dei, ut ardenter petamus, nos a Deo regi et iuvari. Multae liberationes in periculis iustorum, in vocatione susceptis, et subitae eversiones florentis potentiae superborum, qui movent bella non necessaria, manifesta testimonia sunt praesentiae Dei. Ut, Croesus fiducia potentiae infert bellum Cyro, gerenti iustum bellum adversus tyrannum Babylonicum, qui Gobryae filium occiderat, et in alios crudelitatem exercuerat.

Sic igitur hae historiae legantur, ut mentes simul praesentiam Dei, et multa opera divina considerent. Cyrus expositus, ut fame moreretur, divinitus servatur, quocunque modo id factum est. Postea optima disciplina Persica ad virtutem adsuefactus est. Cumque velim omnibus notissimos esse libros Herodoti et Xenophontis, non inseram eorum narrationes huic brevi commemorationi. Danielem familiarem fuisse regnanti Cyro manifestum est. Arbitror autem et tunc, cum rexit Persiam Daniel, praeses in Susis, fuisse eius auditorem Cyrum adolescentem, et ab eo didicisse veram de Deo et de Messia doctrinam, et praedictiones Esaiae, in qua nomen Cyri expresse positum est.

Inter disciplinae exempla recitat hoc Xenophon, quod docet, leges anteferendas esse propriis opinionibus. Exercebant iudicia adolescentes, et postea sententiarum rationem magistro reddebant. Venerant autem in iudicium duo, quorum alter procerior detraxerat tunicam longiorem breviori adolescenti, et ei curtam tradidit. Cyrus audita utriusque oratione, iussit procerum

tenere longam tunicam, alterum curtam. Propter hanc sententiam plagas accepisse Cyrus traditur, quia iusticia est aequalitas, non quae nobis videtur, sed quam lex ordinat. Haec autem facit hanc aequalitatem, ut suum quisque teneat, et prohibet furta et rapinas.

Egressus ex adolescentia fuit socius regis Cyaxaris, qui a Daniele nominatur Darius Medus, et magna bella gessit annos amplius viginti, antequam coepit Babylonem. Nam rex Assyrius Medis bellum intulerat, et hic socium habebat Croesum. Nominat autem regem Assyrium Herodotus Labynitum, qui existimatur esse Baldassar apud Danielem. Quia vero res Lydorum et Ioniae Graecis notiores fuerunt, bellum Ionicum copiosius descriptum est. Fuit autem eo tempore florentissima Ionia, et urbibus, ingeniis et artibus ornatissima. Sed a Cyro et Harpago multae magnae urbes deletae sunt, fueruntque tantae calamitates, ut multitudo navigiis ex urbibus fugiens, ultro se in mare demerserit. Apparet autem libidinum confusiones causam fuisse tantarum poenarum.

Eo tempore Phocea Ionica urbe circumsessa ab Harpago, cives deserta patria navigarunt in Occidentem, et Massyliam in littore Gallico condiderunt, ubi longo tempore Ionicam linguam et doctrinas retinuerunt, et iusticiae ac disciplinae laude excelluerunt. Nomen est ab *ἁλία*, id est, nave piscatoria, et *μᾶσαι*, id est, alligare vel quaerere, quod propter commoditatem portus eum locum navigantes elegerint.

Capto autem Croeso pepercisse hac occasione Cyrus scribitur. Cum in rogum impositus ter clamasset: O *Solon*, Cyrus miratus, cur in extremo articulo vitae hanc vocem sonaret, iussit eum liberari. Ibi Croesus interrogatus narravit suum et Solonis colloquium, qui dixerat, neminem ante vitae finem beatum esse indicandum, quia singulis ante mortem tristia multa accidere possent. Haec cogitantem ait se deplorasse suam stulticiam, quod confisus praesenti potentia, bellum Cyro intulisset, tunc non cogitans fortunae inconstantiam, cum quidem et oraculo recte monitus esset, se beatum fore, si sese nosset. Quo cum indicasset se moneri, ne quid moveret: tamen ab adulatoribus incitatum se esse, qui oraculum sic interpretati essent, ut potentiam suam cogitaret maiorem esse Cyri potentia, et permotum esse, ut bellum moveret. Haec cum Cyrus audivisset, servavit eum, et inter viros honoratos et amicos secum habuit.

Nominatur ergo Croesus inter exempla inconstantiae fortunae. Sed causa magis consideranda est. Errore movetur, ut bellum non necessarium moveat, ita calamitatem attrahit. Docet igitur, ne res magnas sine necessitate moveamus, sed simus memores nostrae infirmitatis, et necessaria faciamus, sicut praeceptum est: Subditus esto Deo, et ora eum etc. Item: Commenda Deo viam tuam etc.

Notae sint et memorabiles sententiae in hac historia. Apud Herodotum inquit Solon, pag. *β*. versu ultimo: *πᾶν ἐστὶ ἄνθρωπος συμφορῆ*, id est: Homo hoc totum quod est, est obnoxium multis calamitatibus et adversis casibus. Apud Xenophontem oraculum recitatur: *Σαυτὸν γινώσκων εὐδαίμων Κροῖσε περάσεις.*

Post bellum gestum adversus Ionios et Lydos Cyrus Babylonem coepit obsidere, quam cum occupasset, tenuit iam duo maxima regna, Lydium et Babylonicum, et antecelluit potentia omnibus regibus generis humani. Etsi igitur res magnas gessit Cyrus ante occupatam Babylonem, tamen initium monarchiae Persicae constitutum est hac victoria, qua summam arcem imperii Babylonem coepit. Et anni septuaginta exilii Iudaeorum hoc anno, capta Babylone, finiti esse scribuntur. Hic nominatur annus primus Cyri, scilicet monarchiae, post captam Babylonem, in 2. lib. Paralipom. et primo libro Esdrae.

Cum autem Cyrus victor, domitis duobus praecipuis regibus Asiam teneret, sciretque saepe gentes Scythicas in Asiam infusas esse, et magnas vastationes fecisse, ut Asia tuta esset, bellum Massagetis, qui vicini erant mari Caspio, intulit. Fuisse autem Massagetas Gothorum stirpem, nomen indicat, quod a Getis compositum est, et Mes. Fuerunt autem Mes et Gether posteri Sem, ut Genesis testatur. Ab illis Getas esse consentaneum est. Et vicini in illa regione fuerunt Massagetae, Suevi et Alani.

In hoc bello dum abest Cyrus, interea domi Cambyses regnat annos sex. Ita miscentur anni Cyri et Cambysis. Et quanquam Cyrus primo anno monarchiae post captam Babylonem laetissimum edictum de restituendis Iudaeis in patriam, et de instauratione templi et politiae Iudaicae ediderat, tamen postea filius Cambyses prohibuit reditum, quia bellum illaturus erat Aegyptiis, et

metuebat, ne Iudaei se Aegyptiis adiungerent. Ita novis consiliis diabolus impedivit reditum Iudaeorum, et Ecclesiae instaurationem. Fuerunt itaque in luctu pii, praesertim postquam Cyrus interfectus est.

Herodotus scribit, Persicum exercitum a Massagetis ingenti praelio victum esse, et simul in acie Cyrum interfectum esse, ac postea cadaveri caput praecisum esse, quod Tomyris regina in utrem plenum sanguine coniecit, addito hoc verbo cum contumelia et exprobratione crudelitatis: Quia sanguinem sitiisset, ibi humano sanguine saturaretur. Antea enim Cyrus et exercitum Massagetarum trucidaverat, et filium reginae coeperat.

Etsi autem inquit Herodotus, dissimiles esse sermones de Cyri morte, tamen utrinque magnos exercitus trucidatos esse consentaneum est. Et fieri potest, ut Cyrus Deum recte invocaverit, et fuerit verae Ecclesiae membrum, ac haeres vitae aeternae, didicerat enim a Daniele veram doctrinam, tamen ut Iosias moto non necessario bello, cladem acceperit, et inter exempla propositus sit, quae monent, non solum impios et iniusta moventes, a Deo everti, ut Pharaonem, Saulem, et alios innumerabiles, sed etiam electis, cum in fastigium venerunt, metuendos esse adversos casus, praesertim si fiant segniores, ut multorum praestantissimorum hominum sua quaedam sunt errata, quae comitantur poenae, ut Aaronis, Salomonis, Osiae, Iosiae. Et universaliter vult Deus omnes sanctos agnoscere infirmitatem humanam, et obtemperare, cum aut puniuntur propter certos lapsus, ut David, Salomon, Osias et alii multi: Aut singulari consilio Dei onerantur cruce et aerumnis, sicut scriptum est: Humiliamini sub potenti manu Dei. Item: Oportet nos similes fieri imaginis filii Dei.

Narrat autem Xenophon, Cyrum placide mortuum esse, et eius orationem recitat, qua ante mortem filios hortatur ad iusticiam et ad concordiam. Et addit commemorationem de immortalitate animae, et de praemiis et poenis sequuturis post hanc vitam. Ac iudicii divini et signum et testimonium esse affirmat, horrendos pavores conscientiae, qui sunt vindices scelerum, etiamsi quis humana iudicia effugerit.

Etsi autem magnum decus est, quod Deus Cyrum ad imperii fastigium vocavit, et prudentia, iusticia, fortitudine et aliis virtutibus, et foelicitate in rebus gerendis instruxit: tamen hoc longe maius bonum fuit, quod pectus eius ad agnitionem et invocationem veri Dei et Messiae flexit, et eius imperium voluit esse salutare Ecclesiae. Haec sunt summa bona gubernatoris, quia politiae debent esse hospitia Ecclesiae, et ministerium Evangelii et disciplinam tueri, iuxta dictum: Reges erunt nutritores tui. Et Psalmus inquit: Aperite portas et Principes vestras, aperiamini portae mundi.

Optandum autem erat, plura de Cyro in Daniele extare, sed legamus quantum tradidit antiquitas, et virtutes Cyri diligenter in Xenophonte contemplemur. Nusquam irascitur in tota historia, non certat ambitione, cedit Cyaxari, ait se non effuse laetatum esse, *οὐδ' εὐφραίνεσθαι ἐκπεπταμένως.* Diligentia tanta fuit, ut non daret mandata incertis, ut negligens paterfamilias dicit: Eat aliquis ad aquam ferendam: Ligna aliquis secato, sed nominatim certis mandata dedit, et nomina meminit. Iussit praeconium fieri in bellis, ut parceretur agricolis, et quam minimum belli esset, *σμικρότατον τοῦ πολέμου λιπεῖν.* Iubet sic vincere, ut possessores maneant in suis possessionibus. Reprimi vult armatos hostes, et servari populum pacis cupidam.

De Ecclesia.

Anni supra ex Mose et historiis propheticis ordine sumpti sunt.

Anni ab initio mundi usque ad destructionem Ierosolymae 3355.

Adde 70 exilii Babylonici usque ad captam Babylonem a Cyro, et usque ad edictum Cyri de restitutione templi, anno mundi 3425.

Ut autem semper in serie temporum considerandum est, quae et ubi fuerit Ecclesia, quae habuerit testimonia, pericula, liberationes, certamina: ita nunc tempore monarchiae Persicae eadem consideranda sunt. Dictum est autem supra, fuisse Ecclesiam annis 70 in exilio et tristi servitute in Chaldaea, in qua tamen Deus ornavit eam illustribus testimoniis et ingenti gloria, liberatione virorum trium, qui in flammas coniecti fuerant, et aliis miraculis. Ac recens ante edictum Cyri Daniel inter leones servatus est.

Nunc laetissima reductio in patriam sequitur. Quanquam autem accesserunt multae miseriae, tamen monarchia Persica usque ad hoc tempus

minus aspera fuit erga Ecclesiam, quam aliae monarchiae. Cyrus anno primo post captam Babylonem edidit decretum, quo concessit Iudaeis reditum in patriam, et dedit mandata de instauratione templi, et attribuit reditus. Fuitque dux populi Iudaeorum Zorobabel, nepos regis Ieconiae. Deinceps enim sine regio nomine duces ex stirpe David populo Iudaeorum praefuerunt, et fuit summus sacerdos Iesus, filius Iosedek. Hos duos ductores magna multitudo comitata est, ut scriptum est in libro Esdrae. Hi reversi in Iudaeam rursus condere urbem Ierosolymam coeperunt, et fundamenta templi iecerunt.

Haec laetissima initia turbata sunt partim a vicinis Samaritanis, partim aulicis calumniis. Cum enim pater Cyrus bellum adversus Massagetas gereret, et Cambyses domi regnaret, inchoata aedificatio templi edicto Cambysis prohibita est. Et consentaneum est, calumniatores in aula hac usos esse occasione, quod cum bellum illaturus esset Cambyses Aegyptiis, disputatum est, Iudaeos ex Aegyptia stirpe esse, et cavendum esse, ne Iudaei se cum Aegyptiis coniungerent. Ita a Cambysis tempore usque ad secundum annum Longimani instauratio impedita est. Ac tum rursus nova consolatione populus per Haggaeum et Zachariam confirmatus est.

Etsi autem eductio ex Aegypto gloriosior est, et manifestis miraculis magis ornata, quia Deus voluit ostendere testimonia de lege, tamen non minus difficile fuit, dissipatas familias colligere, et inermes per tot inimicas gentes ducere, et inter hostes rursus extruere urbem, et collapsam Rempublicam restituere post annos septuaginta, quam olim fuerat cum valido exercitu alienam terram occupare. Utraque res ostendit Deum mirabiliter servare et regere Ecclesiam, et velle peti et expectari divinum auxilium, sicut et in hac ipsa restitutione consolatur Zachariam, anxium de defensione multitudinis, mulierum, puerperarum, infantum, senum, imbecillium familiarum, cum nondum haberent tecta, muros et praesidia, inquiens: Non in exercitu, non in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus. Item: Ego ero murus igneus circum eos.

Quo igitur in loco tunc fuerit Ecclesia, et quae habuerit testimonia, ostendit haec reductio, in qua multa sunt miracula. Tempus congruit cum vaticinio Ieremiae, qui praedixit, post annos 70 populum rediturum esse. Et Danielem fuisse Prophetam, a Deo missum, recens protectio inter leones ostendit. Erant igitur Ecclesia Dei, ipsius auditores, qui professus est doctrinam in libris Prophetarum traditam, et hanc ita illustravit, ut non solum dixerit, quale futurum esset regnum Messiae, et quae beneficia, sed etiam numerum annorum expressit, intra quos Messias pro genere humano futurus erat victima. Haec concio praecipuam Evangelii doctrinam complectitur.

Ac valde prodest omnibus hominibus hanc ipsam concionem notissimam esse, quae quidem et perspicue refutat Iudaeos. Quia cum affirmet, stante politia Mosaica venturum esse Messiam, non dubium est, errare Iudaeos, qui nondum venisse Messiam vociferantur. Saepe igitur legatur caput nonum Danielis, ubi scriptum est: „Septuaginta hebdomades decretae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut finiatur praevaricatio, et obsignetur peccatum, et fiat propiciatio pro peccato, et adducatur iusticia sempiterna, ut compleatur visio et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo et considerato: Ab exitu sermonis, ut iterum habitetur et aedificetur Ierusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum habitata erit, et aedificata platea Ierosolymae, et muri, in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit populus, et civitatem et Sanctuarium destrúet populus Ducis venturi, et finis eius inundatio, et finis belli definita vastitas. Et confirmabit testamentum multis hebdomade una, et in dimidio hebdomadis deficient hostia et sacrificium, et erit super alas abominatio vastationis perpetuae, et definita vastitas effusa erit.

In hoc vaticinio et beneficia Messiae recitantur, et mors Messiae praedicitur, et tempus adventus exprimitur. Hebdomades enim intelligendae sunt annorum hebdomades, ut in Levitico capite 25. textus loquitur. Sunt igitur hebdomades septuaginta anni 490.

Dicit autem Daniel: Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, sic tamen, ut in dimidio hebdomadis confirmet testamentum, id est, doceat et testimonia ostendat, et deinde patiatur et resurgat.

Significat autem Daniel, unde sit inchoanda numeratio, cum ait: Ab exitu sermonis, ut iterum habitetur et aedificetur Ierusalem. Haec

sermonis egressio non intelligatur Cyri decretum, quia tunc aedificatio rursus prohibita et impedita est, usque ad Darii Longimani gubernationem. Ad hoc intervallum accommodant aliqui dictum Iohannis 2.: Quadraginta sex annis aedificatum est hoc templum. Sed de eo dicto Iohannis hic non disputo.

Sumatur autem initium hebdomadum ab eo tempore, cum abolitis prohibitionibus iam processit aedificatio, sitque initium ab egressione sermonis, de processuro opere, cum Haggaeus et Zacharias vaticinantur opus processurum esse anno secundo Longimani, et postea Esdras mittitur anno 7. Longimani.

Concinnius est autem egressionem sermonis de divino sermone intelligi, qui per Haggaeum et Zachariam traditus est. Quanquam adiungi Esdrae missio potest, quae non longo intervallo sequitur. Sunt autem a secundo anno Longimani usque ad mortem ultimi Darii iuxta Metasthenem, anni 145. Adde iuxta Philonem usque ad tricesimum Herodis, quo natus est Christus, annos 310. Adde 30 annos ad Baptismum Christi, ita erunt anni 485. Iam 69 hebdomades annorum sunt anni 485. Sunt igitur ad Christi Baptismum 69 hebdomades, et in dimidio ultimae Christus publice concionatus est, ostendit testimonia, passus est, et resurrexit. Ita in Pentecoste proxima post resurrectionem Christi finis est hebdomadum Danielis. Nam postea Iudaica politia reiecta est, templum a Deo damnatum est, et magis magisque prophanatum, donec tota gens sub Tito dissipata, et templum funditus deletum est.

Haec computatio tantum quinquennio differt a Functiana, qui orditur hebdomades a septimo anno Longimani. Nec absurdum est, adiungere Esdrae missionem ad Haggaei et Zachariae vaticinia. Et si Ptolemaei numeros sequaris, ab Alexandri morte usque ad Augustum, invenies a morte Alexandri ad natum Christum annos 324, quibus si addes Persicos annos regni Alexandri post Darium, tamen incurrent hebdomades in annos Christi.

De studiis doctrinarum in Graecia.

Primi in Graecia doctores, qui vel de natura rerum, vel de moribus, vel de historiis scripta monumenta ediderunt, plerunque carminibus usi sunt, ut Linus, Orpheus, Homerus, Hesiodus. Fuerunt igitur primi scriptores Poëtae. Deinde alli doctores orti sunt, qui complexi sunt omnes artes, Arithmeticam, Geometriam, doctrinam de motibus et effectibus coelestibus, Physicam, de qualitatum actionibus in materia corporum, et de remediis morborum. Harum doctrinarum partem veteres Ionas a suis parentibus Iaphet et Iavan accepisse consentaneum est, sed magis coluerunt Arithmeticen, Geometriam, doctrinam de motibus et effectibus coelestibus et artem medicam Phoenices et Aegyptii. Horum eruditi consuetudine Thales et Pythagoras, circiter Croesi et Cyri tempora excitaverunt maiora studia harum doctrinarum in Europa, et coetus discipulorum familiariter docuerunt.

Thales vixit Mileti, et ordinavit annum Ionicis civitatibus, et Atticae, recte monstratis Aequinoctiorum temporibus et intervallis, et descripsit Meteora carmine.

Pythagoras natus in Samo adiit Aegyptum, et inde attulit suam Philosophiam Tarentum. Ab his duobus diversa genera Philosophiae orta sunt. Ionicum a Thalete, quod fuit minus obscurum, et magis Physicum. Alterum Italicum a Pythagora, qui cum Romae regnaret Servius Tullius docuit in ultima ora Italiae, magna Graecia, fuitque doctrina obscura, plena aenigmatum, et ad usum communem minus accommodata. Et quia arcanos congressus, et suos quosdam ritus Pythagorici habuerunt, propter tyrannorum suspiciones deleti sunt.

De Solone.

Croesi tempore et Solon fuit, civis Atheniensis, quem cum seditio Athenis orta esset, propter crudelitatem foeneratorum, qui cogebant debitorum filios et filias sibi in servitutem addici aut vendi, ut usurae numerarentur, civitas consentiens elegit, ut legum et iudiciorum acerbitatem mitigaret, et usuras moderaretur. Hic primam tulit legem, ne deinceps liceret ullum liberum corpus propter debita aut usuras in servitutem trahi. Item: Ut tunc usurae, quae ad id tempus debebantur, omnes remitterentur, et ipse primus remisit quinque talenta, id est, tria millia coronatorum. Hunc modum etiam usurarum instituit, ne plus peteretur, quam usura quae nominatur Centesima, id est, centesimo mense sortem aequans. Postea leges veteres Atheniensium mitigavit, et iudicia constituit.

Nomen autem erat veterum legum, *Leges Draconis*, sic nominatae vel ab autore, vel (ut magis existimo) a loco iudicii, cuius signum terribile erat Draco. Fuerunt enim poenae multorum delictorum asperiores in illa severiore antiquitate, sicut Demades inquit: Leges Draconis sanguine scriptas fuisse. Fuit autem aliquarum mitigatio honesta, ut, ne darentur in servitutem filii aut filiae pro pecunia sumpta mutuo. Contra vero aliquarum laxatio turpis fuit, ut de adulteriis, quae omnia olim puniebantur supplicio capitali.

Ordinavit et annum ac menses, et ad duodecim menses Lunares adiecit Epactas dies undecim, ut congruerent ad integrum Solis circuitum. Initium anni constituit coniunctionem Solis et Lunae proximam aestivo solstitio. Collegit et in integrum Homeri poëmata, et in loco publico collocavit, et instituit, ut ordine singuli libri in diebus festis publice legerentur, ac ostendit ad gubernatores pertinere curam conservandi bona scripta. Antecessit autem Homerus Solonem annos circiter trecentos.

Sapienter actiones forenses ita distinxit, ut earum ordo pene ad Decalogum congruat. Sunt enim actiones velut exequutio poenarum, quibus externa delicta contra Decalogum puniuntur. Demosthenes recitat iuramentum iudicum: Feram sententias iuxta leges, nec suffragium feram, ut debita condonentur, aut agri aut domus locupletioribus eripiantur, nec reducam exules, nec liberabo damnatos aut reos, nec accipiam munera iudicii causa. Audiam pariter accusatorem et reum, pronunciabo de re, de qua proprie actio instituta est. Haec et similia multa exempla in historia Solonis continent utiles commonefactiones, quam prodest passim ex scriptoribus excerpere.

Cambyses secundus rex Persicus.

Cum Cyrus senex exercitum extra regnum adversus Massagetas duceret, filio Cambysi regium nomen tribuit, et vivens adhuc Persicae monarchiae regem eum esse iussit. Hic Cambyses Aegyptum addidit regno Persico. Est autem insigne exemplum inconstantiae rerum humanarum, quod natus tanto patre, cuius fuit excellens virtus, et haud dubie optima disciplina institutus, tamen mores induit non solum genere et rege indignos, sed omnino tetros. Motus falsa suspicione iussit interfici fratrem. Duxit uxorem sororem suam, et lacrymantem propter fratris necem excandescens gravidam interfecit. Hanc domesticam crudelitatem alii furores sequuti sunt. Cum Prexaspes reprehendisset eius temulentiam, dixit se ostensurum esse, sibi mentem etiam inter pocula integram esse, ac iussit in convivium adduci filium Prexaspis, quem collocatum ad limen iussit puerum sinistram manum capiti imponere, et arcum intendit, ac ad cor adolescentis sagittam direxit. Quod cum vulnerasset, icto pectore haerens in corde spiculum patri monstrat, eumque ridens interrogat, satis ne certam manum haberet? Pater sibi metuens, artem laudat.

Sed talis cum esset Cambyses, aliquanto post divinitus punitus est. Cum enim in equum ascenderet, decidens ex vagina gladius ferit ei femur, ex eo vulnere post paucos dies mortuus est, cum regnasset annos septem, menses quinque. Cum autem vivo patre annos aliquot regnarit, hi anni non discernuntur a patris annis. Est autem et ipsius poena testimonium regulae: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Ac talibus exemplis poenarum Deus caeteros homines de providentia et de suo iudicio commonefacit.

Iusticiae exemplum de Cambyse hoc narrat Herodotus. Praesidem Sisamnem, qui pecunia corruptus iniustam sententiam tulerat, interfecit, et toti corpori cutem detraxit, eamque instravit tribunali. Postea filium Sisamnis Otanem in eam sedem collocavit, ac iussit eum intuentem patris exuvias iuste iudicare, ne simili supplicio adficeretur.

Saepe autem dicimus, societatem hominum similem esse gregi, quem etsi passim lacerant lupi et ursi, tamen fidelis pastor a caeteris pecudibus eos depellit. Sic etsi grassantur diaboli, tyranni et alii scelerati in genere humano, tamen Deus ceu fidelis pastor sua dextra coetus aliquos protegit, iuxta illud: Nisi Dominus custodierit civitatem etc. Et grassantes tyrannos et latrones tollit. Quanquam igitur et ipse Cambyses tyrannus est, et mox punitur, tamen quaedam in gubernatione divinitus iusta fiunt, ne dissipetur universa societas generis humani.

De Dario tertio rege Persico.

Cum abesset Cambyses in Aegypto, Magi aliquot conspiratione facta regnum a familia Cyri ad sese transferre conati sunt, et unus ex Magis regem se nominavit. Sed re prodita, Magi a septem Principibus interficiuntur. Postea deliberatio instituitur de forma gubernationis. Et sunt orationes tres apud Herodotum dulcissimae de optimo statu.

Otani placet non creari regem, sed suadet, ut certis legibus Principes et civitates foedus faciant de communi defensione, et singuli suam libertatem atque aequalitatem retineant, quia unum armare summa potentia nequaquam tutum sit. Ipsa enim magnitudo potentiae etiam in bonis mentem deteriorem efficit. Cumque cupiditas incitata est, quia facultas est delinquendi, crescit audacia, et ruit in omnia scelera. Ac tyrannos inquit delectari malorum familiaritate, et calumniis, optimum esse ducere movere leges patriae, vi rapere aliorum coniuges, interficere cives sine iudicio.

Hanc sententiam refutat Megabyzus, dicens, vulgi tyrannidem minus tolerabilem esse unius tyrannide, quia vulgus sit sine sapientia, ac ruat in negotia incitatum, ut rapida flumina. Suadet igitur constitui paucorum optimorum virorum principatum, et addit tutissimam rationem: Consentaneum est, optimorum virorum optima consilia esse.

Darii tertia sententia fuit, quae suasit regem creari, quia etiam inter paucos non sit diuturna concordia. Et in magnis imperiis hoc accidere, ut propter discordias Principum tandem necesse sit, ad unum summam potentiam transferre. Rectius etiam esse, patrias leges non abolere, quae regium statum constituissent.

Hanc Darii sententiam cum caeteri quatuor approbassent, decretum est, ut rex crearetur, Et ne certamina orirentur, sed ut electio Deo commissa videretur, convenit, ut mane Principes in suburbio equis insidentes convenirent, et cuius equus primus hinnitum ederet, oriente Sole, is rex esset. Darius autem cum domum rediisset, haec decreta narrat suorum equorum curatori Oebari, et interrogat, an arte rem iuvare possit? Ille vero inquit, se consilium inventurum esse. Ac noctu in eo loco, in quo Principes mane conventuri erant, equum Darii ad equam admittit. Mane igitur desiderio equae primus edidit hinnitum Darii equus. Sed tamen accessit coeleste signum, fulgur et tonitrua sereno coelo, quod iudicatur esse faustum. Desilientes igitur ex equis omnes Principes Persico more Darium adorant, regem salutant, et ei fausta precantur.

Regnavit autem annos triginta sex, ut Graeci numerant. Initio regni Babylonem, quae a Persis defecerat, post longam obsidionem vicesimo mense recepit, astutia Zopyri, qui cum sibi nares et aures praecidisset ipse, Babylonem venit cruenta facie, simulans, se a rege hac contumelia affectum esse, quod hortator fuisset relinquendae obsidionis, vehementer accusans regiam saeviciam. Haec credentes Babylonii, praeficiunt eum exercitui, qui primum ut ei plus fidei esset, levibus praeliis vicit Persas, aliquanto post autem urbem Dario tradidit. Ita secundo a Persis Babylon capta est.

Tanto autem in honore postea Zopyrus apud Darium semper fuit, ut cum Darius pomum punicum in manu teneret, dixerit, se non optare maiorem thesaurum ullum, quam ut tot haberet Zopyros, quot grana sint illius pomi, significans, regibus nihil utilius esse fidelibus amicis. Recepta Babylone Darius aliquanto post movit bellum Scythicum. Ut enim Cyrus a suo regno barbaricas gentes, quae ex Arctoa regione in Asiam infundebantur, arcere conatus est, ita et Darius infusas iam in Asiam eiicere et longius removere volebat. Nominat autem Herodotus vicinas gentes Thraciae ad Bosphorum Getas, Cimmerios, et ulterius Sauromatas, quae nomina observanda sunt, quia ab his Cimmeriis nostros Cimbros ortos esse, et a Getis Gottos, non dubium est. Ac hodie Gottia nominatur regio, vicina Colchicae, et sunt in Taurica Gotti, linguam Germanicam retinentes. Ac tunc quidem Dario Getae sese dediderunt, sed Scythas non vicit, ac factis aliquot praeliis rediit in Ioniam. Postea quia Persica monarchia Macedoniam attingebat, vicini potentiores hanc etiam suo imperio adiicere conabantur, praesertim cum ibi et venae metallicae uberrimae sint. Missi sunt ergo legati Persici ad Amyntam regem Macedonicum, qui petierunt, ut terram et aquam traderet Dario. Amyntas metuens potentiam Persicam, placide respondet, et Persas in convivium vocat. Hic Barbari superbe petiverunt etiam nobiles mulieres adduci, et inter convivas collocari, qui ebrii iam et basia dabant

honestis mulieribus, et attrectabant sinus. Haec cum iuste aegre ferrent pater Amyntas, et filius Alexander, filius patrem hortatur, ut ex convivio discedat dormiturus. Qui cum abiisset, simulabat hilaritatem Alexander, ac aliquando post hortatur, ut concedant mulieribus, ut aliquantisper surgant, et ait mox redituras esse. Quibus dimissis iubet adolescentes nobiles totidem induere earum vestes, et gladios sumere, abditos sub vestibus, et cum Persae eos attrectarent, ipsos confodere. Haec ita facta sunt, et lasciviae ac petulantiae poenas Legati iustas dederunt. Fuitque hic Alexander proavus Alexandri Magni.

Aliquanto post et Ionicum bellum sequutum est. Defecerant enim a Dario Iones in littore Asiae, et incenderant Sardis, qua in re et auxilia Atheniensium habuerant. Fuit autem defectionis praecipuus suasor Istiaeus, qui cum esset in Persiam vocatus, ibi intellexit Darium velle Ionas in Phoenicum regionem transferre, et Phoenices in Ioniam collocare. Ut igitur tuto significaret hanc rem suae genti, hoc consilio usus est: Nuncio radi capillos capitis iussit, deinde literas, quas voluit, incussit, significantes Aristagorae, Capitaneo in Asia, ut bellum moveret. Cumque rursus crevissent capilli, mittit eum ad Aristagoram, et iubet radi capillos capitis, et aspici caput. Intellecto igitur consilio movit bellum Aristagoras, sed oppressa seditione magna cum difficultate Aristagoras interfectus est, et postea Istiaeus cruci affixus.

Erat hoc tempore exul apud Darium Hippias Pisistrati filius, qui Athenis tyrannidem tenuerat. Et cum frater Hipparchus interfectus esset propter libidines, et postea Hippias saeviciam in cives exerceret, pulsus est Athenis. Profectus igitur ad Darium petivit se in patriam reduci. Eo autem facilius impetravit exercitum, quia Darius iratus erat Atheniensibus propter societatem Ionicam. Quare misit Darius centum millia peditum, et 10 millia equitum, qui cum ab Athenis non plus duobus nostris miliaribus abessent deliberatio erat in urbe, an obsidio toleranda esset in urbe, an dimicandum acie cum hostibus. Suadet igitur Miltiades, ut dimicetur, qui exercitum decem millium civium et mille Plateenses educit, et magno impetu adortus hostes, ac multis Persis in prima acie trucidatis, reliquam multitudinem Persicam fugere cogit.

Aiunt ante aciem terribiles sonitus auditos esse, et visa spectra, quae Athenienses postea dixerunt fuisse speciem Panos, qui terrorem tantum Persis incusserit, ut fugerent. Inde Panici terrores postea dicti sunt, de subitis consternationibus.

Hippiam Pisistrati filium interfectum esse in eo praelio scribunt Cicero ad Atticum et Iustinus. In Suida vero legitur, undecunque ea narratio sumpta est, profligato exercitu Persico fugisse Hippiam in Lemnum, et ibi morbo extinctum esse inter magnos cruciatus, cum amisisset visum, et ruptis venis sanguis copiose per oculos flueret. Perierunt ergo ambo filii Pisistrati tragicis exemplis, etsi Hipparchi sapientiam laudat Plato, citans eius versus, inscriptos statuis Mercurialibus: *μνῆμα τόδ' ἱππάρχου: στείχε δίκαια φρονῶν.* Item: *μνῆμα τόδ' ἱππάρχου: μὴ φίλον ἐξαπατα.*

Miltiadis vero interitus exemplum est usitatae ingratitudinis hominum. Cum enim praecipue ipsius consilio et fortitudine Persicus exercitus profligatus esset, cumque Lemnum adiecisset ad Atticae civitatis imperium postea infoeliciter tentata pace, ab invidis accusatus est, et publice damnatus, ut quinquaginta talenta, id est, triginta millia coronatorum penderet. Ac ductus in carcerem, ibi aliquanto post mortuus est.

Postremo de Dario filio Histaspis hoc addo. Hic Darius filius Histaspis est maritus Esther, quam historia sacra nominat Assverum, cuius tempore quantis in periculis et miseriis fuerit Ecclesia cogitandum est. Nam et in Iudaea adhuc erat impedita aedificatio templi, et Haman per calumniam impetraverat edictum de tota gente Iudaeorum delenda. Sed mirabiliter Deus protexit Ecclesiam patefactis calumniis et sceleribus Haman. Nomen Esther significat absconditam. Fortassis sic nominata est, quia non prodiit in publicum, ne formae struerentur insidiae, aut quia Ecclesia tum duriter oppressa fuit. Apud Herodotum altera coniunx Darii praecipue dilecta nominatur Artistôna, quod videtur esse nomen Esther, sicut nomen Vasti est Atossa.

Philo historiam Iudith etiam refert ad tempus Darii filii Histapsis, et narrat hunc Arphachsad seu Arbacen fuisse Assyriorum ducem eo tempore, quo a Cyro absente, cum a Tomyri exercitus eius trucidatus esset, et Chaldaei et Assyrii defecissent. Etsi autem de tempore historiae Iudith disputare nolim, tamen existimo eam ante-

cessisse excidium Ierosolymae et Persicam monarchiam, cum adhuc Assyrii, Medi et Chaldaei inter sese bella gererent, et nondum decem tribus prorsus abductae essent. Non enim uno anno omnia Israëlitarum oppida capta sunt. Et textus narrat, Iudith fuisse ex stirpe Ruben, fuitque Dothaim urbs, cuius in ea historia fit mentio, vicina Samariae. Significat autem Iudith confessam. Bethulia, virginem Dei. Doth, legem.

Xerxes, quartus rex Persarum.

Graeci Xerxen proxime post Darium filium Histaspis numerant. Metasthenes et Philo omisso Xerxe, proxime post Darium filium Histaspis collocant Longimanum, qui et Darius et Artaxerxes Longimanus nuncupatur. Existimo autem praeteritum esse Xerxen a Metasthene et Philone, quia Xerxe discedente ex regno necesse fuit regem alium nominari. Itaque scriptores isti, qui Occidentis historias prorsus omittunt, tantum Longimani mentionem faciunt, qui interea domi regnum tenuit, cum Xerxes in Graecia bellum gereret. Et consentaneum est, Xerxen post bellum Graecum non diu superstitem fuisse. Cum enim interfecisset fratrem Masistem, cum cuius coniuge et filia fuerat ei incesta consuetudo, brevi post et ipse ab Artabano interfectus est. Nos tamen Xerxis historiam breviter recitabimus, quae luculenter ab Herodoto descripta est.

Initio in historia Xerxis memorabile exemplum est modestiae. Frater Xerxis Artabazanes, maximus natu, sine seditione cessit iudicio patris de regno. Sed pater hanc habuit sui iudicii causam, quia Xerxes natus erat ex filia Cyri Atossa regnante Dario. Artabazanes autem, antequam pater regnaret, ex alia coniuge natus erat. Praelatus est igitur Xerxes propter Atossae potentiam, cuius et propter patrem magna erat apud Persas autoritas. Scribunt autem, fratres interea non mutasse mutuam benevolentiam, ac usitato more invicem alterum alteri munera misisse.

De bello Xerxis.

Cum Darii exercitus Hippiam reducturus Athenas, pulsus esset, Darius maiori apparatu bellum inferre Graecis decrevit. Sed dum colligit exercitum, moritur. Filius igitur Xerxes in ipso gubernationis initio cupidus gloriae, et instructus exercitu, cum haberet incitatorem Mardonium, hoc bellum movit dissuadente Artabano patruo Xerxis. Exercitus dicitur fuisse decies centum millium hominum, quantum exercitum non legimus ullum regem duxisse, nisi Tamerlanem Tartarum, qui recens ante annos fere ducentos, regnante Baiazete Turcico tyranno, pervastavit Asiam, a Tanai usque ad Aegyptum et ad Parthos, et captum Baiazetem in cavea circumduxit. Hunc scribunt duxisse quater centum millia equitum et sexcenta millia peditum.

Ductus est autem Xerxis exercitus trans Hellespontum anno septimo regni Xerxis, et intra biennium Persae quatuor praeliis victi tota Graecia expulsi sunt. Primum terra ad Thermopylas victi sunt. Deinde mari duobus praeliis ad Artemisium et ad Salaminem. Quarto ad Plateas, cum post fugam Xerxis Mardonius in Graecia mansisset. Pugna enim ad Thermopylas facta est circa solstitium aestivum, cum instarent Olympia. Postea decimo mense Mardonius Athenas combussit, videlicet, circa Aprilem anni sequentis. Et ad Plateas esse pugnatum constat die quarto Augusti.

Etsi autem non sine magnis cladibus tanta multitudo vinci potuit, tamen exemplum insigne est humanae infirmitatis, quod tantus exercitus tam brevi tempore pulsus et trucidatus est. Ipse vero Xerxes parva cymba fugit post pugnam ad Salaminem. Vult enim Deus, non suscipi bella non necessaria cupiditate gloriae et fiducia humanae potentiae. Regula est enim, Necessaria mandata divinitus facienda esse, et petendum esse a Deo auxilium, iuxta dictum: Commenda Deo viam, id est, vocationem tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Ac narrat Herodotus, Mardonium Thebis in convivio ante pugnam ad Plateas, cum diceretur, mirum esse tam exiguum numerum Persarum reliquum esse, dixisse: Quod Deus decrevit, non posse ab hominibus mutari, neque probabilia suadentibus homines obtemperare. *ὅτι δεῖ γενέσθαι ἐκ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι, καὶ οὐδεὶς τοῖς δὲ λέγουσι πιστὰ πείθεσθαι ἐθέλει.*

Postquam exercitus Xerxis trans Hellespontum ductus est, quarto mense, videlicet circiter tempus Olympiorum, circiter tempus Solstitii aestivi pugnatum est iisdem diebus in mari ad Artemisium in Thessalia, non procul a Pagasis, et alibi in terra in faucibus, ubi aditus est ad Phocensem regionem ex Thessalia, quarum nomen est a calidis aquis, Thermopylae. Pugna nava-

lis ad Artemisium non magna fuit, sed quia fuit foelix, erexit Graecorum animos ad defensionem, et ad curam instituendae classis. Pugnam vero ad Thermopylas omnes aetates admiratae sunt. Ibi enim cum exiguus exercitus custodiret fauces, trecenti Lacedaemonii, quadringenti Thebani, et ex aliis locis Graeciae circiter tria milia. Phocenses primi, deinde alii discesserunt ante pugnam, sed manserunt soli ibi Lacedaemonii, Thebani et Thespienses. Hic parvus numerus trucidavit viginti millia in exercitu Xerxis, sed ipsi simul interfecti sunt, Lacedaemonii et Thespienses omnes, praeter duos. Nec alia similis pugna extat in historiis, praeter Helveticum factum ad Basileam, tempore synodi, cum Papa in Germaniam misisset Delphinum Gallicum cum exercitu Armoriacorum, qui cum magnam crudelitatem in Alsatia exercuissent, ad Basileam accesserunt, ibi a tribus millibus Helvetiorum millia hominum viginti in Gallico exercitu trucidata sunt, sed simul Helvetii victores occubuerunt, cumque reliquiae Gallici exercitus fugerent, Germania illo terrore liberata est.

Post pugnam in Thermopylis Mardonius exercitum in Graeciam duxit, cumque Phocenses et Thebani se ei adiungerent, misit legatos ad Athenienses, qui hortarentur, ut certis conditionibus se Persis dederent. Sed tanta fuit magnitudo animorum, ut non sint admissae ullae conditiones deditionis. Cum autem civis quidam Atheniensis, quem Herodotus Lycidam nominat, Demosthenes Cyrsilum, suasor esset accipiendi conditiones, caeteri cives Athenienses lapidibus eum obruerunt. Necarunt et mulieres Atticae uxorem eius lapidibus. Tantus fuit ardor animorum in defensione patriae, quia barbaros sciebant abolitis legibus et disciplina Graeciae crudeliter imperaturos esse, et coniuges, filios, filias, et facultates erepturos, quibus vellent. His malis servitutis mortem anteponendam esse statuerunt, ut nunc Turcica tyrannis ingentia mala secum adfert. Etsi igitur poena Lycidae atrocior fuisse videtur, tamen palam iniusta consilia dantes punire iustum est.

Pugna ad Salaminem insulam celebratissima est, in qua Graeca classis, navium 378 toto die praelians, Persicam quae multo maior fuerat, ita dissipavit, ut plurimae naves Xerxis submersae sint, et trucidata magna pars exercitus navalis, et reliquiae fuga evaserint. Fuitque tanta clades Persici exercitus, ut Xerxes post paucos dies post hoc praelium parvo navigio fugiens redierit in Asiam. Relictus est igitur Mardonius cum exercitu in Graecia, dimicaturus in terra, et ingenti praelio ad Plateas victus est, et Graecia toto bello Persico liberata est. Mardonium vir Spartanus interfecit, coniecto lapide in caput eius. Hic fuit exitus eius viri, qui praecipue hortator fuerat suscipiendi huius belli.

Sunt autem exempla in hac historia consideratione digna plurima. Primum, ne quis fiducia potentiae res non necessarias moveat, quia Deus subito magnam potentiam delere potest, ut hoc bellum ante biennium finitum est. Ad Thermopylas dimicatum est mense Iunio, et iisdem fere diebus ad Artemisium pulsa est classis Xerxis. Deinde ad Salaminem vicit Graeca classis die 16. Martii. Postea trucidatus est Mardonii exercitus die 4. Augusti. Traiecit autem Xerxes in Europam, in Vere anni superioris, et post Salaminiam pugnam fugit, quare non multo plus integro anno fuit in Europa. Deinde consideretur studium concordiae tuendae propter communem salutem, quod in Atheniensibus insigne fuit, qui statim initio summam imperii Lacedaemoniis cesserunt. Postea ante pugnam ad Plateas, cum Arcades ante ipsos collocari vellent, aiunt se non moturos esse seditionem loci causa, sed ubicunque collocentur, se fore viros fortes. Ipse etiam Themistocles dixit, se vicisse socios patientia, celeritate hostes. Tertio in hac brevitate temporis consideretur, quantum prosit celeritas, ne detur spacium perterrefactis hostibus sese rursus colligendi. Sicut Iulius interrogatus, quomodo tantas res perfecisset, respondit: *Μηδὲν ἀναβαλλόμενος.* Et reprehenditur Annibal, quod post captam Captuam non obsedit urbem Romam.

Quarto exempla praestantium virorum in hac historia intueamur, qui post victoriam elati successibus facti sunt aut negligentiores aut insolentiores, et tragicos exitus habuerunt, ut discamus haec dicta: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Item: Abominatio est coram Domino quidquid est sublime coram hominibus.

Pausaniae Spartani, qui dux fuit ad Plateas, tanta fuit modestia in victoria, ut cum eum adhortarentur quidam, ut capita Persicorum ducum interfectorum affigeret cruci, sicut Persae caput Leonidae regis Spartani simili contumelia affecerant, responderit, se mortuos nulla contu-

melia affecturum esse, ac satis sibi esse, si iusta faciens et dicens Spartanis suis placeat. Fecit et alia modeste. Remisit captivam nobilem ad suos. Sed idem Pausanias cum postea Byzantium Graeci occupassent, factus superbus et crudelis rapuit filiam praecipui civis Byzantii, et hanc noctu in subita consternatione interfecit. Id cum fecisset, ex statua editus est hic versus, poenam denuncians: *στεῖχε δίκης ἆσσον, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.*

Deinde cum Persis foedera facere conatus est, hac conditione, ut daretur sibi uxor, filia Xerxis, et ut adiutus Persicis auxiliis rex Graeciae fieret, eamque Persico imperio subiiceret. Revocatus igitur ex Byzantio cum Ephori eum deprehensuri et in carcerem ducturi essent, fugit in templum. Ibi cum audissent Ephori ipsum fatentem crimen, inclusus fame periit. Et mater Alcithea, cum muro fores obstruerentur, primum lapidem in ea obstructione locavit. Hic exitus Pausaniae fuit eo tristior, quod ostendit, tantam esse imbecillitatem naturae hominum, ut non solum fortuna sit instabilis, sed virtus etiam, quae durabilior et firmior esse debebat in praestantibus viris, saepe extinguatur. Agnoscamus igitur et naturae infirmitatem et diaboli tyrannidem, et petamus auxilium a filio Dei, iuxta dictum: Tua est perditio tantum, in *Me* auxilium Israël.

Adeo excelluit sapientia Themistocles, ut praecipue ipsius consiliis Graecia fuerit victrix Persarum. Quare his verbis laudatus est a Thucydide: Erat Themistocles praecipue dignus admiratione prae aliis, quia acie mentis suae non praemonitus, nec diu considerans, in rebus subitis optima consilia habebat, et de futuris, quid eventurum esset, rectissime coniiciebat. Et quae in praesentia in manibus habebat, explicare poterat, et quae non norat, non destitit inquirere. In obscuris autem rebus, quid melius aut deterius esset, omnium maxime prospiciebat, et ut in summa dicam, Naturae viribus et celerrima deliberatione optima id eligebat, quod maxime profuturum erat.

Tanta cum fuerit sapientia, et cum optime meritus esset, tamen ex tota Graecia expulsus est. Ac primum ei iniusta odia Lacedaemoniorum nocuerunt. Postea et apud cives accessit invidia, quia minus modeste vivebat. Exul autem ad Persas accessit, et promisit se ducem fore contra Graecos. Cum autem rex ei exercitum et pecuniam, ut Graeciae bellum inferret, decrevisset, desperatione rei tantae, ac praecipue metu Cimonis, omisit expeditionem, et mortem sibi conscivit, hausto seu taurino sanguine, seu veneno, cum quidem vixisset annos quinque et sexaginta. Hic fuit exitus tanti viri, qui cum excelluerit sapientia, stulte tamen se adiunxit infidis hostibus, et longe maiora viribus suis promisit, et sese in tantum periculum adduxit, ut mortem sibi consciscere mallet, quam expectare tristiorem exitum, cum metueret fore, ut vel a Graecis vel a Persis interficeretur. Adeo infoelix est sapientia humana, cum a Deo deseritur, iuxta haec dicta: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum a Deo. Item: Scio Domine, quod non est hominis via eius. Item in Epistola Iacobi: Si quis indiget sapientia, petat a Deo etc.

Cum Lacedaemonii fugientem ex Graecia sequerentur, ut ipsum interficerent, fugit primum ad Admetum regem Molossorum, qui cum ei inimicus esset, monitus ab uxore Admeti, factus est ei supplex, hoc singulari ritu, quem docuerat eum regia coniunx. Cum domum veniret Admetus, in vestibulo ad aram Themistocles tenens manibus filiolum Admeti, et patri ostendens propter eum orat se supplicem recipi, sibi parci, nec dedi sese hostibus. Hic ritus propter filium petendi iudicabatur esse sanctissimus. Dedit igitur ei Admetus aliquantisper tutum hospitium. Sed cum timeret Graecos, qui poscebant eum sibi dedi, curavit eum in Asiam transvehi.

Duo autem viri celebrantur in eo bello, qui ad caeteras virtutes, modestiam et iusticiam adiunxerunt, *Aristides* et *Cimon*, qui et res magnas et utiles patriae gesserunt, et cum essent in omni officio iusti et moderati, placidos habuerunt exitus.

Fuit et Xerxis exitus tragicus, qui post bellum reversus in Asiam, cum fratris uxorem et filiam amaret, fratrem interfecit. Sequuta est igitur poena incestas libidines et crudelitatem, iuxta divinas regulas: Omnis anima, quae fecerit has abominationes, eradicabitur. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Aliquanto enim post Xerxes ab Artabano interfectus est.

Artaxerxes Longimanus, quintus rex Persarum.

Artaxerxen Longimanum supra diximus in Oriente regnum tenuisse absente Xerxe. Graeci ergo numerant eum post Xerxen. Dictus est Lon-

gimanus, quod dextra longior fuerit quam sinistra. Laudatur eius bonitas, quam etiam ostendit in munificentia amplissima erga Ecclesiam. Quare Iudaei tradunt, eum fuisse filium Darii et Esther. Fuerat autem impeditus reditus Iudaeorum sub Cambyse et Dario filio Hystaspis, ut consentaneum est propter Aegyptiaca bella. Sed pacato Oriente, Artaxerxes Longimanus renovavit edictum Cyri, et iussit perfici aedificationem Ierosolymae et templi. Ac anno sexto regni Artaxerxis Longimani templi aedificatio absoluta est.

Cum igitur apud Haggaeum et Zachariam nominatur Darius, plerique hunc Artaxerxen Longimanum intelligunt, qui et anno septimo regni sui misit Esdram cum magna multitudine Iudaeorum, et cum amplissimis donis Ierosolymam, ad instaurandam politiam.

Cogitemus autem, quam difficilis instauratio fuerit, cum vicini bellis eam impedire conarentur, et multi Iudaei reversi ex longo exilio legem et mores patrios obliti essent, et difficulter Oeconomias instituerent. Sed haec incommoda leniit Deus, qui Artaxerxis animum ita flexerat ad tuendos et iuvandos Iudaeos, ut non videatur unquam in genere humano alius monarcha erga Ecclesiam munificentior fuisse. Dedit etiam gubernatores sapientes et foelices, Haggaeum et Zachariam, Esdram, Nehemiam et alios, fuitque inter praecipuos Esdrae labores propheticorum librorum collectio, et studiorum doctrinae institutio, quia Ecclesiae fundamentum est doctrina prophetica, divinitus tradita.

Anno vicesimo Artaxerxis; missus est Nehemias ex Babylone Ierosolymam, qui et sumptibus et authoritate adiuvit aedificationem murorum, et usuras prohibuit, quibus inopes a locupletioribus exhauriebantur. Ita Deo iuvante paulatim certa sedes Ecclesiae in Iudaea restituta est, et in magno imperio Persico nota fuit, ut multi inde doctrinam petere possent. Et mediocris in Iudaea pax fuit, usque ad tyranni Ochi tempora.

Res Graecae.

Scribit Thucydides, hunc Artaxerxen mortuum esse anno septimo belli Peloponnesiaci, quod Graeciam gravissime adflixit. Nam et diuturnum fuit, duravit enim annos septem et viginti, etsi breves inducias aliquantisper habuit, et multae civitates partim funditus deletae sunt, ut Platea, urbs Corcyreorum, urbs Meliorum, partim tristi servitute oppressae sunt, cum grassarentur perpetuae caedes in urbibus, ut Mitylene et ipsa urbs Attica, et bella ex bellis nova subinde orta sunt.

Anni a fuga Xerxis usque ad initium belli Peloponnesiaci sunt quinquaginta. Hoc tempore maxime floruit Graecia, et praecipue creverat Athenarum potentia, quam Demosthenes inquit tenuisse principatum inter Graecos annos tres et septuaginta, numerans videlicet annos a Cimonis victoriis, usque ad Lysandrum Lacedaemonium, qui obsessas Athenas deditionem facere coëgit. Erat autem commune foedus Graecorum, ne qui aliis bella inferrent, sed ut controversiae communi iudicio dirimerentur. Sed inciderunt inter Megarenses et Athenienses de Luco incenso contentiones, propter quem Attica civitas edictum proposuit in Megarenses, ut a portu Attico abstinerent, nec liceret eis ingredi in terram Atticam. De hac iniuria cum Megarenses apud Lacedaemonios questi essent, petunt Lacedaemonii, ut edictum illud tollatur. Pericles fatetur, causam ipsam non magni momenti esse, sed exemplum non tolerandum esse. Postea Lacedaemonios maiora imperaturos esse, si nunc in re parva cederent. Hac exaggeratione rem deducit ad bellum, ut suspiciones et astutia ac virulentae interpretationes saepe sunt causae magnorum bellorum. Ita ab exigua causa bellum diuturnum et exitiale toti Graeciae ortum est, sicut Pindarus inquit: Parva scintilla saepe magnam sylvam comburit.

Secundo belli anno saeva et inusitata lues Athenis et in vicinia grassari coepit, quae corpora inflammata sic urebat, ut membra putrefacta intra paucos dies deciderent, in aliis capita, in aliis brachia, in aliis pedes, et accedebant furores, in quibus alii sese praecipites in puteos abiiciebant, alii aliis modis sese perdebant, et extinguebatur memoria etiam in his, qui convalescebant. Huius pestilentiae fit mentio apud Hippocratem, qui tunc vixit, et dicitur hoc consilio eam a Thessalia depulisse, incensis sylvis, cum flatus ventorum ab Attica adferebant contagia. Nec tam saeva lues descripta legitur aliis temporibus, nisi anno post natalem Christi 1089, quo anno Sigebertus narrat, talem pestilentiam in Lotharingia grassatam esse.

Denunciarunt magnas calamitates eclipsis solis initio belli facta, quae medio die tenebras fecit, ut stellae conspicerentur, et cometa, qui ar-

sit sexaginta diebus, et oraculi versus: *ἥξει δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ,* ubi dubitatum fuit, pestis ne an fames significaretur. Sed concurrerunt omnia. Legatur autem integra historia apud Thucydidem et Xenophontem, quia insignis commonefactio est de ira Dei adversus hominum scelera, et de stultis hominum consiliis, qui bella non necessaria movent odiis aut caeca ambitione, ut initio in bello movendo Pericles magis odio Megarensium, quam aliis causis motus est. Postea Alcibiades bellum intulit Siciliae, tantum stulta et iuvenili ambitione. Haec cum legimus, commonefiant animi et de timore Dei, et de modestia, ut dicitur: *Μεγάλα διώκειν, καὶ τὰ παρόντα οὐ φέρειν, μαινομένων οἱ δὲ τρόποι.*

De urbe Roma.

Tempore Artaxerxis Longimani et Romae insignis mutatio facta est. Scribendarum legum causa Decemviri creati sunt, quae historia tota apud Livium legenda est. Occasionem consilio legum scribendarum praebuerunt et saevicia Foeneratorum, et Nobilitatis superbia, quae iudicia eludebat.

Darius Nothus, sextus rex Persarum.

Non fuit filius Artaxerxis Longimani, sed ut dicitur, maritus sororis ipsius. Regnavit annos 19, ut numerant et Metasthenes et Graeci. Huius tempore missa est in Siciliam classis Attica, cum exercitu quadraginta millium hominum, ducibus Alcibiade et Nicia. Hic totus exercitus trucidatus est, praeter paucos, qui fuga elapsi sunt. Fuerat autem suscepta haec expeditio praecipue Alcibiadis ambitione, qui populo persuaserat, Athenas tota Sicilia potituras esse. Nec causa belli necessaria erat, nec par erat Attica potentia simul domestico et externo bello, sed cupiditate et caeca spe incitati homines saepe iniusta et maiora viribus movent, iuxta dictum: *Μάταιοι μάταια λογίζονται διὰ ἐπιθυμίας.* Et Pindarus inquit: Hominum membra alligata esse impudenti spei: *Δέδεται ἀναιδεῖ ἐλπίδι γυῖα.* Tales causae cum poenam et magnas calamitates attraxerint: hoc exemplum monet, ut modeste necessaria faciamus, nec stulta ambitione moveamus res non necessarias.

Dignum memoria et hoc est, quod captivi Athenienses multi dimissi sunt propter hoc solum officium, quod Siculis communicaverant Tragoedias Sophoclis et Euripidis. Tantus honos ab ingeniosis hominibus habitus est bonis scriptis.

Artaxerxes Mnemon, septimus rex Persarum.

Ne inter fratres de regno certamina orirentur, Darius Nothus ante suam mortem filium natu maximum, Artaxerxen, regem constituit. Tradidit autem secundo filio, Cyro, sine regio nomine gubernandam Lydiam et Ioniam. Sed post mortem patris, Cyrus sive a matre incitatus, quae oderat coniugem Artaxerxis, sive alioqui ardens cupiditate dominationis, bellum fratri intulit, et magnum exercitum ex minore Asia adversus fratrem ultra Euphraten duxit. Interea et Artaxerxes contraxit magnum exercitum, et cum Cyro dimicavit. In eo praelio Cyrus fratrem vulneravit, et partem exercitus eius loco pepulit. Sed aliquanto post cum paucioribus irrumpens in medios hostes Cyrus, interfectus est. Ita frater, qui sine iusta causa bellum moverat adversus fratrem et regem, quanquam multae in eo magnae virtutes fuerunt, et robore exercitus antecelluit, divino iudicio superatus est, et inter exempla referendus est, de quibus regulae concionantur: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Qui potestati resistunt, punientur etc. Virtutes eius a Xenophonte, cuius titulo extat historia huius belli, honorifice describuntur. Iusticia in imperio, Fides in pactis, Modestia et Munificentia erga Principes et Respublicas, Fortitudo in dimicando, Comitas erga amicos. Nec mirum erat, inquit, superare eum omnes magnitudine donorum, cum ditissimus esset. Sed liberalitati addere comitatem et singularem delectum, mirandum est. Saepe lagenas semiplenas misit amicis, iubens ut hodie cum amicis biberent, quia diu nullum melius vinum habuisset. Laudat autem, semiplenas misisse, ut significet, de eo misisse, quo ipse fruebatur et delectabatur, et nihil ei sine amicis suave esse. Sic et anseres semesos ait amicis eum misisse.

Post Cyri mortem capta est in castris Aspasia, mulier Ionica, quam Cyrus magis amavit, quam caeteras concubinas. Adeo enim et forma et ingenio antecelluit, ut nominata sit *Σοφὴ καὶ καλή.* Hanc captam Artaxerxes valde amare coepit. Cum autem filium Darium regem creasset, et consuetudo esset, ut die, quo pater filium regem renunciaverat, liceret filio donum petere

a patre, quodcunque vellet, idque patrem largiri oporteret, filius Aspasiam petivit. Etsi dolebat eam pater a se abduci, dedit tamen, nec multo post rursus eripuit. Inde inter patrem et filium orta simultate, filius incitatus et adiutus a Tiribazo, constituto tempore cum armatis irrumpit in cubiculum patris, ut eum interficiat. Sed praemonitus pater effugit insidias, et ibi Tiribazus et caeteri comites armati a patris satellitibus interficiuntur, filius Darius capitur, et postea re iudicata in Principum consilio (quia pater solus de filio rege statuere noluit) interficitur. Haec poena sequuta est incestas libidines. Duxit autem pater uxorem filiam Atossam. Et cum iam Ochus filius regnum appeteret, fratrem Arsamen ipse interfecit. Alteri fratri tantum incussit terrorem, ut ipse sibi mortem consciverit. Hic aditus fuit Ocho ad regnum, qui postea cum filiis periit, et Cyri posteritas prorsus extincta est. Et calamitas filiorum Mnemonis, incesta consuetudine polluti, ostendit, peccata in semine postea in sobole puniri. Graeci tribuunt huic Artaxerxi Mnemoni annos quadraginta.

Res Graecae.

Cum Atticus exercitus in Siciliam venisset, non multo post Alcibiades revocatus est Athenas ad iudicium, qui metuens factionis contrariae potentiam, non rediit in patriam, sed hostibus se adiunxit, ac Spartam venit, ubi trium consiliorum autor fuit, videlicet, ut mitterent Lacedaemonii ducem Gylippum Syracusanis, et bellum in Attica instaurarent, munita Decelea oppido, ubi adsidue exercitus esset oppositus Atticae. Deinde ut Chiis et Lesbiis et aliis, qui defecerant ab Atheniensibus, opem ferrent. Ipse etiam navigans in Ioniam, civitates socias Atheniensium coëgit, ut adiungerent se Lacedaemoniis. His causis valde diminutae sunt vires Atticae civitatis, unde et magnae discordiae civium domi ortae sunt. Sed nunquam diuturna est benevolentia erga transfugas, praesertim cum eorum crescit potentia. Et videbant Spartani Principes, maiorem esse apud civitates autoritatem Alcibiadis, quam suam, ideo invidebant ei, et eum metuebant. Quare Ephori miserunt literas ad duces, ut interficerent Alcibiadem, quod ipse resciscens, animum Tissaphernis Persici ducis, qui stipendia dabat, a Lacedaemoniis alienavit. Cumque amicorum literae spem reditus in patriam ei facerent, ostendit Tissapherni, utiliorem ei classem Atticam fore, et superba et avara imperia Lacedaemoniorum in odium adducebat. Ac aliquanto post ad exercitum Atticum, qui in Samo erat, proficiscitur ipse quoque, ubi honorifice exceptus est. Erat autem hic exercitus Athenas navigaturus, ut statum Quadringentorum, qui recens in discordia civium constitutus erat, destrueret. Eam ad rem ducem esse Alcibiadem voluit. Sed Alcibiades imperium accipere noluit, videns cives cum civibus dimicaturos esse. Ita tunc servavit patriam, quia imperium contra 400. non accepit, ac potius hortando ac precando una cum Thrasybulo perfecit, ne iratus exercitus Athenas accederet. Postea rursus Athenis concordia facta, publico decreto Alcibiades revocatus est. Sed non mox rediit Athenas. Vidit enim, necessario tunc occurrendum esse Lacedaemoniis, qui aliquot praeliis in mari, non procul a Cizyco vicerant Atticam classem. Et Mindarus, dux Laconicae, classis ibi erat cum sexaginta navibus. Aderat ibi et Pharnabazus, dux Persicus, cum copiis pedestribus. His occurrit Alcibiades, et consilium viribus addens, parte classis suae occultata, magno praelio vicit Mindarum et Pharnabazum, in quo Mindarus interfectus est, et literae Spartam plenae desperationis missae sunt. Rursus igitur adiunctae sunt Atheniensibus urbs Cyzicena et aliae multae, et in aliis locis victae sunt hostium naves, et Lacedaemoniis rursus ereptum est imperium maris. Postea et Byzantium accessit, quod aliquamdiu Athenienses obsederant. Ibi cum Clearchus dux Laconicus truculentus, frumentum divideret militibus, ereptum civibus, quorum familiae fame peribant, Anaxilaus civis de patriae deditione cum Alcibiade paciscitur, qui absente Clearcho acceptus intra urbem, dimicavit cum praesidio, et milites partim interfecit, partim coepit. Civium vero nullus interfectus est, nullus ex patria pulsus, nulla facultatum direptio facta est.

Anaxilaus postea Spartae propter deditionem urbis accusatus, cum honestissima excusatione uteretur, absolutus est, cum diceret, bella gerenda esse cum hostibus, non cum natura rerum. Et iniustum esse tristiora facere defensores adversus cives, quam facerent hostes captis urbibus. Hic Clearchus postea a Persis interfectus est. His tantis rebus gestis, liberata patria in maximis periculis domesticis et externis, recuperato imperio

maris, occupatis multis urbibus, partis victoriis insignibus, Alcibiades cum iam patriae gratior eius reditus esset, rediit modeste Athenas, comites habens viginti naves. Et modestiam ac metum hac re significavit, quod non egressus est ex navi, nisi prius conspecto fratris filio, et aliis amicis.

Tertio mense post reditum centum naves ad Andrum duxit, ubi praelio vicit Andrios et Lacedaemonios. Deinde reversus in Samum, Antiocho gubernatori suo tradidit exercitum, proficiscens ipse cum paucis navibus ad Hellespontum, ut pecuniam colligeret. Discedens autem mandavit gubernatori, ne cum duce Lacedaemoniorum Lysandro dimicaret. Sed cum gubernator temere contra mandata pugnaret, Athenienses victi sunt. Hic rursus inimici Alcibiadis nacti occasionem criminandi eum, quod abesset voluptatum causa, perfecerunt ut imperium ei abrogaretur. Discedens igitur ab exercitu, postea tanquam in privata vita degit in possessionibus suis ad Hellespontum, ubi sibi arces aliquot extruxerat. Ita nec longo tempore post reditum fuit in patria, nec multum patriae profuit. Neque tamen ociosus fuit in illo secessu, sed vicinam Thraciam populatus est, et ut praeda locupletaretur, et ut Graecos colonos ibi defenderet.

Non multo post Athenienses magno praelio victi sunt a Lysandro ad Aegos Potamos, ubi tria millia Atheniensium cum vivi capti essent, postea crudeliter interfecti sunt. Antequam pugnam Alcibiades, in vicino loco habitans, cum utranque classem considerasset, praemonuit Athenienses, ne dimicarent. Deleto Atheniensium exercitu in mari, Lysander mox Athenas obsidione cingit, et post sextum mensem dedita urbe Lysander triginta viros, qui nominantur Triginta Tyranni, urbi praefecit, inter quos Critias fuit saevissimus, qui consilium dedit, ut Alcibiades interficeretur, quia tantum in eo consilii et industriae esset, ut Athenas iterum liberaturus videretur, si viveret. Quare Lacedaemonii ad Pharnabazum scripserunt, ut eum interficeret. Missi igitur aliquot milites domum incenderunt, in qua erat Alcibiades, et erumpentem adorti, cum multi essent, et undique telis peterent, tandem eum ibi interfecerunt. Cadaver eius Timandra concubina sepeliit. Hic fuit exitus Alcibiadis, cuius fuit excellens ingenium, fortitudo, industria, et foelicitas in praeliando tanta, ut semper ea pars, cui adfuit, vicerit. Fuitque erga eum benevolentia populi eximia, quia alienus fuit a crudelitate, et erga plurimos beneficus et liberalis. Sed in hac naturae praestantia etiam haec vicia fuerunt: Fuit inquietus, nimis magna appetens, nimis avidus popularis benevolentiae, impatiens iniuriae, inconstans et diversarum partium. Ac propter has causas dictum est, non potuisse duos Alcibiades sustinere Graeciam. Gessit res magnas terra marique in multis locis, sed inutiles sibi et aliis. Estque tota eius historia commonefactio, ut cogitemus, ne quidem excellentem virtutem utilem esse nobis et aliis, nisi Deus consilia, dextras et eventus gubernet. Petamus igitur, ut faciat nos Deus organa salutaria, et sui officii metas quisque intelligat.

Captae Athenae a Lysandro.

Quod Thucydides inquit, in seditione omnes formas rerum malarum esse: *ἐν δὲ στάσει πᾶσα ἰδέα κακοῦ ἐστὶ*, id conspici potest in bello intestino Graecorum, quod nominatur Peloponnesiacum, quod fuit plenum tristissimorum exemplorum. Multae urbes funditus deletae sunt, multi cives interfecti, et extincta naturali *στοργῇ* saeviciam exercuerunt cognati in cognatos. Tam horrendis poenis ostendit Deus iram suam adversus idola et libidines. Ut autem praedictum erat, hoc bellum duraturum esse tres Novenarios, ita accidit. Anno septimo et vicesimo huius belli vicit Lysander Atticam classem ad Aegos Potamos, et captivorum Atheniensium tria millia post praelium novo exemplo crudelitatis interfecit. Postea statim Athenas terra marique obsidere cepit. Cumque iam magna multitudo in urbe fame mortua esset, consiliis Theramenis res eo deducta est, ut fieret urbis deditio, sexto mense obsidionis. Valde contenderant Thebani et Corinthii, ut Athenae funditus delerentur. Sed Lacedaemonii contra senserunt, non delendam esse urbem, ante hoc bellum saepe bene meritam de tota Graecia in reprimendis Barbaris. Scribitur autem, deditionem factam esse die sedecimo Martii, quo die ante annos septem et septuaginta consilio et virtute Atheniensium ad Salaminem Persae victi sunt. Qua in consideratione cogitemus instabilitatem rerum humanarum, et consideratione causarum nos ad veri Dei agnitionem et ad modestiam hortemur. Bellorum enim variae vices sunt, quia punit Deus scelera in utraque parte. Tandem vero graviori-

bus et ultimis poenis opprimuntur ii, qui iniusta bella moverunt, seu odio seu cupiditate maioris potentiae. Initium huius belli fuit ortum ab Atheniensibus, qui adiunctis Corcyreis potentiam augere conabantur, et Lacedaemonios contemnebant. Accessit et odium in Pericle adversus Megarenses. Venit igitur in tristem servitutem Attica civitas. Et ut intelligi posset, singulari exemplo superbiam punitam esse, ad cantum Tibiarum muri eversi sunt, et naves crematae.

Scriptores nominant hanc Athenarum deditionem finem belli Peloponnesiaci, quia caeteri Graeci aliquantisper quieverunt, cum potentia Lacedaemoniorum formidabilis esset; et aspera essent imperia. Nec multo post Agesilaus exercitum in Asiam duxit. Atticarum vero calamitatum nondum finis fuit. Nam triginta tyranni, de quibus mox dicetur, plures cives intra octo menses trucidarunt, quam decennio ab hostibus interfecti fuerant, ut narrat Xenophon. Postea recuperatio libertatis mirabiles casus habet. Nunc annos annotabimus.

Captae sunt Athenae:

2. Anno Artaxerxis Mnemonis.
27. Anno, mense sexto, ab initio belli Peloponnesiaci.
77. Anno a Salaminia victoria.
19. Anno ante captam Romam a Gallis, ut Polybius scribit.

Anno mundi 3563.

De triginta Tyrannis.

Ut autem victores Lacedaemonii ubique potentiam plebis diminuebant, et Oligarchias constituebant: ita et Athenis formam gubernationis mutarunt, et triginta viris Atheniensibus dederunt summam potestatem, et addiderunt Laconicum praesidium. Hi triginta initio suo consilio, sine cognitione, turbulentos cives, quos fuisse seditionum autores notum erat, interfecerunt. Nec id aegre tulit populus, quia nemo ignorabat fuisse seditiosos, et necesse erat, palam seditiosos e medio tollere. Sed immoderata potentia non diu manet intra iustas metas. Aliquanto post igitur hi triginta viri etiam honestos cives, quos metuebant aut oderant, expulerunt civitate, aut interfecerunt. Et ut se munirent maiore praesidio, catalogum scripserunt, tria millia civium, quos delectos ex caeteris existimabant sibi fore fideles, et cum his bona damnatorum, et multorum aliorum partiebantur.

Erat inter hos triginta *Theramenes*, qui ut erat astutus, et antea mutationes quasdam rexerat, et arte deduxerat rem ad deditionem, ut urbs servaretur. Hic cogitans, hanc saeviciam non posse diuturnam esse, et sciens praestantiam virtutis in Thrasybulo exule, fuit hortator moderationis. Metuens igitur Critias, qui inter triginta crudelissimus erat, ne, ut erat artifex Theramenes, contra hunc statum aliquid moliretur, accusat eum apud collegas, et petit eum interfici. Theramenes se excusat, et respondet, sua consilia non contraria huic statui, sed potius salutaria esse, quia iniusta saevicia non possit esse diuturna. Et nosse se inquit magnitudinem animi et consilii in expulso Thrasybulo, qui nactus exulum multitudinem, non sit omissurus consilia recuperandae patriae.

Denique lex tuebatur Theramenem, recens lata: Ne collegae, aut illi, qui in catalogo scripti erant, sine iudicio interficerentur. At ego, inquit Critias, ne hic lege se tueri possit, nomen eius deleo, et eum condemno. Tacent collegae, quia vident armatos ex catalogo circumstare. Et cum ad aram confugeret Theramenes, imperat lictoribus Critias, ut eum ab ara abstrahant, et interficiant. Abstractus ducitur ad bibendum venenum, quod cum exhausisset, et aliquantulum quod reliquum erat, effudisset, iocans inquit: Hoc propino Critiae. Hic exitus est Theramenis, interfecti saevicia collegae propter moderata consilia.

Fuerat autem et antea mutationum in Republica et autor et dissolutor callidus, seu ut Reipublicae, seu ut sibi consuleret, ut in Comoediis exagitatur, quod arte solitus sit se ex periculis evolvere, et se ad occasiones inflectere. Unde et Cothurnus nominatus est. Et Aristophanes in Ranis ait, cum venit in discrimen, arte eluctatum esse: *Πέπτωκεν ἔξω κακῶν οὐ χῖος ἀλλὰ κῶος*, alludens ad ludum talorum, non unitas, sed senio victor. Accidit autem hoc in civilibus dissensionibus, ut moderati a vehementioribus opprimantur, ut dici solet: *Ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, μή ποτε γενήσεται δράκων.*

De Thrasybulo et Ἀμνηστίᾳ.

Etsi autem post hanc cladem nec potentia prior Athenarum, nec virtus nec autoritas resti-

tuta est: tamen utcunque Deo ita volente servare urbem, primum exules oppressis triginta tyrannis recuperarunt patriam, et veterem formam gubernationis restituerunt duce Thrasybulo. Aliquanto post et *Conon* eripuit imperium maris Lacedaemoniis, et rursus aedificavit muros Athenienses. Horum duorum virtus in restitutione patriae praecipua fuit.

Post interfectum Theramenem Critias et aliqui eius collegae maiorem saeviciam exercuerunt, et scribitur, iussisse eos filias quorundam interfectorum saltare in cruore parentum, quae se praecipites ex illis locis deiecerunt. Cum igitur Thrasybulus sciret, iam in odio esse Critiam et collegas, adduxit septuaginta in Atticam, et oppidum Phylen occupavit. Quare cognita, in ipsa urbe multi cives recusant militare cum tyrannis. Accersunt igitur tyranni Spartanum regem Pausaniam, qui audiens scelera triginta tyrannorum, et intelligens, Thrasybulum velle societatem cum Lacedaemoniis inviolatam esse, non impedivit eius reditum in patriam. Thrasybulus itaque dimicans cum exercitu tyrannorum, trucidavit Critiam, et quosdam eius collegas et praeconium fecit, se non gerere bellum cum civibus, sed velle ut patria veteribus legibus regatur. Ita in urbem rediit Thrasybulus cum caeteris exulibus, et leges veteres, ordinem magistratuum et iudicia restituit.

Sed ut civitas tranquilla esset, decretum factum est de *ἀμνηστίᾳ*, id est, ut oblivio esset veterum iniuriarum. Et quia multi tenebant res alienas, quoquo modo translatas, alii haereditatibus, alii emptionibus, alii dotibus, alii aliter, et repetitio paritura erat nova bella, sancitum est, ne lites moverentur de praesentibus possessionibus, sed ut in posterum nihil contra leges fieret. Haec *ἀμνηστία* restituit Athenarum tranquillitatem. Sic in dissensionibus civilibus saepe decursum est ad *ἀμνεστίαν*, ut futurae paci consuleretur, ut censuit Romanus Senatus interfecto Iulio Caesare. Et in aliis historiis saepe dicitur: Pacem faciant singuli, *ἔχοντες ἃ ἔχουσι*. Haec exempla meminisse utile est.

Pausanias postea in urbe Sparta accusatus, quod non defendisset triginta tyrannos, se excusavit, quod iniusta crudelitas sociorum non fuerit approbanda aut adiuvanda, et satis fuerit, Athenienses retineri in societate Lacedaemoniis promissa. Ibi pares calculos tulit, quo more significatum est, eum absolvi. Et docet exemplum, socios iniustam crudelitatem exercentes, non defendendos esse. Sicut etsi socii erant Constantinus et Licinius, tamen Constantinus defendit Ecclesiam contra Licinium. Socii Lacedaemoniorum et Thebani erant, cum Thrasybulus in patriam rediret. Et mandaverant Lacedaemonii, ne Thebani exulibus Atticis praeberent hospitium. Sed Thebani prorsus contrarium edictum proposuerunt, se non impedire exules Atticos, gerentes arma contra triginta tyrannos, ac mandare se, ut nulla domus clausa sit exulibus Atticis. Sed fuerunt haec exempla divini iudicii, contra iniustam et atrocem saeviciam, sicut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Imperium Laconicum.

Tenuerunt imperium Lacedaemonii annos novem et viginti, post victoriam Lysandri ad Aegos Potamos, usque ad pugnam Leuctricam, quae facta est initio Olympiadis centesimae secundae, cum Helice et Bura biennio ante terrae motu absorptae essent, anno quarto Olympiadis centesimae primae, ut diserte inquit Pausanias. Fuit autem aliquantisper tranquilla Graecia, donec Agesilaus rex Spartanus et Lysander duxerunt exercitum in Asiam, qui cum domi pax esset, adiicere imperio suo Asiae partem et Persicam potentiam debilitare conabantur. Ac initia Agesilao laetissima fuerunt. Magnis aliquot praeliis Tissaphernem vicit, propter quas clades iratus Artaxerxes, Tissaphernem interfici iussit, et successorem misit Tithrausten.

Interea in Graecia tumultus orti sunt inter Phocenses et Locros. Cumque Thebani defenderent vicinos Locros, accusantur a Phocensibus apud Spartanos. Remiserat autem Lysandrum Agesilaus in patriam propter aemulationem. Etsi autem Spartani alioqui Thebanos oderant, tamen magis eos accendit Lysander, qui et natura inquietus erat, et scribitur in senecta, propter adustam atram bilem factus iracundior. Hic Thebanis magis quam caeteri irascebatur, propterea quod Atheniensibus exulibus hospitium praebuerant, contra edictum Spartanorum. Decretum igitur faciunt Ephori, ut Thebanis bellum inferatur. Hi ab Atheniensibus auxilium petunt, qui antea in Sparta petiverant, ne bellum inferretur Thebanis, sed ut iudicio controversia inter

Phocenses et Locrenses dirimeretur. Postea cum Thebani auxilium peterent, Thrasybulus memor beneficii Thebanorum suasor est, ut iuvarentur, et accedunt auxilia aliarum civitatum. Ita rursus in Graecia ex levi causa ingens bellum, et exitiale Lacedaemoniis, ortum est. Duxit partem exercitus Laconici Lysander. Is in oppugnatione Haliarti, erumpentibus Thebanis extra oppidum, in pugna interfectus est. Hic exitus est Lysandri, qui Athenas coeperat, cuius virtute Spartani imperio potiti fuerant. Sed superbiam poena sequuta est. Scribitur enim, huic primo omnium Graecorum divinos honores habitos esse.

Erant autem tam laeti successus Agesilai in Asia, ut procedere in regnum Persicum cogitaret. Sed Spartani crescente potentia Thebanorum revocant eum, missa Scytala. Hic tanta fuit modestia Agesilai, ut relicta maxima spe occupandi Persicum imperium, mox in patriam redierit, haec modestia in tanta potentia ita praedicatur, ut longe omnibus ipsius victoriis anteferatur. Tanta autem fuit de eius iusticia, fortitudine et modestia opinio, ut Lacedaemonii summum ei imperium et exercitum in terra, et classes in mari, commendaverint. Et scribit Theopompus, fuisse eum summum virum suae aetatis.

Cum autem in Asia triennio fuisset, et multas urbes Persis ereptas, imperio Laconico adiecisset, et sociis iuste et moderate imperasset, discedens reliquit sui dissimiles, avaros et crudeles Harmostas. Classi autem praefecerat Pisandrum uxoris fratrem.

Erat eo tempore *Conon*, exul Atheniensis apud Evagoram regem Cypri, qui cum octo navibus fugerat ex pugna ad Aegos Potamos. Hic et Evagorae et regis Persici pecunia et navibus instructus, mittitur contra Lacedaemonios, cum Persae viderent nimium crescere potentiam Laconicam in Asia. Hic Conon magno praelio ad Cnidum vicit Laconicam classem, et interfecit Pisandrum. Hac clade accepta Lacedaemonii rursus maris imperium amiserunt, et paulatim civitatum defectio sequuta est.

Haec clades denunciata est Agesilao in ipso reditu, et ad hanc alia clades accessit. Cum enim in Boeotiam in ipsa Solis eclipsi pervenisset ad urbem Coroneam, cum Thebanis et eorum sociis dimicans vulneratus est. Ac scribit Xenophon, tam acre praelium fuisse, ut nullum suo tempore fuerit acrius. Ex eo praelio cum multi in templum vicinum fugissent, iussit parci templo, et dimitti incolumes omnes, qui eo confugerant. Concessit et Thebanis petentibus cadavera interfectorum ad sepulturam. Adeo non indulsit irae, quanquam vulneratus erat.

Iam vero in Asia inclinatione facta Laconicae potentiae, rediit Athenas Conon, et patriae donans quinquaginta talenta, id est, triginta millia coronatorum, muros ea pecunia refici curavit, a Lysandro eversos. Ita *Thrasybuli* et *Cononis* virtute paulatim Athenae rursus erectae sunt. Nec multo post reditum Cononis, cum Lacedaemonii classem repararent, missus est Thrasybulus ad impediendos Lacedaemonios, qui Byzantium recepit, et res multas foeliciter gessit. Sed cum ad Aspendum milites eius populati essent agros, Aspendii irritati noctu erumpentes subito tumultu et Thrasybulum in suo tentorio, et milites aliquot interfecerunt. Hunc brevi, sed honestissimo testimonio ornat Xenophon lib. 4.: *Θρασύβουλος μέν τοι μάλα δοκῶν ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι, οὕτως ἐτελεύτησεν.*

Ut autem Lacedaemonii rursus crescentem potentiam Atheniensium et refectionem murorum impedirent, accusant Atticam civitatem, et nominatim Cononem apud Tiribazum ducem Persicum, ac monent, periculosam fore potentiam Atheniensium regno Persico, praesertim cum et Evagoram Persae metuerent. Mittunt igitur Athenae Legatos ad Tiribazum placandum. In his et Conon fuit. Hunc Tiribazus contra ius gentium captum in Persiam ducit, ubi in carcere seu necatus est, seu morbis extinctus. Accusator autem fuerat Antalcidas, Spartanus legatus. Is deinde a rege Persico, quia bello Thebano Lacedaemonii impares erant, impetravit edictum, quo rex pacem Graecis omnibus imperat, et bellum minatur iis, qui non sint obtemperaturi. Ac simul mandat Thebanis, ut arma deponant, et civitatibus pristinam libertatem reddant. Quia vero Lacedaemoniocum consilio haec pax impetrata fuerat, et adhuc magna erat ipsorum potentia, et Agesilai praecipua autoritas, Lacedaemonii se ostenderunt fore huius edicti regii defensores, quod celebri appellatione nominatur Pax Antalcidae. Iurant igitur Graecae civitates omnes, se obtemperaturas esse. Sed astute Lacedaemonii huius pacis praetextu suam potentiam rursus confirmare conati sunt. Occupant fraude Cadmeam Thebarum arcem. Ibi et coniuges et filias honestorum

civium rapiunt, et Thebis expellunt quos volunt. Ideo Pelopidas et Epaminondas, et alii exules, foedere clam facto, magna prudentia et fortitudine irrumpunt in arcem, et eiiciunt inde Laconicum praesidium, aliquot viris interfectis.

Dederant autem hospitium Thebanis exulibus Athenienses, qui et postea eos iuvant contra exercitus Laconicos. Tandem rex Spartanus Cleombrotus cum exercitu in Boeotiam veniens, non procul ab oppido, cui *Leuctra* nomen erat, cum Thebanis dimicat. Ibi interfectis rege Cleombroto et mille Spartanis, quorum praecipua erat nobilitas, et dilapsis eorum sociis, victores fuerunt Thebani.

Ac locum tantae cladis voluit Deus testem seu monitorem esse de sua ira. Nam aliquanto ante pugnam quidam ex Spartana nobilitate hospitaliter excepti in Leuctris a Scedaso, postea redeuntes absente patre, filias eius duas, vi stupratas, interficiunt et in puteum abiiciunt. Pater deinde Spartam profectus ac petens, sceleris autores puniri, derisus est. Et narrantur alia exempla crudelitatis et libidinum, quibus in imperio Spartani et iram Dei irritarunt, et voluntates civitatum a se alienarunt.

Cum igitur Deus in eo ipso loco puniverit Lacedaemonios, qui sceleris vestigium fuerat, voluit homines et de magnitudine perpetrati sceleris, et de iudicio divino commonefieri. Denunciata fuit antea poena oraculo, quod recitat Pausanias. Id his versibus reddidi:

Leuctra mihi sunt curae, et mors tristissima, gnatae
Occisae Scedasi qua periere duae.
Hic atrox fiet pugna, et saevissima caedes,
Fatalis quando venerit illa dies.
Quam prius haud quisquam norit, quam Dorica pubes
Amittet robur, militiaeque duces.

Facta est autem pugna Leuctrica:

Anno Artaxerxis 32.

Anno 29. post pugnam Lysandri ad Aegos Potamos.

Initio anni secundi Olympiadis centesimae et secundae, die quinto Iunii.

Anno ante initium regni Alexandri tricesimo sexto, quod omnium scriptorum consensu collocatur in annum primum Olympiadis centesimae et undecimae.

Etsi autem usque ad Leuctricam cladem numerantur anni principatus Spartani, tamen non mox processerunt Thebani in Laconicam, sed Lacedaemonii nunciata clade multa graviter fecerunt, et profuit haec Agesilai moderatio ad leniendam tristiciam. Usitatum fuit apud Spartanos, ut qui ex acie fugerant iudicarentur infames, qui quidem ab aliis civibus discernebantur vestitu et barba, ac licebat cuilibet praetereuntem verberare, nec licebat eis uxores ducere. Cum autem multi nobiles et fortes viri ex fuga domum rediissent, et essent qui usitatum morem de his, qui fugerant, servari vellent, accessit ad concionem Agesilaus, et iussit, ut sinerent leges eo die dormire, quia calamitas accidisset, non ignavia civium, sed iniquitate fortunae. In posterum autem ab eo die leges servandas esse. Hac ἐπιεικείᾳ reversos cives infamia liberavit.

Cum igitur mitteretur Archidamus, filius Agesilai cum exercitu Laconico in Boeotiam, accersunt Thebani Iasonem Phereum ex Thessalia, cuius tanta erat virtus et autoritas, ut existimaretur in Asiam traiecturus esse, ut bellum Persis inferret. Is cum venisset ad Thebanos, hortator fuit eis, ne dimicarent cum Lacedaemoniis, qui irritati nunc et cautiores et firmiores futuri essent. Et cum utrisque dissuaderet praelium, perfecit ut certis conditionibus pacem facerent. Ita sine praelio Lacedaemonii domum redierunt. Et Iasonis verba recensentur apud Xenophontem: Solet Deus ex parvis magnos facere, et ex magnis parvos.

Hic Iason domum reversus fraude interfectus est. Cumque in Thessalia contra tyrannos aliquae civitates a Thebanis auxilium peterent, profectus eo Pelopidas, postea a tyranno Alexandro Phereo captus est, cuius tanta fuit saevicia, ut homines vivos insueret ursorum pellibus, et canes contra eos incitaret. Ac in prima expeditione Thessalica, cum Pelopidam fraude captum esse Epaminondas audiret, profectus eo cum exercitu, tantum incussit Alexandro terrorem, ut redderet ipsi vivum et incolumem Pelopidam. Ita fide et virtute amici Pelopidas tunc servatus est. Sed postea reversus in Thessaliam Pelopidas, in acie dimicans a tyranni exercitu interfectus est. Tyrannus vero postea domi a coniugis fratribus, faces tenente coniuge, dormiens trucidatus est.

Interea dum Thebani occupati sunt motibus Thessalicis, et ipsi et Lacedaemonii, et aliae civitates ostendunt, se pacem Antalcidae non vio-

laturos esse, Mantinei exules freti hac pace conveniunt, et patriam Mantineam instaurare conantur. Fuerat autem Mantinea praecipua urbs Arcadiae, condita a filio Lycaonis, cuius nomen fuit Mantineus. Quae cum vicina esset Laconicae, et tamen (ut gens Arcadica inquieta fuit, et mercede militare consueverat) saepe adiungeret se hostibus Lacedaemoniorum, et velut arx esset hostilium copiarum, a Lacedaemoniis eversa fuit. Quare cum viderent, non sine periculo viciniae eam instaurari, Agesilaus impedire instaurationem conatus est. Accersit igitur gens Arcadica Thebanos. Ita novum bellum in Graecia accensum est, in quo Sparta pene funditus periit. Nam Epaminondas, quem propter ipsius virtutem socii libenter sequebantur, exercitum in Laconicam duxit quadraginta millium virorum, et vastata Laconica et multis oppidis occupatis ad Spartam accessit, nec tamen fluvium Eurotam, qui nivibus intumuerat, transiit. Ac tantus terror incussus est Spartanis, ut servos armarent, promissa eis libertate. Cumque speciem iusti exercitus, sex millia armatorum, in urbe Agesilaus haberet, disposuit eos certis locis, quia Sparta sine moenibus erat. Ea res deterruit Epaminondam, ne oppugnationem tentaret. Nec Agesilaus, etsi conviciis provocabatur ad dimicandum, tunc iudicabat ex urbe exercitum educendum esse. Steterunt autem ambo in contrariis ripis Eurotae, Agesilaus et Epaminondas, sese mutuo contuentes, et alter alterius virtutem admirantes, et fortunae vices cogitantes. Erat enim triste spectaculum, cum anni sexcenti essent ab Heraclidarum regno in Laconica, nec unquam in ea conspecti essent hostiles exercitus, nec incendia et populationes ab hostibus ibi factae essent, nunc totam regionem uri et vastari. Ac ut Athenae ante triginta annos deditione facta imperium et libertatem amiserant: sic Spartae nunc pene similem calamitatem esse. Ipse etiam Agesilaus exemplum fuit inconstantiae rerum humanarum, qui et florentissimam patriam acceperat, et formidabilis fuerat regi Persico, et suae aetatis propter virtutem laudatissimus dux fuerat, nunc senex patriae videt incendia et civium funera. Profuit tamen patriae animi robore et consilio. Non enim deseruit urbem, et cives armavit. Et cum exercitum Epaminondas propius urbem adduxit, emissis equitibus et ex insidiis adortus hostiles copias, terrorem eis incussit, ne procederent.

Commoratus autem Epaminondas ad urbem Spartam quatriduo, cum et dilabi Arcades ad praedam videret in regione opulenta, in quam spolia ex multis gentibus congesta erant, discessit inde ad alia oppida occupanda, fuitque in Laconica tres menses. Interea Lacedaemonii ab Atheniensibus auxilium petiverunt, facta commemoratione mutuorum beneficiorum, et orantes, ne hos, qui in maximis Graeciae periculis fuissent velut παραστάται Atheniensium, deleri sinerent. Ibi cum civitas Attica, ut saepe alias, oblita offensionum, vellet Graeciam salvam esse, decrevit ut misso exercitu Lacedaemonii defenderentur. Misit et Dionysius Siculus pater viginti triremes, in quibus fuisse Celtas et Iberos narrat Xenophon. Et quidem postea plurimum profuisse Lacedaemoniis Celtas inquit.

Epaminondas.

Postquam vero discessit ex Laconica Epaminondas, Spartani propter societatem Atheniensium, et instructi auxiliis ex Sicilia missis, paulatim oppida sua recipiunt. Hos cum reprimere Arcades conarentur, nondum finis fuit belli. Cumque Agesilaus propter senectam ducere exercitum non posset, missus est filius Archidamus cum Spartanis copiis et auxiliis Celticis adversus Arcades, quos ita vicit, ut magna hostium multitudine interfecta, et nullo Spartano amisso, nominata sit illa pugna: ἀδακρὺς μαχή. Neque tamen Arcades tumultuari desierunt. Cumque nova foedera fecissent cum Eleis et aliis, et deinde Arcades ipsi inter sese disiuncti essent, ut semper fuit genus hominum inquietum et rapax, et pars (Mantinei videlicet) defecisset ad Lacedaemonios, alii a Thebanis auxilium peterent, et Messanae instauratio Thebanis curae esset, rediit Epaminondas in Arcadiam, ducens ex Boeotia et Euboea et Thessalicis equitibus mediocres copias, quas accessione sociorum in Arcadia auxit. Iam et Lacedaemonii mediocres copias habebant, quia equites Atheniensium, et pars Arcadum, Mantinei et Achei, ad eos accesserant. Eduxit igitur Agesilaus exercitum ad Mantineam. Hic Epaminondas sperans se nactum occasionem rei magnae perficiendae, videlicet occupandae Spartae, quia exercitus inde aberat, omisso praelio iter suscipit versus Spartam. Sed re indicata a Cretensi milite, Agesilaus redit Spartam cum filio Archidamo et

paucis aliis. Quo cum Epaminondas venisset, acerrima pugna repulsus est. Hic rursus senis, Agesilai virtute patria servata est, non ut antea, sine praelio. Scribit enim Xenophon, divinitus factum esse, ut Thebani, qui antea Lacedaemonios vicerant, et ignem spirabant (his enim verbis utitur: πῦρ πνέοντες) nunc tam paucis cesserint. Nam Archidamus paucissimos ex urbe educens, cum interfecisset aliquot Thebanos in prima acie, tantum reliquis terrorem incussit, ut fugerent. Adeo nec fortunae nec virium magnitudini confidendum est, sed cogitandum est dictum: Victoria a *Domino* est. Uterque autem dux in maiore admiratione fuit, alter propter consilium oppugnandae urbis, alter propter celeritatem reditus et defensionem patriae.

Regressus autem Epaminondas, etsi videbat, se non sine periculo dimicaturum esse, tamen quia pugnandum esse statuerat, non procul a Mantinea castra locat. Ibi intentus in occasiones, adortus est hostes praeter ipsorum opinionem, et arte aciem ita instruxit, ut robur hostilis exercitus pelleret. Eo in loco cum ipse praelium cieret, et cedere hostes cogeret, vulnus accipit. Quia autem propter vulnus ducis milites non sequuti sunt hostem cedentem, minus magna strages facta est. Epaminondas vivens relatus in castra, non prius spiculum ex vulnere evelli permisit, quam interrogavit, utri vicissent. Cumque victores esse Thebanos diceretur, spiculo evulso patriae gratulans placide mortuus est. Hic est exitus Epaminondae, qui non solum propter iusticiam, fortitudinem, modestiam et fidem erga amicos valde laudatur: sed etiam quia doctrinas a Lyside Pythagorico didicit, quarum studiis in eius pectore magis confirmatus est amor iusticiae et modestiae.

Cum autem post Epaminondae mortem utrique se pro victoribus gererent, *Thebani* et *Spartani*, eaque ex re passim novi motus orirentur, inquit Xenophon in fine suae historiae: Confusio et perturbatio maior fuit in Graecia post Epaminondae pugnam, quam fuit ante. Tales bellorum exitus saepe sunt, ut hoc decennio vidimus bella ex bellis nata esse, sicut Pindarus inquit: Facile est cuivis movere urbem, sed in tranquillum sistere sine *Dei* auxilio nemo potest. Praecipua tamen fuit tunc potentia Thebanorum, qui non multo post Epaminondae mortem contra Phocenses, qui templum Delphicum spoliaverant, bellum moverunt, Olympiadis centesimae quintae anno quarto, quod nominatur *bellum sacrum*, cuius saepe fit mentio in Oratoribus. Pertinet autem historia belli sacri ad Ochi tempora, ut postea dicam. Nunc breviter eius mentionem feci, ut series Graecorum bellorum facilius mente comprehendi possit, et consideretur, semel motis imperiis, non facile ea sedari posse. Captis Athenis sequuta est recuperatio, quam adiuverunt Thebani. Inde Spartani Thebanos adorti, rursus amiserunt imperium. Postea in bello sacro Thebani attraxerunt Macedones. Aliquanto post ab Alexandro Thebae funditus deletae sunt, et horribiles poenae per omnes Graeciae populos vagatae sunt, ac simul extincta est ubique vetus doctrina ac disciplina, et perpetua latrocinia in Graecia fuerunt. Has ruinas gentium intuentes cogitemus de causis et similibus omnium temporum miseriis, et petamus, ut filius Dei sit umbraculum Ecclesiae suae, sicut texit in Aegypto domos sanguine agni conspersas.

Res Romanae.

Anno ab urbe Roma condita trecentesimo et sexagesimo quinto urbs Roma a Gallis capta et incensa est, Olympiade nonagesima nona, regnante in Persia Artaxerxe Mnemone, anno vigesimo post captas Athenas a Lysandro, ut Polybius scribit. Integra vero historia apud Livium legatur, ut res Romanae aliae. Hic tempora tantum insignium eventuum annotamus. Sed quia illa Celtarum expeditio in Italiam non brevis fuit, et magnarum mutationum et multorum praeliorum causa fuit, aliquid et de gente et de occasione expeditionis addam.

Veteres Graeci regionem ad Alpes sitam, versus Oceanum Septentrionalem et Occidentalem uno nomine Celticam nominarunt, videlicet, totam oram ab Oceano Occidentali ad Harcyniam usque. Deinde ab Harcynia versus Orientem uno vocabulo Sarmatias nominarunt, etsi vicinas aliquas Alpibus distinguunt, ut Boios, Noricos et inde Paeonios, Mysos. Inquit igitur Herodotus, oriri Istrum in Celtis et Pyrene, quod hodie nominatur vff der Bar, et dirimere mediam.

Nomen vero Κέλτος est a γαλάτης. Et scribit Apianus, se nihil de origine nominis aut gentis verisimilius reperisse, quam hoc, quod Polyphemo in Sicilia duo sint nata filii ex Galatea, quorum alteri fuerit nomen γαλάτης, alteri ἴλλυ-

ρος. A Galata ortos esse γαλάτας, unde postea factum est nomen Celti. Nos vero scimus, eandem esse vocem Galli et Wallen. Significat igitur revera Galli peregrinatores seu migrantes. Et quidem vocabuli origo Ebraea est.

Multae autem et diversae gentes consederunt in utraque ripa Rheni, et in illa ulteriore regione versus Oceanum Occidentalem et versus mare Ligusticum. Nam et Massylienses fuerunt Ionum colonia. Et Vienna in Gallia Cretensium colonia est. Fuit enim eodem nomine urbs Cretae, ut scribit Stephanus, dicta, quod ibi Otus et Ephialtes Martem coeperint. Qua narratione significatum est, bella ibi fratrum istorum virtute sedata esse, unde postea reliquiae in Gallia consederunt. Magnam Galliae partem et Ligyes tenuerunt, quos Stephanus inquit ex Tarso venisse. Tarsus autem dicitur a Tarsis filio Iavan.

Consedisse autem in ora Septentrionali Galliae Senonas certum est, qui fuerunt ex nostra gente Teutonica, quae nomen habet ab Ascane Tuiscones. Et non dubium est, vicinas gentes in Italiam et postea in Graeciam duxisse exercitus, mixtos ex Teutonibus et Gallis.

De expeditione in Graeciam postea dicemus, in qua Brennus post Alexandrum centum et quinquaginta millia peditum, et viginti millia equitum et quadringentos in Graeciam duxit, de quibus scribit Callimachus, dicere Apollinem, suam et regis Ptolemaei communem fore victoriam, se ad Delphos fulmine interfecturum esse Celtas, sed regem Ptolemaeum interfecturum esse Celtas ad lacum Serbonidem, id est, Asphaltiten. Postea enim cum in Asiam attracti essent, Ptolemaeus Evergetes multos interfecit ad Asphaltiten.

Ex his narrationibus apparet, et magnum robur harum gentium fuisse, et magnam multitudinem ex patria eductam esse. Sed expeditionem in Graeciam antecessit Italica, cui occasionem praebuit poena libidinis. Tenuerunt Italiae oram ab Alpibus ad Tibrim usque tres gentes: Heneti ad sinum Adriaticum; Ligures contrarium littus ad occasum; Media ora, quae et ubertate soli et amoenitate longe excellit, fuit Tyrrhenorum, quorum appellatio antiquissima est. Ulterior Italiae pars nominata est Ausonia, ab Ausone filio Ulyssis et Calypsus. Fuerunt autem Tyrrheni Lydorum coloni. Lydi autem ab Aegyptiis orti sunt. Et fuisse tetras libidinum confusiones in Tyrrhenia, narrat Timaeus, qui circa haec tempora vixit. Occasio autem, qua Celtae et Senones in Tyrrheniam adducti sunt, haec fuit:

Adolescens nobilis Clusinus, *Lucumon*, tutoris coniugem rapuit. Tutor hoc iusto dolore incensus, invitavit Celtas, ut sedes quaererent in ea parte Italiae uberrima, et scelus Lucumonis punirent. Ita cum Deus universae gentis Tyrrhenae scelera puniturus esset, egressi ex horridioribus locis Celtae et alii, Tyrrhenos oppresserunt. Et credibile est, non fuisse brevem et subitam expeditionem, sed paulatim plures exercitus ex Gallia et Teutonicis gentibus eo infusos esse.

Ab his affirmant veteres scriptores Graeci et Latini, conditas esse urbes, Senas a Senonibus, Mediolanum, Veronam, et alias quasdam. Qua autem occasione Romam attracti sint, narrat Livius, apud quem integra historia legatur.

Artaxerxes Ochus, Persarum rex octavus.

Regnavit annos sex et viginti, ac regnum occupavit necatis duobus fratribus. Huius gubernatio cum plena fuisset crudelitatis adversus domesticos, externas nationes, et adversus Ecclesiam in Iudaea, quae mediocrem tranquillitatem et quasi Halcyonia habuerat, tandem ipse a quodam suo duce interfectus est. Initio gubernationis Sidonem proditione coepit, ubi cum supplices interfecisset, irati Sidonii, ipsi urbem incenderunt. Ac periisse ibi quadraginta millia hominum scribitur. Postea Evagoram Cypri regem, de quo extat Isocratis oratio, cum fuisset eius socius, interfecit.

De saevicia Ochi adversus Ecclesiam.

Recuperavit Ochus et Aegyptum. Cumque in vicinia Iudaeae bellum gereret, saeviciam in Iudaeos etiam exercuit, quibus ad id tempus a Longimano usque Deus tranquillitatem dederat, ut instaurari urbes, templum, doctrinae studia, et totus ordo gubernationis possent. Sed tanta est humanae naturae infirmitas, ut in rebus secundis laeticia afferat negligentiam in frenandis cupiditatibus. Coeperunt igitur iam fratres de summo sacerdotio certare. Summus Sacerdos erat Iohannes. Hunc ut frater eius Iesus excuteret, petit a Vagose Persico praeside auxilium, et conatur vi occupare templum. Ibi a fratre Iohanna frater in templo trucidatur. Talia peccata irritarunt iram Dei. Venit igitur Ierosolymam Va-

goses, et ingressus templum inde spolia avexit. Cui cum diceret Iohanna, impie eum facere, respondet praeses Persicus, illum vero magis impie fecisse, qui ibi fratrem occidisset.

Postea Ochus et annuas pensiones templo eripuit, donatas a Cyro et Longimano, et indixit tributa populo Iudaeorum. Occupata etiam praefectura, id enim significat *ἀπόδασμος*, multa oppida delevit, et multas familias procul transtulit in Hircaniam ad mare Caspium. Rursus igitur Ecclesiam exercuerunt magnae calamitates usque ad Alexandrum Magnum, qui veniens Ierosolymam, ut postea dicetur, restituit Iudaeis *αὐτονομίαν* et pacem, et tributa remisit.

Res Macedonicae.

Non dubium est, nomen Macedo factum esse a Kittim, ut veteres dixerunt *μακέτης*. Fuit autem Kittim filius Iavan. Et libri sacri affirmant, Alexandrum ortum esse ex Cittim. Ac saepe fit mentio huius vocabuli. Significat autem Kittim percussores. Cum autem deinceps in historia mundi rerum Macedonicarum praecipua sit commemoratio, utile est, iuniores scire, quantum de origine regum Macedonicorum traditum est.

Vetustas adfirmat, reges Macedonicos ab Hercule ortos esse, et hanc seriem tradidit Herodotus:

Hercules.
Hyllus.
Cleodeus.
Aristomachus.
Temenus.
Perdicca. Hic primus in Macedonia rex factus est.
Argaeus.
Philippus.
Aeropus.
Alcetas.
Amyntas.

Alexander, qui cum esset in castris Mardonii, indicavit Aristidi, praeliaturum esse Mardonium.

Perdiccas et *Alcetas* fratres.

Archelaus natus ex patre Perdicca et ancilla Alcetae, nothus. Interfecit avunculum Alcetam et eius filium Alexandrum, et germanum fratrem, Perdiccae filium. Tenuit regnum annos 24. Gessit bella cum Thracum populis. Tandem interfectus est ab adolescente nobili, quem per libidinem contumelia affecerat. Estque de eo versus traditus: *τεύχων ὡς ἑτέρῳ τι, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.*

Archelai filii fuerunt *Orestes*, *Archelaus* et *Pausanias*, et ordine regnum annos octo tenuerunt. His extinctis rediit regnum ad legitimos haeredes, videlicet ad Amyntam filium Alcetae, interfecti ab Archelao.

Amyntas cum regnasset annos sex, reliquit filios tres, *Alexandrum*, *Perdiccam*, et *Philippum.* Cumque patri Amyntae successisset Alexander, natu maximus, interfectus est a Ptolemaeo Alorite. Hunc non multo post interfecit Perdiccas, quem deinde in praelio coeperunt Illyrici. Post hunc tertius frater Philippus, qui tunc obses aliquantisper Thebis fuerat, celeriter in patriam rediens, fratri in regno successit. Fuerat autem adolescens ductus Thebas a Pelopida, qui pacem fecerat inter Ptolemaeum Aloriten, et fratrem Philippi Alexandrum. Vixit autem Philippus Thebis apud patrem Epaminondae, quem habuit exercitiorum socium, et exemplum virtutis. De morte autem Philippi postea dicemus. Prius enim pertexenda est posteritas.

Philippo nati sunt ex Olympiade, *Alexander Magnus* et *Cleopatra*: Item ex matre Thessala, *Thessalonice*, quae nupsit Cassandro, interfecta a filio Antipatri, quem deinde interfecit frater ipsius Alexander. Hunc postea Demetrius interfecit.

Ex Cleopatra, sobrina Attali, natus est Philippo filius *Philippus*, quem Olympias una cum matre aeneo vasi inclusum, in ignem coniectum interfecit.

Postea interfecit Cassander Olympiadem, et Roxanen, coniugem Alexandri, et filium eius Alexandrum, et Barsenen alteram coniugem Alexandri, et eius filium Herculem. Antigonus vero iussit interfici Cleopatram, germanam sororem Alexandri Magni.

Tales poenae vagatae sunt per Philippi et Alexandri posteritatem, quia magna gloria a Deo ornati facti sunt insolentes, voluerunt sibi tribui divinos honores. Alexander etiam crudelitatem in amicos exercuit. Cogitemus autem, haec tristia exempla in tantis viris et nobilissimis familiis proposita esse, ut alios homines de modestia commonefaciant.

Nunc ad Philippi historiam redeamus, qui inter reges praecipuos recensetur, quia consilio et fortitudine excelluit, et parvis copiis magnos exercitus vicit.

Laudatus est in oraculo, in quo duo describuntur Philippi, quorum priorem ait fore victorem multarum gentium, et foelicem regem. Posteriorem vero, videlicet illum qui cum Romanis bellum gessit, regni eversorem. Versus extant in Achaicis Pausaniae:

In Macedum populis clarissima regna tenebunt
Argiva de stirpe, bonum damnumque, Philippi.
Horum qui prior est, gentes urbesque domabit.
Sed veteris regni perdet decus omne secundus,
A populis victus, quos mittent vesper et ortus.

Initio autem regni vicit Athenienses, qui Argaeo regnum tradere conabantur. Deinde facta pace cum Atheniensibus, vicit Paeonas et Bardyllin regem Illyriorum, trucidatis in praelio septem millibus Illyriorum, ac victor recepit oppida, quae regno Macedonico Illyrii ademerant. Deinde coepit Amphipolin et Pydnam, et oppidum Crenidas, ubi venae auri erant, quod auxit, et nominavit Philippos. Ex iis venis quotannis Philippus reditum habuit mille talenta, id est, sexcenta millia coronatorum.

In ea urbe postea Ecclesiam Paulus collegit, ad quam extat Epistola scripta ad Philippenses. Fuit autem antea nomen urbis *Δάθος*, unde proverbium est *δάθος ἀγαθῶν*. Postea accersitus Philippus in Thessaliam contra tyrannos, civitatibus libertatem restituit, et eas sibi foederibus adiunxit.

Circa id tempus ortum est bellum *sacrum* in Graecia, cuius saepe fit mentio, quia magnarum calamitatum causa fuit, et praecipue potentiam Macedonicam auxit. Inchoatum esse Pausanias scribit anno quarto Olympiadis centesimae quintae, et duravit annos continuos decem. Intervallum est autem interpugnam ad Mantineam et belli sacri seu Phocensis initium, anni quindecim. Tanta erant odia intestina Graecorum, nata ex superioribus bellis, ut diu quiescere non potuerint, et attraxerint externa auxilia et servitutem.

Occasio autem belli sacri haec fuit: In iudicio Amphictyonico damnati erant Phocenses, et Thessalis et Thebanis petentibus, ut magnam mulctam penderent. Hanc mulctam cum dare nollent, quia et agri eis adempti erant, Lacedaemoniis clam eos incitantibus, qui et ipsi magnam mulctam debebant, Philomelus Phocensis collecto exercitu columnas Amphictyonum evertit, in quibus decreta mulctae scripta erant, et agros consecratos recipit, aurum et argentum aufert ex templo. Addit et alteram causam: Phocenses veteri more defensores esse Delphici templi, id ius eripi ipsis a Thebanis queritur. Ut igitur opem ferrent iudicio Amphictyonico et templo vicini, Locri, Thebani et Thessali, bellum Phocensibus inferunt. Philomelus victor tribus magnis praeliis, quarto victus sese de rupe praecipitem deiecit. Hic primi ducis Phocensium exitus fuit. Secundus dux fuit Onomarchus, qui cum in somnio vidisset, sibi in templo datum esse Colossum, ut altiorem faceret, speravit suam potentiam maiorem fore. Sed tandem post multa praelia suspensus est. Ita Colossum auxit.

Suppeditabant autem Delphici thesauri pecuniam ad conducendos et alendos exercitus. Nam aestimatio auri et argenti, quod initio huius belli in Delphico templo fuit, scribitur fuisse decem millium talentorum, id est, sexaginta tonnarum auri. Vicit igitur Onomarchus Boeotios, et coepit urbem Coroneam. Vicit et duobus praeliis Thessalos, et cum his Philippum regem Macedonum, quem accersiverant Thessali ad belli societatem, et multos Macedonas trucidavit. Sed tertio praelio in Thessalia Philippus vicit Onomarchum, trucidatis sex millibus hostium, et captum Onomarchum affixit cruci.

Necato Onomarcho dux Phocensium factus est Phayllus, cui Lacedaemonii pedites mille, Athenienses quinque millia et quadringentos equites, et Thessali hostes Philippi duo millia. Sed tribus praeliis victus Phayllus a Boeotiis, ipse postea urbem Arycam in Locris coepit, et direptam funditus delevit. Sed cum phthisi mortuus esset, dux Phocensium factus est Phalaecus, Onomarchi filius, cui Mnaseas propter adolescentiam dux additus est. Sed Boeotii Mnaseam non multo post incautum oppresserunt et interfecerunt.

Postea cum Phocenses tres munitas urbes in Boeotia tenerent, Orchomenum, Coroneam et Corsias, ex quibus facile erat populari universam Boeotiam, Thebani nec pecunia nec viribus soli diutius belli molem sustinere potuerunt. Petunt igitur ab Ocho pecuniam, qui mittit eis trecenta

talenta, id est, centum millia et octoginta millia coronatorum. Accersunt et Philippum regem Macedonicum Thebani, qui magnum exercitum Macedonum et Thessalorum adduxit in loca vicina Boeotiae, ubi Phocensium dux Phallaecus erat cum exercitu. Sed cum Phallaecus non auderet dimicare, petivit a Philippo pacem, qui concessit ea conditione, ut relicta terra Phocensi et Boeotica transiret in Peloponnesum. Ita sine praelio Philippus finem belli fecit. Phocenses in servitutem redacti sunt, omnia oppida destructa sunt, et multitudo in villas distributa est, et agri eis traditi sunt, sed ita, ut quotannis penderent sexaginta talenta, id est, triginta et sex millia coronatorum. Iudicium Amphictyonum restitutum est, et decretum, ut Philippus ibi et successores reges Macedonici duo suffragia haberent. Phocensibus ademptum est ius suffragii. Decretum est etiam, ut Philippus Graecorum dux nominaretur. Finito igitur bello Philippus in Macedoniam rediit, parta non solum victoriae gloria in causa iusta et speciosa, quod templum et iudicium Amphictyonum defendisset, sed etiam moderationis in victoria.

Phallaecus postea in Creta militans in quadam oppugnatione fulmine ictus periit, et incensis machinis multi eius milites igni perierunt. Pausanias scribit, finem belli sacri fuisse anno primo Olympiadis centesimae octavae, ac fuisse eum annum belli decimum. Fuitque hic annus Ochi regis Persarum decimus nonus.

Arsames, rex Persarum nonus.

Ochi crudelitatem et poenae ipsius et regni interitus sequuntur, iuxta regulam: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Ochus interfectus est a principe Bagoa, qui cum regnum in sese transferre non posset, regem fecit Arsamen Ochi filium. Qui cum annos quatuor regnasset, etiam ab hoc ipso Bagoa interfectus est, metuente filium, propter necem paternam. Hic finis fuit familiae Cyri, in cuius consideratione deploranda est miseria humana, quod etiam talium posteritas cito degenerat, in quibus fuit vera agnitio Dei et excellens virtus. Fuerunt autem in regno Persico reges Deum recte colentes: Darius Medus, Cyrus et Artaxerxes Longimanus. Hi laudantur in libris Danielis et Esdrae.

Interfecto Arsame Bagoas ad principem Armeniae regnum transtulit, qui non fuit ex posteritate Cyri, ac nomen ei tribuit Darii. Hic Darius ultimus ab Alexandro victus et regnum et vitam amisit, ut postea dicemus.

Nunc ad res Macedonicas redeamus: Cum Philippus Macedo finem belli sacri seu Phocensis fecisset, anno primo Olympiadis centesimae octavae, et pace cum omnibus Graecis facta rediisset in Macedoniam, postea multas urbes in Thracia occupavit. Expulit etiam ex Euboea tyrannum Calliam, de quo dicit Aeschines, fuisse eum mutabiliorem Euripo maris, cui vicinus fuit. Cum autem Athenienses crescentem eius potentiam metuerent, et eum irritarent, et vicissim ipse debilitare potentiam ipsorum conaretur, tandem rediit in Graeciam Olympiade decima. Sunt igitur anni inter belli sacri finem, de quo diximus, et postremum adventum Philippi in Graeciam, circiter novem. Fuitque occasio postremi adventus haec aliena a causis prioris belli, in qua tamen etiam praetextus religionis ostensus est, ut saepe homines pravis cupiditatibus religionem praetexunt, quia videri volunt, se iustis et magnis causis ad bella movenda cogi. Hanc iusticiae simulationem graviores poenae sequuntur. Et Deus sinit homines in tales furores ruere, ut idolomaniae puniantur.

Fuit oppidum in Locris, *Amphissa*, quod campum duorum milliarium Germanicorum consecratum occupaverat, et tradiderat suis civibus, ut ibi villas extruerent, et colerent agros. Hunc campum cum restitui templo Delphico Amphictyones iussissent, armis etiam evertere villas conarentur, concursu Amphissensium repressa est turba, quam Amphictyones adduxerant. Defenderunt autem et Thebani Amphissam, quia Locri Thebanis amici erant. Fit igitur decretum Amphictyonum, de accersendo Philippo rege Macedonico, praesertim cum iam et ipse in consilio Amphictyonum duo suffragia haberet. Ac Demosthenes inquit, quosdam pecunia corruptos astute perfecisse, ut illud decretum fieret, ut eo praetextu Philippus accersitus Graeciam opprimeret. Ego odio Thebanae potentiae decretum illud a pluribus factum esse existimo.

Vocatus igitur Philippus exercitum adduxit in Graeciam, mense Februario. Ac primum Amphissenses punit. Erant utrique in metu, Thebani quia Amphissenses defenderant, et Athenienses propter Euboeam. Mittunt igitur legatos

ad Philippum, ac petunt, ne pacem quae in foederibus antea utrinque promissa erat, violet. Interea Philippus urbem Phocensem Elateam vi capit, et totam regionem Phocensem occupat. Cum autem iam et Graeciae partem occupasset, et caeteri in metu essent, suasor fuit Demosthenes, ut Athenienses et Thebani se coniungerent ad Graeciae defensionem. Et mense Maio decretum factum est, ut Philippus armis reprimeretur, et facta est cum Thebanis societas. Postea die septimo mensis Iulii ad Cheroneam urbem Boeotiae pugnatum est, fuitque tanta virtus Graecorum, ut diu anceps praelium esset, ac multis utrinque cadentibus trepidaverit Philippus, donec adolescens Alexander equites a fronte ad latus duxit, et in medium exercitum Graecorum irrupit. Ibi inclinatio facta est. Interfecti sunt autem cives Athenienses mille, et capta duo millia, multo plures vero Thebani et interfecti et capti sunt. Ac praesidium Thebis impositum est. Erat autem inter captivos Athenienses *Demades* orator, qui Atheniensibus pacem impetravit, et obtinuit, ut captivi sine precio redderentur.

Post victoriam Philippus convocatis Graecarum civitatum legatis Corinthum, ibi dux Graecorum contra Persas nominatus est, et constituta pace Graeciae in Macedoniam rediit, ac translaturus bellum in Asiam, misit eo partem exercitus. Sed dum commoratur domi, et ostentat regium splendorem cum aliis spectaculis, tum vero etiam sacrificio, in quo suam statuam inter Deorum statuas collocavit, in spectaculo quodam a satellite Pausania interfectus est, non diu postquam ad Cheroneam vicit Athenienses et Thebanos, sicut Oraculum praedixerat, victorem brevi post moriturum esse: Flet victus, sed victor mortuus est: κλαίει ὁ νικηθεὶς, καὶ ὁ νικήσας ἀπώλωλε. Ita rex praestantissimus consilio et fortitudine, adhuc aetate florens, tantum enim vixit annos sex et quadraginta, ut in Arcadicis apud Pausaniam narratur, interfectus est, cum et inter Deos coli vellet, et obscoenis voluptatibus se dederet. Quae delicta Deus horribilibus exemplis punit etiam in hac vita. Deinde et per coniuges et filios vagata sunt poenae, ut supra diximus.

Alexander Magnus.

Extincto Philippo filius *Alexander* ex Olympiade, quae nobilitate alias coniuges antecelluit, regno Macedoniae potitus est. Ac prodest meminisse tempus initii regni Alexandri, quia multa inde tempora post eum sumuntur.

Olympiadis centesimae undecimae anno primo coepit regnare Alexander, cuius temporis propter certitudinem saepe fit mentio. Fuit autem annus a condito mundo 3628. A reditu Nehemiae ex Babylone in Iudaeam anno 88. cum in Iudaea Pontifex esset Iaddus, cuius frater Manasses aliud templum contra legem Dei in monte Samariae, qui nominatur Garizin prope Sichem, condidit. Ita tunc non diu post reditum ex Babylone ambitio et discordiae Pontificum in Iudaea turbabant et politiam et doctrinam, et legitimos cultus. Quod eo magis mirum est, quia haec tempora Nehemias attigit, qui vixit circiter annos 130. Huius tanti viri autoritatem in senecta spreverunt iuniores, cupidi dominationis.

Supra dictum est, reges Macedonicos ab *Hercule* ortos esse, paterna origine. Olympias vero, mater Alexandri, ex *Aeacidis* est, hac serie:

Aeacus.
Peleus, vicit Centauros.
Achilles, filius Pelei, dolo interfectus a Paride.
Pyrrhus interfectus ab Oreste propter Hermionen, filiam Menelai.
Molossos rex Epiri et Pielus, nati ex Andromacha, olim Hectoris coniuge.
A Pielo scribitur ortos esse sequentes reges in Epiro, ut narrat Pausanias in Atticis.
Tarymbam.
Alcetam. Ex hoc
Neoptolemus et Arymbas.

Olympias Neoptolemi filia, mater fuit Alexandri Magni, et soror Alexandri Epirotae, qui cum in Italiam traiecisset, ut Tarentinis opem ferret contra Brutios, in Brutiis periit.

Arymbae filius fuit Aeacides, pater Pyrrhi, qui Pyrrhus postea cum Romanis bellum gessit.

Natus est igitur Alexander Magnus ex duabus familiis in Graecia praestantissimis, videlicet ex Herculis et Aeaci posteritate.

Darius, ultimus rex Persarum.

Regnavit annos sex. Coepit enim regnare eodem anno, quo Philippus mortuus est, a Bagoa qui Ochum et Arsamen veneno sustulerat, accersitus ad regnum propter opinionem virtutis. Cum enim Artaxerxes bellum gessit cum Cadusiis, et quidam Cadusius provocaret unum ex Persicis du-

cibus ad monomachiam, hic Darius Cadusium victor occidit. Quare Armeniae gubernatio ei commendata est. Etsi autem vocaverat eum ad regnum Bagoas, tamen ut semper in metu sunt homicidae, hunc quoque metuens, veneno tollere Darium conatus est. Sed re indicata Darius Bagoam venenum quod in eo convivio regi daturus erat, bibere coëgit. Ita Bagoas extinctus tandem scelerum suorum poenas dedit.

Cum autem sciret Darius, iam a Philippo missos esse exercitus in Asiam, mittit et ipse exercitus, et classis ducem facit Memnonem Rhodium, cuius peritia fuit excellens, et in Graecia mortuo Philippo concitavit contra Alexandrum civitates. Demosthenes etiam, ut fuit inquietus, belli suasor fuit, cui adversatus est Demades, qui ait, se reprehendisse Demosthenis decretum, quod fuerit tantum ὀνόμασι καλὸν, et fuisset exitiosum Reipublicae, si Athenienses obtemperassent. Inquit etiam Aeschines, a Demosthene adeo spretum esse Alexandrum, ut nominarit eum μαργίτην.

Cum igitur multi in Graecia florentem Persarum potentiam intuerentur, et confiderent auxiliis Persicis, hortatores fuerunt defectionis a rege Macedonico. Thebani igitur praesidium Macedonicum ex arce deiecerunt, et decretum fecerunt, ut qui Graeciae libertatem defensuri essent, se cum ipsis coniungerent. Haec nova belli causa fuit Alexandro.

Post mortem Philippi gentes bellicosae, vicinae Macedoniae res novas moliebantur, Illyrii et Triballi. Horum sedatis tumultibus Alexander initio regni Syrmum quoque regem Getarum, a quo Syrmium postea nominatum est, coëgit pacem petere. Ibi cum cognovisset Thebanos bellum movisse, celeriter in Graeciam rediit, et cum aliquot praelia circa Cadmaeam et in portis Thebanis facta essent, infusi milites Alexandri intra portas, coeperunt Thebas, ubi magna caedes in ipsa urbe facta est. Interfecta sunt sex millia hominum, capta et redacta in servitutem triginta millia. Urbs Thebana funditus deleta est, quam tamen postea Cassander restitui iussit. Et de exulibus, qui effugerant, decretum est, ne usquam eis in Graecia hospitium praeberetur. Sed Athenienses memores veteris beneficii, cum contra Lacedaemoniorum decretum Thebani ipsis hospitium praebuerant, nunc receperunt exules, nec eos expulerunt. Hanc gratitudinem postea Alexander comprobavit.

Anni sunt autem ab eo tempore, quo captae sunt Athenae a Lysandro sexaginta, nec sunt plures. Tam exiguo tempore primum Athenae et imperium amiserunt et captae sunt. Postea Sparta amisso imperio durissime afflicta est. Nec multo post urbs Thebana funditus deleta est. Fuitque is annus tertius post luctuosam pugnam ad Cheroneam. Ita cum floruisset Graecia sapientia et virtute, postea laxata disciplina, cum petulantia iuniorum et ambitione bella non necessaria moveret, magnorum scelerum poenas dedit, sicut et hoc tempore Turcicam tyrannidem attraxit idolorum cultu, libidinibus et odiis domesticis.

Dignum vero memoria est factum Timocleae matronae Thebanae, a qua cum posceret quidam ex Alexandri ductoribus quidquid habebat auri et argenti, et illa corpori metueret, dixit se monstraturam quo abiecisset. Educit igitur militem ad puteum in hortum, et ait, ibi occultatum esse. Cumque oculi militis ad puteum conversi essent, ipsa eum impellit, et in puteum praecipitat. Postea ad Alexandrum adducitur Matrona, qui audiens eius narrationem, et nobilitatem familiae, iussit eam cum filiis et filiabus liberam esse. Reges enim ut aliarum virtutum, ita et pudiciciae defensores esse debent.

Post Thebarum excidium ab Atheniensibus petivit Alexander, ut dederent oratores, Demosthenem et Lycurgum, qui bellum suaserant. Et censuit Phocion, sicut olim Erechthei filiae factae essent victimae pro patria, ita ipsi quoque ad hostem accederent, ac se interfici paterentur, ut patria tranquilla esset. Hic Demosthenes recitavit Apologum de Lupis, qui pastoribus pacem offerebant, ea conditione, si canes dederent. Sed cum populus dubitaret, orator Demades ad Alexandrum profecturum se esse promisit. Huic populus dat mandata, ut pacem petat. Item, ut petat, ne cogantur exules Thebanos expellere. Quae omnia Demadis legatione impetrata sunt. Haec Alexandri moderatio in victoria excellens virtus fuit, et opus Dei, qui incenderat eum singulari impetu, ad faciendam imperii translationem, et puniendam saeviciam et luxum Persarum, sicut Siracides inquit cap. 10.: Propter iniusticiam regnum a gente in gentem transfertur.

Pace constituta in Graecia communi decreto nominatus est *Alexander* dux Graecorum contra Persas, et secundo anno duxit exercitum in Asiam,

ubi quae praelia facta sint, quae urbes quanto labore captae sint, quanta victoris magnitudo animi, iusticia et modestia initio fuerit, discendum est ex integris historiis. Modestiae testimonium ingens est, quod cum Darii coniugem, filios et filias coepisset, curavit ut regio more alerentur, et nulla contumelia afficeretur. Quod Persicus nuncius narrans Dario, his eum verbis ornat: Alexandrum et in praeliis acerrimum, et in victoria clementem esse, *Δεινὸν μαχόμενον, χρηστὸν δὲ κρατήσαντα.*

Quarto anno cum Asiam et Ciliciam magno labore domuisset, Tyrum post longam obsidionem septimo mense coepit. ubi septem millia hominum in oppugnatione interfecta sunt, duo millia postea strangulata sunt, tredecim millia in servitutem redacta sunt. Haec calamitas ab Esaia praedicta est, qui Cap. 23. inquit, Venturos esse eversores Tyri ex terra Cittim.

Inde Alexander ad Iudaeam accessit, cui iratus erat, quia Iudaei in obsidione Tyri responderant, se memores magnorum beneficiorum, quae a regibus Persicis acceperant, nihil facturos esse contra eos. Cum autem Tyro capta Alexander in Iudaeam venisset, placaturus eum *Iaddus* summus sacerdos, ornatus veste sacerdotali, cum coetu sacerdotum et seniorum processit ei obviam, et pacem petivit. Ibi Alexander de equo descendens summum sacerdotem reverenter salutat, et pacem promittit. Duces admirantes interrogant, cur tanto honore hunc sacerdotem exceperit? Quibus respondet, se in Macedonia ante bellum dormientem vidisse talem speciem numinis, ornatam simili veste, vocantem eum in Asiam, et iubentem, ut bellum contra Persas moveret, et dextram porrigentem, tanquam ductricem. Eius speciei cum viderit hunc sacerdotem similem esse, existimare se, hunc populum Deo curae esse, seque ab huius populi Deo adiutum esse, quare ei parcere et benefacere decrevisset. Postea hospitaliter exceptus tributa ab Ocho tyranno imposita remisit, compescuit etiam vicinos in Samaria, qui adversus Iudaeos tumultuabantur. Credibile est etiam, narrasse sacerdotes Alexandro Danielis praedictionem, qui ante annos 200 vaticinatus fuerat, regem Graecum potiturum esse imperio Persico. Et non dubium est, de hac tanta generis humani mutatione sapientes multa collocutos esse.

Narrat enim et Diodorus, Seleucum scripsisse, Chaldaeos sacerdotes praedixisse sibi Alexandri interitum, et partitionem regni inter quatuor duces. Haec existimo ex Daniele sumpta fuisse.

Praecipue vero in hac historia consideretur exemplum, quod in tanta mutatione generis humani Deus Ecclesiam, cum nulla habuit humana praesidia, clementer texit, et fuit mediocris Ecclesiae tranquillitas sub Macedonicis regibus, fere usque ad Antiochi Epiphanis tempora, ut postea dicemus.

De Aegypto.

Regnum *Aegyptium*, ut supra dictum est, inter prima et pulcherrima regna generis humani fuit, et quanquam bella gessit cum Chaldaeis et Assyriis, tamen usque ad Persica tempora, annos circiter mille, semper retinuit proprios reges, et veterem regni formam. Cambyses vero et deinde Darius regno Aegyptio potiti sunt. Postea cum sub Dario Notho defecisset, difficili bello recepit eam Ochus, et magnam ibi crudelitatem exercuit. Fuit autem ultimi Darii tempore praefectus ibi Mazabes, qui cum sciret, Aegyptios odisse Persicum imperium, et quia ad arcendum Alexandrum imparatus esset, venienti ex Syria dedidit sese et Aegyptum sine certamine. Ita vetustum et opulentum regnum Alexander occupavit, et fortunam sapienter moderatus est, non mutavit veterem formam gubernationis, sed veteri more Nomarchas fecit, et quidem Aegyptios, nec uni ex suis commendavit universi regni gubernationem, sed praesidia imposuit diversis locis, et his ductores praefecit, pacis tuendae causa. Ac scribit Arrianus, additos esse duos inspectores, quos nominavit *Episcopos.* Quae omnia sic constituta sunt, ne si unus esset summus gubernator, regem se faceret. Et dicit Arrianus, Romanos Alexandri consilium postea in Aegypti gubernatione sequutos esse. Ita vetus doctrina in eo regno conservata est inde usque a Ioseph ad Mahometica tempora, annis plus duobus millibus. Scribitur et reditus Alexandro indicatos esse sex millia talentorum, id est, sex et triginta tonnas auri.

De praelio ad Arbela.

Constituto regno Aegypti ex urbe Memphi, quae nunc est Alcairum, rediit Alexander in Syriam, anno sexto postquam regnare coeperat.

Cumque Tyrum rediisset; multis rebus in Asia ordinatis, celeriter duxit exercitum adversus Darium. Cumque ad Arbela in Assyriam venisset, vicina fuerunt Alexandri et Darii castra. Ibi mense Augusto, ut Plutarchus recitat, eclipsis lunae conspecta est, cuius et alii scriptores mentionem fecerunt, qui et eodem mense, die vicesimo sexto pugnatum esse dicit. Quo in praelio profligatus est ingens Darii exercitus, interfectis nonaginta millibus hominum. Fuerunt in acie Darii cum Scythis Dai et Sacae, ut aliarum gentium nomina omittam. Acies ita instructa fuit, ut Alexander in medio esset cum Thessalis equitibus, Clitus teneret dextrum cornu, Parmenio sinistrum. Ubi etsi multi interficiebantur a Scythicis et Bactrianis equitibus, tamen Alexander recta ad Darium accessit, mediam aciem tenentem, quo pulso et fugato postea opem tulit Parmenioni, ubi acerrima pugna fuit.

Darius pulsus fugit per loca ardua et aspera in Medos, sed Alexander recta accessit ad Babylonem et Susa, quae urbes ultro deditionem fecerunt. Postea duxit partem exercitus in Medos, ut Darium persequeretur, quem Bessus praefectus Bactrianorum, cum intelligeret Alexandrum prope esse, interfecit.

Etsi autem Alexander post necem Darii mox in eum locum venit, ubi tanti regis corpus vidit iacere cruentum et sine honore, tamen non vidit viventem Darium: sed ipse regio honore sepeliri eum curavit. Bessum vero interfectorem comprehensum iussit discerpi, alligatum duabus arboribus inflexis.

Hic fuit exitus regis Darii, qui etiam est insigne exemplum inconstantiae rerum humanarum. Et quidem tota mutatio imperii, deletis tot urbibus, et trucidatis tot exercitibus, plena est multorum horribilium exemplorum, quae sunt commonefactiones de iudicio Dei, qui non leniter mutat imperia propter multa magna scelera hominum, ut saepe dictum est: Propter iniusticiam mutantur regna.

De tertia monarchia.

Mortuo igitur Dario, anno suae aetatis quinquagesimo, cum regnasset annos sex, translata est monarchia a Persis ad Alexandrum, cum Persae tenuissent eam annos ducentos et paulo amplius. Estque initium Graecae monarchiae annus Alexandri septimus.

Extincto Dario anni aliquot consumpti sunt in expeditione Indica, in qua primum pervenit ad Taxilen, qui regnum habuit non minus Aegypto, et ubertate agrorum eximium. Is Alexandri fortunae cedens, ad eum ultro accessit, inquiens, nihil opus esse bello, malle se beneficiis certare. Si sit potentior, se daturum esse munera Alexandro, si inferior, se gratum fore, si beneficia ab ipso acceperit. Alexander adversus ultro cedentem nihil hostile faciendum esse censuit, dedit et accepit regia dona, et regnum eum tenere iussit.

Deinde cum Poro rege Indorum bellum gestum est. Nam is dimicare cum Alexandri exercitu ausus erat. Sed cum captus esset, interrogat eum Alexander: quomodo captum tractare conveniat? Respondit ille: *βασιλικῶς*. Cumque interrogat Alexander: an praeterea aliquid peteret? respondit Porus, omnia se complexum esse, cum dixit *βασιλικῶς*. Ostendit igitur Alexander clementiam praecipue regiam esse, nec vitam nec regnum ei ademit, tantum pro rege nominari satrapam iussit.

Haec sapienter et clementer facta maxime decebant regem, ad quem scribens Aristoteles hortatur eum, ut cogitet, regnum a Deo ipsi datum esse, ab benefaciendum generi humano: *πρὸς εὐεργεσίαν, οὐ πρὸς ὕβριν*. Haec ab Aristotele gravissime scripta sunt. Constituuntur enim regna divinitus, ut leges, pacem et disciplinam custodiant, et bene sit communi honestae societati hominum, sicut Paulus inquit ad Romanos 13.: Magistratus Dei minister est, tibi ad bonum. Et Danielis praeceptum est ad regem Chaldaeum: Libera te a peccato iusticia et beneficiis erga pauperes, id est, iniuste oppressos.

Hunc finem certe intelligere et intueri principes debent. Nec sint imperia similia latrociniorum, quorum finis est, tantum nocere aliis. Nec recte respondit Alexandro pirata captus, qui interrogatus, cur in Mari latrocinium exerceret, respondit: Cur, cum tu exerceas in Terra latrocinium, mihi non idem in mari liceat? Non enim erat latro Alexander, sed rex, legitimum imperium tenens, et gerens bella iusta, in quibus Deus in eum transtulit monarchiam, ut Persarum tyrannis puniretur, et restituerentur in genere humano leges et disciplina. Nec de bellis Alexandri plura addam.

Post victorias autem in vita domestica mores ipsius valde mutati sunt, ut in ipso praecipue con-

spici possit, quod dicit Herodotus, etiam optimum virum in tanta potentia corrumpi. Et nota sunt dicta: Luxuriant animi rebus plerunque secundis etc.

Mirum est autem, non solum corpora hominum et possessiones mutari et deleri, sed etiam sapientiam et virtutem in anima, quae sunt res firmiores, languefieri. Ut minus mirum est, corpus Iulii interfectum esse, quam sapientiam et virtutem excellentem in Hercule extinctam esse, qui furens interfecit filios. Agnoscamus igitur in his horrendis exemplis imbecillitatem generis humani, et sciamus, petendum esse a Deo, ut et corporis et animi bona nobis servet, et cogitemus dictum Ieremiae: Scio Domine, non est hominis via eius. Et Danielis: Deus dat sapientiam sapientibus.

Tristius est igitur in Alexandro, quod tanta virtus languefacta est, quam quod corpus immatura morte periit. Ante captam Babylonem fuit modestus, temperans, in imperio iustus, non indulgens irae ut iniustam crudelitatem exerceret, sapiens in praeficiendis gubernatoribus. Nihil igitur in illo imperio pulchrius erat ipso rege propter virtutem. Postea nihil eo turpius et deformius fuit. Nominari se Deum et coli divinis honoribus voluit. Hoc tantum scelus poenae sequutae sunt, certamina in ebrietate, in quibus iratus interfecit Clitum, a quo servatus fuerat in pugna ad Granicum, et alia multa turpissime fecit. Adorari voluit. Et Callisthenem Philosophum, natum ex consobrina Aristotelis, qui eum adorare recusavit, includi in caveam iussit, et circumduci spectandum, ac tandem interfici, versum addens: *Μισῶ Σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφὸς*, hoc est: Odi sapientem, qui sibi non sapit. Et crevit furor adeo, ut interficeret senem ducem optime meritum Parmenionem, qui praecipuus inter duces Philippi et ipsius Alexandri fuerat. Talis est praecipue aulica benevolentia et gratitudo. Quare dictum est: Saevum praelustri fulmen ab arce venit. Et Pindarus inquit: *παλαῖα γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί.* Antiqua dormit gratia, et homines sunt immemores.

Cum autem Alexander ex India reversus accessisset ad Babylonem, Chaldaei vates dixerunt, moriturum esse brevi, postquam urbem ingressus esset. Hoc vaticinio motus aliquot dies extra urbem commoratus est. Postea Anaxarcho, physico, epicureo et cyclopico homine, deridente haec vaticinia, ingreditur urbem, et ibi legationes omnium gentium audit, cognoscit controversias, constituit provincias et legatos regiis muneribus donat. Postea dedens sese voluptatibus, certamina potentium tanta instituit, ut aliqui in conviviis subito extinguerentur. Ipse tantum ad duas choas processit, id est, octo sextarios.

Tunc autem inter Aulicos Colacas familiarissimus ei fuit Thessalus quidam, nomine Medius, cuius hoc est dictum: Audacter calumniare, semper aliquid haeret. Ab hoc Thessalo vocatus ad convivium cum largius bibisset, subito sensit magnum cruciatum inter scapulas, in eo loco, qui nominatur *μετάφρενον*, ubi orificium ventriculi alligatum est spinae dorsi, sicut usitatum est, in eo loco cruditates sentiri. Inde et febris sequuta est, in qua non abstinuit a vino. Initium febris fuit mense Daesio, qui cum nostro Iunio congruit, die 18. Cumque aegrotasset dies undecim, die vicesimo octavo mensis Daesii mortuus est.

Sic Alexander, cum in tot praeliis invictus fuisset, periit immodico vino, sicut Daniel Macedonicum regem pardali similem facit, quae non capitur ab armatis venatoribus, (ipsorum enim iacula sua celeritate eludit) sed sopita vino et venere.

Est autem et huius regis interitus insigne exemplum inconstantiae rerum humanarum, et monet, ne exultantes laeticia laxemus frenos iniustis cupiditatibus, et poenas attrahamus, sed petamus nos a Deo gubernari, cogitantes et accidere posse subitas conversiones, sicut dicitur: Magna momento ruunt, et Deum vindicem esse scelerum.

Vixit annos triginta duos et menses octo. Regnavit annos duodecim et menses octo. Fuit hic mensis primus Olympiadis centesimae quartae decimae, ante Christum natum annis trecentis viginti quatuor.

Iam sine certo rege erat maxima pars generis humani, et accidit, quod Demades dixit, Alexandri exercitum ipso mortuo similem esse Cyclopi effosso oculo, ac membra rectore carentia ruitura in mutuam perniciem, sicut interfecto Iulio Romae accidit, et multa sunt similia exempla. Constantino mortuo filii inter sese dimicarunt. Nunc quoque postquam Carolus gubernationem deposuit, Germania, Belgicum, Italia sunt velut Cyclopis corpus amisso oculo. Praedixerat et ipse

Alexander, se ducibus suis relicturum esse magnam ἀγῶνα ἐπιτάφιον.

De successoribus Alexandri.

Sicut Daniel ex Graeco rege quatuor cornua oriri vidit, ita accidit. Lacerata est enim eius monarchia in praecipua et maxima regna quatuor. Etsi enim, ut fit, alia parva regna inter tantos tumultus orta sunt, tamen cultissimam partem generis humani quatuor regna complexa sunt: Aegyptus, Syria, Minor Asia et Macedonia. Quanquam autem variae vices et in his regnis fuerunt, tamen Ptolemaeus et eius posteritas Aegyptum retinuit, usque ad Iulium Caesarem. Seleucus et eius posteritas Syriam. Antigonus initio Minorem Asiam tenuit. Antipater Macedoniam. Postea deleta Antipatri posteritate Macedoniam tenuerunt posteri Antigoni, donec Romani eam occupaverunt, rege Perseo capto.

Fuerunt autem inter hos ipsos duces Alexandri statim post eius mortem ingentia bella, dum quilibet solus monarchia se potiturum esse cogitat.

Prima deliberatio post mortem Alexandri haec fuit, ut frater Alexandri, *Arideus*, rex esset, et ut expectaretur haeres ex *Roxane*, coniuge Alexandri. Et quia *Perdiccae* summa fuit autoritas, hic praecipuus totius imperii gubernator erat, quia in Arideo erat mentis error. Sperans igitur Perdiccas, se imperio potiturum esse, coniugium petivit Cleopatrae, sororis Alexandri, et Ptolemaeo Aegyptum eripere conatus est. Id initium foederum et bellorum inter duces fuit. Ibi enim Ptolemaeus et Antipater primum foedus inter sese fecerunt. Cum igitur Perdiccas exercitum in Aegyptum duxisset, et ad Memphin usque accessisset, cum infoeliciter pugnasset, a suis equitibus interfectus est. Nam et antea in odio erat propter crudelitatem, et Ptolemaeus propter iusticiam et beneficentiam diligebatur. Ita Perdiccas, qui primus inter duces bellum movit, primus interfectus est. Adiunxerat sibi Antipater *Craterum*, cui dedit filiam, nomine Philam, cuius fuit excellens virtus. Sic enim de ea scribit Diodorus: Haec mulier virtute excelluit, seditiones in castris sedavit, sororibus et filiabus pauperum militum dotes dedit, falso accusatos homines liberavit periculis. Saepe et consiliis eius in gubernatione pater usus est.

Bellum Lamiacum.

Antipater et *Craterus* Atticam civitatem rursus moventem bellum adversus Macedonas, proximo anno post Alexandri mortem coëgerunt ad faciendam deditionem, exercitu in viciniam adducto. Ut enim saepe antea multitudo Attica somnians veterem libertatem et Graeciae principatum, tumultuata est: ita tunc mortuo Alexandro sperans repressis Macedonibus rursus sese dominaturam esse Graeciae, Aetolos et partem Thessalorum sibi adiunxit, et Antipatrum ingressum in Thessaliam vicit, et in urbem Lamiam fugere coëgit, quam Leosthenes dux Atticus cinxit. Erantque initia belli Atheniensibus foelicia. Sed cum dux Atticus Leosthenes ante urbem lapide ictus in capite vulnus accepisset, et post paucos dies mortuus esset, fortuna mutata est. Antipater enim obsidione liberatus est. Cumque brevi post ad eum Craterus firmum exercitum adduxisset ex Asia, magno praelio vicit Athenienses ad *Cranonem*, urbem Thessaliae. Inde Antipater et Craterus exercitum in Boeotiam ducunt. Ibi multitudo Attica, quae antea Demosthenis et aliorum inquietorum consilia probaverat, metuens obsidionem, pacem expetivit.

Mittuntur ergo legati, Demades, Phocion et Xenocrates Philosophus, qui semper consilia belli improbaverant. Hos cum audivisset Antipater, respondit, se non aliter concessurum esse, nisi ea conditione se dederent, quam Leosthenes ad Lamiam ipsi tulisset, ut suo arbitrio omnia permitterentur. Cogebat necessitas Athenienses quoquo modo pacem facere, permittebant igitur ei omnia, ut statueret de eis quicquid vellet. Sed Antipatri moderatio salutaris fuit urbi. Praesidium Macedonicum in urbe collocatum est, et concessum Atheniensibus, ut suis legibus uterentur, sed ita, ut non admitterentur ad Magistratus tenuiores, qui censum non habebant. Et multis civibus turbulentis volentibus migrare Antipater agros in Thracia dedit. Pecuniam ne civitas Antipatro penderet, impetravit Phocion.

Nominatim etiam petivit Antipater dedi sibi Demosthenem et Hyperidem oratores, quorum alter Hyperides, post fugam in Aegina captus est, et cum ad Antipatrum missus esset, lingua ei excisa est, postea trucidatus est. Demosthenes cum in fuga secessisset in templum quoddam, Archias ab Antipatro missus, egredi eum hortatur. Sed

Demosthenes incumbens in librum, tanquam scripturus aliquid, venenum ex calamo hausit. Sic extinctus est Demosthenes, anno post mortem Alexandri proximo. Nam pugna ad Cranonem facta est mense Iulio. Athenae deditae sunt mense Augusto. Demosthenes die decimo sexto Octobris mortuus est, cum non multo ante decreto civitatis revocatus esset ex exilio. Fuerat enim non multo ante mortem Alexandri condemnatus a senatu Areopagitico, quod pecuniam ab Harpalo acceperat, qui cum fuisset custos thesaurorum Alexandri, cum magnis furtis in Graeciam fugerat, et Athenis hospitium petiverat. Is dederat Demostheni poculum et viginti talenta, id est, duodecim millia coronatorum. Sed cum moto bello adversus Antipatrum Graecas civitates passim hortaretur ad societatem Atheniensium, publico decreto revocatus est. Incidit urbis deditio in annum 2. Olympiadis centesimae decimae quartae.

Prodest et hoc considerare, quod memorabile iudicium, in quo Aeschines accusavit Demosthenem, quod suasor fuisset belli contra Philippum, dilatum est in annum decimum Alexandri, in quo iudicio Demosthenes illam luculentam orationem, quae extat, cui titulus est pro Ctesiphonte, dixit in magna frequentia hominum, qui ex tota Graecia Athenas venerant, ut huius certaminis auditores essent. Et videtur tempus Demostheni profuisse, quia Alexander procul in India aberat, et dolor iam non erat recens, et multi seniores recordatione honesti consilii, qualiscunque fuerat exitus, laetabantur, et rursus civitas novas spes conceperat.

Post mortem Demosthenis non diu superstes fuit Antipater, ad quem profectus Demades orator cum filio, ibi a Cassandro, qui successit Antipatro, trucidatus est, quia deprehensae erant eius Epistolae, accersentes Antigonum ad defensionem Graeciae, pendentis tunc, ut ipse scripserat, a veteri et putri filo, videlicet ab Antipatro. Ita profectione sponte suscepta in Macedoniam, tanquam fato tractus est ad exitium, cum aliquanto ante scripsisset decretum de pellendo Demosthene.

Addita est autem crudelitas supplicio, quod filius Demadis in complexu patris prius interfectus est. Postea necatus est pater. Hic fuit exitus summorum oratorum, quem cogitantes primum communia pericula oratorum consideremus, qui plerunque inter certamina publica, velut inter contrarios fluctus, opprimuntur. Tales enim sunt vices in dissensionibus, ut alias aliae factiones vincant, ut dicitur, *ξυνὸς ἐνυάλιος καὶ τὸν κτανέοντα κατέκτα.* Deinde et hoc deplorandum est, quod excellentia ingenia plurima inutilibus contentionibus consumuntur, ut multi summi viri fuerunt velut parricidae patriae, ut Pericles, Alcibiades, Demosthenes, Demades, et alii multi. Talia exempla intuentes expavescamus, et ardentissimis votis Deum oremus, ut faciat nos vasa misericordiae, et organa salutaria Ecclesiae, patriae et nobis.

De Cassandro.

Post mortem Perdicae, Crateri, Antipatri, tunc vero nova et atrox laniena sequuta est. *Cassander* occupavit Macedoniam, et tenuit eam annis octodecim. Duxit uxorem Thessalonicam, Philippi filiam. Cumque Olympias mater Alexandri conaretur regnum parvis filiis Alexandri tradere, urbem Pydnam, in qua erat Olympias, Cassander obsidione cinxit, tam diu, donec multi homines fame morerentur, et milites hominum cadaveribus pascerentur. Coacta igitur fame Olympias deditionem fecit, postea eam Cassander occidi iussit, cumque milites primi ad eam trucidandam missi reverentia eius deterriti non fecissent mandata, missi sunt alii, qui eam trucidaverunt. Deinde coniuges et filias Alexandri veneno sustulit: Roxanen, quae peperit Alexandrum: et Barsenen, quae peperit Herculem. Etsi autem initio Cassander socius fuit Antigoni, tamen cum in Asia Lyciam peteret, Antigonus ei hostis factus est, et ut honesta specie bellum ei inferre posset, accusavit eum apud exercitum, quod interfecisset Olympiadem, coniuges et filias Alexandri. Expulsi sunt igitur Cassandri exercitus ex Asia, et ipse non multo post Phthiriasi mortuus est.

Haeserunt et in posteritate maiores poenae. Filius Antipater occidit matrem. Alexander alter filius occidit fratrem Antipatrum, et Demetrium filium Antigoni in Macedoniam accersivit. Hic Demetrius hunc Alexandrum interfecit. Haec omnia congruunt ad regulam: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Haec tristia exempla in historia Cassandri commonefaciant nos de ira Dei, et hortentur ad timorem et invocationem Dei. Hoc tantum laude dignum fecit Cassander, quod

reditum Thebanis, et urbis instaurationem concessit, quam Athenienses et alii Graeci adiuverunt. Id factum est anno vicesimo, postquam Thebae ab Alexandro deletae sunt, videlicet, anno octavo post mortem Alexandri.

De Antigono.

Occisis Cassandri filiis posteritas *Antigoni* retinuit Macedoniam, ut postea dicemus. Qua in re iudicium Dei consideretur. Rediit enim regnum ad eos, qui ex regia stirpe fuerunt. Omnes enim scribunt, Antigonum filium fuisse Philippi Nothum, ac inter duces antecelluisse eum virtute, magnitudo rerum gestarum ostendit. Ipse etiam in Edictis patrem nominat Philippum.

Gessit primum bellum adversus Eumenem, quem Perdiccas sibi adiunxerat, cum bellum Ptolemaeo inferret, monarchiam ad sese translaturus. Cumque Eumenes contra Antipatrum et Craterum duxisset exercitus, et Craterus in praelio periisset, quem Macedones valde dilexerant, irati exercitus Macedonici ducem faciunt Antigonum contra Eumenem. Ita coniunxerunt se contra Perdiccam et Eumenem, Antipater, Antigonus et Ptolemaeus. Haec prima contraria foedera facta sunt. Et initium bellorum ortum est a cupiditate dominationis Perdiccae, qui ut supra diximus, cum ad Aegyptum accessisset, a suis equitibus interfectus est.

Post triennium Eumene victo secundum bellum gessit Antigonus adversus Cassandrum, ac victor sperare monarchiam coepit. Profectus igitur in Syriam provincias vicinas occupavit, et Seleucum perterrefecit, ut ad Ptolemaeum in Aegyptum fugeret. Ita disiuncti sunt Antigonus et Ptolemaeus, qui defensionem Seleuci suscepit. Hoc tertium bellum asperrimum fuit, in quo variae vices fuerunt. Sed cum ingenti pugna navali ad Cyprum vicisset Demetrius Antigoni filius Ptolemaei classem, captis sedecim millibus militum, et demersis navibus ducentis, Antigonus sese et filium Demetrium *reges* nominavit, et diademate regio uti coepit. Horum exemplum et Ptolemaeus imitatus est, et deinde Seleucus, recuperatis suis provinciis. Sic nova regna ex Alexandri monarchia orta sunt, sicut Daniel praedixerat. Pugna ad Cyprum facta est post mortem Alexandri, circiter annum sedecimum, videlicet Olympiade centesima et decima octava. Ac brevi post conversa est Antigoni fortuna, ut superbiam poenae comitantur. Nam et Cleopatram sororem Alexandri, recens interfici Antigonus iusserat, propterea quod eius coniugium caeteri reges petebant. Cumque iam potentia summa esset Antigoni, coniunxerunt se adversus eum cum Ptolemaeo et Seleuco Cassander et Lysimachus, quos tamen ita sprevit Antigonus, ut diceret, se dissipaturum esse eos, tanquam agmen avium, quae Spermologi nominantur. Quanquam autem aliquot magnis praeliis Antigonus vicerat, tamen tandem in acie multis vulneribus acceptis extinctus est, cum attigisset annum octogesimum.

Hic fuit exitus Antigoni, qui inter successores Alexandri virtute excelluit, ac donec vixit, Minorem Asiam et vicinas regiones usque ad Syriam tenuit. Postea filius Demetrius amissa Asia regnum Macedoniae extincta Cassandri posteritate retinuit. Sed cum recuperare Asiam conaretur, et varia fortuna bellum gereret adversus Seleucum generum, cui Stratonicen filiam suam, natam ex Phile Antipatri filia, uxorem dederat, tandem a Seleuco genero captus est, apud quem captivus anno tertio mortuus est, cum vixisset annos quatuor et quinquaginta, tantam expertus fortunae varietatem, ut de eo versus Sophoclis pronunciati sint, de lunae incrementis et decrementis.

Posteri fuerunt reges Macedoniae.

Antigonus Secundus, natus ex Phile, Antipatri filia, laudatus propter iusticiam et moderationem. Graeciae pacem restituit. Quare a Graecis nominatus est *Εὐεργέτης*. Ex hoc Antigono Secundo natus est

Demetrius Secundus, qui non diu regnavit.

Philippus. Hoc impubere tutor regnavit, patruelis, cognominatus Doson. Postea Philippus accepto paterno regno fuit crudelis, et a Romanis victus pacem petivit. Filium Demetrium falso accusatum a Perseo fratre, interfecit.

Successit *Perseus*, captus a Romanis.

Haec exempla congruunt ad regulam, quae dicit: Insticia stabiliri thronum, et regna propter iniusticiam mutari. Haec de Antigoni posteritate breviter annotavimus, ut regum series post Alexandrum utcunque considerari possit. Daniel caeteris omissis, de regibus Aegyptiis et Syriacis multa vaticinatur, quorum series recensenda est, ut sacri libri intelligantur.

Reges Syriaci.

Seleucus post mortem Demetrii tenens Babylonem, Syriam et Asiam minorem, bellum gessit cum Lysimacho, in quo tandem Lysimachus anno aetatis septuagesimo quarto interfectus est. Fuitque in Seleuco tanta regni cupiditas, ut extinctis tot regibus monarchiam speraret anno aetatis septuagesimo septimo. Bellum igitur gerens cum Ptolemaeo *Κεραύνῳ*, primi Ptolemaei filio, fratre Philadelphi, interfectus est septimo mense post Lysimachi mortem. Et hunc Ptolemaeum *Κέραυνον* aliquanto post Galatae interfecerunt, infusi in Macedoniam et Graeciam.

Recensui exitus praecipuorum principum post Alexandrum: Perdiccae, Crateri, Eumenis, Antigoni, filiorum Cassandri, Demetrii, Lysimachi, Seleuci, quibus omnibus cupiditas dominationis exitio fuit. Et pertinent exempla ad regulas, quae iubent quenque intra metas vocationis manere, et prohibent movere bella non necessaria, et ostendunt, iniustam cupiditatem dominationis non habere placidos exitus.

Postquam Antigonus, ut dixi, interfectus est, et Demetrius eius filius captivus mortuus est, et trucidatus Lysimachus, addita est ad regnum Seleuci, videlicet ad Syriam et ad Babyloniam Asiae pars, a Tauro monte usque ad Ioniam, ut antea tenuerat Antigonus. Ita deinceps Seleuci posteritas antecelluit potentia caeteros reges. Ac tempus apud Polybium in secundo libro annotatum est, ubi inquit: Olympias erat centesima vicesima quarta, qua mortui sunt Ptolemaeus Lagi filius, Lysimachus, Seleucus et Ptolemaeus *Κεραυνός*.

Post Seleucum rex Syriae, Babylonis et Asiae, a Tauro monte usque ad Ioniam, secundus *Antiochus Soter*, regnavit annos novendecim.

Antiochus Theos regnavit annos quindecim. Habuit ex Laodice duos filios, Seleucum Callinicum, et Antiochum, cui cognomen fuit Hïerax. Postea Ptolemaeus Philadelphus dedit Antiocho Theo, filiam Berenicen. Mortuo autem marito Laodice filium Seleucum hortata est ad regnum occupandum, et ad capiendam novercam. Hanc cum obsidione coëgisset ad deditionem, interfecit eam cum parvo filio contra datam fidem.

Ab hac historia contexit Daniel vaticinia de bellis inter reges Aegypti et Syriacos, quia Iudaea interiecta inter haec regna duriter utrinque quassata est. Praedicit igitur Daniel calamitatem reginae Aegypti in Syria. Haec enim postea causa fuit et initium, non tantum bellorum inter vicinos reges, sed etiam defectionis Babyloniorum ad Parthicum regem Arsacen, et Bithyniae ad Eumenem.

Cum autem Evergetes rex Aegyptius frater esset Berenices, intulit bellum regi Syriaco Seleuco Callinico, et ei magnam regni partem ademit, et coronatus est in Syria, ut rex utriusque regni nominaretur. Sed Seleucus Callinicus rursus collecto exercitu in Asia, quam frater Antiochus Hierax in divisione haereditatis nactus erat, recuperavit Syriam. Postea cum Ptolemaeus Evergetes cessisset ex Syria, et pacem cum Seleuco fecisset, intulit Seleuco bellum Hierax frater, et Galatas attraxit in Asiam, quos Brennus in Graeciam duxerat, quos fuisse multitudinem collectam ex Teutonum gente, et ex vicinia, quae nunc Gallica nominatur, lingua ostendit. Et constat, uno nomine vetustatem nuncupasse utranque gentem, Galatas et Celtas, citra et ultra Rhenum, usque ad Danubium. Et vocabulum *γαλάτης* significat peregrinatorem, unde et nostrum nomen est Wallen.

Ut autem antea multitudo Celtica in Italiam infusa est, quae Romam coepit et incendit: ita nova multitudo postea ex Paeonia in Macedoniam progressa est, peditum centum quinquaginta millia, et equitum viginti millia, ut numerum Pausanias exprimit. Ibi interfecto Ptolemaeo *κεραύνῳ* transiit multitudo in Graeciam. Fama rerum gestarum, magnitudo corporum et multitudo terrorem incusserunt Graecis similem, ut cum Xerxes in Europam venit.

Nomen autem et huius ducis Celtarum *Brennus* fuit, qui tamen non est Brennus, qui Romam coepit. Anni .n. a Roma capta usque ad hunc Brennum interfectum sunt centum et novem, quia Roma capta est anno urbis trecentesimo sexagesimo quinto, qui fuit annus primus Olympiadis nonagesimae octavae, quae antecedit Philippum Macedonem annos viginti octo. Scribit autem Pausanias, pulsos esse Gallos ex Graecia, et ex vulneribus mortuum Brennum anno secundo Olympiadis centesimae vicesimae quintae. Erit igitur intervallum anni centum et octo. Quare diversis temporibus duos Brennos fuisse necesse est. Et consentaneum est has bellicosas

gentes, cum progredi in alias regiones coepissent, non cito quievisse, sed subinde novas expeditiones suscepisse.

Horum Celtarum reliquias attraxit in Asiam Hierax, ubi cum late grassarentur, pars interfecta est a Ptolemaeo Evergete. Quare Apollo apud Callimachum inquit, communem esse victoriam sibi et Ptolemaeo, quia magna pars Celtarum periit ad templum Delphicum, cum Graeci praeliantes iuvarentur fulminibus, ventis et pluviis. Partem dicitur trucidasse Ptolemaeus ad lacum Serbonidem. Versus Callimachi hi sunt:

Contra hostem fient communia praelia nobis,
Celtica cum contra Graecos gens bella movebit,
Titanum soboles, extremo cardine terrae
Effusa, Hesperias et sedes effera linquet,
Continuas densasque nives ut spargere bruma
Flante solet Borea, venient sic agmina densa.
Non tamen haec stolidis Galitis via fausta futura est.

Auxiliis igitur exercitus Galatarum adiutus Hierax, fratrem Seleucum vicit. Postea sedes ad Halyn fluvium huic peregrinae genti datae sunt. Deinde Ptolemaei auxilio rursus vicit Seleucus, et fratrem regno expulit. Fugit ergo Hierax ad Ptolemaeum in Aegyptum, a quo cum clam discessurus esset, quia ei diffidebat, retractus ex fuga a militibus Ptolemaei interfectus est. Circa id tempus in Syria Seleucus de equo lapsus mortuus est. Hic exitus fuit duorum fratrum, qui inter sese iniustis et infoelicibus armis dimicarunt.

Interea posteritas Seleuci amisit Babylonem et vicinas provincias, quae ad Arsacen Parthum defecerunt, quem scribunt iusticia et erga subditos beneficentia, et consilio ac fortitudine in bellis excelluisse. Diuque post eum Arsacidae in illa parte Orientis regnarunt, ex quibus natus fuit is, qui interfecit M. Crassum et eius exercitum delevit.

Alibi etiam Seleuco adempta est Bithynia, in qua regnare coepit Attalus, cuius vetusta fuit nobilitas, et praecipue laudata est excellens eius iusticia. Ac oraculum significavit ei, quam diu posteri eius regnaturi essent: *Αὐτὸς καὶ παῖδες, καὶ παίδων οὐκ ἔτι παῖδες.* Qui versus memoria dignus est, quia in multis familiis hoc accidit, ut tertius aut quartus haeres fuerit ultimus. Ut, Constantius, Constantinus et filii. Postea alieni successerunt. Sic de primo Othone dici posset: *αὐτὸς καὶ παῖδες, καὶ παίδων οὐκ ἔτι παῖδες.*

Quintus rex Syriae Antiochus Magnus.

Antiochus Magnus intulit bellum Ptolemaeo Philopatori, et victus pacem petiit. Sed cum aliquanto post mortuo Ptolemaeo Philopatore rursus speraret Aegyptium regnum, contra foedera bellum Ptolemaeo Epiphani adolescenti intulit. Sed Romani, quibus eum commendaverat pater, iusserunt Antiochum abstinere ab Aegypto. Ideo Antiochus, cum et magnam Graeciae partem sibi adiunxisset, ingens bellum adversus Romanos movit, propter quod et Annibal ad eum profectus est. Sed tandem Romani cum vicissent eum multis magnis praeliis, coëgerunt eum pacem petere, et ademerunt ei florentissimam regni partem, ab Ionia usque ad Taurum montem. Postea hic Antiochus cum in Syria spoliaret templum Beli, interfectus est a multitudine, quae casu ad defensionem templi concurrerat.

Hic fuit exitus tanti regis, qui rursus cum Asia Graeciam coniunxisse videbatur, et sperabat, se Romanam potentiam eversurum esse. Sed initia belli fuerant iniusta. Talis igitur fuit exitus, iuxta versum: *Κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίνεται τέλος κακόν.*

Mediocris autem pax in Iudaea fuit ab Alexandri Magni initio, usque ad hunc Antiochum Magnum, annos amplius centum. Et post Alexandrum Iudaei magis adiunxerunt se regibus Aegyptiis. Sed cum interiecti essent inter Aegyptum et Syriam, duriter utrinque quassati sunt, ac saepe experti sunt, verum esse, quod dicitur: *πῆμα κακὸς γείτων.* Moto autem bello inter Antiochum Magnum et Ptolemaeum Epiphanem, dux Aegyptius Scopas occupavit Samariam et aliquot Iudaeae urbes, et Iudaeos valde adflixit. Postea cum Antiochus Magnus Scopae exercitum delevisset ad Iordanem, easdem urbes sibi parere coëgit, et ad Ierosolymam cum exercitu accessit. Sed Iudaei eum data pecunia placarunt, et honorifice in urbem admiserunt, ac cum eo foedus fecerunt. Ita rursus aliquantisper Iudaea tranquilla fuit, donec Pontificum furiae maximas calamitates attraxerunt.

Antiocho Magno tres filii fuerunt:

Seleucus Philopator.
Antiochus Epiphanes.
Demetrius.

Seleucus post patrem non diu regnavit. Alii duo fratres Romae obsides erant. Huius Seleuci tempore cum Heliodorus templum Ierosolymae spoliaturus esset, divinitus repressus est, ut narrat secundus liber Macabaeorum.

Cum autem Antiochus Epiphanes audivisset, patrem mortuum esse, clam ex urbe Roma fugiens regnum Syriae occupavit, filio Seleuci pulso. Huius Antiochi historiam necesse est considerare et propter Danielem, et propter exempla calamitatum et mirabilium liberationum Ecclesiae.

Narrat autem Polybius, tantam fuisse petulantiam in hoc Antiocho, ut pro Epiphane dictus sit *Ἐπιμανής*, id est, furiosus. Interdum in convivia gestatus est velut funus, et cum scurris et mimis certavit. Talis fuit qui *Deo* bellum intulit, et delere Ecclesiam conatus est. Regnare coepit post mortem Alexandri anno centesimo et trigesimo septimo. Et cum astutus esset, ac nosset Romanorum potentiam, nihil contra Romanos movit, sed praetextu tutelae adolescentis regis Aegyptii exercitum in Aegyptum duxit.

Nupta fuerat Ptolemaeo Epiphani Cleopatra, soror Antiochi Epiphanis. Ex hac natus fuit Ptolemaeus Philometor, cuius aetas cum mortuo patre nondum matura esset gubernationi, simulat Antiochus, se, quia avunculus erat, tutorem fore adolescentis, et sperat hoc praetextu se potiturum esse regno Aegypti. Cumque venisset in Aegyptum, praesidia in Memphi et in aliis quibusdam urbibus, tanquam tutor, collocat.

Erat tunc summus sacerdos *Onias*, vir sanctus, qui propter legationem aberat. Quare eius frater *Iason* paciscitur cum Antiocho, redeunte ex Aegypto, et promissa ingenti pecunia, petit sibi tradi summum sacerdotium. Excipit ergo in urbe Ierosolyma Antiochum, qui ingressus templum, multos homines interfecit, et spoliato templo summum sacerdotium Iasoni tradidit.

Hic primus adventus Antiochi Epiphanis in urbem Ierosolymam, qui incidit in annum sextum regni Antiochi, etiamsi multum habuit scelerum, tamen secundus adventus post biennium longe vicit crudelitate et omnibus sceleribus, et calamitatum diuturnitate.

Iason invisus populo, deinde expulsus in Arabia exul periit. Successit Menelaus, qui Oniam absentem interfici curavit. Hunc Menelaum, cum adinvisset crudelitatem Antiochi, postea filius Antiochi interfecit.

Tales cum fuerint summi sacerdotes, Parricidae et Ethnicorum socii in cogendo populo ad cultum idolorum, non dubium est in vulgo multos fuisse similes ipsorum, ut dici solet: Scilicet in vulgus manant exempla regentum. Itaque cum late vagarentur contagia impietatis et crudelitatis in populo Dei, sequutae sunt tristissimae poenae.

Post biennium cum Antiochus in Aegyptum rediturus esset, adest ibi legatus Senatus Romani *Popilius*, et praecipit nomine Senatus, ut ab Aegypto abstineat, et ex Aegypto praesidia abducat, quia Senatus pupillum defensurus sit. Antiochus ut eluderet Romana mandata, tergiversatur, et ambigue respondet. Ibi legatus baculo in pulvere circulum pingit circa Antiochum, et iubet eum plane respondere, priusquam ex eo circulo egrediatur. Id nisi faciat, populum Romanum ei bellum indicere. Antiochus metuens Romanos, promittit se imperata facturum esse. Rediens igitur Ierosolymam, anno regni sui octavo, iratus, fremens et egens longe maiorem crudelitatem exercere incipit, quam antea. Proponit edictum, ut relicta lege Moisi adorent omnes idolum Iovis Olympii, quod ipse in templum Ierosolymae collocavit. Libros Moisi et Prophetarum undique conquisitos igni consumpsit. Munit idolum praesidiis sceleratissimorum militum. Iubet Bacchanalia celebrari in urbe Ierosolyma. Interficit horrendis suppliciis multos senes, matronas, virgines, nolentes deficere a lege Moisi. Fuitque tanta calamitas huius populi, quanta nulla fuit antea, ut et verba Danielis praedicunt.

Cum autem multa iudicent homines ex rebus secundis et adversis, multos haec tristia spectacula moverunt, ut a Deo deficerent, existimantes nihilo magis hunc populum esse Ecclesiam Dei, quam alias gentes. Ut igitur pii confirmarentur, et scirent hanc poenam brevem fore, ac sequuturos laetos exitus, et Deum rursus eiecturum esse idolum ex templo, praedixit Deus hanc calamitatem et exitum scripto *Danielis*, et quidem dierum numerum expressit. Ait hunc tyrannum vastaturum esse Iudaeam, et prophanaturum templum duobus millibus dierum et trecentis, id est, sex annis et sex mensibus. Suntque tot anni a tertio anno Antiochi usque ad octavum An-

tiochi, quo anno Macabaeus templum recuperavit. Historia perspicue recitatur in libris Macabaeorum, et annorum numerus congruit ad praedictionem Danielis. Ideo nunc praeter historiam nihil addo.

Consentaneum est autem, quod vetustas sensit, Antiochum esse typum Antichristi, et quidem regni pontificii. Alii accommodant ad regnum Mahometicum, de quo iam non disputo, sed relinquo istas accommodationes iudiciis eruditorum. Et signa cum pontificio regno congruunt: Idolum Maozim, prohibitio coniugii, aurea et argentea idola et ornamenta, quibus pontificii colunt et includunt Deum, sicut ipsi loquuntur. Ac nomen Maozim sonat ut Maza et ut Missa, ut in Missa pontificia et circumgestatione adoratur panis. Et hic cultus horribili saevicia defenditur. Si quis igitur typum accommodare volet, prudenter consideret verba Danielis.

Anno post mortem Alexandri centesimo quadragesimo octavo recuperavit templum Iudas Macabaeus, mense Kisleu, qui ad mensem Novembrem congruit, quod et nomen indicat. Est enim Kisleu nuncupatus ab Orione, quem Ebraei nominant Kesil. Fuit is annus trecentesimus quadragesimus octavus post reditum ex Babylone. Fuit et centesimus quinquagesimus secundus ante natum Christum ex virgine. Quare recens memoria fuit huius calamitatis, cum Christus nasceretur. Cumque recuperatio libertatis tempore Macabaeorum foelix fuisset, multi inquieti homines exemplo Macabaeorum ex Iudaea Romanos eiiciendos esse disputaverunt. Sed sancti intellexerunt, et causas fuisse dissimiles, et temporum aliam fuisse rationem. Nam Romani concedebant Iudaeis *αὐτονομίαν* in cultibus, et mox finis erat futurus politiae Mosaicae. Antiochus autem non concesserat *αὐτονομίαν* in cultibus, et adhuc multum temporis ad finem politiae Mosaicae tunc restabat.

Ut autem tota defensio Ecclesiae tunc plena fuit mirabilium operum Dei, et testimoniorum praesentiae Dei in his qui non defecerant a lege Moisi. Ita tandem interitus tyranni ostendit, eum divinitus repressum esse. Cum audiret Antiochus, profligatos esse exercitus suos a Iudaeis, et idolum ex templo eiectum esse, iratus novam expeditionem suscepit. In hoc apparatu excussus ex curru, magnis cruciatibus mortuus est, cum regnasset annos duodecim.

Post ipsum vagatae sunt poenae scelerum ipsius et per eius posteros, et per totum regnum Syriacum. Filius *Eupator*, cum duos annos tenuisset regnum, interfectus est a Demetrio patruo, qui reversus ex urbe Roma Syriam occupavit. Hunc Demetrium interfecit Alexander, qui se filium Antiochi Epiphanis nominavit, et habuit vicinorum regum auxilia. Ptolemaeus Philometor etiam filiam Alexandro dedit, sed postea et filiam et regnum ei eripuit, et tradidit Demetrio Nicanori. Alexander acie victus fugit in Arabiam, ubi interfectus est, et caput eius Ptolemaeo missum est.

Demetrius frater Antiochi Epiphanis duos habuit filios, Demetrium Nicanorem, et Antiochum Sedeten. Expulit regno Demetrium frater Antiochus Sedetes, adiutus a duce Tryphone, qui postea dominum interfecit, videlicet Antiochum Sedeten. Hic Tryphon post, cum triennio regnasset, rursus expulsus, a suis interfectus est. Ita continua fuerunt bella intestina et parricidia in familia regum Syriae.

Narrationes in hac historia propter rerum confusiones sunt obscuriores, ideo brevissime excerpimus praecipua, ut in ruinis regnorum et causas et iudicium Dei consideremus, et precemur Deum, ut nunc quoque ruentibus regnis poenas leniat, et servet Ecclesiae reliquias.

Demetrii Nicanoris filius fuit Antiochus Gryphus. Antiochi autem Sedetis filius fuit Antiochus Cyzicenus. Hi duo inter se bellum gesserunt de regno Syriae, et uterque interfectus est. Gryphus ab Herodiano, Cyzicenus a Seleuco Gryphi filio. Horum etiam filii inter sese dimicarunt, quorum tempore accersitus Tigranes rex Armeniae, Syria potitus est. Huic postea eam Lucullus ademit, ac deinde Pompeius Syriam fecit Romanam provinciam. Hic finis fuit regni Syriaci, postquam Romana monarchia deletis tyrannis in Asia utcunque pacem restituit. Tunc quoque Pompeius ex vicina Syria ab Hircano accersitus, restituit pacem Iudaeae, ut postea dicetur.

Reges Aegyptii post Alexandrum.

Ptolemaeus filius Lagi, qui inter Alexandri duces iusticia et liberalitate excelluit, retinuit Aegyptum, cum ei bellum inferret Perdiccas, ut supra dictum est.

2. *Ptolemaeus Philadelphus*, quo regnante pax in Aegypto fuit. Cumque antea in Aegypto doctrinarum possessio tantum penes sacerdotes esset, et lingua ac literis Aegyptiis contineretur, huius regis consilio doctrinae in Graecam linguam translatae sunt, et instituta sunt studia Alexandriae, ubi deinceps communia fuerunt omnibus discere volentibus, et rex undique doctos viros accersivit. Bibliothecam instruxit copiosissimam, et inquisivit apud multas gentes vetera monumenta. Quare Callimachus librum scripsit de gentium originibus et migrationibus, et veterum urbium conditoribus et legibus, quo libro amisso multae veteres historiae interciderunt.

Quia vero intellexit Ptolemaeus, habere Iudaeos vetustam patrum seriem, et vidit, legem Iudaeorum maxime congruere rationi, de unitate Dei et de honestis moribus, curavit et Iudaeorum libros in Graecam linguam transfundi. Quare ad Eleasarum summum sacerdotem, et vasa quae olim Iudaeis adempta erant, et alia splendida dona misit, et ad se mitti interpretes petivit. Missi sunt igitur duo et septuaginta viri, qui Moisen et caeterorum Prophetarum libros, et haud dubie multa alia monumenta in Graecam linguam transstulerunt. Ita libri prophetici multis gentibus facti sunt notiores, et propagata latius vera de Deo doctrina. Et cognitis monumentis Iudaeorum rex Ptolemaeus tanti fecit istam gentem, ut libertatem captivis Iudaeis in Aegypto donaverit.

Etsi autem multi disputant de Graeca interpretatione, quae hodie extat, qui fuerint autores, et qualis sit: tamen cum Paulus verba inde citet, apparet eam etiam ante Apostolorum tempora usitatam fuisse. Et corpus narrationum non male redditum est, etiamsi alicubi occurrunt aliqua errata. Esset et magis perspicua lectio, si diligentius distincta esset. Summa tamen operis est utile testimonium de significatione Ebraei sermonis.

Huius igitur regis Ptolemaei Philadelphi labore et munificentia generi humano restituta sunt et late propagata doctrinarum studia. Ac scribitur, motum esse consiliis doctissimorum hominum Aristaei, Stratonis et Demetrii Phalerensis, qui apud eum exul fuit pulsus Athenis. Fuerunt apud eum et alii docti viri, Callimachus, Apollonius, Aratus, Bion, Theocritus, Conon et Hipparchus Mathematici.

3. Regis Philadelphi filius fuit Ptolemaeus Evergetes. Intulit bellum regibus Syriacis propter interfectam Berenicen, quae fuit soror Evergetae, ut praedixit Daniel. Et supra narrata sunt parricidia, quae fecerunt Seleucus *Καλλίνικος* et Antiochus *Ἱέραξ*. Cumque Antiochus *Ἱέραξ* pulsus a Seleuco fugisset ad Evergetem, ibi interfectus est.

Studia doctrinarum instituta Philadelphi tempore, maxime floruerunt Alexandriae regnante Evergete, qui et erga Iudaeos beneficus fuit. Eius tempore collegit in Aegypto Iesus filius Sirach, sententias quae adhuc extant, quas inquit ab avo sua scriptas, sed a sese auctas et in Graecum sermonem translatas esse, quarum lectio cum sit et utilissima et dulcissima, liber ille familiarissime notus sit omnibus. Et sciant iuniores, quod discrimen sit inter gnomas Ecclesiae et ethnicas. Nam ethnicae, ut Theognidis, tantum sunt praecepta aut admonitiones pertinentes ad secundam tabulam Decalogi. Sed in Ecclesia tradita sunt praecepta et admonitiones de utraque tabula Decalogi, de fide et de bonis operibus, ut et Siracides inquit cap. 32.: In omni bono opere credas in anima tua. Hoc est enim servare mandata. Qui credit in Domino, mandata eius curat, et confidens in illo, non peribit. Et in Proverbiis Salomonis multa dicta sunt de filio Dei, de verbo, de fide, de veris cultibus valde perspicua.

4. Ptolemaeus Philopator vicit Antiochum Magnum, afflixit Iudaeos. Deinde Eurydice coniuge et sorore interfecta, libidinibus et caedibus contaminatus veneno periit.

5. Ptolemaeus Epiphanes successit, cui Antiochus Magnus bellum intulit, sed postea dedit ei filiam Cleopatram uxorem.

6. Ptolemaeus Philometor defensus a Romanis, cum ei Antiochus Epiphanes avunculus regnum erepturus esset.

7. Ptolemaeus Evergetes restituit in regnum Syriae Demetrium Nicanorem.

8. Ptolemaeus Physcon dictus a farcimine, propter tumidum ventrem, duxit sororem, eamque interfecit, et filium ex ea natum inter epulas ei offerri iussit. Regno expulsus est.

9. Ptolemaeus Alexander, frater Physconis, regnavit pulso fratre. Postea et ipse expulsus est.

10. Ptolemaeus Lathurus, id est, clam reversus, nominatur a Plutarcho Lamyrus, id est,

dicax. Exulavit in Cypro. Postea rediens triginta millia Iudaeorum trucidavit, et coëgit captivos vesci interfectorum cadaveribus. Harum horribilium calamitatum spectatores fuerunt multi sancti homines, qui tunc vixerunt, Simeon, Zacharias et multi alii, quo tempore simul in Iudaea fratres inter se parricidiis certabant, Aristobulus, Antigonus et Alexander Ianneus.

11. Ptolemaeus Auletes pater Cleopatrae Antonii, exulans Romae. Deinde reductus in regnum per Gabinium.

12. Ptolemaeus Dionysius, frater Cleopatrae, qui Pompeium interfecit, et postea Iulium Caesarem hospitio exceptum opprimere conatus est. Sed cum Iulius Caesar magnis praeliis vicisset exercitum regium, rex in scapha effugere conatus, inter collisas naves in tumultu fugientium eversa cymba in mari periit. Postea dedit Iulius regnum Cleopatrae, quae post mortem fratris usque ad annum Octavii Augusti duodecimum regnavit, quo anno victi Antonius et Cleopatra sibi mortem consciverunt. Hic finis fuit regni et posteritatis Ptolemaeorum in Aegypto. Postea, ut dicemus, Aegyptus facta est provincia Romana ab Augusto.

Duces Iudaeorum post reditum ex Babylone.

Ecclesiam in exilio Babylonico mirandis operibus divinis et servatam et ornatam esse ingenti gloria inter magna pericula, dictum est supra in monarchia Persica. Fuitque post reditum ex Babylone mediocris tranquillitas Iudaeae usque ad Ochi tempora. Nam et Nehemiae longa aetas fuit, videlicet annorum centum et triginta, qui si attigit tempora Ochi, vidit novam populi calamitatem in ultima senecta. Teneantur autem nomina ducum post Ieconiam. Etsi enim posteri David usque ad Maccabaeos fuerunt principes populi, tamen non nominarunt se reges, ut existimo propter reverentiam Persicorum regum, ne viderentur velle pares esse monarchis, praesertim cum ab eis ingentia beneficia accepissent. Suntque appellationes ducem in Luca.

Ieconias, id est, erectus, stabilitus, in exilio honoratus. Nominatur apud Lucam Neri, id est, Lucerna mea.

Huius filius fuit *Sealthiel*, id est, postulatus a Deo. Fuit autem in reditu dux primus, filius Sealthiel.

Zorobabel dux praefuit annos quinquaginta octo. Etymologia est: Alienigena Babylonis. Huius mentio fit in Haggaeo et Zacharia.

Resa Mesollam, secundus dux, sexaginta sex annos. Etymologia est: Caput pacificum. Huius tempore veniebant Ierosolymam Esdras et Nehemias.

Iohanna Ben Resa, tertius dux, quinquaginta tres.

Iudas Hircanus primus, quartus dux, annos quatuordecim, fortassis eo dictus Hircanus, quod eius tempore Ochus transtulit partem Iudaeorum in Hircaniam, iuxta mare Caspium. Praefuit Iudaeae, cum Alexander vicit Darium.

Ioseph primus, quintus dux, annos septem.

Post Alexandrum.

Abner Semei, dux sextus, undecim annos. Huius tempore Ptolemaeus Lagi filius Ierosolymam fraude coepit in Sabbato, simulans se sacrificaturum esse.

Eli Matathia, septimus dux, annos duodecim.

Asar Mahat, octavus dux, id est, beatus percussor, annos novem.

Nagid Artaxad, nonus dux, praefuit annos decem. Significat Nagid principem, Arta magnum. Hesid sanctum. Huius tempore missi sunt septuaginta interpretes in Aegyptum ad Philadelphum, fuitque tranquilla Iudaea.

Haggai Eli, decimus dux, praefuit octo annos. Significat festum Dei mei. Lucas nominat Esli, id est, servatum.

Maslot Naum, undecimus dux, annos septem praefuit. Significat dominum iucundum.

Amos Sirach, duodecimus dux, praefuit annos quatuordecim. Fortis praeliator.

Matathia Siloah, tredecimus dux. Datus a Deo, foelix seu missus, praefuit annos decem.

Ioseph iunior, quartus decimus dux, nominatus Arses, honoratus a Ptolemaeo Evergete, praefuit annos sexaginta.

Ianna secundus Hircanus, quindecimus dux, annos sedecim. Multis praeliis vicit Arabes. Postea in defensione arcis cuiusdam, quam oppugnavit Antiochus Ephiphanes, interfectus est hic Ianna secundus Hircanus. Fuitque postremus ducum ex posteris David. Nam scelera pontificum attraxerant Antiochum Epiphanem in

Iudaeam, quem cum armis reprimerent Macabaei, postea principatum hi tenuerunt, cum essent nati ex tribu Levitica.

Post Macabaeos Iudaeam regendam dedit Iulius Antipatro Idumaeo, cuius virtutem et fidem in bello Alexandrino expertus erat. Hic Antipater pater fuit Herodis primi. Ita praedictum fuerat in vaticinio hebdomadum, venturum esse Messiam in fine politiae Iudaicae, cum iam peregrini in Iudaea reges essent. Et tamen ne stirps David ignota esset, oportuit non longum tempus esse a postremo duce ex stirpe David ad Christi natalem. Sunt autem anni centum sexaginta. Erat igitur recens memoria postremi ducis et familiae eius.

Extat iisdem appellationibus ducum series apud Lucam et Philonem, usque ad postremum ducem Ianna Hircanum, filium Ioseph. Deinde Lucas attexit quatuor patres, qui non fuerunt duces. Sed multi familiam nosse poterant. Ut autem series in conspectu sit, recitabo hic et Macabaeos.

Series principum et regum, qui ex Macabaeis orti sunt.

Nomen *Macabaei* sumptum est ex literis pictis in vexillo, quae significabant: Quis sicut Dominus in Israel? Extat autem series familiae in primo libro historiae Macabaeorum.

Matathias contra Antiochi Epiphanis duces primus arma coepit, et filiis hortator fuit, ut exercitus colligerent, et defenderent reliquias Ecclesiae, et rursus expellerent Antiochi exercitus, sicut Daniel futurum praedixerat: Iuvabuntur auxilio parvulo.

Sciendum est autem, eius temporis calamitatem, dissipationes et liberationes, imaginem esse postremi temporis in Ecclesia.

Iudas Macabaeus filius Matathiae fuit dux annos quinque. Cum Antiochus post secundum reditum ex Aegypto collocasset idolum in templo, anno 145. mense Kisleu, qui nobis est November, sequenti anno Iudas Macabaeus collecto exercitu defendere populi reliquias coepit, et quatuor duces ordine magnis praeliis vicit, Apollonium, Seronem, Gorgiam et Lysiam. His profligatis recuperavit et purgavit templum cremato idolo. Estque facta templi repurgatio in fine tertii anni, mense Kisleu, eodem die quo idolum ante tres annos in templum collocatum fuerat. Circa id tempus et Antiochus Epiphanes mortuus est. Et iam spes erat pacis, sed rursus scelere summi sacerdotis Alcimi attracti sunt hostes ex Syria regnante Demetrio. Fuitque difficilius bellum propter Alcimi perfidiam, qui intra moenia Ierosolymae insidiabatur Macabaeis.

Fuit autem tanta superbia ducis Syriaci Nicanoris, ut extenso brachio contra templum iuraverit, se hoc templum igni deleturum esse. Sed huic Nicanori in acie interfecto praecidi victor Iudas caput et brachia iussit, et suspendi ea ante templum, ut conspiceretur exemplum poenae blasphemi hominis.

His tantis rebus divinitus et foeliciter gestis per annos quatuor, deinde foedus fecit cum Romanis. Post id foedus infoeliciter pugnans in acie cecidit. Quia Deus voluit ostendere, Ecclesiam non debere confidere peregrinorum regum praesidiis et foederibus, sed ab ipso petere et expectare defensionem, iuxta dictum: Maledictus qui confidit in homine. Nam et Ionathae fratri postea exitio fuit perfidiosa regum amicitia.

Ionathas frater Iudae dux fuit annos novendecim. Fuit amicus regum Syriae, Alexandri et Tryphonis, de quibus supra in catalogo regum Syriae. Etsi autem rursus tunc mediocris status fuit Iudaeae, tamen cum iam velut conducticii militarent apud Syriacos reges inter sese dimicantes, doctrina, disciplina et mores in Iudaea magis corrumpebantur. Et Ionathas Tryphonis insidiis interfectus est. Ita paulatim status Iudaeae ruit in deterius.

Simon frater Iudae Macabaei fuit dux annos octo. Repulit Tryphonem et Antiochum Gryphum. Expulit ex arce Sion et ex aliis locis reliquias praesidiorum Syriacorum, ita ut sub eo prorsus fuerint ex Iudaea peregrinae gentes eiectae.

Cumque iam non solum pax in Iudaea esset, sed restituta etiam esset vetus forma Reipublicae, templi dignitas et usitati cultus, Simon a genero suo Ptolemaeo, cui dederat praefecturam Iericho, interfectus est. Ita postrema aetas in illo populo valde inquieta fuit. Et tamen inter hos tumultus mirabiliter Deus Ecclesiae reliquias servavit.

Patri Simoni successit filius *Iohannes* Hircanus, qui fuit dux annos triginta unum, excellens virtute et foelicitate. Repulit Antiochum Gryphum, qui obsederat Ierosolymam. Deinde

coepit et destruxit ipse Samariam, quam obsederat totum annum, et templum ibi conditum post Alexandrum ab impiis delevit. Coepit et oppida quaedam in finibus Syriae et Idumaeae. Sed sub eo, in illa gentis Iudaicae senecta, inter bella et in permixtione Ethnicorum dilacerata est Iudaea sectis. Praecipue vero nominantur Pharisaei, Zadducaei et Essei.

Etsi autem nomen *Pharisaeorum* aliqui fecerunt a segregatione, tamen multi derivant ab exponendo, qui indicant Pharisaeos dictos esse, quasi expositores seu interpretes scriptorum propheticorum. Et horum nomen antiquius caeteris videtur. Hi non abiecerunt libros propheticos ut Zadducaei, sed transformarunt doctrinam legis et promissionem prorsus in politicam seu philosophicam doctrinam, Dixerunt lege Dei tantum externam disciplinam praecipi, et homines disciplina mereri remissionem peccatorum, et iustos esse coram Deo, et haeredes aeternae vitae. Item, Sacrificia mereri remissionem peccatorum. Et addiderunt multa exercitia ceremoniarum, ieiunia et lotiones, quae ipsi finxerunt, ut apud nos Monachi. De *Messia* docuerunt, occupaturum esse provincias. Negaverunt Messiam fore victimam ad placandam iram Dei. Amiserunt doctrinam de natura divina Messiae, quae loquuta est cum Patribus et Prophetis, et semper adfuit Ecclesiae. Beneficia Messiae somniarunt haec fore: Ipsum mille annos in hoc mundo viventem regnaturum esse, lege Moisi imposita gentibus, et Iudaeos fore gentium principes, et longaevos fore trecentorum aut quadringentorum annorum, et futuram esse dulcem pacem et auream aetatem in toto genere humano. Postea sequuturum esse postremum iudicium, in quo hostes populi Iudaeorum in aeternas poenas abiecturus esset, et suis daturus aeterna bona.

Zadducaei post Pharisaeos orti, magnam potentiam in populo adepti sunt, fuitque grata professio. Quia cum Pharisaei nimis multis traditionibus onerassent populum, hi fecerunt laxationes. Ac non solum traditiones pharisaicas abstulerunt, sed etiam abiecerunt Prophetas omnes, praeter Moisen. Hunc unum se amplecti simulabant, et tamen negaverunt animas esse superstites extinctis corporibus. Negaverunt et corporum fore resuscitationem. Dixerunt autem legi obtemperandum esse, quia obedientia mereatur tranquillitatem huius vitae, et contumacia poenas. Horum cum et multitudo et potentia magna esset, inter Pharisaeos et ipsos adsidua certamina fuerunt, unde et in gubernatione crebri tumultus orti sunt. Est autem horribile exemplum, quod in tam exiguo populo non solum dilaceratio tanta gentis facta est, sed etiam doctrina tam varie a sectis corrupta est. Denique quod prophanitas adeo crevit, ut essent in hoc populo, qui nomen habebat Ecclesiae Dei, qui palam epicuraeas opiniones defendebant. Plerunque autem pessimi Hypocritae arroganter sibi gloriosissimas appellationes tribuunt. Ita Zadducaei nominarunt se a Zaddic, quod est Iustus, quasi nominati essent iusti seu iusticiarii. Alii fecerunt alias etymologias, quas omitto.

Essei, id est, Operarii, ab Asa, quos sic dictos esse apparet, quia cum viderent alios adsiduis contentionibus perturbare Rempublicam, et retinere vitae turpitudinem, ambitiones, luxum, odia et alia vicia, ipsi amantes modestiae et pacis, discesserunt ab illis, et ostenderunt, se bonis operibus, non rixis, velle Deo servire. Sed cum pauci essent, nec peterent gubernationem Reipublicae, secesserunt ad loca vicina hortis balsami et palmarum. Ibi et coluerunt hortos, et artem medicam didicerunt, et remedia apparарunt, et cum laboribus medicationis, qui sunt magni et grati, tum aliis multis officiis beneficentiam erga multos re ipsa exercuerunt, disputationum vanitate omissa. Distribuerunt diem in tempora precum, lectionum, laborum, cibi et potus. Lucra etiam contulerunt in commune aerarium sine superstitione, ut inde suis et aliis honestis in egestate et in morbis opitularentur. Denique Schola fuit medica, et eruditione et exemplis virtutum excellens. In Eusebio legitur, dictos esse quasi *θεωρητικούς*. Et dicitur: *ὑπέρτεροι σφόδρα τῶν φαρισαίων*, id est, longe antecellentiores Pharisaeis. Apparet autem Eusebium nomen fecisse ab Aza, quod est, considerare, speculari.

Dolendum est autem, quod cum manifesto auxilio Dei Iudaea defensa adversus Antiochum, et tandem liberata esset, mox in pace opinionum dissidiis dilacerata est. Postea etiam bella civilia, et statim fratrum parricidia sequuta sunt. Hae calamitates postremi temporis in Iudaea sunt imago extremae senectae mundi. Ut autem tunc inter tot sectas et bella mirabiliter Deus aliquas Ecclesiae reliquias servavit, ut fuerunt Simeon, Za-

charias, Elisabeth, Anna, Maria, Ioseph, et alii multi, alieni a deliramentis Pharisaeorum et Zadducaeorum, ac retinentes propheticam doctrinam sine corruptelis, sicut Esaias inquit, Obsigna legem in discipulis meis: ita nunc quoque Deus immensa bonitate reliquias Ecclesiae servat, agmen exiguum, quod retinet fundamentum, et Deum recte invocat, et fugit idola, cum interea ingens multitudo sit defendentium idola, et hostium doctrinae propheticae et apostolicae, qui sunt parricidae membrorum Christi, videlicet, Mahometici, Papa, Monachi et eorum satellites, et tota ista colluvies defendentium idola. Monent autem illa vetera exempla, ut in tantis dissidiis certo statuamus, servari tamen coetum aliquem, qui est vera Ecclesia Dei, et ut sapienter quaeramus, quae et ubi sit illa vera Ecclesia Dei, et nos ad eam adiungamus, sicut scriptum est: Oves meae vocem meam audiunt. Item Psalmo 83.: Beati qui habitant in domo tua Domine. Item Psalmo 91.: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

Reges ex familia Macabaea.

Filius Ioannis Hircani fuit Aristobulus, qui se *regem* nominavit primus post reditum ex Babylone, oblitus modestiae priorum ducum. Sed dedit poenas superbiae. Non enim diutius anno regnavit. Interfecit fratrem Antigonum praestantem virum, falso suspicans, eum appetere regnum. Interfecit et matrem, a qua existimabat adiuvari Antigonum. Postea cum dolore conscientiae in magnis cruciatibus esset, iussit se in locum fraternae necis gestari, ibi vomens sanguinem mortuus est. Haec horribilia scelera in populo Dei fecerunt principes, nati ex viris sanctis et optime meritis. Tales calamitates postremi temporis consideremus, et petamus nos regi a Deo, et servari verae Ecclesiae reliquias.

Secundus rex Alexander Iamneus regnavit annos viginti septem, filius Hircani minimus natu. Sub eo tristissima clades accepta est, in qua Ptolemaeus Lamyrus trucidavit triginta millia Iudaeorum, et captivos interfectorum carnibus vesci coëgit. Propter seditiones motas a Pharisaeis, qui regio nomini adversabantur, occidit ipse sex millia Iudaeorum. Postea bellum gessit foelicius contra Arabes,

Successit Alexandro coniunx Alexandra, quae et Salome nominatur. Gubernatio eius tranquilla fuit, quia adiunctos habuit Pharisaeos, quorum consilio Rempublicam administravit. Regnavit annos novem.

Alexandri filii duo fuerunt: Hircanus et Aristobulus. Etsi autem Hircanus maior natu erat, tamen Aristobulus collecto exercitu regnum invasit, adhuc vivente matre. Defenderunt autem Hircanum initio Antipater Idumaeus et Aretas rex Arabum. Postea cum Scaurus Pompeii legatus corruptus pecunia iuvaret Aristobulum, misit et Hircanus ipse legatos ad Pompeium, qui cognito iam negotio Ierosolymam accessit cum exercitu, et urbe occupata in Sabbato tradidit Hircano gubernationem et summum sacerdotium, et abduxit Romam captivos Aristobulum et eius filios Alexandrum et Antigonum.

In his seditionibus et fratrum parricidiis non solum disciplina Iudaica, sed etiam doctrina magis extincta fuit. Nec finis fuit domesticarum seditionum, donec Iudaea redacta est in formam provinciae. Ibi quanquam peregrini Magistratus dominarentur, tamen concessa est Iudaeis αὐτονομία in doctrina et cultibus, et mediocris tranquillitas fuit, ne Ecclesia funditus extingueretur.

Alexander cum patre Aristobulo captivus cum Romam duceretur, in Cilicia elapsus rediit in Iudaeam, et occupata parte Galileae a Gabinio captus est. Postea tempore belli civilis Pompeiani, quia seditiones moliebatur, a Scipione Pompeii socero Antiochiae securi percussus est.

Antigonus a Iulio post bellum civile Pompeianum dimissus, Parthorum auxiliis recuperare Iudaeam conatus est, praesertim mortuo Antipatro, cum Iudaei mallent ipsi parere, quam filiis Antipatri. Et senex Hircanus, patruus ipsius, summus sacerdos, ab eo captus et in Parthiam abductus est, praecisis auribus. Hunc Antigonum tertio anno postquam Herodes rex factus erat, Antonius capitali supplicio affecit. Herodes autem Hircanum, patruum Antigoni, revocatum ex Parthia, interfecit octogenarium.

Hic tristis exitus fuit familiae Macabaeorum, quos Deus ornaverat ingenti gloria. Ex his orti nepotes inter sese horrendam lanienam exercuerunt, peregrinas gentes attraxerunt, et doctrinam, leges et disciplinam patriae valde labefactarunt. Quorum historia imago est postremi temporis in

Ecclesia, in qua etiam certamina ambitionum inter doctores corrumpunt doctrinam et disciplinam. Cumque considerabimus, quam turpiter degeneraverint Macabaeorum posteri, non confidamus maiorum meritis aut virtute, sed simus eo modestiores, ut Dei dona a maioribus accepta, retineamus.

Herodis posteritas.

Cum Iulius in Aegypto periculosum bellum gereret, multum ei profuit Antipatri Idumaei providentia et fides, quia regiones illae huic notissimae erant, et flexit ad amicitiam Iulii Memphitas et alios. Ideo Caesar Antipatro tradidit Iudaeam regendam sine regio nomine, sed nomine gubernatoris. Deinceps igitur Iudaea peregrinos principes ex Ethnicis natos, habuit. Quod cum aegre ferrent Iudaei, ac disputarent, Tribui *Iuda* regnum promissum esse donec Messias nasceretur, subinde atroces seditiones moverunt. Ac Antipater, qui sapienter et moderate dominabatur, tamen veneno necatus est a Iudaeo Malcho, quem postea Herodes prope Tyrum interfecit.

Herodes Primus, filius Antipatri, quem et Ascaloniten nominant, ab Ascalon, quae fuit in Idumaea, vivo patre Galilaeam magna cum laude virtutis rexit, et seditionem motam a quodam Ezechia oppressit. Cumque post mortem Antipatri sperarent Iudaei, ipsius filios excuti ex regno posse, attrahunt exulantem apud Parthos Antigonum, de quo supra, qui adiutus a Parthis potitur urbe Ierosolyma. Sed cum aliquot praeliis vicisset Herodes, nominatus est ab Antonio totius Iudaeae Tetrarcha. Post paucos annos cum Romam venisset, Octavio et Antonio dominantibus, regio nomine ornatus est, et rex totius Iudaeae appellatus in Capitolium ductus est, medius inter Octavium et Antonium, Olympiade centesima octuagesima quinta.

Tertio anno post, cum Antonius venisset Antiochiam, securi percussit Antigonum. Deinde Herodem adsiduae seditiones exercuerunt, sed victor occidit summum Senatum populi Iudaici, quem nominabant septuaginta duos seniores.

Anno tricesimo regni Herodis *natus est ex Maria virgine filius Dei, Dominus noster Iesus Christus.* Hic numerus anni a multis traditus est, quos sequor. Nec diligentiam illorum improbo, qui tres annos adiiciunt, sed disputationem omitto.

Herodes filios Antipatrum, Aristobulum et Alexandrum propter suspicionem insidiarum occidit. Successerunt patri Herodi tres filii, Archelaus, qui Iudaeam tenuit sine nomine regio annos novem. Huius mentio fit in Matthaeo. Herodes Antipas quem nominemus Secundum, qui Galilaeam tenuit, a quo interfectus est *Ioannes Baptista.* Philippus, qui tenuit Trachonitida sive Ituraeam. Nomen Antipas mutilatum est ex *Ἀντίπατρος*. Trachonitis Graecum est, confragosa, aspera seu scopulosa. Idem significat Ituraea Ebraeis a vocabulo Tira, quod significat turrem, sive in montibus angustas fauces.

Archelaus et Herodes Antipas relegati sunt, cum quidem Herodes Antipas Romam profectus esset, ut regnum impetraret, quo non impetrato, in reditu Philippi coniugem duxit uxorem. Postea relegatus mortuus est in Gallia. Nomen tenuit *Tetrarchae*, quod significat Principem, id est, non regem, sed habentem regi similem gubernationem, videlicet Agricolas, Opifices, Curiam et Militiam, sed ita, ut superiori domino pareret.

Herodes Tertius, cuius cognomen est Agrippa, filius Aristobuli (interfecti a primo Herode) qui interfecit Iacobum Apostolum filium Zebedei. Hunc Herodem Agrippam Tiberius Romae carceri inclusit, quod familiaris esset C. Caligulae, quem Tiberius imperii successorem esse non voluit. Postea Caligula eum liberavit ex carcere, et dedit ei Trachonitidem, quam Philippus tenuerat, et attribuit regium nomen. Claudius addidit Samariam et Iudaeam. Ita rursus unus fuit rex Herodes Agrippa, Iudaeae, Samariae et Galilaeae, qui regnavit annos septem, punitus postquam necavit Iacobum, sicut narratur Actorum 12.

Post huius Herodis Agrippae mortem cum filius Agrippa esset adolescens, et Iudaea plena seditionum esset, rursus per Romanos Magistratus administrata est. Sed Claudius tradidit huic Agrippae Chalcidem in Syria, et regium nomen, et Trachonitidem. Nero addidit aliqua oppida in Iudaea. Huius Agrippae tempore Ierosolyma deleta est. Fit eius mentio Actorum 21. Regnavit annos viginti septem. Philo scribit, huic Agrippae filium fuisse alium Agrippam socium seditiosi viri, qui tempore Adriani imperatoris

magnum exercitum collegit, ut restitueret politiam Iudaicam, et se nominavit Ben Cochab, id est, filium stellae. Postea cum infoelix eventus fuisset, nominatus est Ben Cosban, id est, filius mendax sive mendacii. Cumque Bethoron triennio obsessa fuisset, domiti sunt Iudaei, partim praeliis, partim fame, trucidatis amplius trecentis millibus ab imperatore Adriano. Hic finis est familiae *Herodis*, quae annos centum et tres dominata est, usque ad finem Agrippae, qui fuit filius Herodis Agrippae regis.

Bella Romana tempore tertiae monarchiae.

In tertia monarchia breviter recitavi Persici regni finem, Alexandri victorias, et post eius mortem quatuor praecipua regna successorum, sicut Daniel praedixerat, Aegyptium, Syriacum, regnum Antigoni in minore Asia, et Macedonicum. Diximus etiam, Iudaeae et Ecclesiae mediocrem fuisse tranquillitatem tempore Alexandri et proximorum successorum usque ad Antiochum Magnum. Interea paulatim in Italia crevit Romana potentia. Fuit autem maxime memorabile bellum, quod Romani tempore Philadelphi gesserunt cum rege Pyrrho et Tarentinis, motum anno a condita urbe quadringentesimo septuagesimo secundo, quia Tarentini et classem Romanam diripuerant interfecto duce, et legatos Tarentum missos pulsaverant. Utile est autem totam historiam Pyrrhi nosse, quae legatur apud Plutarchum. Virtus fuit excellens Pyrrhi. Sed cum multa bella simul moveret, et inchoata non pertexeret, potentia ipsius paulatim languefacta est. Post bellum Tarentinum insigne exemplum Romanae iusticiae narratur. Romana legio, quam nominant Campanam, praesidii causa in urbem Rhegium collocata, Rheginos cives interfecit, et eorum bona et agros occupavit. Romani igitur ut ostenderent, se fidem sociis debitam non velle violare, punire suos milites decreverunt, et potiti urbe Rhegio, trecentos, quia non plures vivi in Consulis potestatem venerant, securi percusserunt. Caeteri sceleris socii in oppugnatione perierant.

Postea anno urbis quadringentesimo octuagesimo nono motum est primum bellum Punicum, quia Carthaginenses Hieroni Syracusano, socio populi Romani regnum eripere conabantur. Etsi autem et Carthaginenses saepe magnis praeliis victi sunt, tamen Romanae clades propter crebra naufragia maiores fuerunt. Ac in primis Reguli fortuna et fides in primo bello Punico insignis fuit.

Anno nono eius belli cum duo Consules, Manlius et Regulus in Aphricam traiecissent, et post reditum Manlii ad urbem Regulus in Aphrica mansisset, vicit acie duos, Asdrubalem et Amilcarem patrem Annibalis. Trucidavit octodecim millia Poenorum, quinque millia coepit, et octodecim elephantos.

Sequenti anno Regulus victus est, et trucidata triginta millia Romanorum, capta quindecim millia, Regulus catenis vinctus est.

Anno quinto post hanc cladem, cum Metellus viginti millia Carthaginensium trucidasset, elephantos interfecisset sex et triginta, coepisset centum quadraginta sex, Regulus missus est Romam, ut pacem aut permutationem captivorum Carthaginensibus peteret, dissuasit utrumque. Nec tamen violavit datam fidem de reditu ad Carthaginem. Reversus est igitur Carthaginem, ubi postea crudeli supplicio necatus est. Postea rursus magnae clades utrinque acceptae sunt, sed nono anno post Metelli victoriam Luctatius Consul, cum vidisset Hannonem adducere novam classem ad Amilcarem, priusquam duo exercitus coniungerentur, statim dimicavit, ad insulas Aegates, coepit Punicas naves sexaginta tres, demersit centum viginti quinque, coepit viginti duo millia hominum, trucidavit tredecim millia, postea properavit ad Amilcarem, et eum ex Eryce discedere coëgit. Poeni qui fuerant in Eryce venditi singuli denariis octodecim. Postea petentibus Carthaginensibus data est pax, fuitque hic finis primi belli Punici, anno vicesimo quarto posteaquam motum est. Estque hic annus urbis conditae quingentesimus duodecimus.

Ac praecipue insignia exempla sunt in hoc bello, fortuna et fides Reguli, et celeritas Luctatii.

De tempore inter primum bellum Punicum et secundum.

Inter finem primi belli Punici et initium secundi sunt anni quinque et viginti. Suntque interea magnis praeliis victi prope Mediolanum *Insubres* et *Boii*, et Gallorum ac Germanorum novi exercitus, qui ad defendendos Insubres iuga Alpium transierant, et iuraverant se Romam de-

leturos esse. Nec contempserunt Romani periculum, sed magnos exercitus opposuerunt. Curius et Flaminius Coss. non procul a Mediolano trucidaverunt quadraginta millia Gallorum et Germanorum. Horum dux Ariovistus, quod est Ehrnvest, captus est, ut scribit Polybius.

Sequente anno Coss. fuerunt M. Claudius Marcellus, et Cn. Cornelius Scipio. Marcellus is est, qui deinde post Cannensem cladem vicit Annibalem. Cn. Cornelius Scipio patruus fuit Aphricani, a quo in Aphrica victus est Annibal. Cum autem duce Viridomaro, quod est Friedmeyer, id est, custos pacis, rursus triginta millia Gallorum et Germanorum ad Mediolanum accederent, et Coss. Mediolanum obsiderent, Marcellus partem exercitus duxit adversus Viridomarum. Cumque hunc insignem armis auro ornatis ante aciem vidisset, quia ducem esse ratiocinabatur Marcellus, recta impetum in eum facit, et Iovi spolia opima vovet. Non fugit hostis, sed acerrime dimicans tandem accipit letale vulnus. Interea et exercitus inter sese confligunt, sed interfecto duce Viridomaro, prima acie perterrefacta et turbata, Romani alacres instant cedentibus. Marcellus spolia hosti detrahit, quae postea reversus Romam affixa querno trunco gestat in Capitolium, exemplo *Romuli*, sicut voverat. Mox vero post illam pugnam triginta millibus hostium profligatis ad obsidionem Mediolani redit, ubi cum copiae Coss. rursus coniunctae essent, vi captum est Mediolanum. Deinde vicina oppida deditionem ultro faciunt. Ita deletis peregrinis exercitibus Italia ingenti terrore liberata est. Ac plurimum attulerunt momenti ad victoriam, consilium, celeritas, fortitudo et foelicitas Marcelli, qui et anno post trucidatum Viridomarum nono, anno post cladem Cannensem tertio vicit Annibalem.

Cum talis excellens virtus in imperiorum constitutione conspicitur, cogitemus *Deum* constituere imperia, et id non fieri sine ingenti labore, et Deum velle agnosci suam praesentiam in illa virtutum excellentia, et in ipsa imperiorum constitutione, quae fit, ut aliqua pars generis humani et honestae societates conserventur. Huius Marcelli mentio fit in sexto libro Aeneidos:

Aspice ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur: Victorque viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Poenos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

Haec de *Marcello* diximus, quia valde prodest excellentes viros in omnibus historiis considerare propter eas causas, quas recitavi: Quia discendum est imperia a Deo constitui, et Deum dare excellentem virtutem et successus, et haec dari non ignavis, sed laborantibus, sicut in Aeschylo dictum est: *ἀλλ᾽ ὅταν σπένδῃ τίς αὐτὸς, καὶ θεὸς συνάπτεται.*

Polybius inquit, huius belli Gallici pericula et praelia fuisse non minora, quam ulla in caeteris fuerunt, sed a Celtis omnia magis impetu, quam consilio acta esse: *θυμῷ μᾶλλον, ἢ λογισμῷ, βραβευθῆναι.*

De Arato Sicyonio.

Exemplum est *Aratus Sicyonius* gubernatoris sapientis, iusti, moderati in victoria civili, et experti fortunae inconstantiam, et infidas regum familiaritates. Quem eo praeterire nolui, quia Cicero eius mentionem facit. Et in eius historia conspicitur, quam varii tumultus et quales tyrannides in Graecia tunc fuerint, cum nondum a Romanis defenderetur.

Aliquanto ante bellum Gallicum, in quo Marcellus victor delevit magnum exercitum Celtarum, id est Gallorum et Teutonum, clarus fuit in Graecia Aratus Sicyonius, natus patre Clinia, qui fuit princeps Sicyonis, quem cum interfecisset Abantidas, qui rapuit dominationem, postea filius Cliniae Aratus exul, adiutus a caeteris exulibus nocte conscensis muris patriam coepit. Cumque tyrannus fuga evasisset, vetuit Aratus ullum civem interfici. Opes tyranni dedit exulibus. Quia vero exulum praedia iam ab aliis civibus possidebantur, et multa haereditatibus, dotibus aut venditionibus translata erant, eiectis possessoribus nova bella sequutura erant. Ut igitur paci civitatis consuleret Aratus, adhibitis Senatoribus transactiones instituit. Precia numerat iis, qui volentes cedebant. Aut si qui cedere nolebant, tantundem pecuniae dat exulibus, quanti aestimabantur fundi. Hanc ad rem sumpsit a Ptolemaeo talenta centum et quinquaginta, id est, nonaginta millia coronatorum. Hac compensatione pax civitatis retenta est. Postea hic Aratus creatus dux Achaeorum, liberare et vicinos instituit. Ex arce Corinthi et ex Athenis eiecit Macedonica praesidia. Deinde Cleomenem regem Laconicum conatus est reprimere, qui et

Ephoros sustulerat, et vicinis bellum inferebat, a quo magno praelio victus est. Cum autem et Cleomenis audaciam et robur Laconicum metueret, ad belli societatem Antigonum regem Macedonicum invitavit, qui adducto exercitu magno praelio vicit Cleomenem, qui amisso regno fugit in Aegyptum, ubi captus mortem sibi conscivit.

Postea mortuo Antigono rege successit in regno Macedonico *Philippus* Persei pater. Cum autem Aetoli renovarent bellum adversus Achaeos, et eorum oppida caperent, et exercitus funderent, nec pares essent Achaei, rursus accersivit Aratus auxilia Macedonica. Cumque multa consiliis Arati praeclare gererentur, factus insolentior Philippus, crudelitatem naturae suae paulatim detexit. Messenios praecipuos et alios passim iniuste interfecit. Deinde et coniugem filii Arati corrupit. Quae scelera senex Aratus aegre ferens, se ab eo disiunxit. Sed Philippus et patrem Aratum et filium veneno necavit. Cumque sanguinem vomeret Aratus pater praesentibus amicis, solitus est dicere: *ταῦτα ἔστιν ἐπίχειρα τυραννικῆς φιλίας,* haec sunt praemia tyrannicae amicitiae. Hic fuit exitus viri praestantis Arati, cuius laudatur in recuperatione patriae et in multis aliis victoriis moderatio. Estque in patria ei statua posita, cum hac inscriptione:

Venit ad Herculeas quanquam tua fama columnas,
Dum patriam servas inclyte Arate tuam:
Nos tamen hanc statuam pro libertate recepta
Virtutis testem fecimus esse tuae.
Communis tibi cum Diis servatoribus esto
Hic honor. In patriam nam pia iura refers.

Reprehenditur quod Macedonas rursus in Graeciam attraxit, qui mox Graeciam servitute oppresserunt. Et prudentia necessaria est, considerare quales nobis adiungamus. Valde enim infoelix coniunctio fuit cum Philippo Macedonico rege, qui et natura crudelis fuit et obscoenus. Quare dictum est, Aratum male fecisse, quod attraxisset Macedonas in Graecorum gynaecea. Quod vero societates fecit cum inimicis, tempori et saeviciae novorum hostium tribuitur, sicut usitatum est, ut Plutarchus inquit: *Καιρῷ δουλεύουσιν οἱ δοκοῦντες ἄρχειν.* Et apud Thucydidem inquit legatus Atheniensis: *Ἄνδρα τύραννον δεῖ πρὸς ἕκαστα, φίλον ἢ ἐχθρον, μετὰ καιροῦ γίγνεσθαι.* Sed postea tyrannus Macedo poenas dedit, ut infra dicemus.

De secundo bello Punico.

Anno ab urbe *Roma* conditae quingentesimo tricesimo sexto, motum est bellum secundum Punicum, cum Annibal Saguntum in Hispania delevisset. Anni sunt a fine primi belli Punici ad initium secundi, quinque et viginti. Tanta odiorum incendia fuerunt in his civitatibus de imperio dimicantibus, ut non diu quiescere potuerint. Et Deus crescere Romanam potentiam volebat, ut regum tyrannides compesceret. Duravit autem secundum bellum Punicum usque ad annum septimum decimum. Ac numerari potest inter acerrima bella generis humani, propter magnitudinem praeliorum, et varias vices. Cumque de multis magnis rebus commonefactiones in tantis calamitatibus et mutationibus imperiorum proponantur, hoc praecipue considerandum est, imperia non solum humanis consiliis aut viribus constitui, sed Dei opera esse, ut Daniel inquit: *Deus* transfert et stabilit regna. Et quanquam bellis horribilibus utrinque scelera hominum puniuntur, tamen Deum victorias plerunque illis tribuere, qui iustae defensionis causa repellunt vim iniuste illatam, iuxta regulam: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit.

Etsi autem perspicua causa est secundi belli Punici, tamen quaesita est elusio. In foedere Romanorum et Carthaginensium fuit hoc caput: Ne laederentur utrinque socii. Erant autem *Saguntini* socii Romanorum, quos cum Annibal crudeliter delevisset, Romani accusarunt Carthaginenses, violatum ab eis esse foedus. Carthaginenses contra disputarunt, Saguntinos non fuisse socios Romanorum, cum illud foedus fieret. Huic excusationi cum responsum esset, foedus de praesentibus et futuris sociis loqui, et non dubium esse, violatum esse foedus ab Annibale, utrinque bellum motum est.

Legatur autem historia integra apud Polybium et Livium, et considerentur duces, et belli vices. Annibal excelluit calliditate et audacia. Venit in Italiam mense Octobri, et statim ad Ticinum et Trebiam Romanos vicit. Postea ad Thrasimenum, in vere anni secundi Consule Flaminio interfecto trucidavit quindecim millia Romanorum. Tertio anno ad Cannas trucidavit quadraginta millia in exercitu Romano, et magna pars Italiae ad Annibalem defecit. Ita fuerunt initia Annibali laeta. Postea fortuna paulatim

conversa est. Adolescens Scipio, natus annos octodecim patrem Consulem in praelio ad Ticinum servavit, cum hostem, qui patrem vulneraverat, repelleret. Hic Scipio adolescens cum Tribunus militum esset in pugna Cannensi, et multi nobiles Romani post infoelicem pugnam deliberarent de deserenda Italia, ipse interveniens coëgit eos iurare, se patriam non deserturos esse. Si quis nollet iurare, necem ei minitatus est.

Nullo tempore maior virtus fuit Romanae civitatis, quam tunc cum maximis praeliis victa, amissa magna Italiae parte funditus ruitura videbatur. Ibi divinitus et excitata est magnitudo animorum, et constantia et vigilantia in rebus adversis, et dati magnanimi, sapientes, concordes et foelices duces, fuitque virtus magis conspicua inter tantas adversitates, ut dicitur: ἐν δυςτυχίαις λάμπει τὸ καλόν. *Fabius* cunctando repressit Annibalem. *Marcellus* anno quinto huius belli primus vicit Annibalem praelio. Postea res secundae multae sequutae sunt. Anno decimo huius belli maxime languefieri Annibal coepit interfecto Asdrubale fratre in Italia prope Senam. Hic exercitum adduxerat in Italiam, et se fratri coniuncturus erat. Id cum Claudius interceptis literis cognovisset, relicto Annibale, cui oppositus erat in Apulia, sex dierum spacio emensus Italiae longitudinem, coniunxit se cum altero Consule Livio. Ibi cum dimicaretur, Asdrubal interfectus est, et exercitus eius deletus. Redit Claudius in sua castra, et caput Asdrubalis interfecti abiici ante castra Annibalis iubet, et duos captivos mittit Annibali, ignoranti fratris adventum et infoelicem pugnam, narraturos haec ut acciderant. Hic Annibal moestus longius abduxit exercitum in Brutios, et gemens fortunam se Carthaginis agnoscere dixit. Hoc Claudii consilium maxime dignum est admiratione in huius belli exemplis.

Obiter et hoc exemplum hic inseram, de captis Macedonum et Carthaginensium legatis, quod narrat Livius in tertia Decade, libro 3. Etsi enim usitatum est legatis parcere, tamen id intelligatur de iis, qui non moliuntur hostilia, ut tunc Macedones et Carthaginenses foedus facturi erant contra Romanos. Ideo iudicatum est, iuste hos legatos captos esse.

Simile exemplum extat apud Thucydidem libro secundo, ubi narratur, ab Atheniensibus captos esse legatos Lacedaemoniorum ituros ad Persas ut auxilia contra Athenienses peterent. Hi legati Athenas adducti interfecti sunt. Haec exempla citantur, cum disputatur, in quibus casibus iustum sit legatos capere.

Sed inter duces Romanos, qui tunc multi fuerunt praestantes virtute, eminet *Scipio* virtute et foelicitate, qui recuperavit Hispaniam, et postea in Aphrica vicit regem Syphacem et Annibalem. Fracti igitur his cladibus Carthaginenses, anno septimo decimo huius belli pacem petere coacti sunt, quam Romani certis conditionibus dederunt, videlicet, ut abstinerent ab omnibus, quae iam Romani tenebant, et ab eorum sociis, et penderent intra annos quinquaginta decem millia talentorum, id est, sexaginta tonnas auri. Scribit Livius etiam postulasse Scipionem, ut sibi traderetur Annibal, sed responsum est, Annibalem non esse in Aphrica. Fugerat enim ad Antiochum in Asiam, metu suorum civium.

Extat apud Apianum narratio, quomodo in pugna inter se ipsi dimicaverint, Scipio et Annibal, et deinde Masinissa et Annibal. Scipio telum emisit in clypeum Annibalis, Annibal equum Scipionis sauciavit, et cum vulnere equus turbatus resiliret, intervenit Masinissa, quia cum primum telo scutum Annibalis percussisset, huius etiam equum Annibal vulneravit. Relicto igitur equo Masinissa pedes adoritur Annibalem, et eius propugnatorem equitem interficit, et nactus aliud telum rursus petit Annibalem, sed haesit telum in alio equite, qui et interfectus est. Tertium telum cum rapere Masinissa conaretur, vulnus accipit in brachio. Interea et Scipio redit, Masinissae opitulaturus, quem invenit iam obligato vulnere redeuntem in praelium in alio equo. Hic acerrimum certamen inter duces et exercitus ortum est, donec tumulum proximum Annibal ascendit, non fugae causa, sed ut inde commodius in hostes impetum faceret. Quia vero inde in exercitu Punico consternatio errore orta est, Poeni omisso praelio dissipati fugere coeperunt. Evasit Annibal sequente Masinissa usque ad noctem.

Est autem et *Masinissa* inter huius belli praestantes viros numerandus, dignus laude propter iusticiam, fortitudinem et fidem, quam in tuenda societate Romana praestitit. Vixit annos nonaginta. Nomen Masinissa significat remittentem tributa.

Annibal cum fugisset ad Antiochum, ac deinde ad Prusiam Bithyniae regem, anno post finem huius belli septimo decimo mortuus est, sumpto veneno cum Prusias eum Romanis dediturus esset. Et scribitur eodem anno mortuos esse Annibalem et Scipionem, qui non solum fortitudine, scientia rei militaris et foelicitate excelluit, sed etiam iusticia, continentia et modestia, quam ostendit secedens in rus, nec movens Rempublicam lacessitus tribuniciis criminationibus.

De bellis Macedonicis.

Paucis mensibus post finem belli Punici secundi, videlicet anno a condita urbe quingentesimo quinquagesimo quinto, motum est bellum adversus *Philippum* regem Macedonicum, patrem *Persei*, qui initio cum Arati Sicyonii consiliis regeretur, naturae saeviciam non statim ostendit, eratque de eo magna industriae et virtutis opinio. Postea vero et libidinibus varie se polluit, et magnam crudelitatem exercuit. Sed scelerum poenas dedit. Vetus igitur vaticinium discernit Philippum Alexandri patrem ab hoc posteriore. Extant versus apud Pausaniam in Achaicis, digni memoria:

In Macedum populis clarissima regna tenebunt
Argiva de stirpe bonum damnumque, *Philippi.*
Horum qui prior est, gentes urbesque domabit,
Sed veteris regni perdet decus omne secundus.
A populis victus, quos mittent Vesper et Ortus.

Vicerunt enim hunc posteriorem Philippum Romani, adiuti a socio rege *Attalo*, qui tenuit Pergamum et viciniam.

Occasio belli haec fuit: Philippus bellum intulerat Atheniensibus, ut reges conantur opprimere vicinas urbes, opibus et artibus florentes. Incitabat etiam eum κακοζηλία prioris Philippi. Quare Athenienses a Romanis auxilium petunt, qui cum alioqui Philippum odissent, propter societatem quam cum Annibale fecerat, et gloriosum esset defendere *Athenas*, laudatissimam civitatem, a qua Romani leges, formam iudiciorum, et multa honesta exempla acceperant, bellum adversus Philippum movent. Ac initio socios habuerunt regem Attalum et Aetolos.

Fuit autem excellens virtus, foelicitas et moderatio ducis *T. Quintii Flaminii* Consulis, qui Philippum in faucibus Epiri, et deinde in Thessalia vicit. Interea rex Attalus et Lucius Quintius frater Consulis, navali praelio Philippi classem vicerunt, et Euboeam occuparunt. His cladibus fractus pacem Philippus a Romanis petivit, quae ei hac conditione data est, ut a tota Graecia abstineret, et penderet Romanis mille talenta, id est, sexcenta millia coronatorum.

Etsi autem haec victoria Flaminii gloriosa fuit, tamen sequens erga Graeciam beneficentia multo gloriosior fuit, cum superato Philippo Graecae civitates se Romanis adiungerent, et ipse discordiarum intestinarum arbiter factus, dirimeret controversias, sua moderatione sine bello. Postea in Isthmiis et Nemeis iussit decretum populi Romani publice pronunciari: *Velle populum Romanum et T. Flaminium, ut tota Graecia libera sit, et suis legibus utatur.* Hunc tantum honorem Roma Graeciae propter doctrinas, leges et maiorum virtutem habuit, et praebuit imperiis exemplum moderationis in victoria, et monuit, aliter mitiores et bene meritas gentes tractandas esse, quam illas, quas propter crudelitatem et turpitudines opprimi aut deleri necesse est. Romani beneficii in Delphico templo monumenta suspensa sunt, clypei argentei, et clypeus Titi Flaminii, cum hac inscriptione:

Tyndaridae fratres, quorum fuit inclyta virtus,
Custodes inter quos modo Sparta colit.
Leges, Libertas et Pax sunt optima dona,
Haec Graecae genti dat Titus Aeneades.

Mansit in Graecia Titus Flaminius circiter quinquennium, quia postquam Philippo pax data est, cum bellum biennio durasset, reliqui anni consumpti sunt in constituendo Graeciae statu, occupandis aliquot Thraciae urbibus, et tyranno Laconico Nabide reprimendo. Postea Romam rediit, secumque obsidem Demetrium filium Philippi adduxit, quem tamen Senatus aliquanto post ad patrem remisit.

Fuit pax Romanis oportuna cum Philippo, quia mox sequutum est bellum cum *Antiocho Magno*, quo tempore si coniuncti duo reges fuissent, multo difficilius bellum Romanis futurum erat. Motum est bellum cum Antiocho Tertio anno post reditum Titi Flaminii ex Graecia, anno ab urbe condita quingentesimo sexagesimo secundo, duravit biennium, superato Antiocho a Scipione Asiatico fratre Aphricani, apud urbem Magnesiam', anno quingentesimo sexagesimo quarto. Asia citra Taurum montem adempta est

Antiocho. Ita paulatim regum potentia diminuta est, donec prorsus stirpes eorum deletae sunt.

Philippus autem dolens Romanorum potentiam crescere, ut rursus bellum moliri posset, annis aliquot in pace munit urbes, colligit magnos acervos frumenti et pecuniae, et vicinos Thraces, Paeonas et alios barbaros sibi adiungit, ac ostendit se bellum in Italiam translaturum esse Annibalis exemplo, et ingressurum Italiam circa Adriam, quare et regem Illyricum Gentium et Celtas vicinos Adriatico ad societatem tanti belli invitat. Sed haec adparans moritur, cum quidem filium Demetrium excellentem virtute rescivisset a fratre Perseo falso accusatum et dolo interfectum esse. Cum enim Demetrius antecelleret virtute, et opinio esset Perseum non esse natum ex patre Philippo, insidias Demetrio struxit Perseus, metuens eum in regno successorem fore.

Mortuo patre Furiis ultricibus eum impellentibus ut poenas parricidii daret, et incitatus ab improbis, bellum Romanis infert, Thessaliam et vicina loca vastat, duobus praeliis Romanos vincit, et laeta ei initia tanti belli fuerunt, quod a Perseo motum scribitur anno ab urbe condita quingentesimo octuagesimo secundo. Vixerat autem Philippus post reditum Titi Flaminii ex Graecia circiter viginti annos. Duravit bellum Persei annos quatuor.

Anno eius belli quarto, videlicet anno a condita urbe quingetesimo octuagesimo sexto, cum prioribus annis Romani exercitus aliquoties infoeliciter pugnassent, et Graeci Romanorum socii magnis detrimentis adfecti essent, *L. Paulus Aemylius* filius Pauli Aemylii, interfecti in Cannensi pugna, Consul iterum factus est, anno sexagesimo suae aetatis, ut adversus Macedones dux idoneus mitteretur. Hic cum ei bellum mandaretur, publice in concione dixit, si alium magis idoneum eligerent, se libenter ei cessurum esse. Sed si vellent ipso duce hoc bellum geri, postulare se, ut exercitus obtemperarent, nec sumerent sibi ducis officia, nec impedirent eum sua curiositate et suis fabellis: *μὴ παραστρατηγεῖν, μηδὲ λογοποιεῖν.*

Mense Septembri acerrimo praelio vicit Perseum, trucidatis viginti millibus peditum. Ante id praelium ait Plutarchus conspectam esse eclipsin lunae, qua ne perterrefierent milites, iussit Aemylius pridie ante eclipsin praemoneri vocatos in concionem oratione *Sulpicii Galli* Tribuni militum, qui et praedixit venturam eclipsin, et docuit certo ordine motuum coelestium obscurari lunam, incurrentem in umbram terrae, nec rem in natura ordinatam ut prodigium metuendam esse. Seneca scribit, eodem tempore conspectum esse Cometam, cui tribuitur nomen Hirci. Cum autem mox non solum finis regni Macedonici sequutus sit, sed etiam Antiochus in Iudaea horrendam saeviciam exercuerit, apparet signa non fuisse inania.

Rex *Perseus* ex fuga retractus est, et ad Aemylium adductus cum duobus filiis, Philippo et Alexandro. Hi postea cum patre Perseo in triumpho ante currum ducti sunt. Cumque in carcerem ducti essent, impetravit Aemylius, ut alibi in loco minus tetro a certis militibus custodirentur. Perseus et filius Philippus non diu superstites fuerunt. Alexander scriba Magistratuum Romanorum factus est.

Ex regiis thesauris, qui fuerunt amplissimi, dedit Aemylius stipendia militibus. Reliquam pecuniam in aerarium inferri curavit. Macedoniae deditis urbibus tributum imposuit, dimidio minus quam regibus dederant, videlicet centum talenta, id est, sexaginta millia coronatorum. Ita Romana monarchia initio tyrannis deletis leges et iusticiam gentibus restituit, et expilationes moderata est.

Ex thesauris regiis Aemylius libros .regios iussit filiis suis attribui. Vixit post hanc victoriam annos decem, carus Senatui et populo. Et postquam Censor fuisset, placide mortuus est, relictis duobus filiis, quorum alterum adoptavit filius eius Scipionis, qui vicit Annibalem. Hic enim habuerat coniugem Aemyliam, inde nomen est, *Scipio Aemylianus.* Facultates Aemylii, ut Plutarchus narrat, non superaverunt triginta millia coronatorum, et septem millia, cum in aerarium intulerit plus quam quinquagies centum millia coronatorum. Adeo praestantes cives tunc magis augere Rempublicam quam privatas opes studebant.

Hoc ipso tempore, quo Aemylio duce Perseus victus est, Antiochus Epiphanes iussus est a Popilio legato populi Romani ex Aegypto discedere, et abducere inde praesidia. Et tergiversanti Popilius circulum virga circumscripsit, ac respondere eum iussit, antequam inde egrederetur. Cum igitur rediret Ierosolymam Antiochus, ardens ira magnam ibi saeviciam exercuit. Et

initia praeliorum Iudae Macabaei conferuntur in annum ab urbe condita quingentesimum octuagesimum septimum.

Tertium Punicum bellum.

Anno a condita urbe *Roma* sexcentesimo quarto, anno post finem belli Punici secundi quinquagesimo secundo motum est bellum Punicum tertium. Eius belli anno quarto *Carthago* vi capta et deleta est, duce Scipione Aemyliano, qui natus est patre Paulo Aemylio, sed adoptatus a Scipione, nato ex Scipione victore Annibalis.

Causa belli fuit, quod regi Masinissae, socio populi Romani, bellum intulerant, misso exercitu in eius fines quinquaginta et octo millium hominum, qui tamen circumsessus ab exercitu Masinissae, magna ex patre fame periit. Postea cum legati a Romanis missi viderentur aequiores esse Masinissae bene merito, conditiones pacis Carthaginenses repudiaverunt. Sequuta est igitur post legationes aliquoties missas deliberatio non tantum de bello, sed etiam de urbe Carthagine delenda, quia non quiesceret. Ea de re dissensio Romae in Senatu fuit. *Scipio Nasica* sensit non delendam esse, quia nimis atrox exemplum esset, et non conveniens Romanae clementiae, tantam hominum multitudinem perdere. Deleta etiam ea urbe Romanos facilius civilia bella moturos esse, quia illa imperii aemula sublata foris neminem formidaturi essent. *Catonis* fuit contraria sententia, quia virtus Romana paulatim fieret languidior, Carthaginem occasione recuperandi imperii aliquando usuram esse.

Consules in Aphricam missi biennio vicina oppida occuparunt, et aliquoties infoeliciter tentarunt oppugnationem Carthaginis, ac virtute Scipionis Aemyliani, qui tunc Tribunus militum erat, his magna cum gloria servati sunt Romani exercitus. Post biennium hic Scipio ante consularem aetatem creatus Consul, et missus in Aphricam, alio consilio usus est, quam priores duces. Totam urbem circumvallavit, ne frumentum invehi posset. Id opus difficile et magna arte et magno labore perfectum est. Fuit enim ambitus urbis sex milliarium Germanicorum. Diameter igitur fuit circiter duorum milliarium. Interea saepe dimicatum est acerrimis praeliis, praesertim navalibus. Sed tandem urbs vi capta est, caede intra moenia horribili facta. Priusquam autem diriperetur et inflammaretur, iussit edici Scipio, ut fugerent qui vellent. Fugerunt igitur ex urbe quinquaginta millia hominum, reliqui aut interfecti aut flammis absumpti sunt. Urbs inflammata arsit dies sedecim. Scribit autem Polybius, se Scipioni astitisse, spectanti urbis incendium. Qui cum lacrymans versum recitasset: Illa dies veniet, cum fato *Troia* peribit, interrogat Polybius: quid lacrymae, hi gemitus, et haec dicta significarent? Respondet Scipio, se cogitare miserabiles generis humani casus, et futurum aliquando simile urbis Romae excidium, sicut et Totilae Gotthici regis tempore accidit, circiter annum septingentesimum post hunc Scipionem. Steterat autem et Carthago annos circiter septingentos, condita ante urbem Romam anno centesimo et paulo amplius.

Asdrubal dux Carthaginensium supplex ad Scipionem confugit. Eius uxor dira marito imprecata se cum parvis filiis in medium ignem praecipitavit. Postea et ipse Asdrubal sibi mortem conscivit. Et leguntur alia horribilia exempla, quae acciderunt in eo excidio, quae ostendunt iram Dei adversus delicta, et monent, ne spreto Dei iudicio coecis cupiditatibus indulgeamus.

Carthaginem non multò post restituere conatus est Caius Gracchus, deducturus eo coloniam. Sed Lupi signa, quae murorum spacia significabant, eruerunt. Postea a Iulio et Augusto restituta est, et eo deducti sunt coloni.

Excidium Numantiae urbis.

Scipio Aemylianus quartodecimo anno post eversam Carthaginem delevit urbem Numantiam, sitam in Celtiberia, ubi Romani exercitus aliquoties trucidati fuerant.

Huius autem urbis excidium terribilius exemplum est excidio Carthaginis. Quia cum propter famem defendere urbem cives diutius non possent, inflammarunt eam ipsi, et sese partim igni, partim ferro, partim veneno perdiderunt. Postea Scipio ruinas funditus delevit, et agros vicinis attribuit, et ordinata provincia pacem in ea parte Hispaniae restituit.

Absente eo Romae magnae seditiones motae sunt propter leges agrarias, quas initio bono studio Tiberius Gracchus tulerat, faventibus etiam Lelio et Scevola. Sed ad bonam causam postea

Gracchus addidit turbulenta consilia, et contentione discordia crevit, pluresque causae cumulatae sunt, sicut Homerus de Lite inquit: Parva metu primo, mox sese attollit in auras, ingrediturque solo, et caput inter nubila condit. Et saepe bona causa male agendo corrumpitur. Quare dicitur a Salomone: Quod iustum est iuste persequaris.

Sciant autem iuniores, in aliis historiis agrariam legem significare distributiones possessionum, in quas novi coloni introducebantur: sed in Tiberii historia *Lex agraria* significat praefinitionem numeri agrorum. Fuerat enim vetus lex, Quando deletis hostibus agri publici divisi erant, nemini civium Romanorum licebat ex his plus quam quingenta iugera possidere. Nec licebat divitibus emere pauperum civium agros, et suis addere, et per mancipia colere, ne pauperum civium familiae redigerentur ad egestatem, et Italia repleretur peregrinis et servis.

Est autem *Iugerum* quadratum, cuius unum latus est centum viginti pedum, Graece *πλέθρον*, id est, sexta pars stadii.

Hac veteri lege neglecta divites multorum civium agros emebant, quos deinde per servos colebant. Ita multorum civium familiae nullos fundos retinebant. Cum igitur Tiberius in provinciam proficisceretur, passim in viis occurrebant ei cives cum parvis filiis et matribus, et querebantur se vagari extorres, qui sanguinem pro patria profudissent, teneri agros a divitibus, et petebant vetustam legem restitui, consuli saluti Italiae, ne deessent milites, et ne Italia servis et hominibus barbaris impleretur. Motus misericordia Tiberius pollicetur se hanc causam acturum esse. Et reversus ex provincia cum factus esset Tribunus plebis, fert rogationem de veteri lege restituenda, quae modum agrorum praescribit. Dicit in concionibus, iniustam esse ducem orationem, cum iubent milites praeliari pro aris et focis, cum nec aras nec focos habeant. Queritur praeliari eos non pro patria, sed pro foeneratorum rapacitate. Sed adversabantur legi divites, et Tribunum Octavium sibi adiungunt intercessorem, qui suffragationem prohibeat. Huic novo exemplo tribunatum Tiberius abrogavit. Cum autem visus esset violentius agere, creverunt discordiae.

Tulit et aliam legem Tiberius, ut pecunia legata populo Romano ab Attalo rege egentibus civibus divideretur. Denique contra leges prorogare sibi Magistratum conatus est. Ea res cum speciem haberet tyrannicam, Senatui iusta causa visa est, armis opprimendi Tiberium Gracchum. Et iam tota Italia movebatur. Ideo Senatus hortatur Mutium Scevolam Consulem, ut arma capiat ad sedandum tumultum. Qui cum nollet in urbe novo exemplo praeliari, Senatus ipse hortante Scipione Nasica Pontifice Maximo, cum magna multitudine amicorum ascendit in Capitolium, ad interficiendum Tiberium Gracchum. Cumque populus accedenti Senatui cederet, et sese desertum Tiberius Gracchus peti videret, fugit. Sed fugientem interfecit collega ipsius Satureius. Sunt et alii trecenti cives interfecti, et corpora in Tiberim abiecta. Haec in civilibus seditionibus Romae prima caedes facta est. Postea sequutae sunt magis cruentae seditiones. Etsi autem, ut populus placaretur, Senatus legem de modo agrorum recepit, extincto autore, tamen odio non sunt extincta.

Interfectus est Tiberius Gracchus anno urbis sexcentesimo vicesimo, Consulibus Mutio Scevola et Calpurnio Pisone, cum abesset Scipio Aemylianus ad Numantiam, qui cum audivisset acta et necem Tiberii Gracchi, recitans Homeri versum, ostendit se quoque seditiosas actiones improbare:

ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅστις τοιαῦτά γε ῥέζοι.
Perdatur simili poena, qui talia fecit.

Deinde cum Romam Scipio Aemylianus rediisset, et certamina eadem de agrorum divisione renovata essent, et accessissent aliae turbulentae leges, quarto anno post reditum Scipionis Aemyliani, Tuditano et Aquilio Consulibus, anno urbis sexcentesimo vicesimo quarto, cum Carbo Tribunus plebis rogationem tulisset, ut liceret eundem creari Tribunum plebis quoties vellet, et suaderet eam legem Caius Gracchus Tiberii frater, dissuasit eam acerrime Scipio Aemylianus, quia ea rogatio contra veteres leges de Tribunis ferebatur, et turbulentos Tribunos perpetua potentia armabat. Dixit etiam, Tiberium Gracchum iure interfectum esse. Post hanc contentionem mane Scipio inventus est in cubiculo suo mortuus, cum pridie recte valuisset, fuitque suspicio, ab adversariis veneno necatum esse. Hic fuit exitus praestantissimi civis, anno aetatis ipsius quinquagesimo sexto. Breviter autem utrunque Scipionem commemoravi, victorem Annibalis et alterum

Aemylianum, quia cum in secundis rebus, in magna gloria et rebus gestis, quae profuerunt patriae, iusti et modesti fuerint, exempla eorum nota esse omnibus utile est.

Carbo postea sibi mortem conscivit. Caius Gracchus et Fulvius, cum seditiose Aventinum montem cum armata multitudine occupassent, ab Opimio Consule interfecti sunt, et trucidata sunt in eo praelio urbano tria millia hominum.

Caii Gracchi eloquentia sic laudatur a Cicerone: Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis, manus extrema non accessit. Legendus est hic orator. Non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest, etc. Apud Gellium libro 11. cap. 10. haec eius verba recitantur: Omnes nos qui verba facimus, aliquid petimus, neque ullius rei causa quisquam ad vos prodit, nisi ut aliquid auferat. Ego ipse non gratis prodeo. Verum peto a vobis non pecuniam, sed bonam existimationem. Qui prodeunt dissuasuri, ne hanc legem accipiatis, pecuniam petunt. Qui autem ex eodem loco atque ordine tacent, hi vel acerrimi sunt, nam ab omnibus precium accipiunt, et omnes fallunt.

De bello Achaico.

Supra dictum est, pace facta cum Philippo rege Macedonum, Romanos Graeciae, quia ab ea doctrinas et leges acceperant, pacem et libertatem restituisse, et decretum T. Flaminii publice recitatum est in Isthmiis, anno urbis Romae quingentesimo quinquagesimo septimo. Hoc tanto beneficio Graecia universa frui et retinere dulcem tranquillitatem poterat, sed inquieta ingenia subinde novos tumultus movebant. Et plerunque homines singulari petulantia fatales poenas attrahunt, sicut Lucanus inquit:

Hoc placet o superi, cum vobis vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen.
Cladibus irruimus, nocituraque poscimus arma.

Statim post pacem cum Philippo factam rebellarunt Aetoli. Sed longe maius bellum postea moverunt Achaei et Boeotii anno quinquagesimo post libertatem a Tito Flaminio Graecis restitutam. In eo bello et Achaeorum et Boeotiorum exercitus cito trucidati sunt. Dux Diaeus interfecit coniugem, ne fieret captiva, et venenum hausit ipse. Corinthus deleta est a Consule Mumio. Nec longum bellum fuit, quia et Romana potentia tunc florebat, et horum hostium non magnae vires erant. Ideo Pausanias inquit: *θρασύτης μετὰ ἀσθενείας μανία ἐστὶ,* qui et finem Achaici belli fuisse scribit, Olympiade centesima et sexagesima, maximeque tunc ait debilitatas esse Graeciae vires. Nec tamen quiescere in ea factiosi cives potuerunt.

Fuit post annos quinquaginta, anno urbis Romae sexcentesimo sexagesimo sexto, bello Mithridatico Philosophus Athenis nomine Athenio, qui conductus magna pecunia a Mithridate civibus suasit, ut a Romanis ad eum deficerent, quia melius esset, unum esse orbis monarcham regem, quam tot avaros dominos *Romanos.* Et nominabat Romanum imperium *ἀναρχίαν.* Iamque Mithridates magnam Asiae partem et Thraciam tenebat, ac multi sperabant eversurum esse Romanum imperium. Hic Philosophus aliquandiu velut tyrannus septus armato satellitio dominatus est Athenis, interfecit multos cives, multorum facultates diripuit, et magnis acervis pecuniae in Delum missis, fugit.

Successit *Aristio* tyrannus, sentiens cum Mithridate, conflatus ut Graeci scribunt, ex petulantia et crudelitate. Hic prohibuit ne Athenae Romano duci Syllae se dederent, Quare Sylla urbem terra marique circumsidens, tandem eam vi coepit, et magnam civium multitudinem in urbe trucidavit. Multi antea fame perierant. Medimnus enim frumenti vendebatur mille drachmis, id est, centum coronatis, qui mediocribus annis aestimabatur quinque drachmis. Aristion ab ara avulsus necatus est.

Postea Sylla in Boeotiam transiens vicit Archelaum ducem Mithridatis duobus magnis praeliis, et partem urbis Thebanae prorsus diruit, et Thebanis dimidiam Boeotiam ademptam attribuit Phocensibus. Ita Graecia et vires suas et libertatem et veterem Reipublicae formam amisit, cum bella non necessaria et iniusta cives aliqui privatis cupiditatibus movissent.

Haec de Graeciae ruinis uno in loco breviter annotavi, etsi in serie historiae nondum ad Syllae tempus pervenimus: sed in historia continua melius conspici potest, has fatales poenas paucorum furoribus attractas esse, qui fuerunt patriae *Ἀλάστορες.* Retinenda est igitur modestia propter nostram et patriae salutem.

De Cimbrico bello.

Supra dictum est, infusas esse in Italiam gentes Celticas tempore Camilli, cum urbe Roma incensa est, Olympiadis nonagesimae octavae anno primo, anno urbis Romae trecentesimo sexagesimo quinto, in qua expeditione et *Brenni* ducis mentio fit, et *Senonum*, quos fuisse olim Albi vicinos nihil dubium est. Estque urbs Roma incensa a Gallis ante Alexandrum, regnante Artaxerxe cuius cognomen fuit *Μνήμων*, anno nonodecimo postquam Athenae a Lysandro captae sunt.

Sequuta est alia Celtarum expeditio, qua Graeciam vastarunt, et ad Delphos interfecti sunt, Olympiadis centesimae quintae anno secundo, ut narrat Pausanias, videlicet post incensam Romam anno centesimo septimo. Fuit igitur alius hic Brennus, qui Galatas in Graeciam duxit, et trucidavit Ptolemaeum *Κεραυνὸν*. Infusa est autem et in Asiam haec multitudo, et pars ibi a Ptolemaeo Evergete trucidata est, ut scribit Callimachus, apud quem inquit Phoebus:

Contra hostem fient communia praelia nobis,
Celtica cum contra Graecos gens bella movebit,
Titanum soboles, extremo a cardine terrae.
Effusa, Hesperias et sedes effera linquet,
Densaque sic veniens late trahet agmina, sicut
Spargit Bruma nives Boreae spirantibus auris.

Nec vero dubium est apud veteres scriptores Celtarum nomen commune fuisse gentibus in utraque ripa Rheni usque ad Oceanum Occidentalem, et usque ad Harcynios montes, qui nunc Boiemici, Turingici et Harcynii nominantur.

A clade Celtarum accepta in Delphis usque ad Marcellum Consulem, qui interfecit Viridomarum, sunt anni sexaginta. Haec in Italiam secunda Celtarum expeditio celebratur, in qua nomen ducis Teutonicum esse manifestum est.

A nece Viridomari usque ad primam victoriam Cimbrorum in Italia, Syllano Consule interfecto, sunt anni centum et tredecim. Duravit autem bellum Cimbricum a Syllani consulatu annos octo, usque ad consulatum Marii quintum, a quo tandem ad flumen Athesin deleti sunt reliqui exercitus Cimbrorum, Teutonum et Ambronum. Sit igitur haec tertia in Italiam expeditio earum gentium, quae terras ab Alpibus versus mare Septentrionale tenuerunt, quae omnium maxime terribilis fuit.

Cimbrorum nomen retinet Chersonesus Cimbrica. Itaque non obscurum est, quae gens fuerit Cimbri. Sed tunc magnam partem littoris tenuerunt. Strabo nomen esse dicit a Cimmeriis factum, quos supra Thraciam habuisse sedes nomen Bosphori Cimmerii testatur. Et Herodotus lib. 4. collocat eos ad Araxem fluvium. In I. libro inquit, in Lydiam infusos esse, et a Lydorum rege iterum inde expulsos. Consentaneum est nomen esse a Gomer filio Iaphet, et ex Oriente progressos esse Cimmerios ad hoc nostrum littus, sicut et aliae gentes vicinae progressae sunt: Getae, Dai, Syevi. Non enim dubium est, Getas esse Gotthos, Daos Danos, et Syevos quos nunc Suecos seu Suedos nominamus. Vetustas nominavit Suevos et Suionas. Getae significat milites, Dai scientes, Dani Iudices, Suevi raptores.

Teutones hic primum nominantur in historiis. Id nomen in nostra lingua nunc multis seculis multas gentes complectitur. Nec tamen extat vestigium in tanto spacio, unde sciri possit, quae fuerit vetusta et praecipua sedes Teutonum. Adeo sunt instabiles et caducae res humanae, ut mutatis imperiis magnae gentes ita deleantur aut dissipentur, ut nec veteres earum sedes sciri possint. Sed ex Cornelio Tacito et Ptolemaeo constat, Teutones Westvaliam et viciniam ad Visurgim tenuisse. Nam Cornelius Teutoburgum in Westvalia collocat, ubi Quintilii Vari legiones ab Harminio trucidatae sunt. Et inde est nomen suburbii ad Coloniam Deudtsch.

Origo nominis sit, ut multi existimant, ab *Ascanes*, Tuiscones, quasi dicas, die Ascanes. Legimus autem in sacris libris, fuisse filium Gomer Ascanes. Et appellatio diu mansit in Phrygia, ubi nomen usitatum fuit *Ascanii*, ut ex Homero intelligi potest. Interpretor nomen sive sacerdotem ignis, sive custodem ignis, videlicet sacri. Significat igitur talem virum, cui sacrificia commendata fuerunt. Hac appellatione delectemur, et sciamus reverentiam singularem rerum sacrarum in illis vetustis maioribus nostris fuisse.

Ambronum nomen prorsus interiit. Sed existimo significari Rheni accolas, Clevenses et Iuliacenses et Tencteros, quasi dicas, Ambrones, am Rhein, ad Rhenum. Et fortassis inde est urbs Embrica. Non procul ab Aquis Sextiis, ubi Marius vicit exercitum Teutonum et Ambronum, urbs est Ambrona.

Romani post Iulium Caesarem nomen *Germaniae* tribuerunt multis gentibus intra Harcynium saltum et Vistulam, et mare Septentrionale. Etsi autem in nostra lingua nunc non est usus huius nominis, tamen non existimo latinam originem esse, sed ut Cimbri, Dai et Suevi ex Oriente ad hoc littus Septentrionale accesserunt, ita progressos esse ex Asia Germanos et Sacas existimo. Nominat Germanos Herodotus in I. libro, et congruit nomen cum Carmanis, quorum fortitudo laudatur a Strabone.

Etymologia nominis concinna est Heermann, vir exercitus, id est, militaris, ut vetus appellatio apud Plinium est Hermiones.

In historia Persica celebratissimi sunt Sacaë, et apud Cyrum res magnas gesserunt, inde nomen esse *Saxonum* iudico. Et est *Sacae* aut habitatores aut pares.

Germanos vetustas distinxit a Noricis et Rhetis. Nec dubium est Noricos tenuisse eas regiones, quae nunc sunt Bavaria inferior et Austria et vicina pars Alpium. Nomen reliquum est in extrema ora citra Noribergam. Est autem etymologia *Norici*, a Nort, id est, Septentrione, am Ort, vel nach Arcto. Eamque appellationem veteribus Graecis notam fuisse existimo, et quidam sic interpretantur apud Homerum *Νώροπα χαλκὸν* de Noricis ferramentis.

Rheti tenuerunt Alpes Galliae propiores et regiones vicinas usque ad Augustam, quam vetustas nominavit Augustam Rheticam. Appellatio adhuc in extrema ora haeret prope Norlingam, et claram fuisse gentem inde apparet, quia inter Gigantes et Centauros Graeci nominant Rhetum, id est, impetuosum.

Postea autem magna eius regionis pars *Suevia* dicta est, quia Augustus transtulit in eum locum Suevos, qui ex Pomerania progressi erant in Westvaliam, et Romanae provinciae ad Rhenum bella inferebant.

Existimo autem cum Getis et Henetos veterib. temporib. a Vistula paulatim progressos esse ad regionem Albi vicinam, et ad littus Septentrionale, ubi vetustas nominat Venedos, et sinum Venedicum. Et lingua Heneta ostendit eam gentem, etsi clara et potens nunc quoque est, tamen esse aliam, quam sit illa, quae nostra lingua usa est, quam nominamus Teutonicam.

Nomen *Henedi* significat vagabundos, *Νομάδες*, id est, qui late sparsi diversas regiones occuparint. Celebrata est gens apud Homerum et Herodotum. Postea Ptolemaeus inquit, Henetos maximam Sarmatarum gentem esse, ut hodie Russiam et Poloniam tenet, et magnam regionem a Vistula ad Viadrum et ad Albim. Retinet autem nunc quoque gens Heneta eam regionem, quae antea a Boiis Boiemia dicta fuit. Sunt igitur vicinae gentes Teutonibus et Cimbris mixtae, et alicubi nomina mutata sunt imperiis ac migrationibus. Quae cogitantes agnoscamus instabilitatem rerum humanarum, et bella ac migrationes maiorum fuisse tristes poenas, cum tot exercitus Romani, Cimbrici et Teutonici trucidati sunt. Cogitemus autem et hoc, non tantum ad has miserias conditum esse genus humanum, sed inter tantas confusiones tamen miranda bonitate servari reliquias, ut Ecclesia colligatur, et Deo gratias agamus, quod nos quoque ad agnitionem filii vocavit, et diu iam honestas politias inde usque a Carolo primo tribuit, etsi postea quoque magnae vastationes factae sunt. Et virtutem principum celebremus, quos Deus armavit et adiuvit in patriae defensione, et expectemus aeternam patriam, in qua erit dulcissima consuetudo cum Deo, qui erit omnia in omnibus beatis.

Haec cogitanda sunt cum legimus veterum bella et migrationes. De reliquis appellationibus partium Germaniae dicam in historiae Harminii.

Anno urbis sexcentesimo quadragesimo nono Manlius et Servilius Cepio Proconsules a Cimbris in aditu Alpium victi sunt, et trucidata civium et sociorum Romanorum octoginta millia. Cepio cum ei imperium abrogatum esset, in carcerem ductus est, et a carnifice necatus, et cadaver ad scalas Gemonias abiectum, triste spectaculum fuit, et insigne exemplum inconstantiae fortunae. Nam antea et Consul et Pontifex Maximus fuerat. Narrant autem punitum esse: quod aurum ex templis Tolosanis abstulerat, quod antea Galli ex Delphis rapuerant. Et accommodatur proverbium ad poenas sacrilegii.

Anno post infoelicem Cepionis pugnam Caius Marius Consul secundum factum est, et mandatum est ei bellum Cimbricum. Hic non statim dimicavit, sed usus consilio mulieris fatidicae Marthae, quam Iudaeam fuisse existimo, primum post biennium dimicavit ad Aquas Sextias cum Teutonibus et Ambronibus, et trucidavit ducenta millia hostium, et coepit nonaginta millia. Interea Cimbri ingressi Italiam per Noricum Catuli

exercitum ab Alpium faucibus pepulerunt, et ad Athesin flumen castra fecerunt. Huc propere veniens Marius, et exercitum Catuli cum suo coniungens, trucidavit centum quadraginta millia Cimbrorum, et sexaginta, die vicesimo nono Iulii. Liberata igitur Italia Cimbricis terroribus Marius et Catulus Romam ad triumphum redierunt.

De bello sociali et bellis civilibus post Cimbricum bellum.

Adversus externos hostes magnae res gestae sunt usque ad finem belli Cimbrici. Iamque velut parto summo imperio orta sunt bella intestina inter Romanos et socios Italicos, et deinde inter Romanos ipsos, quae fuerunt plena crudelitatis. Haec exempla ostendunt, imperia non humanis consiliis servari, sed donec durant, servari divinitus, et tamen interea horribiles poenas accedere, nec tantum iram Dei adversus peccata conspici, sed hoc quoque, quod inter tantos fluctus ipse tamen servet imperia donec durant. Omnia haec bella, Sociale, Syllanum et Iulianum, laniena fuerunt civium, nobilium et plebis, qualis non alia legitur.

Caeteris autem omissis, pauca de Syllano bello dicam, ut duorum ducum naturae, magnitudo rerum gestarum et vicia considerentur. In *Mario* qui Cimbros vicerat, calliditas, crudelitas et ambitio ingens fuit. Haec caeca ambitio in sene causa fuit postea saevissimi belli civilis. Cum Sylla dux contra Mithridatem missus esset, impulit Marius Sulpicium Tribunum plebis, ut legem ferret de revocando Sylla, et mittendo Mario ad gerendum bellum Mithridaticum. Huic legi cum Consul Q. Pompeius adversaretur, filium Consulis generum Syllae occidit Sulpicius. Tanto urbis tumultu cognito Sylla priusquam in Graeciam navigaret, Romam cum exercitu rediit, et damnatis Mario et Sulpicio Reipublicae tranquillitatem restituit, Sulpicium Tribunum interfecit. Marius clam fugit in Aphricam.

Deinde Sylla profectus contra Mithridatem recuperavit Graeciam et alias provincias a Mithridate occupatas.

Interea Romae cum Cinna novos tumultus moveret, ut Italicis iura suffragii daret, Consul Octavius eum urbe expulit. Nactus exercitum Cinna rediit ad urbem, et revocato ex Aphrica Mario, praecipuos viros Romanae nobilitatis interfecit: Octavium Consulem, Antonium Oratorem, Lucium et Caium Caesares fratres, Catulum et multos alios.

Cum Cinna urbem obsideret, duo fratres alter ex Cinnae exercitu, alter ex contrario, inter sese dimicarunt, cum neuter alterum agnosceret. Postea victor spolians interfectum, agnovit fratrem, et rogo extructo sese impositum corpori fratris transfixit. Talia sunt spectacula bellorum civilium.

Marius pater proximo anno post reditum septuagenarius et errans mente mortuus est.

Deinde Cinna et Carbo sese sine comitiis Consules crearunt in biennium. Cumque Cinna metuens Syllae reditum, ad quem plurimi nobiles viri confugerant, adversus eum ducturus esset exercitum, milites nolentes ingredi naves eum interfecerunt. Ita poenas dedit suae crudelitatis, cum initio collegam Consulem Octavium, et deinde innumerabiles praecipuos viros curasset interfici.

Post tertium annum Sylla redit in Italiam, facta pace cum Mithridate, L. Scipione et Norbano Coss: ducens triginta millia militum contra duos Consulares exercitus, in quibus erant ducenta millia. Sed L. Scipionis exercitus ultro ad Syllam transiit. Norbani exercitum acie vicit, trucidatis septem millibus. Hic Norbanus postea in Rhodum fugiens cum a Sylla deposceretur ad supplicium, in foro Rhodio sibi mortem conscivit.

Carbo fugit in Siciliam, ubi a Gneo Pompeio captus et interfectus est.

Deinde et Marius filius acie victus est, ac scripsit Sylla, se tantum viginti milites in eo praelio amisisse, hostium vero viginti millia caesa esse, et octo millia capta. Marius filius cum in oppidum Preneste fugisset, et circumsessus non posset effugere, sibi mortem conscivit.

Cum adversarios Sylla intra biennium a reditu vicisset, Senatus comitiorum causa Interregem creavit L. Valerium Flaccum, qui legem ad populum tulit, Syllae videri e Republica esse Dictatorem dici, qui perturbatam Rempublicam rursus ordinaret, de qua lege Cicero inquit contra Rullum: Omnium legum iniquissimam dissimilimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus Interrex de Sylla tulit, ut omnia quaecunque ille fecisset, essent rata.

Sylla Dictator factus anno urbis sexcentesimo septuagesimo tertio, adiungit sibi Coss. Tullium Deculam et Dolabellam, ipse regio more supra eos sedit. Dictaturam tertio anno deposuit, interea leges necessarias tulit. Donec enim vult Deus imperia servari, flectit summos victores ad hanc curam, ut leges, iudicia et legitimas poenas restituant. Id fit alias mitius, alias asperius. Et cum Sylla necessario coherceret inquietos cives, multi etiam iniuste necati sunt, cum a Sylla, tum scelere eorum, qui familiares erant Syllae, et aliorum opes occupabant, ut quidam modestus civis Aurelius cum interficeretur, clamavit: O villa Aurelia, quare occidis dominum tuum? Tantamque crudelitatem in proscriptione exercuit, ut postea scriptum sit: Excessit Medicina modum.

Retinentur et hodie in Pandectis leges Corneliae, de Sicariis, et de Falsariis. Sed tulit alias multas, legem Maiestatis, et de Magistratuum ordine, de iudiciis, de repetundis, sumptuariam et alias, quarum pleraeque postea cum in bellis civilibus iterum abolitae essent, a Iulio et deinde ab Augusto renovatae sunt.

Tribuniciam potestatem Sylla non prorsus sustulit. Permisit enim ut Tribuni crearentur, sed duos nervos incidit: Non concessit, ut provocatio ad eos fieret, nec concessit ut novas leges ferrent, sed reliquit eis ius convocandi Senatus, ut intercederent, si quis videretur iniuste opprimi. Ideo Cicero de Syllana lege inquit: Syllam probo, qui Tribunis plebis iniuriae potestatem ademit, auxilium ferendi reliquit. Profuit frenari nimiam vulgi potestatem, et augeri Senatus autoritatem, et tamen huic quoque frenum iniici intercessione Tribunorum, ut *ἀριστοκρατία* esset temperata, nec tamen infinita esset vulgi potentia. Est enim, ut Aristoteles dicit, mera *δημοκρατία* extrema tyrannis. Et apud Herodotum gravissima est oratio contra Democratiam. Ruere inquit vulgus et impellere negotia sine mente, ut feruntur magno impetu flumina. Pompeius autem restituit tribuniciam potestatem. Posta Augustus totum ius tribuniciae potestatis ad sese transtulit, simul ut prorsus aboleret eam, et praetextu illo retineret ius convocandi Senatus.

Haec consilia considerentur in historiis, praesertim cum similia multa omnibus temporibus accidant. Uno et eodem die urbs Noriberga et Augusta Rhetica petiverunt contraria a Sigismundo imperatore. Augusta petivit institui, ne quid Senatus constitueret, nisi Tribunis opificum approbantibus. Noriberga petivit, ne liceret Tribunis impedire Senatus decreta. Nunc Carolus potestatem tribuniciam Augustae rursus sustulit. Et apparet Aristocratiam in magno coetu optimam esse.

Sylla deposita Dictatura vixit biennium. Fuit tanta in eo animi magnitudo, non solum ut pericula contemneret, vivens sine praesidiis, sed etiam ut dixerit, se rationem rerum gestarum redditurum esse. Etsi autem valde cruenta fuit eius gubernatio, tamen Mario anteferendus est, qui primum privata ambitione Rempublicam turbavit, nec egit hoc, ut leges et iudicia valerent. Sed Sylla Marium iniuste turbantem Rempublicam repressit, postea direxit victoriam ad hunc finem, ut leges, iudicia et legitimae poenae restituerentur, quae officia Deus gubernatoribus commendavit.

Bellum civile gestum ducibus Pompeio et C. Iulio Caesare.

Post Syllae mortem anno tricesimo bellum civile moverunt Pompeius et C. Julius Caesar, cuius haec fuit causa: Caesar petiverat se absentem fieri Consulem, antequam ex Gallia decederet, quia si privatus in urbem rediisset, inimici eum accusaturi et oppressuri erant. Populus igitur rogantibus Tribunis, et Consule Pompeio assentiente, iubet Caii Iulii Caesaris absentis rationem haberi. Postea inimici sunt hortatores, ne Senatus id permittat, et Coss. Lentulo et C. Marcello fit Senatusconsultum, ut ante certum diem Caesar exercitum dimittat. Si id non faciat, videri eum contra Rempublicam facere, et Pompeium inimici Caesaris sibi adiungunt. Adversantur Senatusconsulto Tribuni plebis, Marcus Antonius, Q. Cassius et Curio, et contendunt, ne beneficium antea promissum Caesari eripiatur. Mox et hoc decretum Senatus facit, ut videant Coss. et caeteri Magistratus, *Ne quid respublica detrimenti caperet.* Hac forma verborum Senatus utebatur, quoties tanquam adversus seditiosos praecipiebat Consulibus ut arma caperent, et vim habebat similem Proscriptioni, ut nos nominamus, seu interdictioni aquae et ignis. Discedunt igitur ex urbe Tribuni ad Caesarem. Statim et provincia Gallia L. Domitio decernitur, et delectus tota Italia a

Consulibus et a Pompeio habentur. Caesar permissurum se iudicium populo ostendit, et Cicero aequas pacis conditiones proponebat, ut et Caesar et Pompeius exercitus dimitterent, et Pompeius in provinciam suam Hispaniam proficisceretur, et Caesar Consul fieret. Has conditiones recepturus erat Caesar, sed Pompeiani adversabantur. Cum igitur intelligeret Caesar et Senatusconsulti atrocitatem, et iam delectus haberi videret, iustam se causam sese defendendi habere existimans, cum exercitu procedit ad loca vicina urbi Romae. Cognito Caesaris adventu Consules et Pompeius ex Italia fugientes in Epirum traiiciunt ad urbem Dirrachium, ubi exercitus quantos possunt ex Graecia et Asia contrahunt. Haec initia fuerunt huius belli, quo mutata veteri forma Reipublicae, deinceps in imperio Romano coepit unius esse summa potentia, ut in regno.

Caesar antequam Romam venit, properavit ad retinendum Pompeium, qui adhuc Brundusii erat, eamque urbem circumsedit. Sed clam nocte discedente Pompeio, Brundusini Caesari se dediderunt. Postea primum Caesar urbem Romam adiit, et in Senatu narrat, se necessariam defensionem suscepisse, nec se crudelitatem Syllae et Marii imitaturum esse, hortatur ut secum Rempublicam gubernent, et legatos de pace ad Pompeium mittant. Nec tunc novi aliquid Romae constituit, sed properans ad Pompeii exercitum, qui in Hispania erat, urbem Romam Lepido commendat, Italiam M. Antonio. Ipse post paucos dies in Hispaniam proficiscitur, in qua exercitus Pompeii fame coëgit ad deditionem, et Hispanos sibi adiunxit. Deinde et laudatissimam urbem *Massyliam* veterem Ionum Coloniam, sociam Romanorum vi coepit. Interea Romae Lepidus rogationem tulerat, ut Caesar *Dictator* crearetur. Rediens igitur Caesar Romam comitia consularia habuit, et quaedam de iudiciis et de frumento advehendo in urbem, tanquam Dictator ordinavit. Consules creavit sese et Servilium Isauricum, ac dictaturam post diem undecimum deposuit, contentus nomine ordinariae potestatis consularis, et urbem ac Italiam Consuli Servilio commendavit. Cumque multi turbulenti cives spe novarum tabularum cumulassent aes alienum, legem tulit de Emptionibus et Usuris, paci utilem, ut aestimatio rerum eadem maneret, quae fuisset ante bellum. Ac in usuris si quid supra centesimam solutum esset, in sortem computaretur, et ut legitimis iudiciis debitores cogerentur numerare quae debebant. Haec iudicia defendit postea Servilius Consul, qui urbe expulit Celium Praetorem, qui plebem spe novarum tabularum contra Caesarem ad movendam seditionem sollicitabat. Celius se cum Milone coniunxit, contrahente fugitivorum exercitum, ut Romam rediret, sed ambo interfecti sunt Milo et Celius.

Anno igitur septingentesimo quinto mense Ianuario Caesar Consul navigavit in Epirum adversus Pompeium. Et cum Pompeius Dirrachium teneret, Caesar eo accessit. Ibi cum multa castella faceret, inclusurus Pompeium, etsi in aliquot parvis praeliis superiores eius milites fuissent, tamen uno praelio maiore victus est Caesar, in quo nongentos milites amisit. Ex eo igitur loco in Thessaliam discedit, cum quidem et fames eum cogeret loca uberiora quaerere. Sequitur eum Pompeius spe elatus propter Dirrachinum praelium. Cum igitur ad Pharsalum ventum esset, nec plus Germanico milliari castra distarent, in ea Thessaliae ora vicit Caesar, trucidatis quindecim millibus in exercitu Pompeii, et captis viginti quatuor millibus. Nam fugientibus et dissipatis hostibus clamabat Caesar: *Miles parce civibus!*

Pompeius fugiens accessit ad Larissam. Inde navigavit Mitylenen, ubi eius coniunx Cornelia erat. Divertit autem in hortum Cratippi Philosophi, non ingressus urbem, apud quem cum de fortuna quereretur, disputavit an sit providentia, cum in causa meliore victus esset. Respondit Cratippus, fatales esse imperiorum periodos, et iam converti Romanam Rempublicam in Monarchiam.

Cum autem existimaret, sibi in Aegypto futurum esse fidum hospitium, et ibi posse novos exercitus colligi, eo accessit. Ubi quia Ptolemaeus adolescens regebatur alienis consiliis, deliberarunt Pothinus Eunuchus, et praeceptor adolescentis regis Theodotus Chius, et Achillas, qui praeerat exercitui, an recipiendus esset Pompeius, quia videbant molem belli attrahi in Aegyptum, si reciperetur. Ac re diu disputata suasit Theodotus, ut interficeretur Pompeius, addens dictum: *Νεκρὸς οὐ δάκνει.* Et apud Lucanum Pothinus inquit: Exeat aula, qui vult esse pius. Nulla fides unquam miseros elegit amicos. Et Pompeium accusat, qui cum Senatus Romanus

velit Aegyptum quietam esse, ipse eo bellum transferat.

Missi sunt igitur ad interficiendum Pompeium Achillas et Septimius Tribunus militum, qui olim fuerat centurio in exercitu Pompeii. Hic Romana lingua primum alloquitur Pompeium, deinde Graeca Achillas, iubent eum ex sua nave, in qua cum coniuge et filiis vehebatur, egredi in regiam navem. Pompeius nihil hostile metuens transit in aliam navem cum liberto Philippo. Sed exiens recitat Sophoclis versus:

ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
κείνου ἐστὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

Agnoscit deinde Septimium, et alloquitur. Cumque legeret orationem Graecam, qua Ptolemaeum allocuturus erat, Septimius a tergo cum gladio transfodere coepit, deinde labentem fodiunt Achillas et alii. Ipse in tam tristi exitu nullam deformitatem ostendit, sed gemitum edens caput involvit vesti, qua indutus erat. Postea transfosso et necato praecidit Septimius caput.

Consideretur autem temporis brevitas, quo hae tantae res in Epiro et Thessalia actae sunt. Caesar Consul venit in Epirum mense Ianuario. Pugna Pharsalica eo anno in Septembri aut paulo ante facta est. Pompeius interfectus est primo die Octobris, cum inchoaret annum nonum et quinquagesimum. Natus est enim die ultimo Septembris. Hic fuit exitus Pompeii, qui res magnas patriae utiles ante bellum civile gessit, et usque ad id tempus foelix et valde carus omnibus gentibus fuerat, in hoc extremo actu perfidiose necatus est a filio eius regis, quem ipse in regnum restitueret. Est autem inter insignia exempla, quae monent non solum fortunam instabilem esse, sed etiam sapientum magna et tristia errata esse, sicut dicitur: *οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός.* Nec Caesar quicquam asperius ei obiicit, quam quod dicit, hoc bellum ab eo non necessario motum esse, et tamen magis accusat incitatores quam ipsum.

Statim autem Deus et interfectores punivit, cum Caesar mense Octobri venisset in Aegyptum, et ipsi quoque insidias struerent Achillas et Pothinus, qui ut videtur, hanc gloriam auferre voluerunt, quod duos summos duces Romanos sustulissent, iussit eos interfici. Ptolemaeus ipse fugiens obrutus fluctibus in mari periit, cum Caesar exercitum Aegyptium ad Alexandriam profligasset. Theodotum post aliquot annos Brutus, cum post interfectum Caesarem Sardes occupasset, cruci affixit.

Hoc etiam considerandum est, Pompeium pene in conspectu Ierosolymae interfectum esse, quam ante annos quindecim ceperat in ipso Paschate. Et quanquam non spoliavit templum, tamen dehortante summo sacerdote in *Sanctum Sanctorum* ingressus est. Hanc templi violationem sequutae sunt poenae, consiliorum errores et insolentia, qua pericula non necessariis causis attraxit, ut de Bellerophonte dicitur, cum res magnas Pegaso insidens gessisset, postea cum in coelum Pegaso vehi vellet, excussus pedem fregit. Ac nostra aetas similia exempla vidit.

Coniunx Pompeii *Cornelia* cum ingenti dolore spectatrix fuit necis mariti, in ea nave, in qua cum ipsa Pompeius vectus fuerat. Postea mox cum filiis in Cyprum rediit, inde eos in Aphricam misit ad Scipionem et Catonem. Maior natu filius Cn. Pompeius in Hispania anno quarto post pugnam Pharsalicam magno praelio victus est, et fugiens retractus a Caesarianis et interfectus est. Vixit diutius alter filius Sextus Pompeius, qui Augustum et Antonium post Iulium interfectum annos octo variis bellis exercuit, occupavit Siciliam, tenuit mare, rediit in Bithyniam, et occupavit Niceam et Nicomediam. Sed deceptus a Titio duce Antonii cum se ei dedidisset, ab ipso perfidiose interfectus est. Hic fuit exitus duorum filiorum Pompeii, suntque procul dissitis locis interfecti et sepulti, pater in Aegypto, maior natu filius in Hispania, minor natu filius in Asia. Haec tristia exempla intuentes simus memores regulae, ne extra metas officii ruamus, nec moveamus non necessaria. Et illud Euripidis saepe cogitemus: *εἴ τις ἂν μεγάλα διώκων τὰ παρόντα οὐχὶ φέρει, μαινομένων οἵδε τρόποι.*

Cum autem post Pharsalicam pugnam Iulius Consul eo anno mense Octobri Alexandriam venisset, primum ociosus ut scholasticus in turba lectiones doctorum audivit. Sed insidias ei struxerunt illi ipsi, qui Pompeium interfecerant. Ab his insidiatoribus cum exercitus regii adversus eum contracti essent, magna virtute et foelicitate ab eo profligati sunt. In eo bello multum adiutus est Antipatri principis Idumaei consiliis et fide, qui fuit pater Herodis. Quare ei Caesar Iudaeam regendam et fruendam tradidit.

Interea Romae Caesari in Consulatu successerunt anno septingentesimo sexto Calenus et Vatinius. Ut autem Caesar nomen haberet legitimi Magistratus, Dictator a M. Antonio absens creatus est in annum. Ac rediens eo anno Romam ibi mansit aliquot mensibus.

Proximo anno septingentesimo septimo tertium Consul factus est Caesar cum Lepido. Eo anno in Aphrica difficile bellum gessit adversus reliquias Pompeianas, sed vicit tandem. Ibi Petreius Iubam regem et sese interfecit. Scipio quoque et Cato sibi mortem consciverunt. Afranius cum in potestatem Caesaris venisset, interfectus est. Inde Romam reversus Caesar, anno septingentesimo octavo creatus est Dictator tertium in annos decem, et Consul quartum sine collega factus est. Egit censum, ordinavit iudicia, supplevit Senatum, et tempora rectoribus provinciarum praescripsit.

Anno septingentesimo nono mense Aprili dimicavit ad Mundam cum filiis Pompeii magno cum periculo. Nam cum primus impetum in hostem faceret, ducenta in eum tela coniecta sunt, et sero ad vesperam vicit, trucidatis triginta millibus hostium.

Recepta Hispania et pacatis omnibus provinciis Romam mense Octobri rediit, ubi ei novi honores decreti sunt, ut Dictator perpetuus et Imperator nominaretur, et sacrosanctus esset, id est, inviolabilis, *ἱερὸς καὶ ἄσυλος*, et ut Magistratus iurarent in ipsius acta. Ita summa potestas ei attributa est universae gubernationis. Eo tempore leges Iulias tulit. Et annum ordinavit, quo hactenus universa posteritas usa est, qui et annus Iulianus appellatur, cuius rationem perturbatam in bellis civilibus Augustus restituit. Nam ante Iulium Romani mensibus duodecim lunaribus annum finiebant, et quia supersunt undecim dies, qui nominantur *ἐπακταὶ*, intra octo annos addebantur tres menses intercalares, quod nominabant *ὀκταετηρίδα*, ita ut tres anni postremi haberent singuli tredecim menses. Haec ratio cum esset confusior, nec initia annorum in diem certum inciderent, Iulius hanc politici et solaris anni rationem de consilio Sosigenis Mathematici instituit, quem ex Alexandria Romam duxerat. Nam in imperiis certam annorum rationem esse propter multas magnas causas, iudicia, contractus, historias, necessarium est.

Semper autem etiam mediocres gubernatores in magnis periculis sunt. Cassius igitur cum non obtinuisset Praeturam urbanam, quam appetebat, et alioqui Caesarem odisset, primus fuit autor consilii de interficiendo Caesare, et arte Brutum ad societatem huius consilii pertraxit. Deinde Bruti autoritas caeteros adiunxit. Facta igitur arcana conspiratione Idibus Martiis *Iulius Caesar* in curia Pompeii a Cassio et Bruto et caeteris huius consilii consciis interfectus est, acceptis viginti tribus vulneribus.

Hic exitus tanti viri inter insignia exempla est, non solum instabilitatis fortunae, sed etiam ingratitudinis humanae et perfidiae. Quia plurimi interfectores a Iulio non solum servati, sed etiam honoribus et potentia ornati fuerunt. Nec eo sublato pax esse potuit, etsi Cicero et alii Senatores pacem facere conati sunt. Ac statim postridie in Senatu factum est decretum de *ἀμνηστίᾳ*, id est, ut omnium priorum offensionum et caedis oblivio esset, et forma Reipublicae non mutaretur, nec nova bella moverentur.

Quam brevis fuerit dominatio Caesaris post reditum ex Hispania, pacatis omnibus provinciis, intelligi potest ex temporum serie. Mense Octobri Romam reversus proximo Martio interfectus est, anno aetatis sexto et quinquagesimo, anno belli civilis a fuga Pompeii ex Italia sexto. Nec intexam disputationem de iure. Etsi fecit quaedam insolentius, tamen multo moderatior fuit Sylla et Mario et aliis, qui antea in civilibus bellis Rempublicam oppresserunt. Et cum revera Iulius *Magistratus* esset decreto publico confirmatus, quo ei tributa erat summa potestas, et quo sanxerat Senatus eum inviolabilem esse, iniustum fuit eum interficere. De initio belli etiam iudico, eum in casu legitimae defensionis arma cepisse. Sed sciamus res humanas quamlibet florentes, facilime everti deserente Deo, sicut scriptum est: Scio Domine, non est hominis via eius, etc. Et meminerimus dictum Herodoti in Polymnia: *θνητὸν οὐδένα εἶναι, οὐδ' ἔσεσθαι, τῷ κακὸν ἐξ ἀρχῆς γινομένῳ οὐ συνεμίχθη: τοῖς δὲ μεγίστοις μέγιστα.*

Interfecto Iulio pax retineri non potuit. Senatus ad reprimendum Antonium adiunxit sibi Octavium Caesarem. Postea se coniunxerunt Octavius Caesar, Antonius et Lepidus, mense Decembri eiusdem anni, quo Iulius interfectus fuit. Horum Triumviratus plenus fuit crudelita-

tis. Multi praecipuae nobilitatis Romae proscripti et interfecti sunt. Tunc et *M. Cicero* ingressus annum sexagesimum quartum mense Ianuario interfectus est, cuius caput cum dextra in rostris positum est.

Anno septingentesimo duodecimo Antonius et Octavius Caesar Brutum et Cassium bello persequuti sunt. Cassius sibi ipse mortem conscivit. Brutus postea quoque se interfici a Stratone iussit, cum aliquanto ante recitasset hunc versum:

Ζεῦ μὴ λάθοι σε τῶνδε ὃς αἴτιος κακῶν.

Quo versu mala imprecatus est autori tantarum calamitatum.

Tandem et inter Triumviros dissensiones ortae sunt, ut dicitur: Nulla fides regni sociis, omnisque potestas impatiens consortis erit. Cumque Antonius sperans se solum potiturum imperio, ex Aegypto magnum exercitum Romam adduceret, Octavius Caesar cum exercitu in Epirum traiecit, ubi victum et fugatum Antonium sequutus est Alexandriam. Ibi ante adventum Octavii Caesaris domunculam extruxerat in qua velut in secessu dicebat se Timonis *μισανθρώπου* vitam acturum esse. Postea ab Octavio circumsessus cum aliquoties infoeliciter dimicasset, et ei falso nunciatum esset, Cleopatram sibi conscivisse mortem, ipse sese interfecit, anno aetatis suae quinquagesimo sexto, anno autem duodecimo post mortem Iulii Caesaris. Deinde et Cleopatra sibi aspidas admovit, quae eam necarunt. Haec facta sunt anno urbis septingentesimo vicesimo secundo. Postea solus tenuit imperium Octavius Caesar, cui Senatus tribuit nomen *Augusti.*

De Iudaea et de Ecclesia.

Cum in historia consideratio Ecclesiae praecipua esse debeat, dicamus etiam in hac universali mutatione generis humani, cum intra paucos annos et cessisset Romanae potentiae pene totus orbis terrarum nobis cognitus, et ipsi inter sese Romani cives moto bello domestico collisi magnas vastationes in toto imperio fecissent, an Iudaea fuerit tranquilla, ubi sedes fuit verae Ecclesiae.

Incidit autem in hanc universalem generis humani mutationem et finis propriae periodi regni Iudaici, de qua dictum fuit: Non auferetur sceptrum a Iuda, donec venerit Siloh. Quare cum articuli illi mutationum maxime sint turbulenti, Iudaea etiam fuit inquieta, sed ipsa, ut fit, domestica fratrum discordia attraxit ingentes calamitates, quas tamen Deus mitigavit, ne funditus Ecclesia deleretur. Primum autem de Ecclesia in ea sede haec considerentur. Sacerdotia tenebant homines prophani. Doctrinae genus quod latissime vagabatur in populo, erat pharisaicum. Nec tamen exigua multitudo amplexa est epicureos furores Zadduceorum. Ita in magna multitudine extincta fuit vera invocatio Dei, partim superstitione Pharisaeorum, partim epicurea prophanitate Zadduceorum. Servavit tamen Deus pias reliquias, Simeonem, Zachariam, parentes Mariae, et coetum aliquem, qui horum doctrinam pie et constanter amplexus est, et vere Deum cum ipsis invocavit in agnitione et fiducia filii Dei, et ab erroribus Pharisaeorum et Zadduceorum abhorruit, et eos, quoties fuit occasio, refutavit. Hic pius coetus in quantis fuerit periculis, intelligi potest ex morte Zachariae patris Baptistae. Credo enim vetustati, quae narrat Zachariam propter piam confessionem interfectum esse. Accedebant autem aliae magnae calamitates propter adsidua bella, donec Iudaeam Augustus in provinciae formam redegit. Postquam enim Pompeius capta Ierosolyma anno quintodecimo ante bellum civile susceptum adversus Iulium, Hircano summum sacerdotium restituit, et Aristobulum cum duobus filiis Alexandro et Antigono Romam abduxit, rursus bella in Iudaea mota sunt anno post iter Pompeii septimo, ab Aristobulo, qui ex urbe Roma clam fugiens in Iudaeam rediit.

Cumque Alexander biennio in Iudaea grassatus esset, pervenit in amicitiam Crassi, cui fuit, incitator ut Ierosolymam ingrederetur, ubi magnam pecuniam auferre posset. Facile persuadet avarissimo duci, qui templum violavit atrocius quam Pompeius. Nam et in adytum ingressus est, et abstulit decem millia talentorum, id est, sexaginta tonnas auri, et alia ornamenta. Eius sacrilegii postea poenas dederunt et Crassus et hic Aristobuli filius Alexander, interfectus a Scipione, qui initio belli Pompeiani Syriam regebat. Pater Aristobulus secundo reversus in Iudaeam cum duabus legionibus a Iulio datis, veneno extinctus est a Pompeianis.

Fugerat Antigonus Aristobuli filius ex urbe Roma cum fratre Alexandro. Cumque Iulius ex Aegypto in Iudaeam venisset, petivit sibi regnum tradi, quod Pompeius Hircano patruo tribuerat,

sperans odio Pompeii Iulium fore sibi aequiorem. Sed Iulius praetulit Idumeum Antipatrum, cuius sapientiam et fidem probabat. Etsi Antipater moderatus erat, tamen Iudaei impatienter ferentes peregrinum dominum, subinde seditiones moverunt. Ezechiam ducem seditiosorum fortiter oppressit Herodes, cui pater Galilaeam tuendam commendaverat. Postea interfecto Iulio cum sperarent inimici Antipatri novam rerum conversionem, necatur Antipater veneno a Malcho, qui cum regnum appeteret Cassio interfectori Iulii misso in Syriam se adiunxit. Sed Cassius seditiosum hominem Malchum interfici iussit.

Tertio anno post interfectum Iulium cum rex Parthorum speraret se potiturum esse Syria, cum et Cassius iam post pugnam in Macedonia periisset, adduxit exercitum in Syriam. In tantis confusionibus totius orbis terrarum novas spes et Antigonus habet, impetrat auxilia a Pacoro rege Parthorum, et Ierosolymam in Pentecoste occupat, fitque magnum praelium intra moenia. Cumque Phaselus et Hircanus ad Pacorum fraude adducti essent, rex Pacorus regnum Iudaeae tradit Antigono, et retinet captivos Hircanum et Phaselum. Hircanus truncatur auribus, et in Parthos mittitur. Phaselus contumeliarum impatiens in vinculis capite alliso ad parietem, mortem sibi consciscit.

Interea magno cum periculo primum in Idumeam fugiens Herodes evasit. Postea ad urbem Romam accessit, ubi laudata patris fide erga Iulium, et commemorata societate Antigoni cum Parthis, Antigonus iudicatur hostis populi Romani, et Herodes rex Iudaeae adpellatur. Et egressus ex curia medius inter Antonium et Octavium, praecedentibus Consulibus Domitio Calvino et Asinio Pollione, et comitantibus reliquis Magistratibus et Senatoribus in Capitolium ad sacrificium deducitur. Haec acta sunt anno quarto post interfectum Iulium, ante natum Christum tricesimo septimo. Initium enim regni Herodis ab hoc anno sumitur, quo rex a Senatu Romano adpellatus est. Interea in Iudaea regnat Antigonus, et regnum annos quinque tenuit. Sed inter adsidua bella, et inter tantas vastationes et petulantiam militum, qui ex crudelissimis gentibus collecti erant, Iudaeis, Parthis, Arabibus, Syriacis et Romanis, familias pias ut Zachariae, Simeonis, parentum Mariae, et similes protectas et servatas esse valde mirum est. Verum haec imago doceat nos, Ecclesiam a Deo protegi et servari inter horribiles ruinas imperiorum, etiam destitutam humanis praesidiis.

Rediit Herodes statim in Syriam cum Ventidio misso adversus Parthos, et quanquam acceperat partem copiarum a Ventidio, tamen intra biennium recuperare Ierosolymam non potuit. Interea milites in utraque parte trucidabant et spoliabant multos inermes, et multorum coniuges et filias rapiebant, quia dux Herodi additus Silo pecunia corruptus erat ab Antigono. Tandem cum Antonius venisset in Syriam ducem Sosium cum duabus legionibus Herodi adiungit. Has copias cum coniunxisset Herodes cum suo exercitu, Ierosolymam quinque mensibus circumsidet, et factis aliquot praeliis sexto mense eam capit, eodem die et mense, quo eam ceperat Pompeius ante annos septem et viginti. Magna caedes in urbe facta est. Antigonus abducitur ad Antonium Antiochiam, et ibi iubente Antonio tanquam hostis populi Romani securi percussus est.

Facta igitur et regni et regii nominis translatione ad peregrinam stirpem nemo postea ex stirpe *Iuda* regnavit. Summum sacerdotium etiam dederunt reges quibus libuit contra legem Mosaicam. Hircanum revocavit Herodes ex Babylone datis muneribus regi Parthorum, sed propter mutilationem aurium non restituit ei summum sacerdotium. Postea Octogenarium interfici iussit. Delevit et summum Senatum populi Iudaeorum, videlicet septuaginta duos seniores, quem Senatum Iudaei nominarunt *Sanhedrin*, vocabulo facto ex Graeca appellatione *συνέδριον*.

Cum igitur magna multitudo populi errores Pharisaeorum et Zadducaeorum amplexa esset, et in adsiduis seditionibus et bellis inter impios milites cresceret prophanitas, et multi pii interficerentur, et studia verae doctrinae extinguerentur, quam fuerit exigua vera Ecclesia cogitandum est. Fuit tamen aliqua, in qua manserunt lux verae doctrinae de Deo et de filio Dei, de lege, de promissione gratiae, de veris cultibus, et vera Dei invocatio, et initia salutis aeternae, scilicet Zacharias, Elisabet, Simeon, parentes Mariae, Maria virgo, soror eius, et coetus qui horum doctrinam amplexus est.

Sciamus autem, illud tempus imaginem esse huius senectae mundi, in qua etiam universalis mutatio generis humani in conspectu est. Latissime vagatur doctrina Monachorum et Papae, ut

Pharisaeorum et Zadduceorum, quae pugnat cum lege Dei ac Evangelio, et iubet idola colere. Et delere nomen filii Dei palam conantur Gog et Magog, id est, Turci et alii Mahometici, et stabiliunt idola plurimi reges, principes, et eorum doctores. Inter has confusiones servat tamen Deus aliquam veram Ecclesiam, quae sonat veram doctrinam, et recte invocat eum in agnitione et fiducia filii. Sicut expresse dicitur de extrema senecta mundi: Erit sicut in diebus Nohae, unus adsumetur, alter relinquetur.

Confirmemur autem exemplo tristissimi temporis Zachariae, ne cogitemus nullam esse Ecclesiam Dei, quia adeo exiguam esse videmus, et oppressam ingentibus calamitatibus. Sed firma adsensione quotidie pronunciemus articulum in symbolo: *Credo esse Ecclesiam catholicam*, et discamus, quae et ubi sit vera Dei Ecclesia, et nos in eam includamus, et speremus filium Dei nos protecturum et servaturum esse. Et ut nos protegat et servet adsiduis votis et gemitibus petamus, sicut dixit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Deo Gratia.

Finis primae partis Chronicorum.

SECUNDA PARS
CHRONICI CARIONIS

ab Augusto Caesare usque ad Carolum Magnum. — Exposita et aucta a *Philippo Melanthone*.

Witebergae cum gratia et privilegio ad sexennium. Anno M. D. LX.

Epistolam dedicatoriam lege in Epistolis Vol. IX. p. 1073.

Epigramma de Monarchiis. Dedimus illud Vol. X. p. 635 sq.

Liber tertius.

De quarta monarchia.

Cum Daniel *quartam monarchiam* nominat et pingit, non tantum a Iulio aut Augusto eam orditur, sed complectitur tempus, quo urbs *Roma* summum imperium tenuit, etiam ante bella civilia. Et cum adeo terribilem speciem pingit, significat bella civilia, et deinde saeviciam, quam tyranni in illo imperio in Ecclesiam exercuerent, quia haec duo mala maximas vastationes in genere humano ante Gotthica, Saracenica et Turcia tempora fecerunt. Iterum vero consideremus, quare Deus voluerit notam esse seriem monarchiarum, videlicet, quia vult sciri, has generis humani confusiones non fore sempiternas, sed aliquando finem futurum esse, et sequuturum meliorem Ecclesiae vitam. Vult item sciri, quo tempore filius Dei se ostensurus fuerit hominibus, et postea in fine mundi iudicaturus. Ideo monarchias distinguit, ut monstraret tempus adventus Filii. Ac praedicit, Filium in quarta monarchia venturum esse. Non igitur deficiamus a Deo, sed expectemus aliam vitam, et sciamus illud tempus melioris vitae non procul esse. Haec et alia multa consideranda sunt in lectione Danielis. Nos ad seriem redeamus. Usitatum est ordiri quartam monarchiam a *Iulio* vel *Augusto*. Eam consuetudinem nos quoque sequimur.

Annotatio annorum.

Ab interitu *Iulii* inchoantur anni *Augusti*, cum Augusto tribuuntur anni quinquaginta sex.

Imperator *Octavius Caesar Augustus* tenet imperium ab interitu Iulii annos 56. In his annis

inclusi sunt anni duodecim, in quibus habuit collegam *Antonium.*

Cum autem inchoantur anni Augusti ab interitu Iulii, initium erit ab anno urbis Romae septingentesimo undecimo.

Anno mundi ter millesimo, nongentesimo, vicesimo tertio.

Anno a morte Alexandri usque ad interfectum Iulium, ut Ptolemaeus numerat, ducentesimo octuagesimo secundo.

Anno ante Christum natum ex virgine Maria quadragesimo secundo ab interitu Iulii.

Estque diligenter observandum, ubi anni Antonii includantur aut non includantur.

Mirandi successus Augusti considerentur in integris historiis, et opera Dei esse agnoscamus constitutionem imperii in horribilibus confusionibus, quales tunc fuerunt, Bruto, Cassio, Dolabella, Lepido, L. Antonio, S. Pompeio, M. Antonio passim bella moventibus. Hos omnes divinitus oppressit Augustus, cum adolescens primum Consul factus fuisset, natus annos viginti.

Nomen *Caesaris* habuit propter adoptionem, quia Iulius eum, cum natus esset ex Accia filia sororis Iulii, adoptavit et haeredem scripsit. Ideo fuit hostis interfectorum Iulii.

Iulia soror Iulii. — *Accius Balbus* maritus Iuliae.

Accia filia Iuliae et Accii Balbi nupta Octavio.

|

Octavius Augustus filius Octavii et Acciae.

Bellis civilibus finitis, extincto *Antonio*, praecipua bella gessit Augustus per Tiberium in Pannonia et Norico. Item per Drusum Germanicum in Rhetia et Vindelicis. Postea non procul a Moguntia Drusus cum in praelio crus fregisset, mortuus est. Strabo inquit lib. 7. inter Salam et Rhenum praeliantem laesum esse. Supra autem de Norici et Rhetiae appellationibus dictum est. Noricum est inferior Bavaria et Austria. Rhetia quae ab Alpibus usque ad Augustam Rheticam porrigitur, Tirolensis regio et vicinia.

Anno *Augusti* imperatoris quadragesimo secundo natus est ex virgine *Maria* filius Dei, Dominus noster *Iesus Christus*, qui est λόγος aeterni patris, ac protulit ex sinu aeterni patris promissionem gratiae, et alloquutus est primos patres, et semper colligit aeternam Ecclesiam, et adsumpsit humanam naturam, ut esset Mediator, Redemptor et Salvator, merito et efficacia, de qua tota doctrina Evangelii cognoscenda est, sicut praecipit aeternus pater: Hic est filius meus dilectus, quo delector, Hunc audite. Ut autem praedictum fuit, natus est Christus ex virgine in fine politiae Mosaicae, cum iam peregrinus rex esset *Herodes*, sicut praedictum fuit: Non auferetur sceptrum a Iuda, nec magister a pedibus eius, donec venerit *Silo.*

In dicto Eliae etiam tempora mundi sic distributa sunt, ut significetur, Messiam se ostensurum esse mundo post quatuor millenarios. Natus est Christus ex virgine anno mundi ter millesimo, nongentesimo, sexagesimo tertio. Ita apparet, fere completos esse quatuor millenarios. Estque hic annus a morte Alexandri, annus trecentesimus vicesimus quartus. Annus urbis Romae septingentesimus quinquagesimus primus.

De Harminio duce Cheruscorum.

Dion scribit, quinto Sulpicio et Poppeo Sabino Consulibus, trucidatas esse Romanas legiones in Germania, quarum dux fuit Quintilius Varus. Incidit autem horum Consulatus in annum undecimum aetatis Christi, quo tempore Iudaea tranquilla erat. Cum enim *Archelaus* tria millia civium, qui in templum confugerant, in Paschate interfecisset, et summum sacerdotium traderet et eriperet quibus vellet, et magna saevicia multitudinem irritaret, unde crebrae seditiones oriebantur, Augustus vocatum Romam relegavit in Galliam, et dedit rectorem Iudaeae *Coponium.* Ita tunc primum in formam provinciae Iudaea redacta est, concessa tamen genti *αὐτονομία* in Religione et Iurisdictione inferiore. Hoc modo pacem Deus Iudaeae tribuit per Romanos Magistratus, ut Ecclesiae reliquiae servarentur, et Zacharias, Simeon, Iohannes, Christus, et deinde Apostoli aliquantisper locum docendi haberent. Nam Herodes et eius posteri non faciebant finem

lanienae, trucidabant praecipuos viros et assiduis seditionibus occasionem praebebant.

Cum igitur pax esset, Coponio regente Iudaeam, *Christus* anno duodecimo suae aetatis Ierosolymae in templo docuit.

Ante eum annum, aut circiter, in Germania tres legiones Romanae interfectae sunt ab Harminio, quem nominant ducem Cheruscorum, quos fuisse inter Salam et Harciniam sylvam, versus Goslariam, non dubium est. Et vox *Cherusci* adfinis est adpellationi huius temporis, Hertzische. Iam enim Romani domitis Noricis et Rhetia, procedebant in Arctoam Germaniae oram, quam et proprie Germaniam vetustas nominavit. Sintque notae adpellationes.

Nomen et regionem Boiemiae adhuc novit haec aetas: quia Boii, gens Alpina, in ea loca transierant ad sylvam Gabretam, quae nunc Bohemica adpellatur. Marcomanni vicini sunt, nunc Moravi.

Ab altera parte fuerunt *Hermunduri*, qui nunc Misnenses nominantur. Quia expresse inquit Tacitus: Albim in Hermunduris oriri. Et Strabo vicinos esse dicit Hermunduros Longobardis, quorum sedes fuit a confluente Albis et Salae, in ripa Albis occidentali, quae nunc est regio Meideburgensis et Halberstadiensis.

Ultra Salam ad Harciniam fuerunt *Cherusci*, ad Northusen et Goslariam.

Sub Cheruscis et Longobardis fuerunt *Bructeri*, in regione Brunsvicensi, ubi adhuc reliqua est adpellatio Montis Bructeri. Sic et Claudianus inquit: Venit accola sylvae Bructerus Harciniae.

E regione Longobardorum in ripa Albis orientali, fuisse *Senonas* manifeste adfirmat Strabo, quae regio nunc adpellatur vetus Marchia, circa Stendaliam et vicinas urbes. Ac gentis integritatem ita praedicat, ut fingat etymologiam a *Σεμνὸς*, quod est a *Σέβειν*.

Sub Bructeris fuerunt *Cauci* seu *Cayci* ad Visurgim usque ad Bremam. Est autem vetus appellatio. Nam cum nominat Homerus Paeonas et Mysos, adiungit eis Cauconas. Quare inde ad nostrum littus cum Cimbris aut Henetis progressos esse existimo.

Caucis proximi sunt *Frisii*. Deinde *Teutones* et *Ditmarsi*, qui tamen progressi a littore tenuerunt oram Westvalia et oram Clevensem. Fuerunt in Westvalia et *Angrivarii*, unde reliquum nomen est Engern, et appellatio *Angli* huic adfinis est.

Sicambri Geldrenses. Et videtur nomen factum, vel a lacubus et mari, Sehe am Meer, vel a victorib. Cimbris.

Cimbri magnam partem littoris ad Cimbricam Chersonesum tenuerunt, videlicet tractum Megalburgensem. His vicini supra Rostochium fuerunt *Burgundi*.

Versus Orientem in littore fuerunt *Sueci*, qui nunc Pomerani nominantur, et pars Prussiae.

Deinde *Getae*, quos Plinius *Gutones* appellat. Observandum est enim nomina eadem alios magis, alios minus agresti et horrido sono pronunciasse. Placet etymologia *Gedani*, quod dicunt a Getis et Danis nominatum esse, nec aliud nomen *Gothinos*, quam Getas esse iudico.

Progressiones gentium etiam considerandae sunt. Nam Iulii tempore Suevi in Westvaliam transierunt. Postea eis ab Augusto sedes datae sunt in Rhetia, ubi nunc reliquum est nomen Sueviae.

Catti sunt Hessi, et aliquousque vicini, unde est Catthenelnbogen. Et nomen Catti idem est quod Hassi, aliquantulum mutata veteri pronunciatione. Hos scribit Tacitus cum Cheruscis bella gessisse de fontibus salis. Intelligo igitur, Hessos et proximos Turingos gessisse bella cum Harciniis de Salinis, quae sunt nobis vicinae in ripa Salae.

Cattis versus Rhenum vicini fuerunt *Tencteri*, qui sunt a Francofordia, quae est in ripa Meni versus Moguntiam et ripam Mosellae usque ad Coloniam Agrippinam, tractus Wederaw et Nassaensis et Widensis.

Idem nomen esse iudicio Tencteros et *Tungros*. Nominantur autem Tungri infra Coloniam Iuliacenses, etsi postea longius progressi sunt.

Sunt e regione Coloniae versus Occidentem *Ubii*, die Eiffel. Supra Ubios sunt *Treviri*, *Vangiones*, vom Gaw, qui sunt Wormatienses.

Supra hos sunt *Nemetes* Spirenses.

Charitini tractus Wirtebergensis. Idque nomen factum est ab hortis, Gertner.

Supra hos ad Meridiem sunt *Rhetii*.

Ad Occidentem sunt *Elvetii*.

Ad Septentrionem sunt *Usipii*, qui nunc Franci nominantur. Sunt autem multa nomina gentium migrationibus et imperiis novis mutata,

ut, cum Franci late dominarentur, magna pars Germaniae et Galliae *Francia* dicta est.

Heneti a Vistula ad Albim procedentes, dederunt novas appellationes Silesiis et multis vicinis, etsi ego quidem existimo, Henetos etiam ante Gotthica tempora mixtos fuisse gentibus Teutonicis, quia Dion expresse scribit, Albim oriri in montibus Vandalicis.

Apud Tacitum sunt *Elysii*, videlicet Silesii aut Lusatii, mutata voce in sonum elegantiorem.

Hac brevi nominum explicatione in hoc compendio contenti simus.

Pugna Harminii facta est in Westvalia non procul a Padeborn, inter fluvios Lippiam et Amisiam. Sic enim Tacitus expresse inquit: Quacunque vastatum haud procul Teutoburgensi saltu, in quo reliquiae Vari legionum, caeque insepultae dicebantur. Ibi Harminius dux Cheruscorum et Longobardorum, ut Velleius narrat, id est, harum regionum inter Albim et sylvam Harciniam, quae nunc proprie nomen habent *Saxoniae*, seu regionis Meideburgensis, Goslariensis et Brunsvicensis, delevit tres Romanas legiones, *Quintil. Varus* sibi ipsi mortem conscivit. Romae ideo tanta consternatio fuit, ut Augustus saepe exclamaret: Quintili redde legiones, quia metuebant Harminium recta in Italiam transiturum esse, ut olim Cimbri fecerant. Sed arte repressus est Harminius, quia adversus eum vicini conducti sunt, ab altera parte Boiemi, ab altera Suevi.

His hostibus domitis crevit Harminii potentia, cum iam teneret has regiones continuas, quae nunc nominantur Westvalia, Harcinia, Saxonia, Marchia, Mysnia et Bohemia, quarum, si sint coniunctae et concordes, magnum robur esse manifestum est.

Cum autem annos duodecim post deletas Quintilii legiones patriam et vicinas regiones victor tenuisset, et non solum virtus eius, sed aetas etiam formidabilis esset, dolo Tiberii imperatoris cognati ipsius conducti, domi eum interfecerunt. Et narrat Tacitus interfectum esse anno aetatis suae tricesimo septimo. Fuit igitur singularis naturae praestantia, cum iuvenis res tantas gesserit. Tantum enim triennio superavit Alexandri aetatem.

Existimo Virgilium ad hunc Harminium alludere, cum alium quendam hoc nomine describit. Fuit enim Cheruscus Harminius Romae obses:

Deiicit Herminium, nudo cui vertice fulva
Caesaries, nudique humeri, nec vulnera terrent.
Tantus in arma patet.

Haec de *Augusti* temporibus annotasse satis sit, de qua cogitantes praesentiam *Dei* in imperiis agnoscamus. Cum totus orbis terrarum extincto Iulio, civilibus bellis arderet, Deus hunc iuvenem, qui non erat praeliator, mirabiliter texit et adiuvit, et per eum restituit in imperio pacem, leges, iudicia, et gubernationis ordinem, quo stetit aliquantisper ad posteros haec monarchia. Est igitur Augustus inter sapientes, bonos et utiles generi humano principes numerandus, et considerandum est, magnam sequentium dissimilitudinem esse, ut dona Dei discernamus a pestibus generis humani.

Anno mundi ter millesimo, nongentesimo septuagesimo nono.

Anno a condita Roma septingentesimo sexagesimo septimo.

Anno a nato *Christo* ex virgine septimodecimo.

Tiberius imperator successit *Augusto*, et statim initio Senatus in eius acta iuravit. Fuerat autem adoptatus ab Augusto, cum esset Liviae filius, et prudentiam ac circumspectionem eius in regendis exercitibus Augustus probasset. Tenuit imperium annos viginti tres. Mores privati quales fuerint, significanter ostendit descriptio Praeceptoris, cum nominavit eum lutum sanguine maceratum. Fuit enim natura insuavis, ironica, et saeviciam aliquantisper occultans, et tamen impura, saeva ac lupina.

Anno quintodecimo Tiberii *Christus* anno tricesimo aetatis suae baptisatus est a Iohanne Baptista. Suntque illustria testimonia baptismo addita, in quibus se Deus manifeste patefecit, quae cogitanda sunt quotidie in invocatione, cum discernimus nostram invocationem ab ethnica, agnoscentes aeternum patrem, filium Dominum nostrum Iesum Christum, et Spiritum sanctum, et cogitantes cur miserit aeternus pater filium et Spiritum sanctum. Hic rursus admonendi sunt iuniores de praedictione Danielis, cuius verba cum de multis magnis rebus nos doceant et confirment, saepe cogitanda sunt. Complectuntur enim Evangelii summam, et simul indicant tempus, quo Messias et concionaturus et passurus erat, stante adhuc Ierosolyma, et adfirmant futu-

rum, ut postea deleatur tota politia Mosaica. Haec praedictio perspicue refutat multos Iudaeorum errores. Negant natum esse Messiam, negant passurum esse, ignorant doctrinam de remissione, et de iusticia quam donat Messias, somniant instauraturum esse politiam Mosaicam. Hae blasphemiae omnes refuntantur testimonio Danielis, quod extat in cap. 9. his verbis:

Septuaginta hebdomades praefinitae sunt super populum tuum, et super urbem sanctuarii tui, ut finiatur praevaricatio, et obsignetur peccatum, et fiat propiciatio pro iniquitate, et adducatur iusticia sempiterna, et compleatur visio et Prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum.

Scito igitur, et intelligito. Ab exitu sermonis, ut redeat populus, et aedificetur Ierusalem usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt. Et habitabitur, et aedificabuntur plateae et muri in angustia temporum.

Et post hebdomades sexaginta et duas excindetur Christus. Et non erit ei populus et sanctuarium. Et vastabit populum dux veniens. Et finis eius in inundatione. Et post finem belli definita desolatio.

Et confirmabit testamentum multis hebdomade una. Et in dimidio hebdomadis cessabunt hostia et sacrificium. Et super alam erit abominatio desolatrix. Et usque ad finem durabit praefinita desolatio.

Expresse inquit: Post hebdomades septem et sexaginta duas, id est, post hebdomades sexaginta novem passurum esse *Messiam*. Et insigni verbo usus est, Karath quod significat excindere.

Intelligantur autem *annorum* hebdomades, ut Levitici vicesimo quinto capite lex loquitur. Nec de initio horum annorum prolixe disputabo.

Etsi Cyrus concesserat Iudaeis reditum in patriam, tamen absente eo res impedita est. Quia Cambyses movens bellum adversus Aegyptios, voluit Iudaeos cum Aegyptiis coniungi. Rursus autem post annos quadraginta sex, cum anno secundo Longimani decretum esset, ut Iudaeis reditus concederetur, aedificatio templi et reditus processerunt. Nam anno Longimani sexto, templum completum est. Eo tempore per Prophetas Zachariam et Haggaeum promissus est reditus. Ac rectius est sumere initium hebdomadum a divino sermone, videlicet prophetico, a secundo anno Longimani, aut a sexto. Sunt autem ab anno Longimani secundo, iuxta Metasthenem ad initium Alexandri, centum quadraginta quatuor. Ab initio Alexandri, post Darii mortem iuxta libros Macabaeorum et Iosephum, sunt anni trecenti et decem usque ad Christum natum. Adde triginta annos a Christo nato usque ad eius baptismum. Erunt igitur a secundo Longimani anno usquo ad baptismum Christi, quadringenti octoginta quatuor. Sunt autem hebdomades sexaginta novem, anni quadringenti octuaginta duo. Deinde in dimidio sequentis hebdomadis *Christus* concionatus et passus est. Nec magna discrepantia erit computationum, si certiores historias sequamur, etiamsi exiguae differentiae occurrent, quia in regum annis interdum pars anni duobus attribuitur. Haec annorum Danielis congruentia cum tempore adventus Christi piis grata sit, deinde excidium urbis Ierusalem perspicue testatur, Messiam exhibitum esse, cum exhiberi eum adhuc stante politia Iudaica oportuerit, in qua cum esset inchoata Evangelii praedicatio, postea deleto hoc populo Ecclesia colligitur ex gentibus.

Hic considerandum est, et quae sint discrimina doctrinarum legis et Evangelii, quod sit discrimen verae Ecclesiae a politia Iudaica, et quomodo Ecclesia inde usque ab initio generis humani collecta sit.

Anno Christi tricesimo quinto, anno Tiberii decimo nono, *Paulus* iter faciens ad Damascum conversus est ad agnitionem Christi, cum iam annus post Christi resurrectionem exactus esset. Commoratus aliquot diebus in urbe Damasco, cum ostenderet suam confessionem Iudaei hostes Evangelii struxerunt ei insidias. Demissus igitur ex muro in calatho discessit in Arabiam, et ibi triennio docuit. Postea venit Ierosolymam, et ibi quindecim dies apud Petrum mansit. Hic congressus Petri et Pauli, factus Ierosolymae, incidit aut in ultimum annum Tiberii, aut in Caligulae initia, videlicet in annum Christi tricesimum octavum. Deinde Paulus *Tarsum* profectus est, unde rediit in Syriam regnante Claudio, cum Herodes Agrippa phthiriasi mortuus esset, et in Seleucia et in Cypro docuit. Sunt autem anni ab initio Caligulae usque ad mortem Herodis Agrippae octo, videlicet usque ad annum Christi quadragesimum sextum, qui est annus Claudii quartus. Tamdiu Paulus in ora vicina Tarso in Cilicia docuit.

Ex Syria rediit in Ciliciam, quo tempore in Iconio et Lystris concionatus est. Inde rediit Antiochiam in Syriam, unde missus est ad Synodum Apostolorum, cuius mentio fit in Actis capite 15. Ea Synodus incidit in annum Christi quinquagesimum primum, qui est annus Claudii nonus. Annus a conversione Pauli sedecimus. Ideo Paulus inquit, se post quatuordecim annos rursus Ierosolymam venisse, et ibi cum praecipuis viris de doctrina colloquutum esse.

Eo tempore fames in Asia et Europa fuit tanta, ut modius sex drachmis emeretur, cuius precium mediocribus annis erant tres sestertii, id est, numuli nostrates viginti quatuor. Erat lege modius tribus sestertiis, inquit Cicero in Verrinis. Drachmae autem precium est tres nostrates grossi. Plus igitur quintuplo superabatur usitatum precium. Ideo in Apocalypsi dicitur de fame, in qua choenix, cuius precium erant tres nostrates numuli, valeret denario, id est, tribus grossis. De hac fame loquuntur et liber Actorum Apostolicorum, et Suetonius et Dion.

Post Synodum Paulus rediit in Lystram, et sibi Timotheum adiunxit, anno a sua conversione sedecimo, et longius processit in Galatiam, Phrygiam et Mysiam, inde traiecit ad urbem Philippos, anno decimo septimo a conversione. Liberatus ex carcere discessit ex Philippis ad urbem Thessalonicen, ubi cum Iudaei contra eum concitassent populum, a Nobilibus defensus est. Inde Athenas navigavit, ubi amplexus est eius doctrinam Dionysius, qui fuit Senator Areopagiticus. Inde Corinthum venit, anno a conversione decimo octavo, ubi commoratus est annum et sex menses. Corinthi scripta est Epistola Pauli ad Roma. circiter vicesimum annum a conversione. Postea rursus in Asiam navigavit, et Ephesi biennio et tribus mensibus commoratus est. Adiit et Laodiceam, ubi ad Timotheum scripta est prior Epistola. Inspexit et Galatarum Ecclesias. Expresse enim in Actis capite 19. dicitur, diu commoratum esse in Asia. Inde secundo rediit in Europam, ac in urbe Philippensi scripsit duas Epistolas ad Corinthios. Rursus ex Philippis in Asiam navigavit, anno a conversione vicesimo quarto, aut circiter, quo tempore Neronem tenuisse imperium Romanum, annorum ratio ostendit. Navigatio in Paschate inchoata est, ut expresse in Actis dicitur, voluisse Paulum ante Pentecosten Ierosolymam venire, quo cum venisset, captus tota aestate circumducitur. In hyeme navigat Romam, cum quidem in itinere tres menses in insula Melite Paulus et caeteri, qui simul navigaverant, commorati essent.

Romae fuit in libera custodia, ubi ad eum accedere multi poterant. Et a Nerone interfectus est anno Christi septuagesimo, qui fuit postremus annus Neronis. Et quidem post paucos menses Nero sese ipse interfecit, cum pridie ingens terraemotus fuisset, in quo species Neroni fugienti obversata est, quasi dehisceret terra, et erumperent animae interfectorum ab ipso, impetum in eum facturae. Ita sensit Nero initia aeternorum cruciatuum.

Tantum fuit curriculum *Pauli*, in quo bonam partem *Asiae minoris* pervagatus est, et bis in Europam venit, antequam Romam missus est, ubi narrat liber Actorum biennio eum habitasse in domo conducta. Ostendit autem temporum ratio, aliquanto diutius eum ibi fuisse. Nec vero tantum voce multos docuit, sed etiam optimis scriptis doctrinam Ecclesiae illustravit. Et Deus eius ministerium resuscitatione mortuorum et aliis testimoniis confirmavit. Haec ingentia Dei beneficia grati celebremus, et consideremus ad quarum rerum intellectum Pauli scripta praecipue conducant non tantum dimicat de abrogatione ceremoniarum, ut eum monachi interpretati sunt, sed doctrinam omnibus temporibus necessariam tradit. Planissime ostendit legis et Evangelii discrimen. Pugnat de exclusiva *Gratis*, ut discernat promissionem gratiae a legis promissionibus. Docet quae sint beneficia proprie per Evangelium donata. Quomodo homo sit iustus coram Deo. Quomodo tollatur peccatum et reddatur iusticia sempiterna. Quid intersit inter iusticiam Spiritus et iusticiam politicam. Harum maximarum rerum doctrina omnibus temporibus necessaria illustratur a Paulo, qui quidem est lumen propheticarum concionum, et eo lecto Prophetae intelliguntur, et consensus agnoscitur.

Dion scribit, avem quae nominatur Phoenix, ante postremum annum Tiberii conspectam fuisse. Quod si verum est, cum Phoenix sit pictura renascentium ex morte, significatum est, eo tempore *Christum* ex morte revixisse, et doctrinam Evangelii spargi, quae adfirmat mortuos revicturos esse.

Anno mundi quater millesimo primo.

Anno Romae septingentesimo octuagesimo nono.

Anno Christi tricesimo nono.

Caius Caligula successit Tiberio. Tenuit imperium annos tres, menses decem. In cuius historia utrunque deplorandum est, quod horribiliter degenerant nati ex parentibus qui excelluerunt naturae bonis, et quod in fastigio rerum humanarum saepe tetra portenta dominantur. Natus fuit C. Caligula ex laudatissima stirpe:

Drusus, frater Tiberii, mortuus in Germania accepto vulnere.	Antonia, coniunx, filia Antonii ex Octavia.

Claudius Imperator.	*Germanicus* mortuus in Syria, veneno interfectus a Pisone iussu Tiberii. Excelluit virtute, rexit Germaniam, et deinde Armeniam et Syriam. Latino carmine reddidit *Aratum.*	*Agrippina* uxor Germanici, Agrippae et Iuliae filia, unde nomen est *Coloniae* Agrippinae ad Rhenum.

Ex his natus est *Caligula* teterrima belua.

Voluit se adorari. Statuam suam misit collocandam in templum Ierosolymae. Tres suas sorores stupravit. Multos Senatores et alios crudeliter interfecit, cuius dictum est: *Oderint dum metuant.* Conatus est abolere Homerum et Virgilium, et libros Iurisconsultorum. Sed cum non diu regnasset, interfectus est a Phereo Tribuno militum.

Anno mundi quater millesimo quinto.

Anno Romae septingentesimo nonagesimo tertio.

Anno Christi quadragesimo tertio.

Claudius successit Caligulae. Tenuit imperium annos tredecim, menses octo et dies viginti. Natus patre *Druso.* Quem supra diximus inter Salam et Rhenum vulnus accepisse, patruus Caligulae regnare coepit cum annum ageret quinquagesimum. A militibus ex latebris est extractus, ac primus imperium mercatus est, promittens singulis militibus quater dena sestertia, id est, trecentos coronatos et quinquaginta. In studiis eloquentiae eo processit, ut historias scripserit, qua in re magistrum habuit Livium. Sed fatuitas eius multipliciter exagitata est, cum praecipue regeretur a Libertis, quorum ingentia furta et sycophanticam populus detestabatur: Fuitque in eos pronunciatus versus in theatro: ἀφόρητος ἐστὶν εὐτυχῶν μαστιγίας, ut vulgo dicitur: Asperius nihil est misero cum surgit in altum.

Claudii tempore dira fames fuit in Asia et Europa, ut supra diximus, in qua fame modius frumenti emptus est sex drachmis, cum alias mediocribus annis usitatum precium tres sestertii essent, id est, nostrates nummi viginti quatuor. Eius famis initium fuisse anno quinto Claudii scribitur.

In Ecclesia haec facta sunt: *Maria* virgo, mater *Christi*, ex hac vita discessit Claudii tempore, cum, ut Nicephorus scribit, annum ageret nonum et quinquagesimum. Fuit ergo superstes post resurrectionem filii annos aliquot, et vidit initia Ecclesiae eius temporis, multa ingentia miracula et supplicia sanctorum, et consiliis suis rexit Apostolos.

Apud unicum Clementem legitur et *Petri* coniunx adfecta esse supplicio, ubi dicitur, voce Petri confirmata est, qui iussit eam recordari *Domini.* Id si verum est, circiter idem tempus factum esse videtur, quo Maria decessit.

Sub Claudio et *Iacobum* interfecit rex Herodes Agrippa, qui et ipse non multo post phtiriasi periit. Deinde Claudius Iudaeam rursus in formam provinciae redegit.

Nec multo post Synodus fuit Apostolorum, anno post resurrectionem Christi sedecimo, qui fuit annus Claudii octavus, aut circiter. In ea Synodo doctrina de gratia et fide repetita est, et asseveratio tradita est, non esse necessariam observationem ceremoniarum Mosaicarum. Hanc asseverationem Apostoli non autoritate humana condiderunt, sed cum scirent doctrinam de fine politiae Iudaicae, et de discrimine regni politici et regni Christi, et iusticiae ceremoniarum et iusticiae aeternae a Deo per Prophetas revelatam esse, has divinas praedictiones repetiverunt et illustraverunt.

Sed hi qui contendunt Synodos et Episcopos habere autoritatem condendi novas leges, quas amplecti Ecclesiam necesse sit, citant decretum in ea Synodo factum de idolothytis, scortatione, suffocato et sanguine. Ad hanc obiectionem respondendum est: Scortationem et esum idolothytorum prohiberi universaliter omnibus temporibus, autoritate Decalogi. Ergo quod ad ista attinet, nihil novi constituerunt Apostoli, sed tantum repetiverunt Decalogum, qui est lex aeterna et immutabilis. Sed de sanguine et suffocato consuetudinem veterem traditam a Noe, retinuerunt.

Quia usitatum fuit, cum capiebantur urbes ex Ethnicis eis tantum imponere praecepta moralia, non ceremonias Mosaicas. Has urbes etiam volebant retinere consuetudinem a Noe traditam, ne homines vescerentur sanguine et suffocato. Fuitque forma decreti apostolici sumpta ex illa veteri forma, qua semper usi erant Israëlitae captis urbibus ethnicis. Quare nec in hac re aliquid novi constituerunt, sed prohibitio idolothytorum et scortationis repetitio preceptorum erat de vitando cultu idolorum, et de vitandis libidinum confusionibus.

Claudii tempore et *Simon Magus* Romam venit, qui magicis praestigiis tantum venerationis adeptus est, ut statua ei cum hac inscriptione posita sit: *Simoni Deo sancto*, cum quo magna certamina Petro Apostolo fuisse scribitur. Cumque Simon Magus tandem iactitaret, se in coelum ascensurum esse, sublatus est a Diabolis in aerem. Sed Petrus imperavit Diabolis ut eum abiicerent. Ita decidens in terram extinctus est. Ac leguntur illis primis temporibus contra Apostolos a Diabolis multa hostium genera excitata esse. Iudaei et Ethnici manifestam saeviciam contra veram Ecclesiam exercebant. Magi et haeretici variis praestigiis eam turbabant. Multi seditiosi praetextu novae libertatis magnos tumultus movebant, ut Aegyptius, qui a Foelice praeside oppressus est.

Haec exempla consideranda sunt, ne multitudine hostium frangamur hoc tempore: sed quaeramus veram Ecclesiam, quae perspicua testimonia habet ex scriptis propheticis et apostolicis, et symbolis. Huic nos constanter adiungamus, etiamsi aliae factiones, quarum magna est potentia et multitudo, eam oppugnant.

Domitius Nero.

Anno mundi quater millesimo, decimo nono.
Anno urbis Romae octingentesimo septimo.
Anno Christi quinquagesimo septimo.

Cum Claudius veneno necatus esset a coniuge Agrippina, imperator factus est a militibus *Domitius Nero*, anno septimo decimo aetatis, cum promisisset eis tantundem pecuniae, quantum Claudius dederat, videlicet singulis trecentos quinquaginta coronatos. Vixit annos triginta, menses novem, regnavit annos tredecim, menses octo. Interfecit matrem, duas coniuges, Octaviam et Popeam, et multos praestantes viros. Exercuit magnam saeviciam in Christianos hac occasione, quod cum magna pars urbis Romanae incendio periisset, quod ipso volente eius familia direptionum causa excitaverat, falso dixit autores esse *Iudaeos*, quo nomine tunc et *Christianos* comprehendebant. Interfecit Paulum et Petrum. Et quidem de Paulo idem omnes adfirmant. Reliquam Neronis historiam omitto, in quo repetenda est querela: et quod degenerant tam multi a maioribus, qui naturae bonis et virtute excelluerunt: et quod in summo fastigio generis humani, in quo praecipue eminere sapientia et virtus debebant, tam multa tetra portenta dominantur.

Anno Christi sexagesimo tertio, videlicet post resurrectionem Christi tricesimo, Iacobus filius Alphei, Episcopus Ecclesiae in Ierosolyma collectae, interfectus est saevicia Ananiae summi sacerdotis, qui et iuvenis et Zadducaeus erat. Etsi enim non licebat Iudaeis quenquam ultimo supplicio adficere, tamen absente praeside multum valuit autoritas summi Sacerdotis, praesertim cum alioqui Iudaea plena esset seditionum. Erat autem mortuus *Festus*, et nondum venerat Ierosolymam successor *Albinus*. Hac usus occasione Ananias suam factionem incitat ad interficiendum Iacobum, et alios multos accusatos propter Evangelium suppliciis adficit, etiam contra Romanorum iudiciorum ordinem. Haec acta sunt anno decimo ante excidium Ierosolymae, anno Neronis septimo.

Post Iacobum frater eius *Simeon*, filius Cleopae, Episcopus Ierosolymae factus est, qui vixit usque ad Traiani tempora, functus Episcopi officio plus quadraginta annis. Eduxit Ecclesiam ex Ierosolymis aliquanto ante obsidionem trans Iordanem in oppidum Pellam. Deinde multos reduxit ad ruinas, ubi eum Iudaei odio Christiani nominis apud Traianum accusaverunt, quod cum esset ex stirpe regia videretur novam seditionem moliri. Quare cum annos centum et viginti vixisset, ultimo supplicio adfectus est.

Hic exitus duorum fratrum fuit, qui sanguine proximi fuerunt Christo. Nati sunt enim ambo ex una matre, sorore Mariae virginis, sed Iacobi pater fuit Alpheus, Simeonis Cleopas. Cur autem Ecclesia cruci subiecta sit, discendum est ex fontibus doctrinae, quam Deus in Evangelio patefecit, ubi dicitur oportere nos similes fieri imaginis filii Dei.

Neronis tempore arsit ingens Cometa sex mensibus, progrediens ab ortu ad Occasum, nonnihil deflectens ad Meridiem, ut scribit Seneca, quem vellem tempora certius commemorasse, et dixisse, quo in loco, prope quas stellas accensus esset. Quid significaverit, eventus ostenderunt: multorum civium interitus in mutatione imperii post Neronem, ut postea dicemus. Sequuta est et totius Iudaeae vastatio.

Erat autem Galliae praeses vir iustus et fortis, Iulius Vindex, qui cum non toleranda esse Neronis scelera palam ostenderet, praesertim cum et Gallia novis expilationibus oneraretur, facile persuasit universae Galliae et suis exercitibus, ut a Nerone deficerent, fuitque hortator Sergio Galbae in Hispania, ut contra Neronem ad urbem Romam accederet, et orbem terrarum tam tetro tyranno liberaret, seque promittit suos exercitus ipsi adiuncturum esse. Defecerunt a Nerone et Germanici exercitus.

Interea et Senatus legatos ad Sergium Galbam mittit, et Neronem iudicat hostem, et Hispanici exercitus Sergium Galbam nobilitate et autoritate praestantem senem, qui iam septuagesimum tertium annum attigerat, imperatorem salutarunt. Ita consensu *Senatus* et praecipuorum *ducum* et exercituum iuste decretum est, ut tyrannus tolleretur, quia summus Senatus et summi duces debent punire tyrannos manifestam crudelitatem sine fine exercentes. Et in hac poena Deus ostendit utrunque, conservare se imperia honestorum ducum consensu, et tamen punire crudelem et obscoenum tyrannum.

Cognito adventu Sergii Galbae Nero fugit ex urbe Roma. Qua in fuga ingens terraemotus factus est. Et terra Neroni dehiscere visa est, et spectra occurrerunt interfectorum ab eo. Cum autem audivisset prope esse equites a Senatu missos ad eum interficiendum, ipse gladio se transfixit. Hic exitus testimonium est iudicii divini, et congruit ad regulas: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Et: Omnis anima quae fecerit abominationes has, eradicabitur. Fuit autem postremus eorum, qui ex Augusti filiabus et neptibus nati sunt:

Domitius Nero pater Neronis imperatoris.	*Agrippina* uxor Domitii, filia Germanici, proneptis Augusti.

Nero imper.

Post eum muliplex laniena sequuta est. Sergium Galbam interfecit Otto. Deinde superatus Otto praelio a Vitellio, qui rexerat Germaniam, seipsum occidit. Vitellius adveniente Vespasiano fugiens ex latebris extractus a militibus interfectus est, et cadaver a canibus laceratum est.

Vespasianus.

Anno mundi quater millesimo tricesimo tertio.
Anno urbis Romae octingentesimo, vicesimo primo.
Anno Christi septuagesimo primo.

Hoc anno inchoamus imperium *Vespasiani* mox a Neronis interitu. Etsi enim amplius anno duraverunt bella civilia, Galbae, Ottonis, Vitellii: tamen his praeteritis quia eodem anno inter se dimicarunt, mox a Nerone Vespasianum numeramus, qui illis viventibus in Iudaea imperator salutatus est. Regnavit annos decem minus sex diebus. Per hunc Deus restituit formam imperii, ordinem provinciarum, distinctionem exercituum, leges et iudicia, cum sub tot portentis, Caligula, Claudio, Nerone, et in laniena Ottonis et Vitellii magnae confusiones in toto genere humano extitissent. Sed tamen aliqui fuerunt in provinciis honesti Magistratus, quorum virtus retinuit utcunque imperii speciem. Nunc Vespasiani consiliis et virtute melior status est. Numeratur ergo inter sapientes, iustos et utiles principes. In aureo eius est Capricornus globum tenens prioribus pedibus.

Cum ex Iudaea discederet, Romam profecturus, filio Tito mandavit, ut bellum Iudaicum gereret, quod vivo Nerone inchoatum erat. Cum enim Flori, quem Nero in Iudaeam miserat, rapacitas et crudelitas praebuisset occasionem movendi seditiones, et Cestius Syriae praeses vicinus et Florus infoeliciter cum Iudaeis pugnassent, multitudo Iudaeorum palam rebellare coepit, nacta ducem turbulentum Manairoum, id est, Castrensem, qui milites Romanos ubicunque deprehendit occidit, et fuit hortator ad recuperandam libertatem. Hic magnitudo periculi coëgit in Syriam mittere ducem virtute praestantem. Missus igitur est Vespasianus, qui initio Galilaeam recepit, deinde filium iussit obsidione cingere Ierosolymam. Ea obsidio inchoata est in festo Paschatos, videlicet 14. Aprilis, anno se-

cundo Vespasiani, anno Christi septuagesimo secundo, anno post resurrectionem Christi fere quadragesimo.

Initio belli Manaimus occiderat summum Sacerdotem Ananiam cum Romanis sentientem. Sic Ananias qui Iacobum Episcopum Ierosolymae et alios sanctos multos interfecit, poenas dedit. Successit ei summus Sacerdos Ananus Romanorum hostis, hunc zelotae aliquanto post interfecerunt. Nam Iudaei et inter sese et cum Romanis dimicarunt. Legatur autem integra historia, et non solum magnitudo calamitatum, sed etiam causae considerentur. Ostendit Deus in hac horrendo exemplo iram suam adversus omnia peccata et praecipue adversus saeviciam, quae exercetur contra veram Ecclesiam Dei. Vocatque Deus hoc tristi spectaculo omnes homines ad conversionem, ac denunciat poenas aeternas et praesentes omnibus, qui non confugiunt ad mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum, sicut secundus Psalmus expresse concionatur: Osculamini filium, ne quando exardescat ira eius etc.

Cogitemus autem cum Deus non pepercerit illi stirpi, quam antea praetulit omnibus gentibus, in qua tam multa de sese testimonia ediderat, ex qua nati erant Patres et Prophetae: Quanto minus parcet aliis regnis et gentibus, quae habent similia delicta, ut et Paulus monet: Cum naturalibus ramis non pepercerit, nec tibi parcet. Voluit autem Deus et alia multa significare deletione politiae Iudaicae.

Primum, vult hanc ultimam eversionem testimonium esse, quod missus sit *Messias*, quem stante hac politia conspici et audiri docentem et ostendentem testimonia et morientem et resuscitatum oportuit, ut Daniel praedixerat.

Secundo, haec rudera et hi cineres ostendunt, Messiam non missum esse ad constituendum regnum politicum: sed ad restituenda bona aeterna, ut Daniel inquit: Adducetur iusticia sempiterna.

Tertio, haec rudera et hi cineres ostendunt ceremonias et forenses leges Moisi non oportere imponi Ecclesiae, ut et tunc multi contendebant, et saepe aliis temporibus ea quaestio praebuit occasionem magnis tumultibus.

Die 10. Augusti templo ignis iniectus est, quo conflagravit, nec postea unquam restitutum est, etsi Iudaei politiam suam et templum magnis seditionibus motis saepe restituere conati sunt. Sed eventus ostendit, omnes humanos conatus contra decretum Dei infoelices et irritos esse.

Deinde die octavo Septembris, quantum urbis reliquum fuit, combustum est. Sunt autem anni ab exitu ex Aegypto usque ad hanc ultimam politiae Iudaicae destructionem mille quingenti octuaginta duo. Hic numerus diligenter considerandus est, ut nunc quoque non procul abesse tempus cogitemus, quo filius Dei rursus se generi humano ostendet, et omnia regna impia delebit. Hae commonefactiones in hac insigni historia adiungendae sunt ad tristissimi exempli lectionem. Interea tamen et Ecclesia, quae Ierosolymae fuerat. servata est trans Iordanem. Et postea cum mediocris tranquillitas rursus in Iudaea esset, ad Ierosolymae ruinas rediit.

Anno mundi quater millesimo, quadragesimo tertio.
Anno Romae octingentesimo tricesimo primo.
Anno Christi octuagesimo primo.

Titus Vespasianus.

Titus Vespasianus patri successit. Tenuit imperium annos duos, menses duos, dies viginti. Vixit annos triginta novem, menses quinque, dies viginti quinque. Laudatissimus fuit, ac propter iusticiam et beneficentiam nominatus est *Amor et Deliciae* generis humani. Patrem viventem debita pietate coluit, et tamen consilia gubernationis adiuvit, cumque disertus esset in Latina et Graeca lingua, plurima edicta formavit, et plurimas orationes in Senatu patris nomine habuit.

Imperium eius fuit incruentum, nec recepit accusationem contra eos, qui dicebantur maledixisse imperatori, inquiens: Ego cum nihil faciam dignum propter quod contumelia adficiar, mendacia nihil curo. Delatores etiam, qui propter praedam alios accusabant, (nam pars bonorum delati ad delatorem perveniebat) caesos flagellis aut fustibus deportari iussit. Fratri Domitiano cum insidias ei strueret, pepercit, eumque lacrymans hortatus est ad mutuum amorem, cum quidem successorem eum iam nominasset. Sed tamen opinio fuit, veneno extinctum esse Titum, quod frater dari ei curasset.

Anno mundi quater millesimo, quadragesimo quinto.
Anno Romae octingentesimo, tricesimo tertio.
Anno Christi octuagesimo tertio.

Domitianus.

Domitianus successit fratri. Tenuit imperium annos quindecim, dissimilis patri et fratri, crudelis, occultator, diffidens, suspicax, et insidiator, obscenus et rapax.

Domitiani tempore bellum adversus Romanos motum est a *Decebalo*, qui Daciam et vicinas regiones tenuit ad Istrum. Nec dubium est tunc *Daciam* dictam esse, quae nunc est partim Transylvania, partim Walachia.

Virtus Decebali a Dione his verbis descripta est: *Δεινὸς μὲν συνεῖναι πολέμια: δεινὸς τε καὶ πράξαι: ἐπελθεῖν εὔστοχος: ἀναχωρήσαι καίριος ἐνέδρας τεχνίτης, μάχης ἐργάτης, καὶ καλῶς μὲν νίκη χρήσασθαι, κακῶς δὲ καὶ ἧτταν διαδῦναι εἴδως.*

Tanta virtus cum fuerit Decebali, Romanos exercuit annos circiter sedecim, et vix tandem a Traiano imperatore victus est, ut infra dicetur. Etsi autem Domitianus adversus eum suscepit expeditionem, tamen non accessit ad hostes, sed abdidit se in lustra libidinum, et multos amicos interfici iussit. Cumque C. Fuscus missus contra Decebalum cum legionibus trucidatus esset, pecunia pacem emit, ac rediit triumphaturus, et passim trophaea victoriae collocavit. Poëtae etiam quia videri non rudis poëticae voluit, fictis laudibus utranque expeditionem, priorem adversus Cattos, et posteriorem contra Dacos, celebrant, ut Statius inquit:

> Frena tenentem
> Rhenus, et attoniti vidit domus ardua Daci.

Item: Et coniurato deiectos vertice Dacos.

Sed de expeditione in Germaniam contra Cattos Dion inquit: Profectus in Germaniam, ne quidem conspectis hostibus rediit. Cattos autem tenuisse Hassiam et vicinas aliquas regiones, vestigia veterum appellationum indicant, Cassella et Cattenelnbogen. Et Traianus postea cum eos compesceret, in vicinis locis exercitum habuit, et in urbe Colonia Agrippina primum accepit decretum de successione in imperio.

Exercuit autem Domitianus multiplicem crudelitatem. Trucidavit multos Christianos, Iudaeos et Ethnicos. Fortassis autem et propter Iudaeorum tumultus asperior Christianis factus est, quos passim interfici iussit. Haec post Neronem proxima persequutio in Christianos numerata est, in qua et *Iohannes Evangelista*, cum Ecclesiam Ephesinam doceret, relegatus est in insulam Pathmon.

Cum autem Domitia coniunx reperisset catalogum interficiendorum, scriptum in pagella, in quo et ipsius et multorum amicorum et libertorum nomina erant: re deliberata cum illis, Liberti Domitianum interfecerunt. Sed amici prius cum *Nerva* egerunt, ut imperium illo interfecto reciperet, ne milites seditionem moverent.

De Ecclesia eius temporis.

Domitiani tempore superstites fuerunt in ea parte orbis terrarum, quae nobis propter Romanum imperium nota est, *Iohannes* scriptor Evangelii, qui post resurrectionem Christi vixit annos septuaginta duos. Dicitur enim, ex hac vita decessisse anno quarto Traiani, Anno Christi centesimo secundo, anno aetatis suae octogesimo nono.

Simeon filius Cleopae, Episcopus Ierosolymae, interfectus tempore Traiani, cum attigisset annum centesimum vicesimum.

Ignatius Episcopus Antiochiae, qui adfirmat se Christum post resurrectionem vidisse.

Clemens Episcopus urbis Romae, cuius mentionem fecit Paulus in Epistola ad Philippenses. Et hic Traiani tempore Epistolam ad Corinthios scripsit, quam diu Ecclesia Corinthiorum quotannis relegere solita est.

Titus in Creta, qui attigit annum aetatis suae nonagesimum quartum. Et his adiuncti fuerunt multi eorum auditores, qui cum eis incorruptam Evangelii doctrinam retinuerunt.

Polycarpus auditor Iohannis, passus sub Marco Antonino Philosopho, et Vero Imp. Hi et similes multi, et auditores cum eis consentientes, fuerunt vera Dei Ecclesia. Et hi doctores quos nominavi, testes et adsertores fuerunt verae et incorruptae doctrinae.

Simul autem illo tempore horribiles confusiones fuerunt. Ethnici et Iudaei palam erant hostes filii Dei. Deinde alia organa Diabolorum tetros furores sparserunt. Ita multos diversos hostes Ecclesia habuit. Sicut nunc non soli Turci et Papistae sunt hostes verae Ecclesiae, sed etiam multi fanatici homines, Anabaptistae, Servetistae, Stenckefeldiani, etc. Plurimi autem im-

postores tunc Domitiani tempore exorti sunt, et ut fit in erroribus et dissensionibus, uno capite Hydrae praeciso postea tria nata sunt. Nec singulorum furores recitabo. Sed hanc considerationem iudico utilem esse, de quibus controversiis praecipua fuerint certamina in Ecclesia, quorum similia deinceps mota sunt, et hoc tempore moventur.

Quatuor fuerunt praecipuae controversiae.

Prima de filio Dei, Cerinthus et Ebion contenderunt, tantum esse humanam naturam in Christo. Et nihil esse Christum antequam ex virgine natus est: sicut et postea Samosatenus, et recens Servetus contenderunt.

Secunda controversia fuit similis anabaptisticiae, ut Carpocratis et multorum, qui finxerunt Christianos oportere facultates conferre in commune, et probaverunt confusiones libidinum.

Tertia fuit Ebionis et multorum aliorum, qui contenderunt oportere servari ceremonias Mosaicas.

Quarta fuit tetra confusio orta ex quaestione de causa Mali. Marcion et ante eum Basilides posuerunt duo principia contraria, coaeterna, Bonum et Malum, φῶς καὶ σκότος: et finxerunt stoicam necessitatem in bonis et malis actionibus, et multa portentosa deliramenta addiderunt.

Harum quatuor sectarum contagia semper postea haeserunt in Ecclesia. Omnes autem sectae de *Iusticia* communem errorem habuerunt, homines esse iustos propter propria opera, et alii impostores plus, alii minus praestigiarum addiderunt, ut Menander fuit Magus: Aliqui imitati Theogoniam Hesiodi finxerunt magnam turbam Deorum, quam allegorici interpretati sunt, ut eluderent doctrinam de filio Dei et de Spiritu sancto.

Haec praefari in genere volui, quia Diabolus similes furores omnibus temporibus spargit, paululum mutata specie. Necesse est igitur considerare integrum corpus verae doctrinae, et tenere confirmationes et refutationes.

Primum autem confirmentur pii adversus hoc ingens scandalum videlicet, quod in tot dissidiis dubitatio oritur, ubi sit veritas: et an aliqua sit Ecclesia Dei distincta a caeteris gentibus. Huic scandalo opponamus articulum fidei: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam. Et quaeramus, quae et ubi sit illa Ecclesia, scilicet, quae retinet scripta prophetica et apostolica et symbola: Et intueamur miracula, quae Deus voluit esse testimonia huius doctrinae. Discamus etiam ex ipsa doctrina a Deo tradita, semper horribile odium esse in Diabolis et eius organis adversus Ecclesiam, ut in prima concione dicitur: Inimicitias ponam inter serpentem et mulierem. Non igitur excutiant nobis fidem haec tristia spectacula. Cogitemus et hoc: Cum in illo flore Ecclesiae tantum fuerit dissidiorum, hanc ultimam senectam non fore tranquilliorem.

Quia vero easdem controversias Diaboli saepe renovant, pertinet ad historiam scire qui fuerint adsertores veritatis, quibus usi sint testimoniis. Iohannes refutavit Cerinthum et Ebionem. Fuit auditor Iohannis Polycarpus, Episcopus Smyrnae: Polycarpi Ireneus, cuius extat liber, qui perspicue defendit hanc sententiam: Quod in Christo, nato ex virgine Maria sint duae naturae: λόγος, et natura humana adsumpta ex virgine. Et quod Λόγος non significet sermonem evanescentem, sed λόγον ὑφιστάμενον, qui semper adfuit Ecclesiae, et cum Abraham et aliis patribus loquutus est. Huius scriptoris testimonium prodest ad confirmandam veritatem περὶ Λόγου, quae postea in symbolo Niceno recitatur, nam Irenaeus antecessit Synodum Nicenam fere ducentis annis.

Scribit idem libro tertio, Polycarpum narrasse historiam de morte Cerinthi. Cum Iohannes Ephesi venisset in balneum, et ibi videret sedere Cerinthum inter suos applausores, disputantem et blasphemias contra filium Dei spargentem, dixit Iohannes suo comitatui, Discedamus, quia statim domus obruet sonantem has blasphemias, et auditores. Egresso Iohanne domus statim collapsa Cerinthum et turbam reliquam oppressit.

Sunt apud Irenaeum et aliae refutationes, utiles nostris temporibus adversus Anabaptistas et alios de Magistratibus et ceremoniis Moisi. Rursus autem infra de plaerisque controversiis dicetur. Haec nunc monuisse satis sit de controversiis temporum Domitiani.

Anno mundi quater millesimo sexagesimo primo.
Anno Romae octingentesimo quadragesimo nono.
Anno Christi nonagesimo nono.

Nerva.

Nerva Cocceius interfecto Domitiano successit agens annum sextum et sexagesimum. Tenuit imperium annum unum, menses quatuor et dies

novem. Princeps iustus et beneficus fuit, iniuste damnatos sub Domitiano restituit. Prohibuit saeviciam quae in Christianos exercebatur, et Sycophantas quosdam occidi iussit, inter quos fuit et Sura Philosophus. Iussu eius delecti sunt Senatores, qui agros emerent data pecunia ex publico, et dividerent egenis civibus. Sustulit sumptuosa spectacula. Marcum Ulpium Traianum natum in Hispania, propter virtutem adoptavit, et successorem fecit praesente Senatu, eique insignia imperii misit in Germaniam ad urbem Coloniam Agrippinam. Postea febre mortuus est.

Scribunt Suidas et Nicephorus, Nervae tempore Iohannem Apostolum ex Pathmo Ephesum rediisse, ubi post reditum annos quatuor vixit. Et reditum eius ornavit Deus illustri testimonio, quia Drusianae quae efferebatur cum Iohannes in urbem ingrederetur, per eum vita restituta est.

Anno mundi quater millesimo sexagesimo secundo.
Anno Romae octingentesimo quinquagesimo.
Anno Christi nonagesimo nono.

Traianus.

Ulpius Traianus Hispanus anno suae aetatis quadragesimo secundo imperare coepit, cum ad eum Nerva decretum de adoptione ad urbem Coloniam Agrippinam misisset. Tenuit imperium annos novendecim, menses sex, dies quindecim, princeps sapiens, iustus, consilio et fortitudine in bellis excellens. Nervae acta confirmavit reductis exulibus iniuste condemnatis, et Romae leges et iudicia restituit, ius frequenter ipse dixit. Estque Senatus decreto hic honos ei habitus, ut *Princeps optimus* nuncuparetur. Bibliothecas instruxit, inter quas unam a gentilicia appellatione Ulpiam nominavit. Familiarem doctorem habuit Plutarchum, cuius extant utilia scripta. Praefecto praetorio tradens gladium dixit: Hoc gladio pro me utaris donec iusta facio: Si iniusta fecero, contra me utaris. Haec verba si intelligantur de depulsione notoriae et atrocis iniuriae, iusta oratio est praesertim ad duces exercitus.

Bella tria praecipua gessit: primum contra Decebalum, qui circiter annos sedecim Romanos bello exercuerat, et recens Iazygas, qui nunc Transylvani nominantur, vexaverat. Tandem mora et praeliis aliquot victus, mortem sibi conscivit.

Pontem fecit, quo Istri ripas coniunxit in Bulgaria magno et mirando opere. Nec procul inde Nicopolin condidit, ad quam magno praelio victus est Sigismundi imperatoris exercitus a Baiazete imperatore Turcico.

In secundo bello Orientem adiit, ubi Armeniam occupavit: et progressus in Assyriam ad Arbela usque, Parthos repressit. Ac ut gloriae fuit avidior, dixit se Alexandri exemplo in Indiam processurum esse, si esset iunior. Fuit autem fatalis limes imperii Romani Assyria.

Et ut ingens foelicitas nec diuturna est, nec sine aliqua insigni calamitate, ita Traianum tunc fortuna deseruit, quia et ipse saeviciam adversus Ecclesiam exercuerat. Numeraturque ea persequutio tertia, in qua *Simeon* filius Cleopae, natus ex sorore Mariae virginis, Episcopus Ierosolymae anno aetatis suae centesimo et vicesimo interfectus est, cum quidem Iudaei eum accusassent, quod natus ex posteris David videretur aliquando seditionem moturus esse.

Est et *Ignatius* Antiochenus Episcopus Romam ductus, et bestiis obiectus, iam senex: qui familiaris fuerat Apostolis, et epistolas ad Ecclesias aliquot scripsit, in quibus testimonia sunt de filio Dei, quod sit λόγος οὐσιώδης. Hoc enim vocabulum extat in quadam eius epistola.

Revocarunt autem Traianum ex Assyria crudelissimae seditiones Iudaeorum, qui in Aegypto et Cyrene et Cypro quadringenta millia hominum tanta immanitate trucidarant, ut carnes interfectorum comederint, et cruore eorum facies suas pinxerint. Hic furor Iudaeorum eo magis admirandus est, quod recens adhuc erat memoria excidii Ierosolymae. Nam a secundo Titi anno usque ad Traiani decimum octavum tantum sunt anni triginta quatuor. Sed cum impendent fatales poenae, homines abiecti a Deo singularibus furoribus attrahunt exitia, ut ostendunt non solum Iudaeorum, sed etiam aliarum gentium historiae. Talia exempla intuentes cohorrescamus, et metuentes iram Dei doctrinae divinae obtemperemus, et regi nos a Deo veris gemitibus petamus.

Hos Iudaicos tumultus antecessit ingens terraemotus in Syria, qui duravit aliquot dies, et multa aedificia evertit, quorum ruinis magna hominum multitudo oppressa est. Ipsum Traianum

scribit Dion a spectro eductum esse in locum tutiorem ex ea domo Antiochiae, in quam diverterat.

Ut igitur seditiones in ea vicinia opprimeret, bellum movet contra Agarenos, qui fuerunt pars Arabum, dicti ab Agar, ancilla Abrahae.

Existimo autem eo colluviem Iudaeorum confluxisse.

In eius belli apparatu cum coepisset aegrotare hydrope Traianus, profectus in Ciliciam ibi mortuus est anno aetatis suae sexagesimo quarto, cum imperasset annos decem et novem, menses sex, dies quindecim. Ita cum postremam hanc expeditionem ad Orientem multae calamitates exceperint, etiam in hoc principe cernitur Fortunae inconstantia.

Anno mundi quater millesimo octuagesimo.
Anno urbis Romae octingentesimo, sexagesimo octavo.
Anno Christi centesimo decimo octavo.

Adrianus.

Publius Aelius Adrianus successit Traiano. Tenuit imperium annos viginti, menses undecim, filius Adriani Senatoris, qui consobrinus fuit Traiani, fuitque paterna origine ex oppido agri Piceni *Adria.*

Discedens Traianus ex Syria aeger, regendam eam Adriano dederat. Quare moriente eo cum et exercitus praecipui in iis locis essent, et magna esset autoritas Adriani propter cognationem Traiani, et propter ipsius industriam nemo ei praelatus est. Et adoptatus a Traiano dicebatur, seu vere, seu fingente Plotina, coniuge Traiani, quae amabat Adrianum. Scripsit ad Senatum se non accipere imperium, nisi et Senatus id iussisset.

Initio imperii ut citius Romam venire posset, et provinciae in Oriente tranquilliores essent, cum adhuc in Assyria esset, volens cessit de Assyria, et pacem fecit, contentus veteri limite, et Syriae et aliis provinciis rectores dedit. Ipse Romam venit, ut ibi iudicia restitueret et provincias ordinaret. Et quia Iudaei non desinebant tumultuari, Iulium Severum ex Britannia accersivit, et in Syriam misit, ut Iudaeos opprimeret, qui non ausus magna praelia facere et dimicare cum audacissimis latronibus, traxit bellum. Interea vires Iudaeorum confirmatae sunt.

Ut autem propter religionis speciem et plures concurrerent, et cresceret audacia, dux seditiosorum tribuit sibi titulum *Messiae*, et ut alluderet ad vaticinium: Orietur stella ex Iacob, nominatus est Ben Cochab, id est, filius stellae. Alii scribunt Barchobab, quod prorsus idem est. Nam et *Ben* et *Bar* significant Filium. Hic annos aliquot in ipsa Iudaea tenuit quinquaginta castella et nongentos et octoginta vicos, et muniit oppidum Bethoron, situm in Beniamin et Ephraim, quod olim et Salomon munierat. Ex ea arce cum eruptiones facerent, saepe Romanos profligarunt. Sed rediit in Syriam Adrianus, et oppidum Bethoron obsedit annos tres et sex menses. Ibi cum multi in praeliis interirent, et plures fame et pestilentia morerentur, tandem oppidum vi captum est, et interfectus est dux seditionis Bencochab, quem postea Iudaei nominarunt Bencozba, id est, filium mendacii, quod falso iactitasset se Messiam esse, et recuperatorem Iudaeae.

Numerus interfectorum scribitur fuisse, quinquies C. millia hominum. Alii qui pestilentia et fame perierunt, non potuerunt numerari. In hoc bello potentia Iudaeorum, quanta reliqua fuit fracta est, et exemplum propositum est dignum consideratione, quod ostendit, quales furores sint in impiis a Deo abiectis, cum fatalibus poenis urgentur. Et simul monet, ne falso praetextu religionis seditiones moveantur, sicut nostro tempore fecerunt Anabaptistae Monasterienses, quorum rex vere fuit Ben Cosba, id est, filius mendacii.

Iudaei ipsi hanc historiam atrocissime narrant, et dicunt bellum hoc continuatum esse sex annos. Ipse Adrianus scripsit ad Senatum Romanum, ne hanc victoriam parvo labore partam existimarent: et ad pacem Orientis scirent plurimum conducere huius seditionis oppressionem.

Nec tantum Romanis, sed etiam Christianis fuit hostis ille Bencosba. Ubicunque enim occasio fuit, crudelissime interfecit Christianos in Palaestina. Cum igitur postea Adrianus pelleret Iudaeos, distinxit ab eis Christianos: et cum in Ierosolymae ruinis rursus aedificari urbem sineret, quam nominavit a suo nomine *Aeliam*, concessit ut ibi Christiani habitarent. Fuitque primus Episcopus ibi *Marcus*, non ex Iudaeis parentibus natus. Adeo igitur tunc mutata est urbs Ierosolyma, ut nec ritus nec cives Iudaeos, nec nomen vetus retinuerit, ut clare conspici posset,

deletam esse politiam Iudaicam, et Deum nolle eam restitui.

Haec Iudaica historia in vita Adriani praecipue digna est consideratione. In ipso vero quae magnitudo ingenii, eruditionis, industriae et consilii fuerit, legatur apud alios. Studia doctrinarum intellexit et ornavit. Removit a munere docendi parum idoneos, datis alimentis, et magis idoneos praefecit. Certavit cum doctis scribendo et disputando. Quotannis sibi scripsit ipse praedictiones astronomicas, respondit et inepte iocantibus. Quidam Poëta versus ei exhibuerat:

Ego nolo Caesar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Huic mox respondit, deridens eius cynicam simulationem:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Moriturus pronunciavit hos versus:

Animula vagula blandula,
Hospes comesque corporis,
Quae nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut soles dabis iocos.

Talis est querela et dubitatio in mentibus non confirmatis luce doctrinae Christianae. Mortuus est anno aetatis suae 63. Ossa condita sunt in mole Adriani, quae nunc Romae est *Arx sancti Angeli.*

Anno mundi quater millesimo, centesimo primo.
Anno Romae octingentesimo octuagesimo nono.
Anno Christi centesimo tricesimo nono.

Antoninus Pius.

Antoninus Pius adoptatus ab Adriano tenuit imperium annos viginti tres. Solus omnium principum sine civili sanguine fuit. Senatus autoritatem plurimi fecit. In iudicando Iurisconsultos adhibuit, Ulpianum, Marcellum et Iabolenum. Stipendia literarum et Philosophiae doctoribus etiam in provinciis attribui constituit. Nemini bellum intulit, sed inferentes repressit, ac in limitibus nominatim scribuntur repressi Daci et Alani. Saepe repetivit dictum Scipionis: Malle se unum civem servare, quam mille hostes occidere. Facete dicta etiam placide tulit. Ingressus in domum amici cum ibi vidisset porphyreticas columnas, interrogavit unde allatae essent? Respondit paterfamilias: In aliena domo surdum et mutum esse decet, id est, Nec fabellas efferentem, nec curiose sciscitantem aliena, nec petacem. Delectatus est imperator hac libertate. Mortuus est anno aetatis suae septuagesimo.

M. Antoninus Philosophus.

M. Aurelius Antoninus Philosophus successit Antonino Pio, volente Senatu. Tenuit imperium annos decem et novem, dies undecim. Initio imperii collegam fecit fratrem *L. Verum.* Ac primum tunc regnare *duo Augusti* pari potestate ceperunt.

Sciendum est autem, non fuisse eos natura fratres, sed adoptione. Et ut discerni familiae possint, sciendum est ab Adriano adoptatum fuisse initio Aelium Verum, quo mortuo ante ipsum, deinde adoptavit Antoninum Pium.

Aelius Verus. | *L. Verus,* natus ex Aelio Vero.	*Antoninus Pius* adoptavit Marcum Antoninum Philosophum, natum ex fratre uxoris Antonini Pii, videlicet ex Annio Vero. Adoptavit Pius et L. Verum, filium Aelii Veri.

Mores collegarum dissimiles fuerunt. L. Verus voluptatibus deditus fuit, sed Marci virtus texit vitia Lucii, et moderatione ac patientia Marci concordia retenta est, sicut inter dissimiles non potest retineri concordia, nisi alterius sapientia et sanet et ferat deteriorem.

Mota et repressa est saevicia adversus Christianos Marci tempore, ut postea dicam, sed in omnibus aliis partibus gubernationis princeps optimus fuit, sapiens, iustus, modestus, beneficus, amans et intelligens doctrinarum. Nec infoeliciter gessit bella. Extat eius laudatio insignis, et digna memoria apud Dionem, his verbis: *ὅμοιος διὰ πάντων ἐγένετο: καὶ ἐν οὐδένι ἠλλιώθη. Ἀγαθὸς δὲ ἦν, καὶ οὐδὲν προςποίητον εἶχεν Παμπόλλα δὲ καὶ ὑπὸ παιδείας ὠφελήθη.* Sunt autem duae egregiae virtutes in magnis et in parvis: constantia in perferendis adversis, quae ferre necessaria causa est, et misericordia erga cives, ubi decet leniri asperitatem, ut, Cyrus, Scipio fuerunt firmi adversus hostes pertinaces, misericordes erga cedentes, iuxta dictum:

Parcere subiectis, et debellare superbos. Quia iusticia et beneficentia sunt necessariae virtutes. Has etiam praedicat in Antonino Dion his verbis: ὁ δὲ Μάρκος ἄτεγκτος ὤν, οἷος ἅπασι τοῖς ἀνιαροῖς ἀντέχειν, ᾤχετο φερόμενος ὑπὸ τῶν παθῶν ἐς τὸ ἀνθρώπινον. Accessit ad auditoria Philosophorum, etiam cum esset imperator, egressus annum quinquagesimum. Et cum sumptuarias leges ferret, non caruit obtrectatoribus, qui calumniose interpretati sunt eius severitatem, et dixerunt eum tyrannidem exercere praetextu Philosophiae, sicut usitatum est rectissimas voluntates calumniis lacerare.

Extat liber M. Antonini de seipso, qui et recens editus est. In eo libro sunt commonefactiones de virtutibus principi necessariis: de iusticia, de beneficentia, de patientia in ferendis iniuriis, ne maiora mala oriantur, iuxta dictum Periandri: μὴ ἰῶ κακὸν κακῷ. Bella gessit praecipua quatuor. Oppressit seditiones in Britannia. Cattos depulit a Rhetia et compescuit. Adversus Parthos misit fratrem L. Verum, qui mansit Antiochiae indulgens voluptatibus. Sed duce Cassio Parthi repressi sunt, et facta est pax hac conditione, ne in Syriam Parthi transirent.

Maius autem bellum fuit, ad quod ipse cum fratre profectus est, adversus *Marcomannos* et *Quados*. Nec vero dubium est, Marcomannos fuisse eos, qui nunc Moravi dicuntur, et vicinos aliquos: quia Ptolemaeus expresse inquit, fuisse Boiemiae limites *Sudetes montes*, qui sunt iuga versus Meridiem, Voitlandos et Mysos: Et e regione *sylvam Gabretam*, id est, altitudinem latam. Et sub ea sylva fuisse Marcomannos, ubi nunc est *Moravia.*

Vicini Marcomannis fuerunt *Quadi*, videlicet Silesiae pars, et regio inter Vratislaviam et Cracoviam, et ad Carpathum. In hoc limite imperii semper bella difficilia Romani gesserunt. Tunc vero ad alias difficultates accesserat tanta siccitas, ut milites et equi siti perirent. Erat autem in exercitu Romano Christiana legio, quae nomen habebat a *Melite*, ubi Paulus semina Evangelii sparserat. Haec legio non solum ferro, sed etiam precatione praeliabatur: et cum publicam precationem indixisset, qua peteretur pluvia et bonus exitus belli, mox ingens tempestas orta est, in qua simul Deus et largam pluviam Romano exercitui dedit, et crebra fulmina contra Quados iaculatus est. Hac victoria precibus Christianorum parta imperator huic legioni nomen dedit Κεραυνόβολος, id est, fulminatrix. Hoc exemplum memoria dignum est, quia ostendit legitimam militiam Deo placere, et Deum propter Ecclesiam imperiis saepe benefacere, sicut benefecit Cyro, Constantino, Theodosio propter Ecclesiam, ut scriptum est: Si quis dederit potum aquae uni ex minimis meorum, habebit mercedem, sicut exemplum viduae Sareptanae ostendit. Ac post hanc victoriam M. Antoninus decreta contra Christianos edita abolevit.

In bello Marcomannico biennium consumptum est. Fuitque mentio inter socias gentes Hermundurorum et Nariscorum. Certum est autem, Hermunduros esse, qui nunc superiora loca in Mysnensi regione tenent. Nariscos esse Voitlandos et proximos vicinos, facta appellatione a Norico.

In reditu ex bello Marcomannico collega L. Verus mortuus est apoplexia. *Marcus* cum superstes fratri fuisset annos octo, mortuus est anno aetatis suae sexagesimo primo.

Horum imperatorum tempore crevit Ecclesia, non solum multitudine, sed etiam eruditorum numero: quia principes eruditi fuerunt multi. Ad eos scripserunt apologias pro Christianis Iustinus, Aristides, Athenagoras, et alii, fere similibus usi argumentis. In collatione doctrinae Christianae et ethnicae ostenderunt rectius sentire Christianos, unum esse Deum, omnium creaturarum conditorem: et improbaverunt turbam Deorum, quam finxerunt Ethnici. Ostenderunt et leges Christianorum de castitate et coniugiis honestas esse, et improbaverunt libidinum confusiones, quas Ethnici admittebant et probabant. Improbaverunt et gladiatorum pugnas, in quibus per ludum homines interficiebantur. Et hac demonstratione damnarunt ethnicas opiniones et superstitiones, quod impossibile sit, esse coetum Deo placentem, qui probet legem contrariam legi naturae. Iustinus etiam tempora confert, et ostendit doctrinam Christianam antiquiorem esse ethnica, et historiam Mosaicam vetustiorem Graecis esse. Inde et dictum est Tertulliani: *Primum quodque verissimum est.*

Tempore M. Antonini Romam venit et Polycarpus Smyrneus Episcopus, Iohannis Apostoli auditor, ac vidit ibi et refutavit Marcionem haereticum, et multos ab eo seductos ab errore revocavit. Cum Marcion ei obviam factus interrogas-

set, an se agnosceret. inquit ille: *Agnosco primogenitum Diaboli.* Nam quaestio de causa Mali tunc quoque ingentia certamina peperit. Marcion constituit duo principia, pariter aeterna, inter se pugnantia, videlicet duos Deos, quorum alterum dixit esse causam peccati, sicut postea Manichaei nominarunt *ὕλην,* et ortos ab hoc principio dixerunt non posse converti ad bonum. Alterum dixit esse bonum, quod Manichaei nominarunt Lucem, et dixerunt ortos a luce non posse damnari, quidquid faciant: ac stoicam necessitatem in bonis et malis constituerunt.

Haec tetra deliramenta late sparsit Marcion in Asia, et Romae: quae nata sunt ex stoicis disputationibus de Necessitate, quae eo sunt perniciosae moribus, quia cum fundamentum hoc positum est, Omnia necessario fieri, diligentia abiicitur regendi mores, et accedit aut desperatio, aut in securis confidentia. Si quis cogitat, se ab *ὕλη* ortum esse, non expetit conversionem.

Ut autem et species inusitatae sanctitatis offunderetur hominum oculis, Marcion prohibuit coniugium: et tamen ipse Diaconi in Cypro coniugem abduxit, quae postea reversa ad maritum narravit magnam turpitudinem istius sectae.

Talia fuerunt certamina in illa aurea aetate primae Ecclesiae, mox post Apostolos. Polycarpus supplicio affectus est Smyrnae, tempore M. Antonini, anno sexagesimo post Iohannis Apostoli mortem, cum quidem diceret, se octuaginta sex annos Deo servire. Audivit igitur Iohannem anno decimo sexto aetatis suae, aut circiter. Doctrinam fuisse Polycarpi eam, quae recitatur in Irenaeo, non dubium est, nec alia fuit Iohannis: et quidem cum voce Ecclesiarum nostrarum plane congruit Irenaeus.

Anno mundi quater millesimo, centesimo, quadragesimo tertio.
Anno Romae nongentesimo tricesimo primo.
Anno Christi centesimo octuagesimo secundo.

Commodus.

Commodus successit patri, M. Antonino Philosopho. Regnavit annos duodecim et menses novem, a prima statim pueritia turpis et crudelis. Videturque Romanae monarchiae tempus a Iulio usque ad M. Antoninum Philosophum velut *ἀκμή* fuisse. Postea plurima tetra monstra regnarunt, sequutae sunt assiduae seditiones, et multa bella civilia: Nobilitas deleta est partim a tyrannis, partim in bellis civilibus: Exercitus ex barbaris gentibus collecti: Disciplina vetus extincta, Magistratuum et militum in provinciis rapacitas et libidines creverunt.

Cum autem tantas in genere humano confusiones intuemur, deploremus miserias humanas, et cogitemus simul, non tamen universum genus humanum tantum ad haec horrenda mala nasci: sed vere filium Dei missum esse, ut inde Ecclesiam aeternam excerpat, cuius efficiamur cives: et protegi ac servari nos in ea petamus, sicut Israëlitae servati sunt intra domos, quarum limina sanguine *Agni* conspersa erant.

Haec breviter dicere malui, quam horrenda flagitia Commodi recitare: Qui cum multos Senatores et alios iniuste interfecisset, tandem per Praefectum praetorio Letum et concubinam Martiam strangulatus est.

Interea tamen crevit Ecclesia. Nam sub Commodo scribunt magnam frequentiam fuisse collegii Alexandrini: et floruisse eo tempore interpretes doctrinae propheticae et apostolicae, *Pantaenum*, et *Clementem*, qui narrat se fuisse auditorem Pantaeni. Dicitur autem Pantaenus postea Evangelium docuisse in India, ac fuisse plures tunc, qui nominabantur *Evangelistae*, id est, quorum singuli Evangelium in multis provinciis docebant. Unde intelligi potest, quid Paulus nominaverit Evangelistas, cum discernit eos a Prophetis, Apostolis, Pastoribus et Doctoribus.

Clementis libri extant, in quibus refutationes sunt Ethnicorum, Iudaeorum, et multorum Haereticorum, quorum plaerique doctrinam similem anabaptisticae sparserunt, et addiderunt furores superiorum, de duobus principiis contrariis, et pariter aeternis, Bono et Malo, et contenderunt in Christo tantum esse humanam naturam: prohibuerunt certos cibos: iusserunt omnia in commune conferri: Alii coniugia prohibuerunt: alii promiscuos concubitus approbaverunt.

Narrat de prohibitione coniugii haereticos citasse colloquium *Christi* et *Salomes*, quod ait in Evangelio Aegyptiorum scriptum esse. Interroganti Salome, quando venturum esset regnum Dei, respondet Christus: *Cum cessabit opus mulieris.* Inde ait Clemens haereticos argumentatos esse, desitura coniugia postquam Christus natus sit, et iam inchoata sit Evangelii praedi-

catio. Tales ludi sunt haereticorum, detorquere dicta in peregrinas sententias. Christus nominat *opus mulieris*, scilicet Hevae, peccatum et mortem. Illi generationem interpretati sunt, quae est opus *Dei*, institutum ut fiat copulatione Maris et Foeminae.

Sic et definitionem iusticiae male detorsisse eos narrat. *Δικαιοσύνη ἐστὶ κοινονία θεοῦ μετὰ ἰσότητος.* Ergo omnes omnium rebus et uxoribus aequaliter utantur. At definitio, si non reiicienda est, loquitur de aequalitate ordinata lege Dei, quae dicit: Non moechaberis: Non furtum facies. Talis sit aequalitas, qualis lege ordinata est.

Caeterum ipsa definitio si non insulse enarretur, legalis est, non evangelica, quia non facit mentionem mediatoris, sed loquitur de effectu, videlicet de novitate iuxta primam et secundam tabulam Decalogi. Novitas iuxta primam tabulam est communicatio, qua se Deus nobis communicat, id est, qua fulget in nobis, recte agnoscitur, et accendit in nobis verbo timorem, dilectionem, fiduciam Dei, etc. Deinde in secunda tabula iusticia est aequalitas, id est, dilectio proximi ordinata lege Dei. Haec interpretatio congruit cum Osiandrica definitione, de iusticia *essentiali.* Necesse est autem prius teneri definitionem iusticiae fidei, qua propter mediatorem persona placet Deo per misericordiam, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus.

Haec de libris Clementis breviter dixi, ut sciant iuniores, contineri in eis et historias, et disputationes aliquas consideratione dignas.

Anno mundi quadringentesimo, centesimo, quinquagesimo sexto.
Anno Romae nongentesimo, quadragesimo quarto.
Anno Christi centesimo nonagesimo quarto.

Pertinax.

Pertinax successit Commodo interfecto. Regnavit menses duos, dies viginti quinque, natus libertino patre, docuit Grammaticam. Postea factus miles virtute crevit. Rexit Rhetiam, Noricum, Mysiam et Daciam. Et quia Praefectus urbis erat, interfectores Commodi ut defensionem haberent, imperium ad eum detulerunt. Mox et a Senatu appellatus est Imperator. Sed cum milites praetorianos, qui Commodi tempore infinitam licentiam habuerant, coherceret, venit in odium, et ab ipso Leto Praefecto praetorio, qui eum imperatorem fecerat, interfectus est, anno aetatis sexagesimo primo.

Didius Iulianus.

Cum autem in illa seculi turpitudine nec in principibus autoritas esset, nec in militibus modestia, Sulpicianus Praefectus urbis et Didius Iulianus palam et impudenter mercati sunt imperium. Sulpicianus promisit singulis Praetorianis quingentos coronatos, videlicet sestertia viginti. Iulianus promisit sexcentos coronatos et viginti quinque, videlicet sestertia viginti quinque. Ita vincit Iulianus, qui tenuit imperium duos menses et dies quinque. Cumque esset heluo et aleator, nec daret promissa militibus, statim venit in odium. Et alibi exercitus in Pannonia imperatorem appellavit *Severum*, cuius fuit excellens ingenium et virtus. Inde civile bellum ingens ortum est inter Severum et Pescennum Nigrum, Syriae rectorem, et Clodium Albinum, Britanniae rectorem, quos significarunt Parelia in primo sacrificio Iuliani conspecta.

Anno mundi quater millesimo, centesimo quinquagesimo septimo.
Anno Romae nongentesimo, quadragesimo quinto.
Anno Christi centesimo nonagesimo quinto.

Severus.

Severus imperator successit interfecto Iuliano. Regnavit annos octodecim. Natus fuit in urbe Aphricae Lepti equestri loco, Romae educatus a M. Antonino Philosopho. Propter industriam primum Quaestor in Betica factus est. Deinde quatuor legionibus praepositus est in Hispania. Postea Lugdunensem provinciam magna cum laude rexit. Deinde Pannoniam et Germaniam. Cum interfectus esset Iulianus, Romam accessit, et honorifice a militibus et a Senatu exceptus est, et Imperator appellatus.

Scribit Dion, se nullam vidisse splendidiorem pompam, quam ingressum eius in urbem Romam. Ubi cum ad portam venisset, descendens de equo pedes accessit ad Capitolium. Deinde milites qui Pertinacem interfecerant exautoratos expulit ex imperio. Interfecit et Letum Prae-

fectum praetorio, qui autor fuerat necis Commodi et Pertinacis. Iudicia restituit, et pace in Occidente constituta, in Orientem profectus est contra Pescenium Nigrum, qui a Syriaco exercitu imperator adpellatus erat. Cum hoc vetus ei amicitia in Gallia fuerat: et non defuit virtus Pescenio. Vicit autem tribus magnis praeliis Severus. Primo ad Cizycum. Deinde ad Niceam. Tertio ad Issum in Cilicia, ubi Darium vicit Alexander. Cumque in exercitu Pescenii viginti millia trucidata essent, fugiens Pescenius Antiochiam ibi interfectus est, et caput pilo infixum circumlatum est.

Initio belli occupaverat Pescenius Byzantium, quod Severus obsidione cinxit totum triennium: Ac defensum est tanta pertinacia, ut ad *humanas carnes* ventum sit. Tandem vero cum Byzantii et fame et tempestatibus coacti deditionem facerent, Severus iussit demoliri muros. Ita urbs a Carthaginensibus condita, et quae diu floruerat, deleta est. Nam a Philippo Macedone (quanquam urbs multo vetustior est) ad Severum imperatorem, sunt anni circiter quingenti. Postea a Constantino instaurata est. Intervallum a Severo ad instaurationem sunt anni centum et amplius triginta.

Cum autem Severus iam maximam Romani imperii partem teneret, rediens in Italiam, bellum movit adversus *Albinum*, quem antea collegam fecerat. Rexerat Britanniam Albinus, et Frisios domuerat, ac propter nobilitatem Romae Senatoribus carus fuit. Fitque primum in historia Romana Frisiorum mentio in rebus gestis huius Albini. Obiecit autem Severus Albino, quod societatem non bona fide coluisset. Vicit Albinum ad Lugdunum magno praelio, in quo ipse Severus ictus de equo decidit, et extinctus putabatur. Victor Albini caput praecisum Romam misit. Deinde solus tenens imperium magnam crudelitatem exercuit. Interfecit adversariorum amicos, et multos alios praedae causa. Uxorem habuit primam Martiam, quam Romae duxit tempore M. Antonini, ex qua ei filius natus est Bassianus. Hac mortua noluit uxorem ducere, nisi quae haberet regiam *γένεσιν*, ut fuit studiosus et peritus Astrologiae. Duxit igitur in Syria Iuliam, ex qua natus est alius filius Geta, quem, ut postea dicemus, interfecit frater Bassianus.

Postremam expeditionem Severus in Britanniam suscepit, ubi mortuus est Eboraci. Vixit annos sexaginta quinque, menses novem, dies viginti quinque. Moriturus deplorans humanas miserias dixit: *Omnia fui, et nihil mihi prodest: Πάντα ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ.*

Filiis misit legendam Micipsae orationem, quae extat apud Salustium, in qua haec sunt verba: *Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur.*

Apud Dionem haec de eo verba sunt: Erat corpore robustus, nisi quod senex podagra laboravit, acies mentis fuit acerrima et validissima, doctrinas appetivit et intellexit, nec tamen garrulus fuit. Non ingratus amicis, sed adversus inimicos acerrimus. Intentus in ea quae agenda erant, nihil morabatur fabellas et rumusculos, qui de ipso spargebantur.

In eius historia exemplum est insigne aulici *Plauciani*, qui summam potentiam nactus, postea ea abutitur; et a domino tollitur.

Plaucianus enim Afer ex tenui loco evectus est ad summam potentiam et maximas opes a Severo: adeoque carus ei fuit, ut filiam eius dederit Severus Bassiano. Sed scribit Dion de Plauciano: Omnia concupiscebat, omnia petebat, omnia accipiebat, nec gentem, nec urbem ullam relinquebat non spoliatam, sed omnia et undecunque rapiebat. Caeterea magis tetra omitto. Talis cum esset, non potuit diuturna esse foelicitas. Sed primum hoc furore punitus est, ut vitae Severi et Bassiani insidias strueret, quibus deprehensis Plaucianus a Severo in Palatium vocatus ibi interfectus est: et cadaver monstratum Iuliae ut laetaretur, et filiae Plauciani, ut dolore adficeretur. Hic fuit exitus hominis aulici, qui fiducia potentia suae nimiam licentiam sibi sumpserat, oblitus huius praecepti: Fortunam reverenter habe, quinque repente Dives ab exili progrediere loco.

Exercuit Severus etiam saeviciam contra Christianos, in qua *Leonides* pater Origenis propter confessionem supplicio adfectus est, qui quidem filium magna cura doceri curavit.

Est igitur Origenes factus catechetes in Alexandrina Ecclesia, agens annum decimum octavum. Variam historiam continet tota eius vita, quae legatur apud Eusebium.

Iuniores hoc studii et diligentiae exemplum meminerint, quod linguam Ebraeam studiose didicit, et interpretationes contulit. Opus igitur contexuit, quod nominavit ἕξαπλον, id est, distinctum in sex lectiones seu columnas.

Prima erat Ebraea, scripta Ebraeis literis.

Secunda Ebraea, scripta Graecis literis.

Tertia, Graeca interpretatio septuaginta interpretum.

Quarta Aquilae.

Quinta Symmachi.

Sexta Theodotionis.

Hoc modo voluit et linguam Ebraeam conservare: et consideratis interpretationibus eligi maxime propriam: Hi libri in Ierichunte adservati sunt, quorum similes adhuc Hieronymi tempore reliquos fuisse apparet, quia saepe recitat illorum interpretum verba. Tales libri non sine magno sumptu, et multorum collatis operis adornari potuerunt. Quare inde illius temporis liberalitas in iuvandis studiis aestimetur.

De *Doctrina* Origenis olim quoque magnae contentiones fuerunt. Sed non multa ipsius scripta ad nos pervenerunt: Quae in Latinam linguam conversa sunt, apparet mutila esse, et non recte consuta. Potest etiam fieri, cum tam multa scripserit, ut non semper fuerit intentus, sicut dicitur: *χωρὶς τάδε, εἰπεῖν πολλὰ, καὶ τὰ καίρια,* et manifestum, est eum in enarratione Epistolae Pauli ad Romanos scriptae saepe errare.

Hoc notum est, fuisse eum immodicum in *Alegoriis,* quod ita accidit: Cum Ethnici deriderent Mosaica scripta propter ritus de cibis et sacrificiis, Origenes tradidit interpretationes allegoricas, ut reconditam sapientiam continere viderentur, sicut Pythagorae dicta, aut poëmata. Verum est autem, umbras aliquas in ritibus traditas esse, quae aliud significant. Ut, *agni mactatio*, significat Christi mactationem. Cum Psalmus dicit: Asperges me Domine hysopo, et mundabor, Hysopus tincta in sanguine vituli, significat ibi sanguinem filii mediatoris. Arca in adyto templi significat Ecclesiam, quae est custos doctrinae a Deo traditae, sicut in arcam tabulae Decalogi collocatae erant. Sed talium figurarum oportet concinnam accommodationem ad res significatas fieri, oportet etiam modum esse.

Sed Origenis tempore gustata harum picturarum dulcedine hic ludus nimium crevit. Cum enim solus homo habeat naturam imitatricem, usitatum est nova, et praesertim admirabilia, ut in vestitu imitari. Quare aetas illa nimium delectata est allegoricis picturis, et amisit principalem doctrinam.

Ideo Epiphanius et multi alii reprehenderunt scripta Origenis, et monuerunt, non omnia in Allegorias transformanda esse, sicut erudite inquit Epiphanius: *τὰ ῥήματα θεοῦ οὐ πάντα ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλ' ὡς ἔχει θεωρίας δὲ δεῖται, καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν,* hoc est: Verba Dei non omnia indigent allegoriis, sed sicut se habent. Indigent autem speculatione et sensu, ad sciendam cuiuslibet rei substantiam: nam in articulis fidei, in lege morali, et in promissione gratiae, necesse est retineri nativam verborum significationem. In aliis materiis, ut in ritibus, picturae sunt, quae aliud significant. Et tamen iudicio opus est, ubi etiam verborum proprietas retineatur.

Ait autem Epiphanius, *speculatione* opus esse, id est, Grammatica et Dialectica, videlicet consideratione phrasis, collatione locorum, definitionibus, distinctionibus et iusta consequentia in argumentis.

Ait et *sensu* opus esse, id est, experientia monstrante vocabula, ut, Experientia ostendit, quid significent, Vita, Mors, Dolor, Timor, Consolatio, Laeticia, Fides etc.

Haec de Origene ideo breviter dixi, ut iuniores discernant materias: et considerent, ubi allegoriae locus sit. Quia non omnia in allegorias transformanda sunt.

Anno mundi quater millesimo, centesimo, septuagesimo quinto.
Anno Romae nongentesimo sexagesimo tertio.
Anno Christi ducentesimo decimotertio.

Antoninus Bassianus.

Antoninus Bassianus Caracalla, Severi filius ex prima coniuge Martia, regnavit annos septem. Nomen *Caracallae* habuit a figura vestis, qua et ipse usus est, et cuius similes militibus et populo donavit, crudelissimus et incestus. Initio imperii fratrem Getam natum ex Iulia, quem pater voluerat fratris collegam esse, interfecit pendentem de collo matris Iuliae, et clamantem: *Mater, opem fer mihi, interficior.* Ac mater non tantum sanguine filii respersa est, sed etiam

vulnus in manu accepit. Haec tamen postea privigno Bassiano nupsit, et quidem invitans eum. Cum enim quasi per negligentiam coram eo nudasset sinum, et ille diceret: *Vellem si liceret*, illa contra ait: *Si libet licet. An nescis te imperatorem esse, et leges dare, non accipere?* Publice igitur eam duxit, et uxoris loco habuit. Quare et postea Alexandrini eam *Iocastam*, et ipsum nominarunt *Oedipum*, sed huius ioci magnas poenas dederunt. Trucidavit enim in urbe Alexandria Bassianus multa millia civium.

Romae iniuste plurimos Senatores et alios interfecit, et inter hos *Papinianum* Iurisconsultum Praefectum urbis, docentem ius, quod excusare necem Getae noluit. Cum enim iussus esset eam excusare, recusans respondit: *Non tam facile est excusare parricidium, quam facere.* Haec fortitudo necessaria est, malle mori, quam defendere iniustam causam.

Cum vellet Bassianus in omnibus rebus imitator esse Alexandri, scholas Aristotelicas Alexandriae abolevit, et libros Aristotelis comburere conatus est, dicens Aristotelem invisse consilium mittendi venenum ad necandum Alexandrum.

Venit in Galliam, ubi Proconsulem Narbonensem et multos alios Magistratus occidit. Inde accessit Rhetiam, et trucidatis aliquot millibus Germanorum nominavit se *Germanicum*. Satellites etiam multos ex Germanis sibi delegit. Postea transivit in Asiam, et movit bellum Parthicum, ubi cum multa turpiter et crudeliter fecisset, consilio Macrini Praefecti praetorio, a satellite Marciali, cuius fratrem interfecerat, occisus est.

Cadaver missum est Novercae et uxori Iuliae, quae Antiochiae erat. Illa supra corpus Bassiani iacens sibi mortem conscivit. Hic fuit exitus incestae consuetudinis. Vixit Bassianus anno quadraginta tres.

Anno mundi quater millesimo, centesimo, octuagesimo secundo.

Anno Romae nongentesimo, septuagesimo.

Anno Christi ducentesimo vicesimo.

Popilius Macrinus.

Popilius Macrinus, Praefectus praetorio, post Bassiani necem factus est imperator ab exercitu, qui in Assyria erat, ne milites tam procul ab Italia sine principe essent. Regnavit menses quatuordecim. Fuit libertinus, et factus est tabellio sub Commodo. Fecit Caesarem filium Diadumenum.

Initio imperii sibi et Reipublicae consulens pacem emit a Parthis data pecunia. Deinde Antiochiae ludis deditus, venit in odium militum propter asperitatem et tenacitatem.

Inter caetera eius facta hoc narratur: Cum duo milites hospitam vi compressissent, inclusit eos in duos boves, exertis capitibus ut colloqui possent, donec extincti sunt.

Quia autem Bassiani memoria grata fuit militibus, et filius Bassiani dicebatur in Syria esse, qui postea nomen habuit Heliogabali, exercitus pecunia corruptus ab avia Heliogabali ad eum defecit, et mox seditionem movit adversus Macrinum, qui post infoelicem pugnam fugit in Bithyniam. Ibi cum audivisset filium Diadumenum interfectum esse, latitans in suburbano quodam Macrinus et ipse interfectus est.

Hic fuit exitus eius, cum non multo ante scripsisset ad Senatum Romanum, se nolle imperium accipere, nisi volente Senatu, quia multi mallent interfici imperatores, quam vivere non potiti hoc summo fastigio honorum; quod et ipsi accidit.

Etsi autem totam *Heliogabali* mentionem prodesset deletam esse ex omnibus monumentis, propter horrendam spurciciem, tamen stirps recitatur propter Alexandrum Severum, quia ex eadem stirpe turpissimum monstrum et honestus princeps nati sunt.

Iulia, nupta Severo et deinde Bassiano, de qua supra diximus, sororem habuit *Maesam*, quae Romae apud Iuliam diu vixit.

Haec Maesa filias duas habuit. Alterius nomen est Soaemis, alterius Mammaea.

Soaemis consuetudinem habuisse cum Bassiano dicitur, cum Romae adolescens esset. Inde natus dicitur hic Heliogabalus.

Avia et mater sequutae Bassianum cum Iulia, redierunt ad urbem Emesam in Syriam.

Ibi et Mammaea vixit, nupta viro nobili *Vario Marcello*. Ex hoc Vario et Mammaea natus est Alexander Severus. Fuerunt igitur sororum

filii duo dissimilimi cognati, Heliogabalus et Alexander Severus.

Sorores	
Iulia nupta Severo, deinde Bassiano.	*Maesa.*
	Filiae.
Soaemis concubina Bassiani.	*Mammaea* nupta Vario Marcello.
Filius Heliogabalus.	Filius Alexander Severus.

Nomen *Heliogabali* est ab idolo, cuius sacerdos fuit hic Soaemidis filius. Fuit autem nomen urbis in Phoenicia *Gebal*, clara artificum industria. Inde nominatum esse idolum existimo, *El Gebal*, id est, *Deum Gebal*. Postea Graeci *El* mutarunt in ἥλιος. Fortassis partim Graeca, partim Syriaca vox est, ἥλιος et *Gabal*, quod significat terminum seu metam, quia sol terminator est, et metas annorum facit, fuitque statua figura trianguli, ut Phoenicum et Chaldeorum idola significarunt multa de astris.

Anno mundi quater millesimo, centesimo, octuagesimo quarto.
Anno Romae nongentesimo, septuagesimo secundo.
Anno Christi ducentesimo vicesimo secundo.

Varius Heliogabalus.

Varius Heliogabalus filius Bassiani ut existimabatur Maesae aviae calliditate et largitionibus factus est imperator. Regnavit biennium et septem menses. Superavit turpitudine omnes, qui in historiis infames sunt propter libidines. Nominatus est Sardanapalus, sed multo fuit contaminatior. Fecit Caesarem consobrinum Alexandrum, persuasus a matre et Mammaea, quae metuebant oppresso isto, imperium perventurum ad alienum. Sed postea misit milites, qui Alexandrum trucidarent. Hoc cum Praetoriani milites rescivissent, qui Alexandri mores probabant, ipsum Heliogabalum in cloaca, in quam fugerat, interfecerunt. Postea tractum per circum carnifices in Tybrim abiecerunt. Deinde et mater Soaemis, et multi scelerum ministri interfecti sunt.

Anno mundi quater millesimo, centesimo octuagesimo septimo.
Anno Romae nongentesimo, septuagesimo quinto.
Anno Christi ducentesimo vicesimo quinto.

Alexander Severus.

Alexander Severus natus ex Mammaea, factus est imperator, consensu Praetorianorum et Senatus. Tenuit imperium annos tredecim, menses tres. Mores fuerunt casti et iusti. Initio imperii mox removit ab officio infames, qui antea sub turpissimo tyranno creverant. Delegit autem ex Senatu et ex doctis viris praecipuos, excellentes sapientia et virtute, quos ad consilia adhibuit, et ad domesticam familiaritatem. Graece eleganter doctus fuit, adeo ut vitas bonorum principum Graeco carmine descripserit. Ex Latinis legit plurimum Ciceronis Officia et libros de Republica. Familiarissimus ei ex omnibus Iurisconsultis *Ulpianus* fuit, quem et cum milites in eum impetum facturi essent, texit sua purpura, et milites repressit.

Nihil fecit asperius toto imperii sui tempore, quam quod fumo necavit Thurinum Verconium, quia solitus esset fumos vendere, id est, fingere responsa imperatoris, accepta pecunia, cum causas nunquam ad imperatorem retulisset, iussitque praeconem clamare: *Fumo punitur qui fumos vendidit.* Compererat enim, saepe eum ab utraque parte pecuniam accepisse. Supplicii exemplum sumptum fuit ab Avidio Cassio. Scribit autem Lampridius, Alexandrum deinceps in cavendis fumi venditoribus cautiorem fuisse, nec passum esse, ut de aliis quispiam male apud se loqueretur. In eos qui corrupti pecunia iniuste iudicaverant, duriter animadvertit, saepe hunc versum recitans: πολλὰ κλέψας, καὶ ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται.

Disciplinam militarem severe rexit, exautorata semel integra legione, et Tribunis militum affectis capitali supplicio. Cum fustibus subiiciebantur milites, qui socios iniuria affecerant, iussit praeconem clamare: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Haec mandata Tribunis militum redit: Si vis Tribunus esse, imo si vivere vis, manus militum contine: Nemo segetes atterat: Nemo salem, oleum, ligna auferat: Nemo ovem alterius rapiat: Annona sua miles contentus sit:

Ex praeda hostium, non ex lacrymis provincialium habeat.

Stipendia constituit non solum docentibus literas et artes, sed etiam discentibus pauperum ingenuorum filiis. In templa aurum inferri vetuit, recitans Persii versiculos ex satyra secunda:

Dicite Pontifices: in templis quid facit aurum,
Quin superis iustos mores, castosque dicamus.

Expeditiones magnas duas suscepit. Priorem versus Orientem contra Persas. Vicit Artaxerxen, qui antea regem Parthorum Artabanum interfecerat, et a Parthis regnum ad Persas rursus transtulerat. Altera expeditio suscepta est versus Occidentem, in Germaniam, ubi cum milites asperius regeret, venit in odium, et quidem matris Mammaeae accusata est avaricia, quae dicebatur expilare provincias, et impedire liberalitatem filii erga milites.

Erat autem barbarus Thrax inter duces *Maximinus*, ad quem deferebatur imperium. Hoc duce milites seditiosi Moguntiae Alexandrum cum matre Mammaea trucidarunt. Vixit annos viginti novem, menses tres, dies septem; mortuus die suo natali, qui fuit dies mortis Alexandri Magni, videlicet 28. Iunii.

Inter signa, quae mortem eius praecesserunt, fuit hoc quoque: Mulier fatidica in Gallia ex sacerdotum familia qui Druidae nominabantur, proficiscenti in Germaniam dixit: *Vade, nec speres victoriam: nec confidas militi tuo.* Fuerunt autem *Druidae* sacerdotes gentis Gallicae, nominati, ut ego existimo, a fidelitate, quasi dicas, die Trewen.

Anno mundi quater millesimo, ducentesimo.
Anno Romae nongentesimo octuagesimo octavo.
Anno Christi ducentesimo tricesimo octavo.

Maximinus.

Maximinus occiso Alexandro filio Mammaeae natus in Thracia infimo loco, factus est, imperator sine Senatus autoritate. Regnavit annos tres. Filium Maximinum Caesarem fecit. Cum Pastor in Thracia fuisset, Romam venit Severi tempore, ubi propter robur corporis, cum cursu pedes aequaret currentem Severi equum, receptus est inter custodes corporis Severi. Postea sub *Bassiano* Tribunus militum factus est. Sub Macrino rediit in patriam, et ditatus praedia emit. Sub Heliogabalo Romam rediit, sed sub tali portento militare noluit. Postea sub Alexandro rursus Tribunus factus tanto in honore fuit, ut Alexander sororem filio ipsius coniugem dare voluerit, nisi mater soceri crudelitate deterrita fuisset.

Cum imperator factus esset, non solum in milites in castris crudelitatem exercuit, sed etiam Romae delatos Senatores cito multos interfecit, et multis facultates eripuit. Ac alii eum Cyclopem, alii Busiridem, alii Anteum propter saeviciam nominarunt.

Cum igitur in Africa procurator fisci, quem ipsi eo miserat, propter rapacitatem interfectus esset, exercitus qui ibi erat, senem nobilissimum, materna origine a Traiano ortum, *Gordianum*, propter iusticiam imperatorem fecit, recusantem, quia iam octogenarius erat. Erat autem tanta iusticia et modestia eius, ut Africanae civitates sibi Scipionem aut Lelium redditum dicerent. Oppressi sunt tamen Gordiani duo pater et filius a Capelliano duce Maximini. Sed Romae Senatus eum iudicavit hostem, et imperatorem fecit Gordianum Tertium, adiunctis duobus Consularibus: Pupieno Maximo Praefecto urbis, et Celio Balbino. Maximinus iratus Senatui et Romam ducturus exercitum, in via retinetur ad Aquileiam, quae eum recipere noluerat. Hanc cum obsideret cum filio, et fames in castris esset, milites cognita voluntate Senatus, medio die quiescentum in tentorio Maximinum patrem et deinde filium interfecerunt. Hos versus in theatro coram ipso Graece quidam recitavit, significans eum crudelitatis poenas daturum esse, quantumlibet confideret suo robore.

Elephas grandis est, et occiditur,
Leo fortis est, et occiditur,
Tigris fortis est, et occiditur.
Cave multos, si singulos non times.

Cum autem Graece loquentem non intelligeret Maximinus, et interroganti alia sententia diceretur, evasit Mimus sine supplicio.

Anno mundi quatermillesimo, ducentesimo tertio.
Anno Romae nongentesimo, nonagesimo primo.
Anno Christi ducentesimo, quadragesimo primo.

Gordianus Tertius.

Gordianus Tertius interfectis Maximinis ad Aquileiam, et Romae occisis in seditione militari

Balbino et Pupieno, imperare coepit anno aetatis suae sedecimo. Regnavit annos sex. Vixit annos viginti duos, amans iusticiae, pudicus et alienus a crudelitate. Sapientem et iustum gubernatorem habuit socerum Misitheum, quem fecit Praefectum praetorio. Duxit exercitum contra Persas, qui Antiochiam occupaverant, et eam recepit profligatis Persicis exercitibus. Sed mortuo socero Misitheo, Philippus Arabs cum fieret Praefectus praetorio, adolescentem Gordianum interfecit.

Tristia signa initio imperii Gordiani fuerunt: Eclipsis solis tanta, ut medio die nocturnae tenebrae fierent: et terraemotus tantus, ut magnae urbes corruerint, et multi homines ruinis oppressi sint.

Anno mundi quatermillesimo, ducentesimo, nono.
Anno Romae nongentesimo, nonagesimo septimo.
Anno Christi ducentesimo, quadragesimo octavo.

Philippus Arabs.

Philippus Arabs obscuro genere natus, factus est imperator necato Gordiano. Regnavit annos quinque. Facta pace cum Persis accessit ad urbem Romam, ubi anno secundo imperii sui *Ludos seculares* fecit ingenti pompa, Calendis Maii, cum millesimus annus esset urbis Romae. Quia Roma aedificari primum coeperat die vicesimo primo Aprilis, ut suo loco dictum est.

Diligenter autem hic millesimus annus urbis observandus est: quia temporum annotatio in multis historiis inde sumitur. Magna pars urbis Romae in illis ludis secularibus propter nocturnos lychnos conflagravit.

Narrant hunc Philippum Arabem primum ex imperatoribus Romanis factum esse *Christianum.* Cumque in Paschate ad coenam Domini accessurus esset, non admissus est ab Episcopo Romano Fabiano, nisi prius inter caeteros, quorum explorabatur poenitentia, in templo staret: sicut mos fuit reos manifestorum scelerum per aliquot dies stare certo loco, et egredi ex templo ante administrationem coenae Domini. Postea cum viderentur serio emendationem promittere, ad coenam Domini admittebantur.

Rituum poenitentiae memoria tradita est, et magna certamina tunc quoque fuerunt: An peccata remitterentur sine illis ritibus? Unde satis apparet, tunc a multis non perspicue traditam esse doctrinam de fide gratis accipiente remissionem peccatorum propter mediatorem. Quid igitur intellexerit ille Arabicus miles, et qualis eius pietas fuerit, nescimus. Sed tamen odio Christiani nominis defecit ab eo Decius, qui regebat exercitum in Illyrico, ubi cum imperator nominatus esset, adversus eum expeditionem Philippus suscipit: sed Veronae a suis militibus interficitur. Romae filius Philippus a Praetorianis trucidatus est.

Anno mundi quater millesimo, ducentesimo, decimo quarto.
Anno Romae millesimo secundo.
Anno Christi ducentesimo, quinquagesimo secundo.

Decius.

Decius imperator factus est. Regnavit annos duos. Natus in Pannonia inferiore in familia nobili, crevit virtute et scientia rei militaris. Filium Decium Caesarem fecit volente Senatu. Etsi autem breve est tempus imperii illius, tamen duae magnae res eius tempore acciderunt: Atrocissimam persequutionem contra Christianos Decius movit. Occidit Romae *Fabianum* Episcopum, in urbe Ierosolyma *Alexandrum*, Antiochiae *Babylam* senem, qui cum tribus filiis iussus erat sacrificare idolis. Quod cum facere recusarent, ducti sunt ad supplicium, pater et tres filii. Cumque supplicio adficiendi essent, pater petivit prius interfici filios, ne spectantes patris necem fierent languidiores. Ipse interea et mater astantes confirmaverunt filios. Postea mater cum fuisset spectatrix necis mariti et filiorum, eos sepeliit. Haec constantia fidei et fortitudo Babylae Episcopi et filiorum in historia Decii praecipue recitatur, etsi passim magna agmina Christianorum trucidata sunt.

Interea Decius et Getas, qui postea Gotti nominati sunt, qui Istrum transierant, reprimere conatus est. Et priore praelio triginta millia Gottorum interfecit. At in posteriore praelio, cum

Gotti arte traxissent Decium in loca palustria, filius fortiter dimicans in prima acie interfectus est. Pater ira et dolore longius procedens mersus est in paludem, et ibi periit, cum vixisset annos quinquaginta.

In hac historia primum scribitur, Gottos bellum intulisse Romanis, et intra limites Romani imperii transiisse. Nec dubium est, eandem gentem nuncupatam esse *Getas* et Gottos: et linguam eorum Teutonicam esse manifestum est. Ubi olim in Asia sedes fuerint, ex Herodoto apparet.

Inde progressi accesserunt ad Thraciam. Et postea longum tractum a Pannonia usque ad littus Balticum et vicinas insulas compleverunt. Inde rursus effusi, primum Pannoniam, deinde Italiam occuparunt. Nomen Getae, Gedid, militem significat.

Anno mundi quater millesimo, ducentesimo, decimo octavo.
Anno Romae millesimo sexto.
Anno Christi ducentesimo quinquagesimo sexto.

Valerianus.

Valerianus imperator ab exercitu in Rhetia factus est senex. Regnavit annos quatuor, natus in familia Romana nobilissima, videlicet Cornelia. Propter iusticiam et fortitudinem Senatui adeo carus, ut antea Censor consentientibus Decii imperatoris et Senatus suffragiis factus fuerit. Postea cum alibi alii imperatores ab exercitibus creati et interfecti essent, hunc libenter et Senatus et omnes exercitus receperunt.

Fuit initio mitis erga Christianos, sed postea a Mago Aegyptio incitatus est, ut persequutionem moveret, qui persuasit etiam ei, ut humanas hostias mactaret. Non diuturnus fuit hic furor. Profectus enim anno quarto imperii in Orientem Valerianus contra Persas, victus et captus est a rege Persico Sapore, qui aliquot annos, quoties equum conscendit, pedem cervici Valeriani imponens, pro scabello eo usus est. Tandem in extrema senecta viventi cutem a cervice ad pedes detraxit.

Id insigne exemplum inconstantiae fortunae consideremus. Sed simul etiam iudicium Dei agnoscamus, qui sic punivit crudelitatem, quam adversus Ecclesiam exercuit, et impietatem in mactatione humanarum hostiarum, et deploremus tantos furores in summo imperii fastigio.

Eius tempore *Cyprianus* in Africa trucidatus est,

Dionysius Alexandrinus, qui multis erroribus adversatus fuit, senex in exilium pulsus est.

Cheremon Episcopus in urbe Nicopoli, cum in exilium pulsus esset cum magna multitudine Christianorum, et propter senectam ipse et coniunx procedere non possent, spectante multitudine in coelum sublati sunt Cheremon et coniunx. Ita Deus testimonium praesentiae suae inter exules ostendit.

Tempore Valeriani et *Novatus* praesbyter Romanus, atrox dissidium in Ecclesia excitavit, negans recipiendos esse lapsos, qui cum metu suppliciorum negassent se Christianos esse, postea ad poenitentiam redibant. Haec species severitatis multos traxit, ut Novati sententiam sequerentur. Et haec durities postea translata est ad alios lapsus. Quare nominabantur *Cathari*, qui non recipiebant lapsos in manifesta delicta.

Non multo post Alexandriae *Miletius* eodem dogmate Ecclesiam distraxit.

Sed refutavit hunc errorem firmissimis testimoniis *Dionysius Alexandrinus*, citans etiam exempla superiorum aetatum. Et exemplum Petri notum est, de quo cum antea dictum esset: Beatus es Simon: caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus coelestis: tamen ipse postea et lapsus et receptus est. Et Paulus recipit Corinthium, qui post incestum redit ad poenitentiam. Et dulcissima vox omnibus nota sit: Quoties remittam? Non septies, sed septuagies septies. Quibus verbis significatur et ingens infirmitas, et simul amplissima consolatio proponitur. Et Apocalyp. 3. dicitur: Age poenitentiam: Ecce sto ad ostium, et pulso, si quis audiet vocem meam, et aperiet, ingrediar ad eum. Recitatur et digna consideratione historia de Iohanne Apostolo, qui adolescentem ex sodalicio latrunculorum reduxit. Sitque grata piis haec vera commonefactio, et magis ament doctrinam, quae in Ecclesiis nostris de hac quaestione traditur, cum videant Ecclesias nostras consentire cum iudiciis sincerae antiquitatis. Magis etiam ament ritum privatae absolutionis, quia veteres etiam hunc ritum citarunt tanquam testimonium de recipiendis lapsis. Nota sit autem integra explicatio controversiae huius alibi tradita, ut sint praemuniti animi contra

Anabaptistas, qui nostro tempore etiam Novati et Meletii errorem sparserunt.

Anno mundi quater millesimo, ducentesimo, vicesimo tertio.
Anno Romae millesimo undecimo.
Anno Christi ducentesimo sexagesimo primo.

Gallienus.

Gallienus filius Valeriani patre capto regnavit annos undecim, similis Neroni aut Domitiano deditus obscoenis voluptatibus et crudelis. Quare cum ducibus et exercitibus invisus est, numerantur eius tempore triginta duces, qui a suis exercitibus facti sunt imperatores, qui partim inter sese dimicarunt, partim a suis militibus interfecti sunt. Haec laniena ducum vires imperii duriter afflixit, et gubernationem ubique turbavit. Unus fuit ex ducibus excellens vir *Posthumus*, qui Galliam rexit. Hic cum septem annos teneret imperatorium nomen, et Gallienus exercitum adversus eum misisset, *Francos* sibi adiunxit, qui tunc ad Rhenum accesserant. Hic primum fit Francorum mentio in bellis Romanis.

Semper autem prudentes viri quaesiverunt gentium, ac praesertim maiorum suorum stirpes: et quia στοργὴ invitat ad cogitationem de parentibus: et quia gratum est, virtutem et honesta exempla maiorum intueri, et quia honesta gentes disciplinam maiore cura retinuerunt.

Fuisse autem excellentem virtutem gentis Francicae, ostendit magnitudo rerum gestarum, quod in Gallia regnum constituerunt, quo multis seculis nullum est in genere humano magis ornatam legibus, doctrinis et iudiciis: et quod Italia dignos esse censuit, in quos transferret Romani imperatoris dignitatem, et quod voluit totius Europae praecipuos custodes esse.

Laudanda est igitur diligentia eorum, qui Francicae gentis originem quaesiverunt. Sed iuste reprehenduntur inepti scriptores, qui fabulas ex sese finxerunt de filiis Hectoris, quas omitto, et ex Troia Francos educunt.

Nomen Francorum celebre esse coepit tempore Gallieni imperatoris, quia Posthumus eos armavit contra Gallienum. Sed tunc fuisse eos in ripa Rheni, et vicinos Galliae Posthumi historia ostendit. Deinde expresse scribitur, Aurelianum triginta millia Francorum prope Moguntiam trucidasse. Postea Constantinus dimicavit cum Francis et Alemanis, et reges eorum captos obiecit bestiis, Et Hieronymus in vita Hilarionis inquit: Inter Saxones et Alemanos Franci sunt, gens non tam lata quam valida.

Alemanos autem nominatos esse, qui sunt inter sylvam Martianam, Alpes et Noricum, non dubium est, propemodum ubi nunc sunt Suevi. Interiecti autem inter Suevos et Noricos et sylvam Turingicam sunt Franci nunc quoque, sicut et Strabo inquit, Francos esse inter Noricos et Vindelicos, ut inter hos nunc quoque interiecti sunt. Et nomen Francum est a Frey, quod liberum significat. Et principum nomina sunt nostrae linguae voces, Warmund, Ludwig, Helffrich, et alia multa.

Satis igitur perspicuum est, non transiisse Francos ex Gallia in nostras regiones, inter Rhenum et Saltum Turingicum: sed transiisse eos ex nostris regionibus a Saltu Turingico ad Rhenum, et inde in Galliam.

Sed quae prima sedes Francorum fuerit, dubitatur. Beatus Rhenanus vicinos Frisiis fuisse, et inde ad ripam Rheni ascendisse existimat, quia non dubium est, Constantini tempore Francos tenuisse Sycambrorum regionem, et Bataviam, id est, Hollandiam. Et Claudianus scribit ad Stilliconem:

Rhenumque minacem
Cornibus infractis adeo mitescere cogis,
Ut Salius iam rura cola, flexosque Sycambri
In falcem curvent gladios, geminasque viator
Cum videat ripas, quae sit Romana requirat,
Ut iam trans fluvium non indignante Cayco
Pascat Belga pecus: mediumque ingressa per Albim
Gattica Francorum montes armenta pererreut.

Intelligi autem et *Salios* Francos ex Marcellino notum est. Quod nomen cum a Sala flumine factum esse scribatur, tunc quoque Francos regionem ad Salam versus Menum et Rhenum tenuisse apparet, unde et *Salingi Franci* dicti sunt.

Oppidum est e regione Coloniae Agrippinae Teutsch, ubi tabula in veteri monasterio reperta est, in qua scriptum fuit, eam arcem a Constantino extructam esse in terra Francorum, ut ibi praesidium ad defensionem Coloniae Agrippinae collocaretur.

An autem descenderint a ripa Moeni, quaeri potest? Strabonis et Hieronymi dicta magis significant descendisse eos ad Rhenum, quam primum in littore Frisiaco natos esse.

A Gallieni imperatoris morte ad Honorii imperatoris tempus sunt anni circiter centum et triginta. Intra hoc tempus Franci cum multis imperatoribus dimicarunt, et late in ripa Germanica Rheni processerunt. Sed Honorii tempore trans Rhenum potiti sunt urbe Trevirorum, et longius in Celticam et in Belgicum progressi sunt.

Scribitur autem hac occasione vocatos esse a Treviris, quia praeses Honorii Lucius rapuerat uxorem viri nobilis. Ut igitur libidinosus praeses expelleretur, accersita sunt auxilia Francica, sicut saepe propter libidines magna regna mutata sunt. Primum autem regem Franci post transitum in Galliam Warmundum nominant. Ab hoc initia pulcherrimi regni Francici, quod Celticam, Belgicum et magnam Germaniae partem tunc complexum est, recensentur, ut postea sub Honorio dicetur. Nunc ad seriem temporum redeo.

Posthumus cum haberet auxilia Gallica et Francica, septem annos tenuit imperium, et saepe vicit exercitus Gallieni. Tandem fraude interfectus est, Lolliani ducis insidiis, quem statim Victorinus praeses Coloniae Agrippinae interfecit. Gallienum postea interfecit prope Mediolanum Cecropius Dalmata. Multiplex enim ducum inter sese, qui tunc imperatores dici voluerunt, laniena fuit.

Anno mundi quater millesimo ducentesimo tricesimo tertio.
Anno Romae millesimo vicesimo primo.
Anno Christi ducentesimo septuagesimo primo.

Flavius Claudius.

Flavius Claudius imperator factus est ab exercitu ad Mediolanum, cuius iudicium postea comprobavit Senatus. Regnavit annum unum et menses novem. Quanta fuerit ipsius virtus, ex Senatus testimonio apparet, in quo haec verba recitata sunt: *Claudi Auguste tu Frater, tu Pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu vere Princeps.* Haec praeconia multas eximias virtutes complectuntur. Dum autem Gallienus in luxu et popinis vivit, et per seditiones multi se imperatores nominant, et inter sese dimicant, trecenta millia Gottorum et Herulorum ad fluvium Tyram collecta, transierunt partim in Mysiam, partim in Macedoniam, et late grassati sunt rapinis et caedibus. Obsederunt etiam magnas urbes, Thessalonicam et Cassandream. Adversus hos Claudius duxit exercitum, et magna celeritate dispersos in diversa loca oppressit, tantamque multitudinem foeliciter delevit. Aliquanto post haec praelia, morbo extinctus est. Post eius mortem Senatus honoris ipsius causa clypeum aureum, in quo imago eius expressa fuit, in Capitolio collocavit.

Anno mundi quater millesimo ducentesimo tricesimo quinto.
Anno Romae millesimo vicesimo tertio.
Anno Christi ducentesimo septuagesimo tertio.

Valerius Aurelianus.

Valerius Aurelianus, natus in Syrmio in familia ignobili, matre sacrificula Solis, cum sub Claudio praecipuus dux esset contra Gottos, et ductor equitum, post eum ab exercitu imperator factus est, cuius iudicium comprobavit Senatus. Regnavit annos sex. Militari virtute excelluit, sed propter crudelitatem venit in odium.

Fuit autem digna laude severitas eius in regenda disciplina. In poena militis qui hospitam per vim compresserat, imitatus est Bessi supplicium: inflexis duabus arboribus eum alligavit, quae cum rursus erigerentur, miles discerptus est.

Antequam factus est imperator Aurelianus, pugnavit cum Francis ad Moguntiam, ubi triginta millia Francorum trucidata esse scribitur.

Postquam autem successit Claudio, terribilis expeditio Marcomannorum et Suevorum retraxit eum in Italiam, qui iam Mediolanum ceperant, et terrorem urbi Romae similem Cimbrico incusserant. Munito igitur limite imperii, properans in Italiam, apud Placentiam delevit Marcomannos et Suevos, sed magna clade Romani exercitus prius accepta. Fuerunt autem Marcomanni partim Boiemi, partim Moravi et Austriaci, ut nunc nominamus Suevi Alpibus vicini, qui se cum Marcomannis coniunxerant. Pacata Italia Romam profectus Aurelianus, seditiones urbanas sedavit, et multis civibus interfectis, utcunque Iudicia restituit, et constituto urbis statu, duxit exercitum adversus Zenobiam, quae Syriam et vicina loca tenebat, et filiis regna quaerebat. Haec regina velut Semiramis duxit exercitus, et antea fortiter repulit Persas. Postea, cum Syriam Romanis ademptam tradere filiis conaretur, repetenti eam Aureliano, cessuram se esse negavit.

Facta sunt igitur aliquot praelia, in quibus Zenobia duce aliquoties Romani exercitus pulsi sunt. Tandem circumsessa Palmyra cum Zenobia ex ea urbe in loca tutiora discederet, conspectam in eo itinere Aurelianus coepit. Hic belli finis fuit; viva Romam ducta est, ubi in triumpho splendidissime ornata currum Aureliani in magna turba captivarum, antecessit cum filiis et filiabus. Postea concessum est Zenobiae, ut Romae more privatae matronae cum filiabus viveret. Romae Aurelianus cum alia quaedam paci utilia constituit, tum etiam ἀμνηστίαν sanxit, ne audirentur, qui deferebant male locutos de principibus. Deinde rursus ex urbe ad bellum Vindelicum discessit, ubi Boios quos nunc Bohemos nominamus egressos ex saltibus suis et populantes oram Vindelicam repulit. Inde rediturus in Orientem non procul Byzantio interfectus est a militibus, incitatis a scriba Mnestheo, cui Aurelianus necem minitatus fuerat, sed statim exercitus de Mnestheo poenas sumpsis eumque bestiis obiecit.

De Ecclesia.

Dum inter sese Romani duces sub Gallieno belligerantur, crevit Ecclesia: multi enim libentius amplexi sunt doctrinam de vero Deo, cum viderent scelera, furores, et poenas impiorum principum, qui idola defendebant. Simul autem, ut fit in confusionibus imperiorum, prava ingenia sparserunt impias opiniones. Ac praecipue duae furiae diversis locis valde perniciosae fuerunt: Manes in Persia, a quo Manichaei nominati sunt, et Paulus Samosatenus Antiochiae. Attigit Aureliani tempora uterque. Imposturae autem dissimiles fuerunt. Manichaea pugnans cum iudicio rationis et civili consuetudine vitae, absurda, monstrosa, barbarica, spectro similis, seu Chimerae, seu Empusae conflata ex stoicis deliramentis, et fanaticis furoribus ac simulatis adflatibus. Samosatenica vero, ut bella meretricula fucata philosophicis coloribus, lasciviens, et blandis illecebris invitans curiosa ingenia, non tunc primum nata, sed antea Plotini disputationibus Alexandriae compta. Cognosci utraqua ex nostrae aetatis spectaculis potest. Furores anabaptistici similes sunt Manichaeorum Servetus Hispanus, qui diu fuit in academiis Mahometicis in Numidia, Samosatenicam illam meretriculam in theatrum reduxit.

Cum autem necesse sit vetera certamina et verae Ecclesiae iudicia nosse, non praetereundae sunt hae maximarum rerum controversiae, praesertim cum res ostendat, id quod Thucydides inquit, accidere, ut donec eadem hominum natura manet, similia multa accidant.

Ut autem de nostrae aetatis controversiis rectius iudicare possimus, prodest collatio veterum certaminum et iudiciorum.

Nec difficilis est refutatio Manichaeorum, quia multi sunt manifesti furores. Et extant vetustae refutationes scriptae ab Irenaeo contra Marcionem, et ab Augustino contra Manichaeos, quas legere eruditos utile est, et multae recentes contra Anabaptistas.

Fuerunt autem haec praecipua capita manichaeae sectae. Ut Stoici dixerunt: Duo principia esse pariter aeterna, *Νοῦν καὶ ὕλην*, ita Manichaei duo principia pariter aeterna, et inter se pugnantia finxerunt, Bonum et Malum, Bonum nominarunt Lucem, Malum tenebras et materiam, quam dixerunt, malorum omnium causam esse. Ortos a malo nominarunt *χοϊκοὺς καὶ ὑλικούς*. Hos dixerunt, quia haberent semina malae materiae, necessario scelerate facere, nec posse ad Deum converti. Contra vero ortos a bono Deo, necessario recta facere, nec damnari eos posse, quia sint in eis lucis semina, nec teneri eos lege etiam cum contraria legi faciant, quia lex tantum iudicet ortos a materia.

Ita docuerunt omnia necessario fieri, bonas et malas actiones, et prorsus nullam esse humanae voluntatis libertatem in bonis et malis actionibus interioribus et exterioribus.

Reiectis etiam propheticis et apostolicis scriptis, novum Evangelium scripserunt, et ut antecellere communi hominum multitudini et Semidei viderentur, simularunt enthusiasmos seu adflatus, subito in turba se in terram abiicientes et velut attoniti diu tacentes, deinde tanquam redeuntes ex specu Trophonio, et plorantes multa vaticinati sunt. Prorsus ut Anabaptistae recens fecerunt in seditione Monasteriensi. Etsi autem in quibusdam manifesta simulatio fuit, tamen aliquibus reipsa a diabolis furores immissos esse certum est. Finxerunt etiam coniugium, politicum ordinem, Magistratus, et iudicia, opera esse, non lucis seu boni Dei, sed mali principii. Hi furores multa tetra scelera, libidinum confusiones et se-

ditiones pepererunt. Sicut historiae Clementis, Epiphanii et Eusebii, inde usque a Marcionis tempore narrant, in quibus scribitur colluviem Marcionis oppidum Phrygiae Pepuzam nominasse Ierosolymam, et ibi seditionem movisse, prorsus ut Anabaptistae seditionem in urbe Monasteriensi moverunt.

Tandem vero Manes dicitur hoc modo periisse. Cum se pro medico venditaret apud regem Persicum, et filium eius in curatione, seu dolo seu inscitia necasset, rex Persicus cutem ei detrahi iussit, et sic eum interfici.

Cohorrescamus autem haec monstrosa dogmata legentes, et considerantes quanta multitudo fascinatorum in ea secta fuerit, et quam diu haec pestis duraverit. Nam ut Marcionis tempora omittam, post Aurelianum Manichaei magnos coetus in Persia, Aegypto, Africa et in multis Asiae locis habuerunt, amplius ducentis annis.

Haec cogitantes agnoscamus et esse Diabolos, et horribiliter insidiari Ecclesiae, et non adsentiamur inexploratis dogmatibus, sed doctrinam Ecclesiae recte discamus, et assiduis votis a Deo petamus, ut nos doceat et gubernet, sicut Propheta clamat: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me. Sintque in conspectu firmae refutationes, sumptae ex perspicuis testimoniis divinis, quae affirmant esse unum et aeternum principium bonum, Deum verum creatorem omnium creaturarum et universae materiae corporum: nec esse aliud aeternum principium pugnans cum bono, nec peccatum ortum esse ab aeterna natura, nec ex materia, sed a voluntate Diabolorum et primorum parentum, qui se libere averterunt a Deo, quia scriptum est: Non Deus volens impietatem tu es. Item, Iohannis 8.: Quando mendacium Diabolus loquitur, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater mendacii.

Falsum est etiam propter materiam diversam alios posse converti, alios non posse converti, quia certum est non esse discrimen in propagatione hominum, propter diversas materias, quod ad peccatum attinet, sed omnes homines ex Adam et Heva propagatos, ex commixtione maris et foeminae nascentes, adferre peccatum originis, ut capite quinto ad Romanos perspicue dicitur. Rursus etiam omnes, qui in veris doloribus voce Evangelii, id est, promissione gratiae eriguntur, fiunt haeredes aeternae salutis, nec consolatio excutienda est his imaginationibus, quae fingunt discrimen in hominum materia esse, aut in Deo *προσωποληψίαν*. Sed utraque concio universalis est: Accusatio peccati in omnibus, qui nati sunt ex commixtione maris et foeminae, et promissio gratiae, iuxta haec dicta: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Iohannis 3.: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Item: Deus vult omnes homines salvos fieri, Item: Non est in Deo *προσωποληψία*, etc.

Quod etiam Manichaei dixerunt: Omnia necessario fieri, bonas et malas actiones, tetrum et diabolicum mendacium est, contumeliosum contra Deum, et perniciosum moribus. Manifestum est enim Paulum adfirmare esse aliquam iusticiam carnis, quae est externa gubernatio, qua homo libere regit externa membra, ne faciant contra legem Dei. Ideo inquit: Lex Paedagogus est. Aliqua igitur libertas est, et in non renatis, videlicet regendi externas actiones, seu, ut nos loquimur, regendi locomotivam. Multo verius est libertas in renatis, Ioseph adiuvatur a Spiritu sancto, ut heri coniugem fugiat, et tamen libere et volens non coactus fugit. David libere et volens non coactus rapit alterius coniugem, et poterat imperare externis membris, ne alienam attingeret, praesertim cum antea domicilium fuisset Spiritus sancti. Posse igitur labi renatos ostendunt exempla Pharaonis, Saulis, Davidis, Petri et aliorum innumerabilium, quorum aliqui rursus ad Deum convertuntur, ut Aharon, David. Aliqui ruunt in aeternum exitium, non quod sint ab alia materia orti, sed suae voluntatis malicia.

Errores Manichaeorum de coniugio et politico ordine, cum manifeste impii sint, testimonia sunt eam sectam et similes, Diabolorum organa esse. Cum igitur filius Dei velit discerni veram Ecclesiam ab impia colluvie, doctrinarum voce, sicut scriptum est: Oves meae vocem meam audiunt. Item: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Sciamus Manichaeos et similes cum manifeste impios furores defendant, nequaquam esse cives Ecclesiae Dei, et fugiamus et 'execremur eos tanquam hostes Dei, et agmina Diabolorum. Extant autem scripta de coniugio et politico ordine in nostris Ecclesiis edita, quae Manichaeis, Anabaptistis et aliis fanaticis opponi volo. Nam huius

scripti modus non patitur ea hic repeti. Sed nota sunt piis, et alibi saepe repetita sunt. Et mihi gratum est prorsus eadem ab Irenaeo dicta esse.

Adiiciam pauca et de Paulo Samosateno, qui blasphemiam renovavit, quam non tantum ab Ebione et Cerintho post Apostolos sparsam esse iudico, sed existimo primum a Diabolis impulsum esse Cain, ut doctrinam de *Messia* irrideret, et negaret tunc adesse Ecclesiae filium Dei. Deinde secutae sunt maiores tenebrae et ethnica idola. Postea in populo Israël Pharisaei et Zadducaei etiam negaverunt in Messia fore divinam et humanam naturam. Ita deinceps semper habuit Diabolus sua organa, quae filium Dei contumelia adfecerunt, spretis testimoniis propheticis et apostolicis, donec tandem eam blasphemiam horribili potentia regni Mahometici late propagavit et stabilivit. Haec ingentia mala consideremus, et propheticae et apostolicae doctrinae testimoniis nos confirmemus, et simul petamus nos ab ipso filio Dei doceri et confirmari.

Existimo autem Samosateno tunc fuisse hanc occasionem spargendae blasphemiae: *Zenobia* mulier Arabica, quae Antiochiam et Syriam tenebat, didicerat, ult multi alii Arabes doctrinam Iudaicam. Huic reginae cum familiaris esset Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus, ut eam ad Christianos inflecteret, doctrinam de Messia transformavit in Iudaicas opiniones. Et recens in Schola Alexandrina Plotinus allegorias περὶ λόγου suae philosophiae miscuerat. Et adparet multorum disputationibus haec agitata esse. Inde sumpsit praestigias Samosatenus, et contendit in Christo tantum esse naturam humanam, et λόγον in Iohanne non intelligi oportere aliquid subsistens seu ὑφιστάμενον, sed posse intelligi decretum seu sonum evanescentem promissionis. Haec in illo gynaeceo Zenobiae et inter alios homines curiosos magnos plausus ciebant. Estque defensus Samosatenus a Zenobia circiter decennium.

Aliquoties autem vicinarum provinciarum Episcopi ad refutandum Samosatenum convenerunt. Fuitque praecipua autoritas duorum qui Samosateno contradixerunt Dionysii Alexandrini et Gregorii Neocesariensis, qui miraculis clarus fuit. Huius extat confessio, quam prodest omnibus notissimam esse, quae recitatur in libro septimo historiae Eusebii:

Unus Deus Pater Verbi viventis, sapientiae subsistentis et imaginis suae, perfectus perfecti genitor, Pater filii unigeniti. Unus Dominus, Solus ex solo, imago Patris verbum efficax, filius verus veri Patris, et invisibilis ex invisibili, sempiternus ex sempiterno, immortalis ex immortali. Unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per filium adparvit, sanctificans, et per quem Deus super omnia et in omnibus cognoscitur.

Talia vetustatis iudicia et testimonia recenseri in historiis utile est, quia cum servet Deus Ecclesiam, nec sinat eum prorsus deleri, excitat aliquos, qui veritatem in propheticis et apostolicis scriptis et testimoniis traditam retineant et aliis ostendant, ac in magnis certaminibus eos adiuvat, et suis testimoniis ornat. Hanc Ecclesiam vult Deus tanquam monitricem audiri, sicut scriptum est: Nisi vitula mea arassetis, non invenissetis. Vult autem fontes considerari ex quibus hi testes doctrinam hauserunt. Tunc igitur ostenderunt pii senes semper et Prophetas, et deinde Apostolos idem docuisse, videlicet missum esse ad Ecclesiam ab initio filium Dei, et hunc allocutum esse patres, et custodem fuisse Ecclesiae, sicut Paulus inquit, adfuisse Christum patribus in deserto. Et Iacob inquit: Benedicat his pueris Deus, et angelus qui eripuit me ex omnibus malis. Ac dicta quae adfirmant adfuisse Ecclesiae Messiam antequam adsumpsit humanam naturam, perspicue ostendunt τὸν λόγον, qui adsumpsit humanam naturam, nequaquam esse sonum evanescentem, sed aliquid vivum, intelligens, subsistens et ὑφιστάμενον, sicut ipse Dominus inquit: Antequam Abraham natus est, ego sum. Item: Glorifica me ea gloria, quam habui apud te antequam esset mundus. Item: Nemo ascendit in coelum, nisi qui ex coelo descendit filius hominis, qui est in coelo. Et dicta prophetica multa congruunt. Micheae 5.: Egressus eius ante dies mundi. Zachariae 12.: Adspicient me quem confixerunt. Deinde omnia dicta in propheticis et apostolicis scriptis de omnipotentia et invocatione Messiae, firma testimonia sunt de eius divinitate, qualia haec sunt: Ego vitam aeternam do eis. Item: Sine me nihil potestis facere. Ego sum vitis, vos palmites. Et Ephes. 1.: Qui est caput omnia in omnibus perficiens. Et valde illustria sunt dicta Coloss. 1.: Per Christum condita sunt omnia, et ipse est ante omnia, et omnia per eum consistunt. Haec cum de Christo iam

manifestato dicantur, necesse est in eo esse naturam divinam. Et ad Ebrae. 1. dicitur: Per quem secula fecit, qui est *ἀπαύγασμα* gloriae, et character substantiae eius ferens omnia verbo potentiae suae, etc.

Talibus dictis nos confirmemus, et testimonia veteris Ecclesiae adiungamus Irenaei et aliorum. Et quidem adfirmat Irenaeus se doctrinam suam accepisse a Polycarpo Iohannis auditore. Discernit igitur Paulus Christum a caeteris Sanctis, ait, in eo habitare divinitatem *σωματικῶς*, quasi dicat: In caeteris ut in Elia, Davide habitat divinitas effective et separabiliter. At in Christo inseparabiliter, et ita ut humanae naturae unita sit mirando modo unione hypostatica. Vetustas usa est qualicunque similitudine, quae extat apud Athanasium, Cyrillum et Iustinum: Sicut anima gestat corpus humanum, sic gestari inquiunt ab imagine coëterna patri naturam humanam in Christo. Verba apud Iustinum haec sunt: *Τινὲς μὲν τὴν ἕνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς τὸ σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἁρμόδιον γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα κατά τι γοῦν.*

Haec breviter inserui historiae, ut lectores et veteris Ecclesiae iudicia considerent, et ab his commonefacti testimonia in fontibus quaerant, et confirment in mentibus veras sententias de filio Dei, ut ardeat invocatio, et alacriter confugiant ad eum, sicut praecipit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Anno mundi quater millesimo ducentesimo quadragesimo primo.
Anno Romae millesimo vicesimo nono.
Anno Christi ducentesimo septuagesimo nono.

Tacitus.

Tacitus imperator factus est ex Senatusconsulto, cum sex mensibus sine imperatore exercitus essent, et Senatui iudicium permitterent, qui propter virtutem elegit Tacitum. Sed et senex fuit, et sexto mense imperii mortuus est in urbe Tarso. Quanquam autem *Florianus* Taciti frater succedere ei conatus est, tamen exercitus elegit imperatorem Valerium Probum, cuius virtus exercitibus nata erat. Cum igitur in concione militari dictum esset, quaerendum esse imperatorem fortem, sanctum et probum, tota multitudo quasi omen sequens acclamavit: *Probe Auguste, Dii te servent.*

Anno mundi quater millesimo, ducentesimo quadragesimo secundo.
Anno Romae millesimo tricesimo.
Anno Christi ducentesimo octuagesimo.

Valerius Probus.

Valerius Probus factus est imperator suffragiis exercitus qui Tarsi erat, et libenter receptus a Senatu et omnibus exercitibus. Regnavit annos sex et menses tres. Natus fuit in Syrmio ex patre Tribuno, vir iustus et fortis.

Initio imperii duxit exercitus ex Oriente in Galliam, quia et Franci eam invaserant, et Lugduni *Proculus*, et dux limitis Rhetici *Bonosus*, nominaverant se imperatores. Depulsis igitur ex Gallia Francis, et interfecto Proculo, pacata Gallia, Probus Bonoso qui Rhetiam tenebat, et Almanis bellum intulit, quos ultra Nicrum cedere coëgit.

In hac historia primum invenio nomen *Almanorum*, quae appellatio abolevit nomen Rhetiae. Nec dubium est proprie hanc vocem in veteribus historiis tribui populis, qui sunt inter Alpes et Moguntiam.

Unde nomen factum sit quaeritur. Quidam deducunt a lacu Lemano. Alii existimant esse, quasi allerley Man, id est, promiscuam multitudinem, quae concurrit ad libertatem recuperandam propter tyrannides Romanorum ducum. Agathias a Graeca voce dictos esse scribit, quasi *ἀλήμονας*, id est, errantes seu vagabundos. Ego existimo idem nomen esse *Alanorum* et *Almanorum.*

Sunt autem hodie Alani non procul a Constantinopoli, quorum tanta est virtus, ut adhuc retineant libertatem et Ecclesias. Fuisse eos olim Getis et Dacis vicinos apparet ex Dionysii versibus, ubi dicitur: *Δάκων δ᾽ ἄσπετος αἶα, καὶ ἀλκήεντες ἀλανοὶ*, id est, lataque Dacorum regio, fortes et Alani. Est et apud Marcellinum libro 21. longa Alanorum descriptio. Bella cum Hunnis gesserunt tempore Valentis.

Etsi autem nomen *Almani* vicinum est, et effusam esse Alanorum gentem in Occidentem constat: tamen non adfirmo inde factam esse appellationem Almanorum. Caeterum etymologia

dulcis est Alman ab Elam, quod est iuvenis, unde et Alma est, quod virginem significat.

Ut autem Francorum primum fit mentio in Gallieni historia: ita observabis inter gentes a Probo victas primum nominari Alemanos. Repressit autem Probus utranque gentem, Francos et Almanos, trucidatis quadringentis millibus hominum. Franci in Belgico victi sunt, et receptae Gallicae civitates sexaginta, Alemani ad Nicrum profligati sunt.

Simul in Rhetia *Bonosus*, qui se imperatorem nominaverat, et Alemanos concitaverat, victus est. Hic laqueo sibi vitam finivit. Et quia fuerat heluo, et habuerat ventrem deformiter tumidum, iocus militaris sparsus est: Non hominem pendere, sed amphoram.

Pacatis his regionibus Probus in Asiam duxit exercitus per Thraciam, ubi Gottos repressit, et multa millia in agris imperii collocavit. Latrocinia in Cilicia sustulit. Cum Persis et Parthis pacem fecit, ac regressus ad bella magis necessaria, Sarmatica et Gottica. Cum in Syrmio milites oneraret labore siccandi paludes, aliqui tumultuantes seditionem adversus eum moverunt, et fugientem Probum imperatorem in speculam interfecerunt. Reliquus exercitus dolens extinctum esse iustum, fortem, foelicem et utilem imperatorem, sepulcrum ei fecit, cum hac inscriptione: Hic Probus imperator vere probus situs est, Victor omnium gentium barbararum, Victor etiam tyrannorum.

Quanquam autem excellens in eo virtus fuit, et gubernatio foelix: Tamen exemplum est non solum inconstantiae fortunae, sed potius ingratitudinis, levitatis et furorum vulgi, quod eum temerario impetu et seditiose oppressit. Et ad regulam congruit: *ὄχλος σὺν ἀμαθίᾳ μέγιστον κακόν.* Item: *λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπος ἐστὶν ὅμιλος.*

Anno mundi quater millesimo ducentesimo quadragesimo octavo.
Anno Romae millesimo, tricesimo sexto.
Anno Christi ducentesimo octuagesimo sexto.

Carus Narbonensis.

Carus Narbonensis, cum Praefectus praetorio esset, propter virtutem suffragiis militaribus imperator factus est. Regnavit biennio. Filios nuncupavit Caesares, Carinum et Numerianum.

Probus honorificum testimonium de eo ad Senatum scripsit, his verbis: Foelix esset nostra Respublica, si plures *Cari* similes haberemus. Ideo Senatus libenter comprobavit militarem suffragationem, praesertim cum virtus eius nobilitate generis et eruditione ornata esset.

Quia vero audita Probi morte vicini Pannoniis Sarmatae rursus in Pannoniam et Thraciam irruptiones faciebant, primum omnium *Carus* Sarmatas repressit, sedecim millibus interfectis, et viginti millibus captis.

Pacata vicinia transivit in Asiam ad bellum Persicum. Cumque ad fatalem imperii Romani limitem, ad fluvium Tygridem pervenisset, mortuus est.

Successurus erat filius Numerianus, qui propter nobilitatem, optimos mores, eruditionem, et patris memoriam a Senatu et exercitu diligebatur. Sed eius socer Arius Aper, ut imperium in sese txansferret, occidit eum. Id cum comperisset exercitus, in concione accusato Apro imperatorem eligit Diocletianum, qui mox Aprum palam spectante exercitu interfecit. Id factum congruit cum vaticinio mulieris in *Tungris*, quae una *Druidum* fuit. Sunt autem dictae sacerdotes *Druidae*, a fidelitate, Trew, quasi dicas: die vertraweten. Haec praedixerat Diocletiano, obiurgans eum quod parce solveret in hospitio, futurum esse imperatorem, cum *Aprum* occidisset.

Facta autem pace cum Persis Diocletianus exercitum reduxit in Europam, et Carino in Dalmatia nominanti se imperatorem occurrit. Carinus dissimilis patri et fratri cum flagitiosissimus esset, et Heliogabali mores imitaretur, ab exercitu desertus et occisus est.

Cum igitur et Orientis et Occidentis exercitus Diocletianum fecissent imperatorem, Senatus militarem suffragationem comprobavit.

Anno mundi quater millesimo, ducentesimo quinquagesimo.
Anno Romae millesimo tricesimo octavo.
Anno Christi ducentesimo octuagesimo octavo.

Diocletianus.

Diocletianus natus in Dalmatia, patre scriba Senatoris Amilini, matre Dioclea, imperator

factus est. Regnavit annos viginti. Initio imperii reducens exercitum ex Asia vicit Carinum in Dalmatia, qui patri Caro succedere conabatur. Postea cum multi novi motus in provinciis orti essent, et metueret futurum ut alibi alii crearentur imperatores, maluit ipse collegam fidum suo iudicio eligere. Adiunxit ergo sibi collegam *Maximianum*, fortem et peritum rei militaris, sed truculentum et libidinosum. Hunc pari potestate *Augustum* nominavit. Horum integra mansit concordia, et Diocletianus se Iovium nominavit, Maximianum Herculeum. Cumque propter diversarum gentium motus opus esset pluribus fidelibus ducibus, duo Augusti rursus nominant duos *Caesares*: Diocletianus *Galerium* Maximinum, natum in Thracia ripensi. Maximianus *Flavium Constantium χλῶρον,* cuius virtus tanta fuit, ut Carus imperator, si vixisset, interfecturus filium flagitiosum decreverit successorem nominare hunc Constantium. Coniugiis etiam foedera confirmata sunt. Diocletianus filiam Valeriam dat Maximino: Maximianus Herculeus privignam Theodoram Constantio. Duo in Orientem proficiscuntur. Diocletianus Aegyptum recipit, obsessa Alexandria octo mensibus magnam multitudinem trucidavit. Achilleum, qui se nominaverat imperatorem, obiecit bestiis dilaniandum.

Maximinus contra Narseum regem Persarum missus primum victus est. Postea vicit capta regia Gaza.

Maximianus primum in Occidente Galliam pacavit, oppresso Aeliano, qui ut se imperatorem faceret, agricolas concitaverat. Deinde cum in Africa *Milites Quinquagenarii* seditionem movissent, qui volebant dimissionem fieri, et dari agros Quinquagenariis, profectus eo Maximianus eam seditionem repressit.

Difficillima pars bellorum mandata fuit Constantio, ut Francos et Alemanos domaret, qui cum saepe cum eis conflixisset, tandem sexaginta millibus Francorum et Alemanorum trucidatis recuperavit Belgicum et Rhetiam. Eo tempore *Spiram* ad Rhenum condidit, ubi matrem Claudiam sepeliit. Natus est enim Constantius ex Romana stirpe nobilissima, patre Eutropio, et matre Claudia, filia imperatoris Claudii, qui antecessit Aurelianum.

Pacatis iam omnibus provinciis imperatores Diocletianus et Maximianus, cum circiter decem annos regnassent, Nicomediae conveniunt, et de delendis Christianis deliberant: quia dissensio religionis magnas discordias in familiis et in imperio pariebat. Et quia inter ipsos Christianos multa dissidia erant, divulsos inter sese facilius opprimi posse sperabant, iuxta dictum: Concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur. Erant etiam multi transfugae et alii sycophantae inter eos qui Christiani nominabantur, qui tanquam Furiae et *Ἀλάστορες* incitabant et armabant imperatores.

Duravit haec saevicia circiter decennium, et numerari potest inter exempla diuturnae crudelitatis praecipua, quae Ecclesia sensit, qualem in Aegypto Pharaonum tempore, et deinde Antiochi, experta est.

Edictum propositum est, simile Antiochi edicto: Ut omnes homines ubique sacrificarent Diis imperatorum: Non sacrificaturi afficerentur suppliciis: Et ut templa et libri delerentur. Nulla magna urbs fuit, in qua non quotidie circiter centum raperentur ad supplicia. Conspectum est, bestias parcere multis, qui eis obiecti erant. Abstinere etiam a sanctorum cadaveribus. Ita ostendit Deus, bestias mitiores esse tyrannis. Et tamen bestiae saepe lacerarunt ipsos carnifices et impios spectatores. Annotatum est, in uno mense septendecim millia in diversis locis interfecta esse. Haec fiebant Diocletiani, Maximiani et Maximini crudelitate. Postea etiam Maxentii. Constantius, qui Galliam et Germaniam regebat, non fuit huius saeviciae socius, sed Christianis in hac parte imperii, quam ipse tenuit, pepercit.

Militabat eius filius *Constantinus* apud Diocletianum in Aegypto, ubi et Diocletianus et Maximinus insidias ei struxerunt, ut eum e medio tollerent, sed effugiens rediit ad patrem in Galliam.

Ita cum in Asia, Syria et in Italia nobilissimi homines interfecti essent, et in multis urbibus solitudo esset, Diocletianus et Maximianus imperium uno die volentes deposuerunt: vel dolore, quod perfici non posse viderunt ea, quae moliti fuerant, vel metu Constantini. Diocletianus sibi ipse postea mortem conscivit, cum Maxentium Constantinus interfecisset. Qua in re considerandae sunt vehementes naturae, quae incendia animorum dissimilima habent, nec secundas res nec adversas moderate ferunt. Movent

iniustas res coeco et ingenti impetu. Postea frustrati opprimuntur magnitudine dolorum, sicut accidit Antonio et aliis multis.

Magis ostendit metum Maximianus, qui Romam rediit, ut a Praetorianis reciperetur, et rursus nominaretur imperator. Sed cum filius Maxentius eum expelleret, fugit Massyliam ad generum Constantinum, cui cum strueret insidias, filia maritum patri praetulit, quae detexit insidias. Ita cum Deus Maximianum Constantino mirabiliter obtulisset, interfectus est Maximianus Massyliae. Hic exitus fuit duorum saevissimorum tyrannorum, Diocletiani et Maximiani.

Romae *Maxentius*, Maximiani Herculei filius, eo dominabatur crudelius, quia Severum ad Ravennam vicerat, qui exercitum contra eum Romam ducturus erat. Cumque et saeviciam contra Christianos Maxentius exerceret, et raperet honestas matronas et virgines, et militibus concederet licentiam omnium scelerum, Senatus Constantinum ex Gallia accersivit: cui dubitanti an Romam duceret exercitum, ostendit Deus illustre signum victoriae. Nam medio die in clara luce vidit Constantinus in coelo igneam crucem, cum literis: *ἐν τούτῳ νίκα,* id est, in hoc vince.

Scribit Eusebius, hanc se narrationem ex ipso Constantino audivisse.

Itaque tanquam ducente Domino nostro *Iesu Christo* Romam cum exercitu properat. Etsi Maxentius imparatus erat, tamen occurrere fortissimo exercitui usque ad pontem Milvium ausus est. Ibi praelio victus et cum magna multitudine in flumen mersus periit. Ideo Christiani dixerunt, interitum Maxentii similem fuisse poenae Pharaonis.

Sustulit ergo initio Constantinus duos tyrannos: Maximianum et eius filium Maxentium, cum quidem Constantius a Maximiano Caesar nuncupatus esset. Cum igitur potitus esset Constantinus Occidentis imperio, teneretque eam partem, in qua plurimum roboris erat: Italiam, Hispaniam, Africam, Galliam, Germaniam et Britanniam, cum *Licinio* tenente Illyricum, quem Maximinus Caesarem nominaverat, facit foedus, eique sororem Constantiam dat uxorem, et mittit eum in Asiam contra Maximinum. Interea pacem in Occidente restituit, abolet decreta tyrannica, et vetat Christianos iniuria adfici, et in provinciis iudicia et praesidia ordinat.

Victus autem Maximinus a Licinio ad Tarsum, postea phthiriasi inter saevos cruciatus periit, cum examina vermium ei in inguinibus nata essent. Quo poenae modo significatum est, libidines eius puniri.

Extinctis igitur quatuor tyrannis: Diocletiano, Maximiano, Maxentio et Maximino, tenent imperium postea duo collegae: *Constantinus* et *Licinius*, et paulisper in imperio pax fuit.

Initium autem imperii Constantini collocatur paulo ante Maxentium, videlicet in annum mundi quater millesimum, ducentesimum septuagesimum secundum.

Annum Romae millesimum, sexagesimum.
Annum Christi trecentesimum decimum.

Sunt ergo ab initio Diocletiani ad hunc annum, qui est initium Constantini Magni, viginti duo anni. Intra hos annos in toto genere humano horrendam lanienam adversus cives et hostes, et inter sese exercuerunt imperatores. Suntque anni a Iulii initio usque ad primum annum Constantini trecenti quinquaginta septem, qui mutationem in imperio insignem fecit. Ac a Iulii initio usque ad captam Romam ab Alarico sunt anni quadringenti sexaginta et unus.

Constantinus Magnus tenuit imperium annos triginta duos, minus duobus mensibus. Vixit annos sexaginta sex. Natus est in familia, cuius fuit praecipua nobilitas in Dardanis, ex Romana stirpe, cuius haec series traditur:

Eutropius — *Claudia* uxor, filia Crispi, fratris Claudii imperatoris.

Constantius Χλωρος, imperator, conditor Spirae: qui vicit Francos et Alemanos.

Helena Britannica, prima coniunx Constantii. — *Theodora*, Maximiani privigna, secunda coniunx Constantii.

Constantinus Magnus. — *Annibalianus* Dalmatii pater. *Constantius* pater Galli et Iuliani. *Constantia*, Licinii coniunx.

Minervina, prima coniunx Constantini Magni. — *Fausta*, secunda coniunx Constantini Magni, filia Maximiani.

Crispus. — Eius filii: *Constantinus Secundus.* *Constantius.* *Constans.* *Constantia*, coniunx Galli. *Helena*, coniunx Iuliani imperatoris.

Dalmatium Orienti praefecit Constantinus Patruus, sed postea regnante Constantio interfectus est. *Gallum* Constantius Caesarem fecit,

et post Dalmatium Orienti praefecit. Hunc quoque crudeliter dominantem Constantius interfici iussit. Iulianus post Constantium, Constantini filium, imperator factus est. Post hunc successor *Iovinianus* Pannonius ex alia familia fuit. Suntque anni ab initio Constantini Magni usque ad mortem Iuliani, quinquaginta octo.

Post Maxentii interitum rexit Occidentem Constantinus. Licinius vero Orientem, qui Maximinos deleverat. Deinde pax fuit in imperio Romano, et imperatorum concordia circiter quinquennium. Cum vero Licinius paulatim odium adversus Christianos ostenderet, et aliquot nobiles viros, propterea quod abiicere professionem Christianam noluerant, interfecisset, multorum etiam raperet facultates et coniuges, multi exules ad Constantinum confugiunt, et petunt suscipi defensionem Christianorum. Erant foedera inter collegas, Licinium et Constantinum, et Licinius coniugem habebat *sororem* Constantini Constantiam. Primum igitur hortatur Constantinus Licinium, ut iuxta edicta, quae antea simul ediderant, parcat Christianis. Ille contra superbe respondet: se non impediendum esse in ea parte imperii, quam regeret. Et bellum minitatur. Cum autem iam Licinius violato priori edicto foedus rupisset, et iusta sit defensio etiam contra *socios*, ad depellendam manifestam saeviciam, Constantinus cum filio Crispo exercitum in Thraciam ducit, ubi ad urbem Adrianopolim, quae nunc quoque nota est, fuitque olim Odrissa, magno praelio vincit Licinium, de quo et miracula narrantur: conspectas esse in aëre flammas supra exercitum Constantini. Scribit Marcellinus in exercitu Constantini, qui contra Licinium ductus est, fuisse Francorum auxilia, qua ex re adparet Constantinum Francorum virtutem magni fecisse.

Fugit ex Europa Licinius in Bithyniam, et rursus exercitum collegit. Sed ibi quoque victus pacem petit, missa ad victorem sorore ipsius Constantia, quae vitam Licinio marito impetravít: sed ita, ut privatus Thessalonicae cum coniuge viveret.

Aliquanto post Licinius, cum res novas moliretur, a Constantini praesidio Thessalonicae interfectus est. Extinctis igitur quinque tyrannis: Diocletiano, Maximiano, Maxentio, Maximino et Licinio, tenet monarchiam solus *Constantinus*, qui cum leges et iudicia deleta essent, et non solum bellis civilibus, sed etiam saevicia, quam tyranni contra Christianos exercuerant, vastatae essent provinciae, victor Constantinus et Ecclesias et imperium restituere coepit.

Estque haec mutatio una inter praecipuas generis humani mutationes, difficilior quam fuit Augusti victo Antonio, aut Iulii victo Pompeio. Bellum certe cum Licinio longe maius fuit, quam vel Iulii vel Augusti bella. Nam et ducum par fuit magnitudo animi, et potentia et causa maior fuit, quam Iulii vel Augusti. Dimicarunt enim in utram partem fieret inclinatio, an deinceps totus orbis pareret Christianis principibus, deleturis ethnicas religiones: an vero pareret Ethnicis, deleturis Christianos. Et multi erant duces et milites nobilissimi in exercitu Constantini, quorum patres et matres crudelissime interfecti fuerant. Fuit igitur causa longe maior, quam ulla in imperiis unquam fuit, et habebat robur imperii Constantinus, ut de eo dici possit: Et causaque valet, causamque tuentibus armis.

Ut autem Deus victoriam dedit Constantino: ita postea eum adiuvit in constitutione imperii. Restituit leges et iudicia, et multas novas leges condidit, praesertim de coniugiis et pudicicia sanxit, ut capitali supplicio adficerentur moechi, et omnes qui se deinceps polluerent libidinibus contra naturam, et scorta mascula iussit ubique interfici. Prohibuit et civibus polygamiam. Sanxit, ne Christiani ulla iniuria propter professionem adficerentur, et ut ad honores admitterentur. Nominatim vero excepit haereticos. Curavit rursus adificari Christianorum templa, et reditus attribuit Pastoribus.

Pro militum utilitate sanxit, ut praedia, ex quibus antea milites habuerant stipendia, transirent ad haeredes, et fierent propria familiarum, sed ita, ut certum numerum militum praeberent. Id initium est eius moris, qui nunc servatur in Feudis, ut nominamus, id est praediis militum.

Hoc beneficio tenuit Constantinus obligatos omnes honestos milites. Ideoque hunc morem instituit, ut mallent in coniugiis honeste vivere, et procreare sobolem, quam vagari ut antea.

Anno mundi quater millesimo ducentesimo nonagesimo septimo.
Anno Romae millesimo octuagesimo quinto.
Anno Constantini vicesimo sexto.

Pacatiano et Mecellio Coss. inchoata est instautratio murorum Byzantii, qui a Severo impe-

ratore destructi fuerant. Estque intervallum inter destructionem factam tertio anno Severi ad hanc instaurationem, anni centum et triginta. Suntque ab instauratione donec a Mahometo capta est, mille, centum et octodecim anni. Capta est enim a Mahometo anno millesimo, quadringentesimo quinquagesimo tertio.

Sunt urbium et imperiorum fatales periodi. Et multa heroici viri faciunt fatali impetu, de quibus secus videtur aliis.

Verum est, urbis Romae, Italiae et imperii statum valde languefactum esse, translata et dignitate et translatis familiis et opibus ex Italia in Thraciam. Nec quaero, quae res moverit Constantinum. Etsi situs Byzantii valde opportunus est ad tenendum Occidentis et Orientis imperium. Et tunc assiduis praesidiis in eo loco adversus Gottos et Sarmatas opus erat, quae quidem ibi commodissime ali poterant. Sed potiorem causam tantae mutationis fatum fuisse existimemus. Cum Deus puniturus esset Italiam et Romam adventu peregrinarum gentium, prius voluit alibi arcem imperii et doctrinarum condere.

Ipsa urbs Byzantium olim a Carthaginensibus condita esse scribitur, et nominis etymologia concinna est: Beth Zona, id est, domus cauponae seu meretricis: Quia propter ubertatem soli, et loci opportunitatem copia ibi magna est omnium rerum necessariarum.

Constantinus nominavit *Νέαν Ῥώμην,* quia voluit has duas civitates unam esse, et cives in hac nova Roma tam fieri Consules, quam eos, qui in urbe Roma nati erant et habitabant. Vicit autem consuetudo, ut haec urbs dicta sit *Constantini* Urbs, quae quidem ab instauratione, usque ad hanc postremam expugnationem, factam a Mahometo, etiam praecipua omnium doctrinarum sedes fuit.

An Constantinus urbem Romam et Occidentis imperium Romano Episcopo donaverit?

Usitate nominatur *Liber Decretorum,* in quo et vetera et recentia decreta multa, partim vera, partim commenticia et notha, et sententiae scriptorum truncatae recitantur. In eo libro dist. 96. extat fabulosa narratio, in qua fingitur Constantinus Romano Episcopo Sylvestro donasse urbem Romam et Occidentis imperium, Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, et alias vicinas provincias.

Huius fabulae refutatio scripta est a multis doctis viris. Et has disputationes nosse eo prodest, ut discrimen intelligatur potestatis politicae et ministerii evangelici. Nec existimetur, Apostolis aut eorum successoribus mandatum esse nova imperia constituere aut regna transferre, sicut falso dicitur in versu:

Petra dedit *Petro*, Petrus diadema Rodolpho.

Considerandum est igitur in historiis, quomodo paulatim creverint opes Episcoporum: et quando accesserint imperia.

Pastoribus, et aliis qui in templis et scholis docent, victus debetur. Quare initio contulerunt pecuniam homines locupletes et benefici, et ad doctores alendos, et ad iuvandos egentes, dignos publica beneficentia, videlicet aegrotos et exules. Hae collationes omnibus temporibus usitatae fuerunt, et lege Mosaica ordinatae sunt. Fuerunt igitur et in Ecclesiis publica aeraria, sicut et Tertullianus *stipis* mentionem facit, et nomen *Missa* tales contributiones significat Deuterono. sedecimo.

Sed *imperia* nec Apostoli, nec Episcopi, nec Pastores, nec Praefecti aerariis habebant: sed hi, ut alii cives privati parebant quolibet loco suis Magistratibus armatis. Nec ante Pipinum Caroli patrem legimus habuisse Romanos Episcopos. Italiae partem, aut tenuisse imperium in ea parte. Sed cum Longobardi pulsis Hexarchis, qui Ravennam et alias quasdam urbes rexerant, eam partem occuparent, et iam Romae minitarentur, accersitus est *Pipinus* Caroli pater, qui repressit Longobardos, et urbib. quas Hexarchi rexerant libertatem restituit. Et quia magna erat Pontificum autoritas, urbes quae Romae propiores erant, cum defensione indigebant, ad Pontifices confugiebant, ita paulatim aliquae velut propriae. Romanae sedis factae sunt. Postea igitur *Ludovicus Pius* tenens omnia quae Longobardi tenuerant, et tenens caeteras urbes usque ad urbem Romam, expresse distinxit loca, quae volebat Romanam sedem tanquam propria tenere, ab iis quae voluit imperii partem esse. His initiis pars illa Romae propior cepit esse propria Pontificum, non Pipini aut Caroli donatione, sed Ludovici Pii.

Praeterea tradere imperium est iuramento obligare Senatum Romanum et exercitus, ut illi

obtemperent, cui imperium traditur. Manifestum est autem nec Senatum nec exercitus tunc iurasse Romano Episcopo. Sed Constantius, Iulianus, et deinde successores soli fuerunt exercituum domini. Romae etiam Praefectos urbis constituerunt: Constantius Leontium, qui seditiones Romae ortas oppressit, et autorem seditionis urbe Roma expulit et postea cum nobilem virginem vi stuprasset, ultimo supplicio adfecit. Iulianus imperator Praefectum urbis constituit Apronianum, et deinde alii alios. Iustinianus in Italiam misit Belisarium, qui et Sylverio Pontifici Gottos revocanti ad Romam occupandam, dignitatem ademit, eumque relegavit. Postea Narses annos sedecim Italiae rector fuit. Deinde Exarchi imperatorum vicarii fuerunt circiter annos centum et sexaginta a Iustino Secundo usque ad Pipinum. Testis est igitur *historia*, Romanos Episcopos non tenuisse imperium urbis Romae aut Occidentis.

Additur et argumentum a *Persona* seu officio *Episcopi.* Primum hoc manifeste falsum est, quod multi scribunt: *Petro* datam esse summam potestatem, etiam imperia constituendi. Quia haec dicta discernunt ministerium Evangelii et politica imperia: Sicut pater meus misit me, ita ego mitto vos. Regnum meum non est de hoc mundo. Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Arma militiae nostrae non sunt carnalia. Ergo etiam si mittitur Petrus ad ministerium Evangelii, non tribuitur ei simul autoritas politica, constituendi aut mutandi imperia, aut colligendi exercitus, aut bella movendi: sicut horum nihil fecit *Paulus*, etiamsi flagitiosissimam beluam *Neronem* tenere florentissimum imperium videbat. Sed quanquam dolebat talem pestem hoc fastigium generis humani tenere: tamen ordinem politicum imperii sciebat *Dei* opus esse, et venerabatur.

Quod vero in constitutione Bonifacii citant dictum: *Ecce duo gladii hic.* Non sequitur hac voce armatum esse *Petrum* imperio. Nam et ipse filius Dei praeliari eum prohibet. Et cum Christus inquit: *Satis est*, significat querelam de duplici genere hostium. Satis est et Pontificum et Pilati gladios adversus vos stringi.

Cum autem distincta sint officia: Evangelicum et Politicum, et de politico expresse dictum sit: Omnis anima potestati quae praeest, sit subdita, contrarium esset mandato divino, et seditiosum, rapere dominationem quam legitimus Magistratus tenet. Fuisset igitur seditiosus et praedo Romanus Episcopus, si Constantini potestatem aut exercitus aut provincias subditas non donatas ad sese transtulisset, ut revera seditiosi fuerunt deinde Pontifices, qui urbem Romam, aut alias, quae fuerunt propriae imperatoris, non donatas occuparunt.

II. Argumentum.

Etsi historia testis est, ut dixi, non esse factam donationem urbis aut provinciarum a Constantino: tamen etiamsi oblata esset potentia illa Sylvestro, non licuisset eam ipsi accipere in ea functione, in qua erat, et successoribus tradere. Quia unusquisque facere debet officia suae vocationis, iuxta dictum: In hoc sitis ambitiosi, ut sitis quieti, et faciatis *propria.* Pastor debet docere: Rex gubernare exercitus, stipendia, bella, pacem corporum. Non sunt haec igitur mandanda Pastori, sed unusquisque suo loco memor sit regulae: *Propria facite.* Item: Unusquisque sicut eum vocavit Deus, ita ambulet. Et Siracidae tertio: Qui amat periculum, peribit in eo. Altiora te non stolide quaerito. Quae tibi Deus praecepit, ea *sancte* cogita. Itaque dictum: *Vos non sic*, non tantum sic intelligatur, quod cum ministerio Evangelii non tradat Christus politicam potestatem, sed etiam ne accipiatur et exerceatur a tenente ministerium. Huc adiungatur dictum: Nemo militans implicat se negociis secularibus. Ita nec Pastores vult Paulus occupatos esse negociis impedientibus ministerium evangelicum. Haec breviter commemoravi de fabula donationis, ut moniti iuniores et historias considerent: et recte discernant ministerium evangelicum et politicam potestatem.

De Nicena Synodo.

Fecerat pacem in imperio Constantinus deletis tyrannis: et tulerat honestas leges, et restituerat iudicia, prohibuerat saeviciam exerceri in Christianos: fovebat Ecclesias, et attribuerat reditus: ademerat templa Haereticis, Marcionitis, Manichaeis, et Samosatenicis.

Hanc tranquillitatem et imperii et Ecclesiarum turbavit Diabolus, qui odio Dei ab initio post lapsum contumelia affecit Deum, et primis parentibus exilium machinatus est. Idem semper agit. Ac tunc quoque horribile incendium in Aegypto excitavit, quod vagatum est per totum Orientem. Impulit Presbyterum Alexandrinum *Arium*, ut sereret impium dogma, astute fucatum contra divinitatem Christi. Scribunt autem, dolore repulsae motum esse Arium, cum non esset factus Episcopus, ut adversaretur Episcopo Alexandro.

Existimo autem Arium reipsa idem sensisse, quod senserunt Ebion, Samosatenus, et similes, sicut et Alexander Episcopus Alexandrinus de eo scribit: Scitis recens motam doctrinam contra Ecclesiae pietatem, esse *Ebionis*, *Artemae* et *Samosateni* contagium, qui in Synodis et iudiciis Episcoporum ubique ex Ecclesia eiecti sunt.

Sed cum non auderet Arius expresse negare *λόγον* esse *ὑφιστάμενον*, astute alia specie struit insidias: Dicit non esse coaeternum patri *λόγον*, sed summam creaturam ex nihilo conditam. Et usus est his formis loquendi: *ἦν πότε, ὅτε οὐκ ἦν λόγος*, hoc est: Erat pater, cum nondum esset λόγος. Item, dixit esse *Λόγον, ἐξ οὐκ ὄντων*, ex non existentibus, id est, ex nihilo. Haec est summa sententiae Arii, quam si quis prope aspiciet, deprehendet eam vicinam esse Samosateni impietati. Negat autem reipsa filium esse de essentia patris, et omnipotentem, quia dicit esse *ἐξ οὐκ ὄντων*.

Pii opposuerunt caput primum Iohannis, ubi dicitur: *καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος.* Item dicta de omnipotentia filii, ut mox Iohannis primo dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. Item: Ego vitam aeternam do eis. Et: Sine me nihil potestis facere. Matthaei 18.: Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Adesse ubique, exaudire et opitulari ubique propria sunt divinae naturae. Colossen. 1.: Omnia per ipsum et in ipsum condita sunt, et omnia per eum consistunt. Ebrae. 1.: Per quem et secula fecit, qui est fulgor gloriae, et effigies substantiae eius sustentans omnia. Dicta etiam de invocatione testantur filium omnipotentem esse, sicut Ecclesia semper dixit: *χρίστε ἐλέησον.*

Talia testimonia sint in conspectu, et in quotidiana invocatione cogitentur. Ac confirmati testimoniis verae sententiae legamus et historiam et certamina.

Cum autem Arius traxisset in suam sententiam aliquot Episcopos, et iam non obscura discordia esset, Constantinus edictum mittit in omnes regiones, quo convocat omnes Episcopos ad urbem Bithyniae *Niceam*, ut ibi in Synodo confessio singulorum, et confessionis testimonia audiantur: et quantum fieri posset, discordia tollatur. Curat et publicis vehiculis eos advehi.

Convenerunt igitur trecenti, decem et octo Episcopi. Inter hos martyres multi fuerunt mutilati aliqua corporis parte, cum adhuc saeviciam exercerent Maximinus et Licinius. Advenerunt Presbyteri, legati Episcoporum, qui propter senectam et morbos accedere non potuerant. Adfuerunt et laici multi, viri docti et pii. Haec Synodus inchoata est anno trecentesimo vicesimo octavo Christi, anno imperii Constantini decimo nono.

Est autem dignissimum opus sapientibus et magnis regibus, iusto modo et ordine tollere dissidia Ecclesiarum, indicere et recte regere Synodos, sicut fecerunt Constantinus, Theodosius primus et Theodosius secundus, et Martianus, ut infra dicetur.

Nec recte sentiunt, qui dicunt, hanc curam indicendi Synodos ad solos Episcopos pertinere: Quia lex divina et politicae potestati et doctoribus praecipit tollere blasphemias et idola. Cum igitur dissidia oriuntur, etiam politica potestas curet legitimam cognitionem institui, in qua doctores et alia membra Ecclesiae idonea, et ipsi principes, re inquisita, dicant suas sententias. Quia iudicium illud non est unius gradus, sed omnium membrorum Ecclesiae, quae sunt idonea ad iudicandum. Postea cum veritas patefacta est, fiat exequutio. Doctores refutent et damnent blasphemias. Potestas politica prohibeat externam professionem impiam, removeat blasphemos, ne virus suum adflent aliis.

Hanc sententiam verissimam esse non dubium est. Et singuli principes in sua ditione piam concordiam hoc modo tueantur. Sed non serviant alienis odiis: Nec sine pia cognitione gladios stringant: sed audiant utranque partem, sicut Deus saepe praecepit. Et iuramentum Atticum erat: *ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι,* et sint normae iudicii scripta prophetica et apostolica et Symbola.

Adsedit igitur Constantinus inter Episcopos, sede non altiore: et initio hortatus est eos ad placidam collationem, et ad inquisitionem veritatis, omissa sophistica, et deposita animorum acerbitate.

Primam sententiam dixit *Εὐστάθιος* Antiochenus Episcopus. Post longa certamina scriptum est Symbolum Nicenum, quod adhuc in Ecclesiis retinetur, quod plurimi sua subscriptione comprobarunt, et subscripsit ipse Constantinus, qui ait, se adfuisse ceu unum ex ipsis. Ac valde laetor, inquit, me fuisse vestrum comministrum, donec omnium conveniens inquisitio facta est, et veritate in lucem prolata concordia constituta est.

Tres autem fuerunt magnae causae, quae ad doctrinam pertinuerunt, de quibus praecipue Synodus testimonia ostendit. Rursus damnatum est impium dogma Samosateni. Deinde et Arianum. Postea et Novati et Meletii error damnatus est, qui docuerunt, lapsos redeuntes ad poenitentiam non recipiendos esse. Qua de re imperator salse reprehendens arrogantiam Acesii Novatianorum Episcopi, inquit: *Scalas Acesi admove, et solus in coelum ascende.* Hac ironia significabat, illum falso fingere, se et suos sine peccato esse.

Postea deliberationes aliae accesserunt: ut eodem die omnes Ecclesiae Pascha celebrarent. Nec alii Iudaicum diem, alii alium observarent. Item, ut Alexandrinus Episcopus inspector esset Ecclesiarum Orientis, Romanus Occidentis.

Quaedam etiam de temporibus publicae poenitentiae ordinarunt, quod ritibus eius aetatis tributum est. Nec vero existimandum est, voluisse eos haec decreta paria esse articulis fidei.

Propositum etiam fuit a quibusdam, ut sacerdotibus maritis prohiberetur consuetudo coniugalis.

Sed senex *Paphnutius*, cui et in confessione oculus effossus erat, et qui Episcopus erat in Aegyptiaca Thebe, dissuasit hanc legem, dicens coniugia non dissolvenda esse, et coniugalem consuetudinem castitatem esse. Synodus Paphnutii sententiam sequuta, censuit nequaquam recipiendam contrariam.

Decreta etiam haec facta sunt: Ne quis se castraret. Item: Ne Clerici usuras acciperent, et ne haberent secum mulieres, quae non essent coniuges. Inde apparet, in ea Synodo de multis negociis deliberationes incidisse, quae discernenda sunt.

Accidit hoc quoque: Cum multi Episcopi privatas inter se accusationes imperatori exhibuissent, ut imperator obsignatas omnes asservari iuberet, dicens: prius publicam causam agendam esse, deinde se de illis acturum esse. Hunc fasciculum in exitu Synodi proferri iussit, et adhuc obsignatum in ignem coniici inspectantibus omnibus Episcopis. Et addidit haec verba: Sacerdotum crimina non efferenda esse in publicum, quia talibus scandalis hominum animi a doctrina alienentur. Ac *ἀμνηστίαν* privatarum offensionum sanxit: et hortatus est, ut eandem vocem doctrinae sonarent omnes, et Ecclesiarum concordiam tuerentur.

Hic fuit exitus Synodi Nicenae, quae duravit triennium, et aliquanto diutius.

Ipso Synodi tempore imperator celebravit vicesimum annum imperii sui. Inde sciri potest tempus, quo haec Synodus convocata est.

Profuit piis huius Synodi confessio, et prodest nunc quoque. Sed tunc neque prorsus extinctum est Arianum incendium, et aliquanto post latius in Asia vagatum est, quam antea. In ea distractione Ecclesiarum, quia dubitatio odium doctrinae parit, deinde multitudo pertaesa obscurarum disputationum et rixarum inter Christianos, libentius recepit Mahometi dogma plausibile prophanis ingeniis, quia tantum est particula legis, proposita ad tuendam pacem inter cives.

Seneca inquit: Nunquam vicia bona fide mansuescunt, ac repressa aliquantisper tamen erumpunt. Ita cum aliqui impii Episcopi clam sentientes cum Ario metu imperatoris simularent, se Nicenum Symbolum amplecti paulatim sese aperuerunt. Sicut in Euripidis versibus dicitur:

Ὁ μὲν πονηρὸς οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακὸς
ὁ δ' ἐσθλὸς ἐσθλὸς, οὐδὲ συμφορᾶς ὑπὸ
φύσιν διέφθειρε: ἀλλὰ χρηστὸς ἔστ' ἀεί.

Cumque inflectere animum impecatoris conarentur, nacti sunt ad eam rem artificem idoneum, sacerdotem, qui apud Constantiam sororem imperatoris, quae fuerat nupta Licinio, erat. Is afflavit Constantiae Arii contagia, et perfecit ut fratri hortatrix esset, ut Arium ab exilio revocaret, et causam rursus cognosci iuberet. Accenditur et odium contra *Athanasium.*

Procedunt in aula artificia Sinonis et Aniculae. Revocat Arium Constantinus, et mandat

causam rursus cognosci in Tyro. Ac verba sunt in epistola imperatoris: Si quis recusabit venire, mittam qui eum doceant non adversari huic edicto: et mandat severissime Ecclesiam liberari a blasphemiis. Confluunt ergo Episcopi, sed praecipue colludentes cum Ario. Et eo accessurus erat imperator. Nam et in *Iordane* decreverat baptismum accipere. Sed dum haec apparat, in morbum incidit in urbe Nicomedia. Ibi cum baptizatus esset, aliquanto post in suburbano mortuus est, anno aetatis suae sexto et sexagesimo.

Anno imperii tricesimo secundo, minus duobus mensibus.

Verum ante mortem vocavit Constantinopolin imperator Episcopos, qui in urbe Tyro convenerant, ac simul Arium ex Alexandria accersivit. Voluit enim coram huius iudicii gubernator esse. Eo cum venisset *Arius*, ortum est ingens certamen inter Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, recte sentientem: et Eusebium Nicomediensem, qui astutissime sublevabat Arium. Cum autem instaret magnum certamen, post aliquot dierum congressus, Alexander Episcopus noctu manens in templo precatur Deum, ut ipse veritatem tueatur. Mane cum longa esset expectatio, tandem factio Ariana ad publicum consessum accedit. In eo itinere Arius deflectit de via, subita consternatione oppressus, ac considens in latrinam ibi effudit intestina, et extinctus est. Multitudo cognito eius interitu dilapsa est, et rursus coepit autoritas maior esse recte sentientium.

Id exemplum et pios commonefaciat, Veritatis defensionem petendam et expectandam esse a *Deo*: et puniri insignibus exemplis hostes veritatis, ut supra de Montano et Priscilla dictum est, qui sibi ipsis fregerunt gulas laqueis. Ita et poenas dedit *Arius* insigni exemplo quod pene simile est Iudae exitio.

Aliquanto post mortuus est Constantinus imperator, cuius virtutem et fortunam fuisse heroicam, eventus ostendunt. Quia singulari foelicitate deletis tyrannis pacem orbi terrarum restituit: et fecit insignem mutationem in imperio Romano, quae tamen postea profuit generi humano, cum illa pars mundi versus Orientem defensa est per Constantinopolitanos principes, Italia occupata a Gottis et aliis peregrinis gentibus.

Fuit iustus et severus, sed domesticas duas calamitates insignes habuit: Filium praestantem virum *Crispum*, natum ex prima coniuge Minervina, quem iam Caesarem nominaverat, falso accusatum a noverca, interfici iussit. Fuit autem noverca *Fausta*, filia Maximiani Herculei, quae ad suos filios transferri imperium volebat. Postea Constantinus deprehensa calumnia et coniugem Faustam iussit necari.

Nec tantum his domesticis calamitatibus senectus Constantini adflicta est: sed accessit etiam consiliorum inconstantia, quae auxit Ecclesiarum discordias. Arium exulantem revocavit. Contra vero Athanasium in exilium misit in urbem Trevirorum. Etsi igitur fundamenta concordiae Ecclesiarum in Synodo Nicena iecerat, et maxime cupiebat Ecclesiam relinquere tranquillam, tamen id non perfecit, sed creverunt discordiae diabolorum fraudibus, qui organa habuerunt aliquot Episcopos et sycophantas, qui Sinoniis artificiis senem imperatorem deceperunt.

Nec imperii pax mortuo Constantino fuit diuturna: Nec posteritas eius foelix fuit. Nam fratres ipsi inter sese dimicarunt. Adeo nulla est quantumvis magna foelicitas in hac vita, cui non multae calamitates misceantur. Suntque digna consideratione verba Herodoti in Polymnia: *Εἶναι δὲ θνητὸν οὐδένα, οὐδ' ἔσεσθαι, τῷ κακὸν ἐξ ἀρχῆς γινομένῳ οὐ συνεμίχθη· τοῖς δὲ μεγίστοις μέγιστα.* Monent autem talia exempla ut simus modesti, retineamus timorem Dei, et non moveamus non necessaria, et ardentius petamus nos a *Deo* regi et protegi.

Anno mundi quater millesimo trecentesimo tertio.

Anno Romae millesimo nonagesimo primo.

Anno Christi trecentesimo quadragesimo primo.

Filii Constantini successerunt patri, divisione imperii in testamento hoc modo facta: *Constantinus* natu maximus tenuit Hispaniam, Galliam, Alpes et Britanniam, *Constans* Italiam, Africam, Graeciam et Illyricum. *Constantius* minimus natu Orientem tenuit. Hic cum non esset par ingenio fratribus, tandem monarchia potitus est. Cum enim maximus natu Constantinus superbior et inquietior esset caeteris, non contentus suis provinciis, fratri Constanti bellum intulit, ut Italiam occuparet. Sed cum ad Aqui-

leiam pervenisset, praelio victus est a Constantis exercitu: et cum equus vulneratus Constantinum excussisset, multis ictibus confossus est, anno aetatis vicesimo quinto, imperii nondum finito triennio.

Constans imperator.

Accesserunt igitur *Constanti* ad suam partem omnes provinciae, quas frater Constantinus tenuerat. Regnavit annos tredecim, vixit annos triginta. Fratrem vicit anno aetatis suae vicesimo. Fuit initio iustus et strenuus: sed postea propter morbum articularem deditus voluptatibus neglexit gubernationem, et multa crudeliter fecit. Quare in urbe *Augusta Rhetica* contra eum factus est imperator *Magnentius*, qui tunc praeerat Rheticae. Hic interfecit Constantem quiescentem in cubiculo. Estque mors eius eo insignior, quod Magnentium antea in Illyrico ipse servaverat, tectum sua purpura cum milites eum interfecturi essent. Nunc talem gratiam servatori reddidit, qualem Cassius et Brutus Iulio reddiderunt. Sed seipsum quoque aliquanto post interfecit, ut mox dicam.

Constantius imperator.

Constantius enim tertius frater, ut puniret Magnentium, septuaginta millia hominum adversus eum duxit. His occurrit in Illyrico cum exercitu triginta millium Magnentius, confisus robore Gallico et Germanico. Etsi autem victor fuit Constantius, tamen caedes tanta facta est, ut in eo praelio vires Romani imperii ita cecidisse dictum sit, ut peregrinae gentes, quae postea in Galliam et Italiam infusae sunt, reprimi non potuerint. *Magnentius* victus Lugdunum fugit, ubi cum necasset amicos, quorum ei fides suspecta fuit, postea sibi ipse mortem conscivit.

Solus igitur *Constantius* monarchia potitus regnavit annos viginti quatuor. Mortuus anno aetatis suae quadragesimo primo. Successit igitur patri adolescens, circiter annum decimum octavum aetatis suae, qua in aetate facile ab astutis hypocritis deceptus est. Ac idem ille Presbyter, qui Constantiam sororem Constantini Magni ad Arianos inflexerat, huius principis animum ad eos inflexit, quia custos testamenti patris fuerat. Idque primum Constantio exhibuit. Fuit autem foelix in bellis civilibus. Postea duxit exercitum adversus Alemanos, cum quibus, cum pacem peterent, foedus fecit. Id actum esse in *Rauracis* scribit Marcellinus. Nec vero dubium est, Rauracos fuisse, ubi nunc urbs est *Basilea* ad Rhenum. Postea nominantur reges Alemanorum ad Argentoratum Festradus et Gnademarius. Undecunque igitur appellatio *Alemanorum* fuit, tunc eas gentes complexa est, quae sedes tenuerunt ab Alpibus ad Moguntiam usque. A Moguntia Rheni ripam et Belgicum Franci tenuerunt. Hae duae appellationes illis temporibus praecipuae fuerunt in hac regione, quae ab Alpibus inter Rhenum et Saltum Turingicum usque ad mare porrigitur. Ac saepe cum Romanis Alemani et Franci dimicarunt. Postea inter sese magna bella gesserunt, donec Francorum fortuna fuit victrix.

Sed redeo ad Constantium. Is ex Oriente discedens adversus Magnentium, praeesse iussit Orienti filium Constantii, qui fuit frater Constantini Magni, nomine *Gallum*, eumque adoptatum Caesarem dixit. Sed multa crudeliter et petulanter facientem iussit interfici, cum annos quatuor Orienti praefuisset. Deinde *Iulianum* Galli fratrem, natum patre Constantio, qui fuit Constantini Magni frater (ut iam dictum est) adoptatum Caesarem dixit, eumque adversus Alemanos misit, quos Iulianus magno praelio ad Argentoratum vicit. Idem postea descendens ad Agrippinam Coloniam, recipit eam, occupatam a Francis quos *Salios* nominant, a flumine *Sala* dictos, ut Marcellinus dicit. Hi Tungrorum sedes, id est, regionem Iuliacensem tunc tenebant. Postea et Francos Attuarios vicit, qui fuerunt ubi nunc Leodium est.

Interea Constantius imperator bella cum Sarmatis et Persis gessit. Cum autem audivisset, Iulianum imperatorem et Augustum dici, et cum exercitu ad Byzantium accedere, relicto Persico bello exercitum contra eum duxit. Sed in reditu in Cilicia febre exinctus est, anno imperii vicesimo quarto, aetatis quadragesimo primo.

Ipse narravit, se speciem quam antea in secundis rebus saepe laetam vidisset, tunc cum aegrotaret, vidisse moestam, et lugenti similem. Qua de re eruditi disputarunt, fuisse Genium ipsius, qui solitus fuerit ipsum comitari: et citantur Graeci versus: *Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ Ἅπαντος ἐστὶ μυσταγωγὸς τοῦ βίου.*

Ecclesiae certamina post mortem Constantini Magni.

Etiam sapientum et bonorum principum animi sunt mutabiles. Ita Constantinus Magnus biennio ante mortem a sorore Constantia persuasus, exulantem *Arium* revocavit, et Athanasium relegavit. Ea mutatio voluntatis in principe rursus accendit Ariana certamina. Nam cum pulso Athanasio reversus esset Alexandriam Arius, veluti triumphans: valde confirmavit suam factionem, et multi Episcopi qui antea metu tacuerant, aperte eius sententiam propugnare ceperunt, praesertim post Constantini mortem.

Latuit autem exul Athanasius apud Maximinum Episcopum Trevirorum annos duos et menses quatuor. Nam filius Constantinus vir magnanimus, qui ex testamento patris Gallias tenebat, perfecit ut Athanasius in Alexandriam reduceretur. Iamque Arius mortuus erat, ut antea dictum est: et adolescens Constantius nondum aperte tuebatur Arianos, etsi familiares ei erant Episcopi quidam Ariani.

Receptus Athanasius triennio retinet gubernationem. Interea artificiis Eusebii Nicomedensis et aliorum magis alienatus Constantius ab orthodoxis, pellit ex Constantinopoli *Paulum*, et ex Alexandria *Athanasium* recte sentientes. Cum exercitu Georgius quidam praeficitur Ecclesiae Alexandrinae. Abdidit igitur se in latebras Athanasius. Cumque ab adversariis ad necem studiose quaereretur, aliquanto post effugiens Romam profectus est. Rursus igitur exulat: et Romae aliquantisper manent apud Iulium Episcopum, et ipse et Paulus Constantinopolitanus. Deinde ad Constantem imperatorem accedunt, qui victor Occidentem tenebat. Apud hunc tandem res eo deducitur, ut consensu fratrum *Constantis* et *Constantii* Synodus indicta sit, quae in Illyrico in urbe *Sardica* convenit, anno decimo post mortem Constantini Magni, anno Christi trecentesimo quinquagesimo primo. Convenerunt in urbe Sardica ducenti quinquaginta Episcopi. Inter hos fuerunt Athanasius et *Hosius* Cordubensis Episcopus, quem epistola Synodi dicit grandem natu fuisse, *εὐγηρότατον,* et maxime dignum honore propter perpetuam constantiam in confessione veritatis inter multas afflictiones. Haec Synodus testata est, se amplecti Nicenum Symbolum: et damnat ab eo dissentientes. Extat Synodi decretum apud Theodoretum, in quo haec verba sunt: *Μηδέ ποτε πατέρα χωρὶς υἱοῦ· μήτε υἱὸν χωρὶς πατρός. μήτε γενέσθαι, μήτε εἶναι δύνασθαι.*

Tanta fuit autem eius aetatis calamitas, ut eodem tempore *ἀντισύνοδος* in Thracia in urbe Philippopoli convenerit, quod accidit, quia non fuit unicus gubernator, ut fuerat Nicenae Synodi Constantinus: et iam non erat imperatorum consensus: et adolescens Constantius a suis assentatoribus depravabatur. Talia mala oriuntur ab iis, qui principum voluntates distrahunt. Et quarto anno post hanc Synodum sequuta est Synodus Syrmiensis, cui interfuit Constantius, contraria Sardicensi. Cogitandum autem est, quanta calamitas fuerit, cum subinde concurrerent Synodi, Antisynodi, et retractationes priorum Synodorum. Fuerunt enim impiae Synodi frequentiores post Sardicensem sex corrumpentes Nicenum Symbolum, videlicet: in Syrmio, Arimino, Mediolano, Seleucia Isauriae, Constantinopoli, Antiochia, de quibus mox pauca dicam, ut considerentur Ecclesiae calamitates. Prius enim Athanasii historiam breviter complectar.

Post Sardicensem Synodum Constans imperator a fratre Constantio petiit, ut Athanasio gubernationem Alexandriae Ecclesiae restitueret: et palam minitatus est, se eum reducturum esse, si frater non restituat. Ibi quanquam diu res arte differtur: tamen Constantii amici metuentes fratrem suadent, ut potius reditum Athanasio concedat, quam bellum civile attrahat. Tandem igitur concedit Athanasio reditum Constantius, sed aliquanto post mortuo Constante rursus iubet eum eiici Constantius, quia fuerit fratri incitator ad bellum movendum. Exulat igitur tertio Athanasius, latitans in Libya sex annos, usque ad mortem Constantii.

Interea magnam crudelitatem exercuit Alexandriae Episcopus Georgius. Virgines duxit ad ignes, minitans eis necem, nisi iurarent se abiecturas esse doctrinam Athanasii.

Rediit autem Iuliani tempore Athanasius. Et postea quanquam Iulianus eum interfici iusserat, tamen mansit in gubernatione Ecclesiae Alexandrinae usque ad annum septimum Valentiniani. Suntque anni sex et quadraginta ab initio gubernationis Athanasii usque ad eius mortem. Interea quantas viderit Ecclesiae calamitates, et quas aerumnas ipse tulerit, in quibus tamen divinitus servatus est, series historiae ostendit.

Nicenae Synodi finis incidit in annum vicesimum primum Constantini. In annum Christi trecentesimum vicesimum nonum.

Anno tricesimo Constantini. Anno Christi trecentesimo tricesimo nono fuit Synodus Tyria, et receptus est Arius, qui tamen aliquanto post Constantinopoli mortuus est, cum ex Tyro Synodus eo vocata esset.

Anno decimo post mortem Constantini.

Anno Christi trecentesimo, quinquagesimo primo.

Anno post Nicenam Synodum tricesimo primo fuit Synodus *Sardicensis*, pia, confirmans Nicenam.

Anno Constantii quinto decimo, videlicet quinto post Sardicensem Synodum, fuit Synodus *Syrmiensis*, in qua et ipse Constantius adfuit, moto bello adversus Magnentium, contraria Nicenae.

Sequuntur Syrmiensem exiguis intervallis Synodi impiae: Ariminensis, Seleuciensis et Antiochena.

Occasio autem convocandae Synodi Syrmiensis haec fuit: Ut semel motis rebus multi exemplo fiunt audaciores, et novos tumultus movent, et *ἀναρχία* concedit licentiam, Photinus Syrmiensis Ecclesiae Presbyter et Arianos et Orthodoxos vituperare coepit, et abiecta utraque sententia renovavit blasphemiam Samosateni. Negavit esse duas naturas in Christo nato ex virgine. Ac *λόγον* in Iohanne interpretatus est decretum de redemptione hominis, et restitutione vitae aeternae per hunc hominem, quem ad id missurus esset. Et contendit, nequaquam esse *λόγον ὑφιστάμενον*, qui fuisset antequam hic homo Christus ex virgine natus est.

Fuit autem tanta Photini confidentia, ut se audiri coram ipso imperatore Constantio postularit. Aderant ex Asia praecipui Episcopi, inter quos cum excelleret *Basilius* Ancyrae in Galatis Episcopus Arianus, hic acerrime refutavit Photinum. In ea causa Decreta facta sunt laude digna, Quod *λόγος* sit *ὑφιστάμενος*. Extant ea decreta in Socrate scholastico, quae digna sunt consideratione.

I. Decretum.

Εἴ τις, τὸ Ποιήσομεν Ἄνθρωπον, μὴ τὸν πατέρα πρὸς τὸν υἱὸν λέγειν, ἀλλὰ αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν τὸν θεὸν εἰρηκέναι, ἀνάθεμα ἔστω. Hoc est: Si quis hoc, *faciemus hominem*, non Patrem ad Filium dixisse, sed ipsum ad sese Deum dixisse, anathema sit.

II. Decretum.

Εἴ τις τῷ Ἰακὼβ μὴ τὸν υἱὸν ὡς ἄνθρωπον καταπεπαλαικέναι: ἀλλὰ τὸν ἀγένητον θεὸν, ἢ μέρος αὐτοῦ, λέγει, ἀνάθεμα ἔστω. Hoc est: Si quis cum Iacob non filium tanquam hominem colluctatum esse dixerit: sed non gentium Deum, aut partem Dei, anathema sit.

III. Decretum.

Εἴ τις τὸ, Ἔβρεξε Κύριος παρὰ κυρίου, μὴ ἐπὶ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκλαμβάνει: ἀλλ' αὐτὸν παρὰ ἑαυτοῦ λέγει βεβρεχέναι, ἀνάθεμα ἔστω. Ἔβρεξε γὰρ Κύριος ὁ υἱὸς παρὰ κυρίου τοῦ πατρὸς. Hoc est: Si quis hoc: *Pluit Dominus* a *Domino*, non de Patre et Filio accipit, sed ipsum a seipso pluisse dixerit, anathema sit. Pluit enim filius Dominus a patre Domino.

Haec recito, quia ostendunt, et vetustatem haec dicta in Moise de *Filio* intellexisse.

Agitata est etiam tunc quaestio de his modis loquendi: Pater natura genuit filium, non genuit voluntate, id est, contingenter, sicut contingenter creaturas condidit.

De his modis loquendi extant commonefactiones in Nazianzeno et in Longobardo libro 1. Dist. 6.

Caetera acta Synodi Syrmiensis impia et perniciosa fuerunt. Processit enim Synodus ad controversiam *Arii*, cui ut humano consilio mederetur, conata est silentio obruere mentionem vocabuli *ὁμοούσιος*, et voluit in symbolo poni *ὁμοίος* pro *ὁμοούσιος*. Hunc cothurnum si utraque pars acciperet, existimabant discordiae finem fore, quia utraque pars filium esse fateretur, et quidem similem patri, omissa quaestione, an sit *ὁμοούσιος*? Subscripsit huic decreto et pius senex *Hosius* Cordubensis Episcopus, coactus ut narrant, cum tamen antea veritatem constanter defendisset. Ita discessum est ex Syrmio. Sed mox ambiguitas ab Orthodoxis repudiata est, quod insidiosa esset. Et semper in docendo ambiguitas dissensiones parit.

Post biennium Constantius Mediolanum venit, cum iam victus esset Magnentius. Ut igitur Syrmiensia decreta confirmarentur, incitant eum

Ariani, ut in Italia Synodos convocet. Et scribit Theodoretus de levitate Constantii haec verba: *τὸν πάντα ῥαδίως πειθόμενον,* quod facile ad mala consilia impelleretur. Vocat igitur Episcopos Mediolanum, ubi Ariani ausi sunt primum postulare, ut Synodi Tyriae acta confirmarentur, et rursus ex Alexandria pelleretur Athanasius. Huic postulationi constantissime adversati sunt *Paulinus* Episcopus Trevirensis et *Dionysius* Episcopus Albae in Latio, intelligentes moliri ipsos oppressionem symboli Niceni. Cum igitur imperatori coram dicerent, iniusta peti, discesserunt. Ita haec Synodus dissoluta est. Sed sequenti anno plures *Ariminum* convocat. Ibi maiora et longiora certamina fuerunt. Palam petita est Syrmiensis decreti confirmatio. Et nominatim postulatum est, ut deleretur in symbolo *ὁμοούσιον.* Sed Occidentales circiter ducenti contradixerunt, qui ad Constantium legatos et scriptum de sua confessione miserunt. Sed Constantius eluderet acta contando, rescripsit, ne ex Synodo discederent, donec legatos auditos remitteret. Cum autem mora longior esset, pii ad suas Ecclesias redierunt. Hic fuit exitus Synodi Ariminensis.

Interea vero dat mandata Constantius in Oriente et Occidente, ut Syrmiensi decreto subscribatur, et pellantur ex Ecclesiis qui nolint subscribere.

Eodem tempore Synodus fuit Orientalium in urbe Isauriae *Seleucia*, ubi maior fuit numerus Arianorum, ac plurimi receperunt vocabulum *ὅμοιον.* Sed cum magnae altercationes ortae essent de hoc cothurno: An *ὅμοιον* intelligendum esset de essentiae similitudine, an vero voluntatis, et aperte affirmarent plurimi, se tantum voluntatis similitudinem intelligere, surrexit legatus Caesaris, et dixit, se non adfuturum sine fine rixantibus. Cum igitur hic nollet in consessum redire, discesserunt et multi Episcopi. Hic fuit exitus Synodi Seleuciensis.

Concurrerunt passim alibi alii. Sed breviter recito frequentiores Synodos, quarum tristia exempla intuentes cogitemus, quanta fuerit Ecclesiae calamitas, cum subinde maiores distractiones ex Synodis orirentur.

Post biennium cum iam Constantius Antiochiam venisset propter bellum Persicum, Synodus eo convocata est, quae magis turbulenta fuit prioribus, et cumulavit blasphemias. Quia ibi ne hoc quidem recipere impii voluerunt: *Filium* similem esse Patri, et contenderunt esse dissimilem patri filium.

Exemplum vero extat sophistices in hac narratione insigne. Usus est enim *Acacius* hoc argumento:

Pater neminem colit.
Filius colit Patrem.
Ergo sunt dissimiles.

Cumque usus esset hic praestigiator verbo *Ἀσεβής*, pro non colente alium, quod alioqui significat Impium, totius populi clamore reprehensa est prophanitas vocabuli. Postea etsi vocabulum aliter interpretabatur, tamen iusto odio sophistices explosus est. Et addit historicus: *Περὶ τοιαυτὰς ἀχολούμενοι λέξεις, τὴν ἐκκλησίαν διέσπασαν.* Circa tales occupati dictiones Ecclesiam distraxerunt. Ut omnibus aetatibus in defensione falsorum dogmatum singulares argutiae excogitantur, quae ipsa novitate capiunt rudes.

Synodi autem Antiochenae finis fuit Constantii discessus, qui rediturus erat Byzantium, ut Iulianum reprimeret. Sed in reditu in Cilicia morbo extinctus est.

Breviter autem de his impiis Synodis dixi, ut videant iuniores, saepe etiam in Synodis frequentibus magnus errores confirmatos esse: Nec anteferendas esse Synodos perspicuis testimoniis, quae tradita sunt in scriptis propheticis et apostolicis.

Ac iuste reprehenditur *πολυπραγμοσύνη* Constantii, qui toties convocavit dissimilimos homines, fuitque infoelix, quia malorum consiliis regebatur, qui aut stabilire impia dogmata, aut arte maiores distractiones facere conabantur, ne ipsorum autoritas labefactaretur. Sicut et nostro tempore arte factas esse distractiones vidimus.

Duae autem fuerunt piae et utiles Synodi tempore Constantii: altera Sardicensis, de qua supra dictum est, vivente adhuc Constante. Altera circa id tempus fuit *Gangrensis* in oppido Galatarum Gangra, quod nomen scribunt significare Capream, lingua Heneta. Et hodie Boiemis id vocabulum capream significat.

Narratur occasio, quod Eustathius quidam secessus quaesiverit tanquam monachus. Hunc imitati multi ritus novos instituerunt: prohibuerunt coniugium, et multas nuptas ad se attraxerunt, quarum aliquae etiam virili vestitu tectae

latere voluerunt. Fuitque cum multis stupri consuetudo. Damnaverunt habentes proprium. Noluerunt accedere ad communis Ecclesiae Sacramenta, quia administrarentur per sacerdotes maritos. Instituerunt et delectus ciborum, etc.

Anno mundi quater millesimo.
Anno Romae millesimo centesimo decimo quinto.
Anno Christi trecentesimo sexagesimo quinto.

Iulianus Apostata.

Iulianus Apostata regnavit solus annum et menses septem, cum antea a Constantio Caesar dictus collega eius fuisset sexennio. Natus est patre Constantio, fratre Constantini Magni, et matre Basilina nobilissima foemina. Adolescens ab Episcopo Nicomediae doctrinam Ecclesiae didicit, et professione Christianus fuit, ac institutus in collegio Nicomedensi, cum valeret ingenio et eloquentia, cito factus est lector in Ecclesia. Interea clam auditor fuit Libanii, qui tunc Nicomediae rhetor fuit, studiosus Atticae elegantiae, ut ostendunt eius scripta, quae adhuc extant. Ille inflexit eum ad Ethnicos. Paulatim et aliis ethnicis disertis et philosophis familiaris factus, Iamblico, Maximo Byzantio et aliis, coepit superbe fastidire Ecclesiae doctrinam, et anteferre opiniones ethnicas natas in humana ratione, et palam hostis factus est Christi.

Postea ingenii vanitate dedidit se et magicis artibus et ex Magorum praeceptis mactavit *humanas hostias* divinationum causa. Ac solus imperio potitus edidit edicta contra Christianos, et rursus iussit aperiri templa idolorum et eis sacrificari, et in nomismate symbolum fecit: *Iovem* diadema ipsi imponentem, Palladem circumdantem ipsi chlamydem, Mercurium tribuentem ipsi sceptrum. Reditus Ecclesiis eripuit, ne possent ali docentes et discentes, et virulentos iocos addidit: se facere expeditiores ad regnum coeleste spoliatos facultatibus, quia in ipsorum libris scriptum sit: Beati pauperes, quia eorum est regnum coelorum. Vetuit Christianis tribui honores militiae. Prohibuit Christianorum filios admitti in scholas rhetoricas, dicens: *οἰκείοις πτέροις βαλλόμεθα,* propriis pennis ferimur. Scripsit et ipse libros contra Ecclesiae doctrinam, in quibus praecipue exagitat prohibitiones vindictae. Ait, tolli Magistratus, iudicia, poenas, legitima bella, confirmari latrocinia in infinitum, denique pugnare eam doctrinam cum sensu communi, et tollere nervos humanae societatis.

Refutarunt has calumnias Nazianzenus et Cyrillus, qui tamen et ipsi frigide respondent. Distinguunt consilia et praecepta, cum responsio vera, firma et luculenta haec sit: Evangelio maxime confirmari et muniri politicum ordinem. Nec prohiberi vindictam ordinatam, quae ad officium Magistratus pertinet, sed inordinatam, quam privati exercent, sicut haec distinctio Dei beneficio in nostris Ecclesiis perspicue illustrata est.

Iudaeos etiam hortatus est odio Christianorum, ut suam politiam instaurarent, et eis defensionem et immunitates promisit. Convenit igitur ingens multitudo Iudaeorum, et magna spe collatis sumptibus et opibus templum aedificare coepit. Sed cum fundamenta iacerent, magno terraemotu dehiscente terra inter fulmina totum opus disiectum est, et multa millia Iudaeorum ruinis oppressa sunt. Ita didicerunt Iudaei se frustra niti contra Dei decretum. Inter aedificandum signa crucis in vestitu et in panibus passim Iudaeis facta sunt, ac similia exercitui Iuliani facta sunt ante annum accedenti ad Byzantium initio imperii.

Caeterum et privatim propter Christianam professionem aliquos interfecit, multis honores ademit, ut Ioviniano, Valentiniano et Valenti, cum scripta legisset, et in quibus doctrina Christiana defenderetur, reddidit ea cum hac brevi inscriptione: ἀνέγνων, ἔγνων κατέγνων.

Vicissim autem et nostri scripta contra eum ediderunt. Et extant Nazianzeni duae orationes, in quarum altera et gestuum ipsius descriptio est, memoria digna, quae significat ex gestibus conieturam de ingeniis et voluntatibus fieri. Verba haec sunt: Fecit me vatem gestuum ipsius deformitas et ingens admiratio, siquidem optimus vates est, qui ex coniecturis optime ratiocinatur. Nequaquam vero mihi haec boni hominis signa esse videbantur: Colli crebrae conversiones: humeri alternis subsultantes; oculi torvi, vagabundi et furibundam quiddam contuentes; pedes instabiles, crebrae geniculationes; nasus contumeliam et contemptum spirans, figura vultus derisionem significans, quoquomodo variabatur. Risus crebri altum crepantes; nutus, renutus sine sermone, sermo interruptus, non complens sententiam; interrogationes crebrae, confusaneae et stultae; re-

sponsiones inconcinnae, coacervatae, inter se dissidentes et sine ordine. Quis singula describat? Talem vidi ante facta, qualem esse postea facta ipsa ostenderunt. Etsi adessent qui tunc mecum fuerunt, et eadem viderunt, testes essent huius meae narrationis, qui meminerunt etiam, me edidisse hanc vocem: *Quanquam pestem Romana monarchia nunc alit?*

Fuit autem Athanasii vaticinium verum, qui cum Ecclesiae passim in magno dolore et metu essent, dixit hunc tyrannum *nubeculam* esse cito transituram. Congruit enim exitus eius cum Psalm. 55.: Viri sanguinum et dolosi non attingent dimidium dierum suorum. Cumulaverat scelera, cultum idolorum, blasphemias, magiam, saeviciam erga Christianos, seditionem contra imperatorem. Quanquam igitur antea cum Caesar esset, foeliciter represserat Alemanos et Francos: tamen solus imperio potitus cito periit. Nam bellum gerens cum Persis, in praelio vulnus in epate accepit a milite, qui quis fuerit, nescitur. Relatus in castra sanguinem cava manu excipiens sursum sparsit, clamans: Vicisti tandem Galilaee. Hac voce emissa, qua fatetur impiam suam voluntatem, et ostendit ingentem fremitum et sensum poenarum, extinctus est, anno aetatis suae secundo et tricesimo.

Narrant Didymum Alexandrinum in somnio vidisse candidos equos, et in his equites dicere: Narrate Didymo, hac hora Iulianum interfectum esse.

Iam lector integram Iuliani historiam intueatur, quae exiguo tempore insignes mutationes habuit. Decennio cum collega esset Constantii in bellis legitimis adversus Alemanos et Francos, fuit foelix. Postea movit seditionem, et occupavit Constantii provinciam. Ostendit se hostem esse Christi, saevicíam exercuit in Christianos gladio, stylo et variis technis, bonorum et facultatum ereptione, et incitatis Iudaeis. Palam etiam exercuit magicas artes. Haec scelera tristis exitus cito sequutus est.

De templo Delphico.

Utilissimum est autem in historia Iuliani hoc considerare, quod Deus duobus illustribus miraculis ostendit, eodem tempore, suam iram adversus Iudaeos et Ethnicos. Dixi antea quid acciderit Iudaeis cum Ierosolymae concedente Iuliano rursus condere templum cepissent. Terraemotu disiectae sunt moles, et absorpti multi homines, et pars operum et machinarum et multi homines fulminibus accensi perierunt.

Eodem tempore in alia orbis terrarum parte Delphicum templum, quod Ethnicis praecipuum fuit, divinitus, non hominum manibus, deletum est terraemotu et fulminibus, cum Iulianus legatos eo misisset, interrogaturos de eventu belli Persici. Saepe antea direptum, et aliquoties deletum est Delphicum templum, sed rursus extructum et ornatum. At post hanc eversionem divinitus factam, Iuliani tempore, nunquam deinceps instauratum est.

Primi narrantur, Phlegyae qui fuerunt in Thessalia Iapithae, combussisse Delphicum templum. Deinde partes aliquas, Xerxis milites. Post hunc Phocenses ipsi, deinde Brenni exercitus accendit. Toties instaurationes factae sunt. At post Iulianum nulla facta est instauratio.

Horum duorum templorum Iudaici et Delphici eversio divinitus facta eodem tempore insolentiam Iudaeorum et Ethnicorum valde repressit, et pios confirmavit. Haec miracula in Iuliani historia considerare valde prodest.

Anno mundi quater millesimo trecentesimo vicesimo nono.
Anno Romae millesimo centesimo decimo septimo.
Anno Christi trecentesimo sexagesimo septimo.

Iovinianus.

Iovinianus militum suffragiis factus est imperator. Vixit in imperio septem menses. Notus enim fuit militibus, et quia ductor fuerat ordinis domesticorum, et quia pater Varronianus clarus fuit, qui fuit Pannonicus, comes ordinum agri Singidunensis, qui non procul abest ab Ulpia Traiana, quae nunc Corona nominatur. Initio professus est se Christianum esse, et amplecti Nicenam Synodum. Pacem fecit cum Persis, reddita ipsis Mesopotamia. Qui cum sciret imperium a Iuliano turbatum esse, redire in Asiam cogitabat, ut tranquillitatem Ecclesiis et multis gentibus restitueret. Iussit revocari exules, qui pulsi erant propter veram professionem. Mandavit Ecclesiis restitui partem redituum, quos eis Iulianus ademerat, ac testatus est propter famem

nunc veteres reditus integros non posse restitui. Iussit rursus claudi idolorum templa.

Cum autem Antiochiae aliquandiu moraretur, multis prodigiis sequentia mala significata sunt: Cometa interdiu conspectus est. Conflagravit locupletissima bibliotheca Antiochena. Brevi post Iovinianus cum ad Bithyniam accessisset, mortuus est morbo, qui ex intemperantia ortus esse existimabatur.

Anno mundi quater millesimo trecentesimo tricesimo.
Anno Romae millesimo centesimo decimo octavo.
Anno Christi trecentesimo sexagesimo octavo.

Valentinianus primus.

Valentinianus imperator militum consensu factus est, cum iterum Tribunus militum a Ioviniano factus esset. Nam sub Iuliano dimissus erat, eo quod sacrificulum pugno percusserat, aspersus lustrali aqua, in ianua templi, ubi idolo Iulianus sacrificabat. Tenuit imperium annos undecim. Natus fuit in Pannonia in oppido Bibalis in ripa Savi, quod non procul fuit a Taururo, quod nunc est Belgradum.

Post triginta dies accersivit inde Valentem fratrem, eumque consortem imperii fecit, et Augustum nuncupavit, aliquanto post et Gratianum filium Valentinianus imperii consortem fecit, et Augustum nominavit. Fuit autem infoelix fratrum dissimilitudo. Suntque initio imperii ingenti terraemotu significata mala, quae ex impietate et saevicia Valentis orta sunt: magnis spaciis et horrendis hiatibus mare terras reliquit. Commendavit autem Valenti Orientem frater. Ipse audita fama novorum bellorum, quae *Alemani* et *Saxones* moverant, properavit in Galliam. Dux enim Alemanorum *Brando* Moguntiam coeperat, et inde magnam Christianorum multitudinem viros et mulieres abduxerat. Aliquot magnis praeliis Valentinianus Alemanos repressit. Ad Nicrum etiam condidit arces. Deinde infra Coloniam Agrippinam in Tungris repressit Saxones.

In urbe Constantinopoli Valentinianus aeneum modium collocavit, ne mensurae diminui possent, et quibusdam qui diminuerant praecidit manus, quas ibi suspendit. Haec Suidas.

Saxones.

Primum autem hic in bellis imperatorum fit mentio *Saxonum*, cum quibus et postea tanto cum periculo dimicatum est, ut Sidonius Apollinaris Episcopus Arelatensis scribat: *Nullus hostis hoste Saxone truculentior est, nec robore tantum et audacia, sed etiam consilio et arte vincit.* Ac limites veteris Saxoniae fuerunt ad Occasum *Amasis*, ad Ortum *Albis*, ad Meridiem *Boiemi* et *Franci*, ad Septentrionem *Cimbrica* Chersonesus, et in vicino littore *Heneti.*

Ut autem ex Oriente caeteras vicinas gentes progressas esse verisimile est, Getas, Daos, Cimmerios, Germanios, Suevos. Ita et horum vicinos Sacas ex Asia progressos esse existimo, et inde originem et nomen esse Saxonum. Alii nomen Saxones faciunt ab Ascanes, sed sonus propior est vocabulo *Sacae*, et fuisse Sacas inter praecipuas gentes Persici regni, ex Ctesia, Herodoto et Xenophonte apparet.

Nomen Ascanes significat Custodem ignis. Nomen Sacae aequale est, quasi dicas, iusti et liberi, vel vates. Dum autem Valentinianus reprimit Alemanos et Saxones, interea Theodosius Magister equitum, qui postea factus est imperator, bellum gerit in Rhetia, inde mittitur ad pacandam Africam contra Firmum. Redit deinde Valentinianus in Pannoniam commendata Gallia et vicinis provinciis filio Gratiano. Intulerant enim Quadi bellum vicinis Pannoniis. Sed territi adventu Valentiniani pacem petunt. Ibi cum in excusatione quaedam falso dixissent, iratus Valentinianus magna vocis contentione eos obiurgavit. Eam commotionem subita febris secuta est, qua intra paucos dies extinctus est anno aetatis quinquagesimo quinto, cum tenuisset imperium annos quindecim, menses octo et dies viginti. Defendit Ecclesiae pacem, amplexus symbolum Nicenum. Fratri Valenti saepe hortator fuit, ut et veritatem amplecteretur, et ne saevitiam in recte sentientes exerceret.

Valentinianus duas uxores habuit, Severam et Iustinam. Ex Severa natus est *Gratianus*, qui imperator factus, postea Theodosium et Valentinianum secundum sibi collegas adiunxit. Interfectus est autem *Gratianus* a praeside Galliae *Maximo*, qui deinde apud Aquileiam a militibus suis vinctus *Theodosio* traditus est, qui eum occidit.

Ex Iustina nati sunt Valentinianus secundus, Iusta, Grata et Galla, quam postea duxit Theodosius. Postquam autem Valentinianus secundus a Gratiano fratre consors imperii factus est, cum in urbe Galliae Vienna non cavet insidias, ab Arbogasto interficitur. Hi tristes exitus fuerunt filiorum imperatoris, qui iusticiae cultor fuit.

Redeo autem ad Valentem, qui superstes fuit fratri circiter triennium, cum antea simul cum fratre tenuisset imperium annos fere undecim, indoctus et crudelis, amplexus Arianam impietatem fratre eum dehortante, orthodoxos Episcopos in exilia misit. Initio bellum gessit cum Procopio Iuliani cognato qui rapere imperium conatus est. Hunc acie victum milites tradiderunt Valenti, qui eum occidi iussit. Deinde repressurus Persas duxit exercitum ad Antiochiam. Eo tempore multa fecit crudeliter contra orthodoxos. Revocatus autem in Thraciam, quia Gotti urbem Constantinopolim oppugnabant, in quorum exercitu nominatur dux Fridigernus, nominantur et Turingi. Reprimere Gottos coepit, sed cum ad Adrianopolim praeliaretur cum eis, vulnere accepto decidit ex equo, et in proximum tugurium ductus est, quod cum sequentes hostes incendissent, ipse quoque flamma consumptus est. Ita poenas dedit iniustae saeviciae, quam adversus Orthodoxos exercuerat, et quidem proficiscenti ad praelium praedixit vir sanctus, igni periturum esse.

Anno mundi quater millesimo trecentesimo quadragesimo quarto.
Anno Romae millesimo centesimo tricesimo secundo.
Anno Christi trecentesimo octuagesimo secundo.

Gratianus.

Mortuo Valente *Gratianus* Valentiniani primi filius, natus ex Severa in urbe Syrmio, et *Valentinianus* secundus, Gratiani frater, natus ex Iustina, successerunt. Fecit autem Gratianus consortem imperii Theodosium, cum quo annos quatuor regnavit, cum antea cum patre annos octo, cum patruo tres regnasset. Fuit eruditus. Scripsit carmen eleganter, et oratoribus aetatis suae praecipuis annumeratus est. Extat eius epistola ad Ambrosium Mediolanensem Episcopum scripta, in qua profitetur se amplecti symbolum Nicenum, et in fine addit Epiphonema, agnoscere se hanc suam confessionem non ita splendide scriptam esse, ut magnitudo rei poscit, sed dicere se de Deo quantum in hac infirmitate humana iuxta scripta prophetica et apostolica possit, non tantum quantum de magnitudine rerum divinarum se dicere posse optet.

Mortuo Valente revocavit exulantes Episcopos orthodoxos, et eiecit ex Ecclesiis haereticos, et symboli Niceni professionem omnes Ecclesias communi consensu amplecti iussit.

Vivo Valente post mortem patris ad Argentoratum Alemanorum triginta millia trucidavit. In eo praelio socios habuit Francos, ut scribit Marcellinus, et addit post eam victoriam vicinas provincias aliquandiu tranquillas fuisse. Quare Gratianus Pannoniam adit, ut Valenti contra Gottos opitularetur. Sed Valens non expectato eo dimicans periit.

Cum igitur Gratianus fortem, fidelem et peritum collegam quaereret, adiunxit sibi Theodosium. Hic Gottos in Thracia repressit. Ipse Gratianus in Galliam rediit, ubi omissa cura gubernationis deditus venationi et ludis, et Alanos milites domesticis anteferens in odium venit, et Lugduni a Maximo Galliae praeside interfectus est, anno aetatis vicesimo nono.

Interea Valentinianus Mediolani fuit adolescens, ubi Iustina eius mater favens Arianis Ambrosium Episcopum pellere conata est, et missis Gotticis satellitibus, vi iussit eum ex templo eiici. Hi cum irrupissent ad eum armati, affirmat se Ambrosius non discessurum esse a suo grege, sed si velint eum interficere, in templo se expectare omnes casus. Ipse scribit de Gottis haec verba: Olim plaustra eis domus erant, tunc templa pro plaustris habent, vociferantur, omnia imperatoris esse. Sed Deus affirmat, suas domos esse templa, in quibus sonat vera doctrina: Domus mea domus orationis vocabitur. Citat et hoc: Date Deo quae Dei sunt, et Caesari quae sunt Caesaris.

Cum autem Valentinianus Maximum fugiens auxilium a Theodosio peteret, rescripsit ei Theodosius, puniri eius impietatem, se ipsi non defuturum esse, si veram sententiam amplecteretur. Occurrit igitur Maximo venienti Aquileiam Theodosius, ubi cum praelio superatum Maximum sui milites Theodosio tradidissent, iussit eum Theo-

dosius interfici, quia et Gratianum occiderat, et postea misso ad eum Ambrosio Moguntiam, cedere de imperio noluerat. Scribunt et Episcopum Martinum cum ei familiaris esset, dehortatorem fuisse belli adversus Theadosium movendi.

Ambragatius dux Maximi sese in mare praecipitavit. Pacata Italia et vicinis provinciis Theodosius Romam accessit, ubi et templa idolorum claudi curavit, et multa turpia exempla sustulit. Valentinianus vero in Galliam discessit, quam post Maximi interitum rexit annos circiter quinque. Erant autem apud eum Eugenius scriba, et dux exercituum Arbogastus vir Gotticus, qui Francos represserat. Per hos duos Eugenium et Arbogastum corrupti cubicularii Valentinianum in urbe Galliae Vienna laqueo strangulant. Eugenius, qui se imperatorem nominaverat, postea captus non procul a Mediolano prostratus ad pedes Theodosii a militibus trucidatus est. Arbogastus sibi manu sua mortem conscivit. Ita seditiosi et parricidae poenas dederunt.

Anno mundi quater millesimo trecentesimo quadragesimo quinto.
Anno Romae millesimo centesimo tricesimo tertio.
Anno Christi trecentesimo octuagesimo tertio.

Theodosius.

Theodosius patre Honorio, matre Termantia Hispanus genere, natus in familia nobili, cuius origo ad Traianum refertur, haud dubie literarum et verae pietatis cultor, iusticia et fortitudine excellens, postremus Romanum imperium in Occidente et Oriente tenuit integrum. Nam sub filio Honorio *Franci* in Galliam progressi sunt, et mox Waramundus regio nomine in Gallia regnare coepit, et Roma capta est ab Alarico rege Gottorum.

Tenuit autem imperium Theodosius annos decem et septem, quibus comprehenduntur anni duodecim, quibus Gratiani et Valentiniani secundi collega fuit. Cum Magister equitum esset sub Valentiniano primo, pacavit Rhetiam et Africam. Deinde post mortem Valentis factus Gratiani collega multis praeliis vicit Gottos, donec Athalaricus rex Gottorum, qui Fridigerno successerat, pacem petivit, invitatus Constantinopolin, ubi cum ordinem gubernationis senatorum et ducum, et principis pietatem, iusticiam et modestiam considerasset, dixit se agnoscere a Deo hoc imperium ordinatum esse, nec fore felices eos, qui evertere conentur.

Postquam vero Maximus Galliae praeses Gratiano interfecto et Gallia occupata in Italiam transiit, et multos crudeliter interfecit, necesse fuit eum parricidae occurrere. Hunc cum vicisset, et interfici iussisset, Romam profectus, multa ibi emendavit, ac Valentinianum secundum in Galliam misit, ipse Constantinopolin rediit, ut discordias in Ecclesia tolleret, et eo convocavit Episcopos ex multis provinciis, ac monitus a Nectario Episcopo iussit scripta veterum Patrum proferri, qui ante dissidia vetustae et purioris antiquitatis testimonia ediderant. Quia verba prophetica et apostolica pravis interpretationibus haeretici eludebant. Haec Synodus sua decreta Romam ad Damasum Romanum Episcopum misit, cuius nomine extant asseverationes de multis quaestionibus, quas postea recitabo. Interea Theodosius non solum claudi idolorum templa in multis locis iubet, sed etiam prorsus destrui. Et sacrificia ethnica et *orgia* Bacchi, quae tempore Valentis adhuc duraverant, prorsus abolevit. Ita pacis tempore Elclesias, honestas leges et iudicia restituit. Hoc exemplo commonefacti pii principes sciant se debere idola, blasphemias et impios cultus externos abolere.

Haec dum in pace utiliter agit in Oriente, novum et terribile bellum in altera orbis parte movetur. Interfecto Valentiniano Eugenius et Arbogastus adducunt ingentem exercitum ad Alpes, ut Italiam occupent, et ostendit Eugenius se Iuliani exemplo instauraturum esse ethnica sacra. In vexillis Herculem pingit. Iam Theodosio non solum de imperio adversus seditiosos et parricidas dimicandum erat, sed etiam Christiani defendendi erant. Redit igitur ex Thracia in Italiam et exercitum adducit, cui decem millia Gottorum adiunxerat. In vexillis pingi literas curat $XP\Sigma$, significantes nomen Christi. Sic et aureos cudi iussit, in quibus tenet vexillum, in quo erant hae literae $XP\Sigma$. Videbat autem Theodosius difficilem et periculosam pugnam fore, quia magna multitudo et magnum robur fuit Gallici exercitus, et praelium in angustiis Alpium duces dissuadebant. Sed ipse cum noctem in precatione consumpsisset, eique insomnio species oblata esset, quae fuerat hortata eum ad praeliandum, ducit

exercitum intra fauces Alpium, et acerrimo praelio vincit hostem, cum quidem et divinitus adiuvaretur magnis ventorum flatibus, qui contrarii erant hostibus. Quare et Claudianus scripsit:

O nimium dilecte Deo, cui militat aether
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Eugenius adductus ad Theodosium, cumque prostratus ad pedes eius veniam peteret, a militibus astantibus capite truncatus est. Arbogastus in fuga, ne retractus in conspectu victoris poenas daret, ipse sibi manu sua mortem conscivit.

Pacato rursus imperio in Oriente et in Occidente *Theodosius* Mediolani mansit, et Stilliconem ducem natum in gente Heneta ad restituendam pacem in Gallia et Germania misit, quia seditiosis Eugenio et Arbogasto coniunctae fuerant. Eo tempore *Stillico* has regiones vicinas Albi et Harciniae pervagatus est, ut ex Claudiano intelligi potest, qui inquit:

Germanis responsa dabat legesque Caycis
Arduus, ei flavis signabat iura Suevis.

Item:

non indignante Cayco
Pascat Belga greges.

Et quidem dicit, non armis, sed opinione iusticiae motas has gentes quievisse:

Nec fama fefellit
Iusticiae, videre pium, videre fidelem
Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit.
Ante tubam nobis audax Germania servis.

Invenio et tunc Saxonicos et Turingicos exercitus collocatos esse ad defensionem limitis imperii contra Sarmatas, sive ad Viadrum sive ad Vistulam.

Recitatis bellis Theodosii, quae et iusta et Ecclesiae necessaria fuerunt, vita domestica et acta in pace considerentur. Natus ex Christianis parentibus in Hispania, recte didicit Ecclesiae doctrinam, et amplexus est symbolum Nicenum, et nullius haereseos contagio infectus fuit: Coniugem habuit priorem *Placillam*, ex qua nati sunt *Arcadius* et *Honorius*. Huius matronae castitas, pietas et beneficentia erga pauperes valde praedicatur. Hac mortua duxit filiam Valentiniani primi *Gallam*, ex qua nata est *Placidia Galla*, quae postea nupsit Constantio. Baptismum accepturus Thessalonicae, ubi aegrotaverat post praelia Gottica, interrogavit Episcopum de doctrina, ne ab haeretico Episcopo baptismum acciperet. Is cum confessionem suam et suae Ecclesiae exposuisset, et ostendisset se amplecti symbolum Nicenum, Theodosium baptizavit. Haec circumspectio pietatem eius ostendit, quam declarant et acta ipsius in Synodis et eversione idolorum.

Exemplum est poenitentiae et reverentiae erga Ecclesiam, quod ab *Ambrosio* exclusus ex templo, et lamentis ostendit poenitentiam, et octo mensibus non rediit in templum, donec acciperet sententiam absolutionis ab Ambrosio. Fuit autem haec causa, cur ab Ecclesia aceretur: Victo Maximo cum Mediolani esset Theodosius, per seditionem multitudinis in urbe Thessalonica interfecti sunt *Udericus* Praefectus et multi nobiles viri. Iratus igitur imperator eo cohortes aliquot misit, quae septem millia hominum interfecerunt. Ambrosius iniustam crudelitatem esse sentiens, quod non inquisitis sontibus promiscua caede saevitum esset in turbam innocentem et sontes, iubet Theodosium agnoscere delictum. Etsi autem severitas Ambrosii pia fuit: tamen causa consideretur indignationis Theodosii. Non fuit causa eversio statuae imperatoris aut coniugis, aut petulantia convitiorum, ut aliqui narrant. Talia errata atrociter punire tyrannicum est. Nec id solum movit Theodosium, quod Praefectum et multos viros nobiles multitudo iniuste trucidaverat, etsi hic dolor movere principem non leviter debet: sed alia fuit in principe casto maior causa dolorum: Rapuerat *Auriga*, gubernator ludorum Circensium, adolescentem ad stuprum. Hunc Aurigam Praefectus vir honestus incluserat carceri. Quia vero populus industria huius Aurigae delectabatur, poscit ut impunitus dimittatur. Quod cum denegaret Praefectus, per seditionem occisus est.

Tria igitur magna scelera concurrunt: Quod noluerunt puniri tantum scelus Aurigae: quod seditionem in causa turpissima moverunt: quod Praefectum et alios viros nobiles trucidaverunt. Propter has tantas causas cum princeps iusto dolore exarserit, non existimetur deliquisse more tyrannorum, qui propter nullas aut leves causas magnam saeviciam exercent, etsi excessit modum, sed in magnis viris Nemesis valde inflammatur. Hanc excusationem *Theodosii* addidi, quia multi de causa errant.

Cum autem instaret festus dies mense Decembri, quo publice celebratur recordatio nativitatis *Christi* ex virgine, accessit Theodosius ad templum, et reverenter petivit absolutionem, quam et pronunciavit ei *Ambrosius*. Addidit autem commonefactionem, ut ferret legem, ut post rescripta imperatoris differantur supplicia capitalia dies triginta, ne rei iniusta ira rebus non satis inquisitis interficerentur. Sumptum est autem exemplum ex veteri Attica consuetudine.

Ut autem maxime prodest discernere bonos principes a malis, ut Dei opera, et virtutum exempla considerentur: ita non est inutile conferre bonos. Constantinus bella maiora gessit, et terribilior fuit. Sed Theodosius etiam magnis rebus gestis, in toto imperio pacem fecit, Ecclesias protexit, et dissidia sustulit convocata pia Synodo, fuitque in coniugiis foelicior. Uterque veritatis eo fuit studiosior, quia literas norunt, et fontes doctrinae melius cognoscere potuerunt quam indocti. Utrunque *Deus* protexit, ne a tyrannis vincerentur, quia ambo Deum recte coluerunt, et Ecclesiis benefecerunt. Congruit exitus ad dictum: Plantati in domo Domini etiam in senecta florebunt.

Mortuus est autem *Theodosius* Mediolani anno aetatis sexagesimo quinto, die Septembris decimo septimo, anno imperii decimo septimo. Corpus Constantinopoli sepultum est. Extat laudatio Theodosii apud Ambrosium, qui inquit: Dilexi virum, qui cum corpore solveretur, magis de Ecclesiarum statu, quam de suis periculis angebatur.

Post eum imperium in Pannonia, Italia et Hispania a Gottis et Vandalis. Deinde ab Hunnis dilaceratum est. Galliam vero partim Franci partim Burgundi occuparunt. Prius autem quam de successoribus dicam, aspiciamus Ecclesiam qualis fuerit post mortem Constantii, sub Constantio, Iuliano, Ioviniano, Valentiniano primo, Valente, Gratiano et Theodosio.

In Oriente quia Constantinus deceptus blandiciis sororis revocaverat Arium, in Ecclesiis passim rursus excitatum est incendium Arianae impietatis, et crebris Synodis dissidia aucta sunt. Haec mala cum imperator Constans, qui Occidentem tenebat, reprimere conaretur, perfecit ut Synodus pia conveniret in urbe Sardica, anno post Nicenam Synodum vicesimo. Etsi autem Sardicensis Synodus pia decreta fecit, et Occidenti profuit: tamen Constantius cum non solum propter adolescentiam levis esset, sed etiam natura futilis, et domi ab assentatoribus regeretur, favit Arianis, et permisit ut late spargerent errorem.

Fueruntque post mortem Constantii aliae Synodi contrariae Sardicensi: Prima Syrmiensis anno quinto post Sardicensem. Mox sequuta est Arminensis, ubi Cothurnus factus in Syrmio profertur videlicet, ut pro ὁμοούσιος in symbolo legeretur ὅμοιος. Discedentibus igitur piis ex Arimino, cum imperator faveret impiis, audacia in Oriente crevit, et impia Synodus futilitate imperatoris in urbem Isauricae Seleuciam convocata est.

Biennio post Synodum Seleucianam rursus frequens Synodus imperiorum convenit Antiochiae, quo Constantius propter bellum Persicum exercitus duxerat, ubi ut fit inter malos dissidia creverunt. Natum est ibi tetrum sophisma, de quo supra diximus: Pater est εὐσεβής. Filius est ἀσεβής. Ergo est inaequalitas.

Mota est contentio de Spiritu sancto: An sit ὑφιστάμενος. De qua controversia postea ut dicam, regnante Theodosio in Synodo Constantinopolitana et in Damasi decretis vera doctrina restituta est.

Ex Antiochena Synodo Constantius rediturus in Europam adversus Iulianum, in itinere mortuus est, cum Ecclesias dilacerasset multis impiis Synodis.

Secuta est maior calamitas sub successore Iuliano Apostata anno Christi trecentesimo sexagesimo sexto. Ad priora dissidia accesserunt multa mala: Iulianus ipse palam defecit ad Ethnicos, et Ecclesiis reditus ademit, et in multos Christianos saeviciam exercuit. Publica etiam Ethnicorum sacrificia restituit, et multi exemplo principis a vera Ecclesia defecerunt, ut dicitur: Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Post biennium extincto Iuliano lenitae sunt hae calamitates. Iovinianus enim symbolum Nicenum amplecti se professus est, et Ecclesiis pios pastores et redituum partem restituit. Sub Valentiniano etiam mediocris tranquillitas fuit Ecclesiarum Occidentis. Sed Valens in Oriente confirmavit Arianorum impietatem, et multos pios Episcopos ex Ecclesiis expulit. In his tristissimis spectaculis dubitet aliquis: An et ubi fuerit vera

Ecclesia, cum tantum esset dissidiorum et furorum in maxima parte generis humani. Etsi autem vera Ecclesia exigua fuit, et oppressa Constantii, Iuliani et Valentis tyrannide: tamen Deus servavit reliquias. Romae duo erant Episcopi: alter praeerat piis: alter Arianis. Erant et duo Constantinopoli: Nazianzenus recte docebat, sed regium templum tenebat Demophilus Arianus. Basilius Caesareae propugnator fuit verae doctrinae, Ambrosius Mediolani, Hilarius in Gallia, et quidem in Occidente minus contagiorum fuit quam in Oriente.

Non igitur cogitemus, nullam esse Dei Ecclesiam, cum horribiles generis humani confusiones intuemur. Sed firma assensione teneamus articulum: Credo esse Ecclesiam catholicam, et simul sciamus hunc esse coetum, qui fundamentum retinet, et nos in hunc coetum includamus, et testimonia divina aspiciamus, quibus suam doctrinam Deus confirmavit. Deploremus etiam miseriam generis humani, quod semper horrendae confusiones sunt, fuerunt et erunt, quarum causae notae sunt ex doctrina Ecclesiae, et veris gemitibus petamus nos regi et protegi.

Haec admonitio in historiis saepe repetenda est, et contra talia spectacula nos confirmemus. Deinde tales historiae multa de Synodis monent. Vult Deus esse iudicia Ecclesiae, vult convenire pios, ut confessionem ostendant, et falsa dogmata reiiciant, sicut Actorum 15. conveniunt Apostoli.

Multae fuerunt piae Synodi, ut anno Christi ducentesimo septuagesimo tertio *Antiochena*, in qua senes multi convenerunt, qui dixerunt testimonia contra Samosatenum. Deinde anno Christi trecentesimo vicesimo octavo *Nicena* contra Arium et Novatianos. Anno trecentesimo quinquagesimo *Sardicensis*, quae Nicenam confirmavit. Anno trecentesimo octuagesimo quinto *Constantinopolitana* initio Theodosii primi, in qua vera doctrina de filio et Spiritu sancto illustrata est.

Interea vero multae concursationes impiae fuerunt, in quibus magna frequentia fuit Episcoporum: Ut paulo ante mortem Constantini Synodus *Tyria* fuit, anno Christi trecentesimo quadragesimo quinto, contraria Nicenae. Deinde Constantii tempore anno Christi trecentesimo quinquagesimo sexto *Syrmiensis*, cui interfuit imperator, contraria Nicenae. Anno trecentesimo sexagesimo secundo *Ariminensis*. Anno trecentesimo sexagesimo secundo *Seleuciensis*. Anno trecentesimo sexagesimo quinto *Antiochena*, cui Constantius imperator interfuit paulo ante mortem. Hae tres etiam corruperunt symbolum Nicenum. Sint igitur in conspectu etiam impiae Synodi, ut refutari possint hi, qui vociferantur, Synodos non posse errare.

Cum autem in Ecclesia oporteat esse iudicia, sciamus normam esse iudiciorum scripta prophetica et apostolica et symbola. Curandum est igitur, ut Synodi recte regantur, nec discedant a norma, ut aut multitudini, aut tyrannis assententur, sicut tunc sententiae gratae Constantio dicebantur, et regula tenenda est: *δεῖ δικάζειν οὐ πλήθει, ἀλλὰ ἐπιστήμῃ.*

Fuit Constantini tempore et *Gangrensis* Synodus, quae pia fuit. Est autem Gangra urbs vicina Galatis, in ea parte quam Heneti tenuerunt. Et scribunt veteres lingua Henetae Gangram significare Capream, ut nunc quoque Heneti Capream nominant. Ibi adversus Eustathium quendam et eius imitatores decreta facta sunt, qui certos cibos et coniugia prohibebant, et nolebant accedere ad eas Ecclesias, ubi sacerdotes erant mariti. Huius Synodi memoria retinenda est, ut et hoc vetus testimonium contra superstitiones de cibis et prohibitione coniugii notum sit.

Deinde post Valentem regnante Theodosio ex prioribus fluctibus aliquantulum emersit Ecclesia. Hic enim Synodum convenire iussit Constantinopoli, in qua contra Arianos et contra Macedonium et Eunomium et similes, qui negabant Spiritum sanctum esse *ὑφιστάμενον*, decreta facta sunt.

Eodem tempore et *Damasus Romae* Synodum convocavit, et decreta facta sunt communi deliberatione piorum, qui Constantinopoli et Romae erant, quae recitantur a Theodoreto libro 5. Sunt quoque revocati exules pulsi ex Ecclesiis tempore, Valentis. Consilium etiam Theodosii memoria dignum est, qui, cum haeretici eluderent testimonia prophetica et apostolica, iussit proferri testimonia ex piis scriptoribus, qui ante dissidia illa fuerant, et Codices ex veteribus bibliothecis suo sumptu protulit, ut consensu purioris antiquitatis convicti haeretici cederent. Idem, si nunc fieret, multae dissensiones recte tolli possent. Etsi enim vociferantur adversarii nostri, se defendere veterem consensum: tamen

oppugnant re ipsa, ac ludunt nomine consensus, cum intelligunt tantum recentium temporum consuetudinem pugnantem cum antiquitate. Manifestum est enim multa tetra deliria recepta esse ignota vetustati. Etsi autem fides nititur verbo *Dei*, et norma iudicii esse debent scripta prophetica et apostolica et symbola: tamen vocem purioris Ecclesiae docentis et commonefacientis audire pium est, iuxta dictum: Nisi arassetis vitula, mea, non invenissetis.

Consideremus autem aetates scriptorum, et fide dignos discernamus ab impuris. Aetas Theodosii habuit laudatos scriptores: Basilium, Ambrosium, Nazianzenum, Theodoretum. Extat et Hieronymi confessio ad Damasum.

Vixit autem *Hieronymus* annos viginti post Theodosium, et mortuus est in Bethlehem anno aetatis nonagesimo primo, anno Christi quadringentesimo vicesimo, die Martii ultimo.

Interfuisse scribitur Synodo Trevirensi cum Martino Turonensi et Ambrosio, cum aliquanto ante *Damasus* esset mortuus.

Post Damasum Romanus Episcopus fuit *Ciricius*, qui Presbyteros coelibes, cum ducebant uxores, removebat a ministerio, et Presbyteris maritis prohibuit consuetudinem coniugalem, et non obtemperantes removit a ministerio. Extant verba eius in libro decretorum Distinct. 82. ubi contra coniugium et declamatio contumeliosa edicto inseritur, et insulse citatur dictum Pauli: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Hic cogitetur quantum scelus sit tali sophistica ludere in Ecclesia. Certum est enim apud Paulum dici, in carne eos esse, qui reguntur carne, non Spiritu sancto, et amittentes fidem et bonam conscientiam obtemperant cupiditatibus carnis, vel non frenant cupiditates carnis, quae pugnant cum lege Dei.

Post Ciricium decreta de coelibatu magis etiam exasperata sunt. Nam et Gregorius iussit removeri ab officio Presbyteros maritos, qui ostendebant se nolle abstinere a consuetudine coniugum. Hae distractiones praesentium coniugiorum et prohibitiones futurorum per sese magna peccata fuerunt, et causae fuerunt multorum scelerum. Sed de sequentibus decretis suo loco dicetur. Consideranda enim sunt tempora, ut ostendi possit, leges de coelibatu post Apostolos humana audacia conditas esse.

Anno mundi quater millesimo trecentesimo sexagesimo secundo.
Anno Romae millesimo centesimo quinquagesimo.
Anno Christi quadringentesimo.

Mortuo Theodosio successerunt filii *Arcadius* in Oriente, et *Honorius* in Occidente, quos vivos Theodosius consortes Imperii fecerat, et imperatores et Augustos nominaverat. Sed propter aetatem adiunxit tutores praecipuos duces, Arcadio Ruffinum, Honorio Stilliconem, Gildonem Africae praeesse voluit. Hos cum putaret fidos fore, quanquam sapiens princeps tamen deceptus est. Impulit enim eos ad perfidiam regni cupiditas, ut ille inquit: Si violandum est ius regnandi gratia violes, in aliis pium esse decet.

Ac primus Ruffinus natus in gente Gallica attraxit Alaricum regem Gottorum, qui antea duxerat Gottica auxilia sub Theodosio gerente bellum adversus Eugenium. Terrebat enim metu Gottici exercitus Arcadium, et postulabat se fieri collegam Arcadii, et Imperatorem nominari. Sed hoc petentem ante tribunal Italici milites trucidarunt. Hic exitus perfidiae fuit Ruffini.

Post Ruffini mortem et alius dux Gotticus et Arianus nomine *Caianus*, seditionem adversus Arcadium movit, in qua manifestis miraculis Deus ostendit se urbem Constantinopolin et Arcadium protexisse. Antecessit autem hunc tumultum ingens Cometa, qui flammas ad terram usque sparsit. Ac diserte inquit historicus: neminem fuisse, qui talem Cometam antea vidisset.

Primum autem cum incendere regiam Arcadii in urbe Constantinopoli Caianus noctu conaretur, conspectus est exercitus angelorum, qui debulit Caiani milites. Constabat enim domum non custoditam esse humanis praesidiis. Cum autem cognitis consiliis Caiani Arcadius praesidia accerseret, aperte bellum Caianus molitur, occupat Phrygiam, et passim direptiones et vastationes facit. Tandem ratibus ad urbem Constantinopolin accedit. Huic classis Arcadii occurrit, quae habuit ventos secundos, qui rates Caiani everterunt, et exercitum eius in mare demerserunt. Ipse cum evasisset, postea in vicinis montibus deprehensus interfectus est. Haec divina testimonia confirmaverunt pios in vera doctrina, et autoritatem Arcadii auxerunt, qui et ipse constanter retinuit symbolum Nicenum, nec

fuit crudelis. Reprehenditur autem quod nimiam potentiam permiserit Eunuchis et uxori Eudoxiae, quae *Iohanni* Chrysostomo inimica fuit taxanti eius fastum. Et quidem Eunuchus *Eutropius*, cuius fuit summa potentia iustas poenas dedit. Hunc talem fuisse praestigiatorem scribunt, ut Gorgoni comparatus sit, ut saepe in aulis regnant tales pestes, qualis apud Tyberium fuit Seianus, apud Severum Plantianus. Hic Eutropius cum venderet Magistratus et sententias, daret ac eriperet provincias quibus vellet, et tandem Consul factus esset, transferre in se imperium conatus est. Sed in ipso consulatu *Arcadius* ei caput praecidi iussit. Scribunt autem hunc ipsum Eutropium fuisse ante id tempus suasorem legis, ut liceret sontes ex templis vi abducere, qua lege postea et ipse ex templo extractus est. De Eudoxiae odio adversus Iohannem Chrysostomum postea dicetur.

Vixit Arcadius annos unum et triginta, tenuit imperium post mortem patris annos tredecim, ac filium reliquit pium et salutarem Orienti, quem pater vivens Augustum nominaverat.

Fratres.

Valentinianus habuit duas uxores. — *Valens*

Severam, ex ea filius est *Gratianus*. Hic collegam fecit Theodosium, interfectus Lugduni a Maximo.

Iustinam, ex qua *Valentinianus* secundus, strangulatus Viennae in cubiculo fraude Eugenii. — *Iusta*. *Grata*. ambae factae monachae. — *Galla*, quam duxit Theodosius.

Theodosius collega Gratiani, cuius uxores

Placilla, ex hac sunt *Arcadius*, *Honorius*.

Galla, ex qua est *Placidia* Galla abducta ex urbe Roma per Alaricum, et data Athaulpho Gottico, postea recepta per Constantium. Ex his scilicet Constantio et Placidia sorore Honorii natus est *Valentinianus* Tertius.

Ex *Arcadio* sunt

Theodosius II. habuit coniugem *Εὐδοξίαν* filiam Leonis Philosophi Atheniensis. Filia Eudoxia nupta Valentiniano tertio, abducta in Aphricam per Gensericum cum duabus filiabus Placidia II. et Eudoxia III.

Pulcheria, *Placilla* et *Murina*.

Placidiam duxit Olibrius, qui septem mensibus Romae imperator fuit. Eudoxiam III. duxit filius Genserici, cui filium peperit Hildericum. Deinde relicto marito propter Arianam sectam, Ierosolymae mortua est.

Ex priore Placidia filia primi Theodosii, et Constantio, quem Honorius collegam fecit, natus est Valentinianus tertius, interfectus propter adulteria et necem Aëtii, ultimus Occidentis imperator usque ad Carolum Magnum, etsi multi interea se Imperatores nominarunt, et variae fuerunt dilacerationes. Valentiniani filiae fuerunt Placidia secunda nupta Olibrio. Eudoxia tertia nupta filio Genserici.

De Honorio.

Honorius Theodosii primi filius, frater Arcadii tenuit Occidentem annos unum et triginta. Initio imperii edicto prohibuit gladiatorum pugnas. Promulgator legis obrutus est lapidibus.

Anno eius octavo, anno videlicet Christi quadringentesimo sexto *Franci*, occuparunt urbem Trevirorum accersiti a Senatore, cuius uxorem rapuerat *Lucius* praeses Romanus. Ita libidines occasionem mutationis imperii praebuerunt, ut saepe accidit. Cumque ex urbe Trevirorum deinde in Belgicam et Celticam progressi sunt, initium regni Francorum ab occupatione urbis Trevirorum sumitur. Et quanquam antea quoque Reges Francorum nominentur priusquam in Galliam transierunt: tamen postquam in Galliam transierunt, in hac serie primus rex nominatur Waramundus.

Supra de gentis origine dixi, de qua citavi Strabonem, qui Francos inquit sedes habuisse inter Noricum et Vindelicos. Et Hieronymus inquit: Francos inter Saxones et Alemanos habitare gentem, non tam latam quam validam. Fuisse eos vicinos fluvio *Salae* ex Marcellino apparet. Progressi igitur a Meno ad ripam Rheni accesserunt, ubi cum Aureliano, Probo et Constantino dimicarunt, et quidem fuisse exercitum Francorum inter auxilia Constantini contra Licinium scribit Marcellinus. Deinde paulatim confirmatis viribus in Galliam transierunt, et sumitur initium ab occupatione urbis Trevirorum.

Haec fuerunt initia dilacerationis imperii Romani versus Galliam. Altera dilaceratio a Pannonia versus Italiam a Gottis facta est, nec dubium est Gottos Getas esse, qui olim in Asia fuerunt, ut Herodoti historia ostendit. Inde paulatim, ut multae aliae gentes, progressi sunt versus Pannoniam, inde accesserunt ad Vistulam et ad littus Balticum et Scandiam occuparunt. Cum enim primorum hominum sedes in Oriente fuerit, consentaneum est inde versus Occidentem

progressos esse posteros, nec primum natos esse in scopulis nostri maris, ut quidam inepte fabulantur.

Alexander non procul ab insula Peuce, quae notissima est, paululum supra Byzantium dimicavit cum rege Getico *Syrmo*, unde Syrmium dictum est. Aliquanto post Lysimachus a rege Getico acie victus et captus est, et liberaliter dimissus concessit, ut ad Istrum Getae sedes haberent, et regi Getarum filiam dedit uxorem, ut narrat Pausanias. Tunc igitur regionem vicinam Byzantio ad Istrum tenuerunt, et Graecis noti fuerunt, et paulatim latius dominati sunt. Nominat enim Strabo ducem Getarum Warfestum, qui Thraciam Romanis temporibus populatus est. Deinde notissimum est, Romanos imperatores in vicina ora Pannoniae cum Getis et Gottis saepe dimicasse. Narrant et hodie Gottos tenere Chersonesum Tauricam, quae non procul abest a Constantinopoli, et lingua eos nostra loqui affirmant. Diu igitur Getarum sedem fuisse eas regiones ad Tyram et ad Istrum constat, quae nunc sunt partim Walachia, partim Bulgaria.

Valens imperator non procul a Constantinopoli ab eis victus est. Deinde repressit eos Theodosius. Auxilia etiam eorum sibi adiunxit contra Maximum et Eugenium, et stipendia eis dedit. Haec cum deinde Arcadius et Honorius pendere nollent, bellum contra eos moverunt. Erat autem Stillico ortus ex gente Heneta, inimica Gottis. Ideo contra Gottos et Francos attraxit in Galliam Burgundos, Suevos, Alanos et alias gentes littori Baltico vicinas. Hae fuerunt occasiones bellorum Gotticorum et Vandalicorum, quibus in Occidente imperium dilaceratum est.

Anno autem Honorii decimo octavo, anno Christi quadringentesimo nono Radagisus ducenta millia Gottorum in Italiam duxit. Sed cum transisset Apeninum ad Fesulam, multitudo fame dissipata a Stillicone Consule oppressa et deleta est. Radagisus fugiens captus et strangulatus est, captivorum greges singulis aureis venditi sunt. Etsi autem haec initia Gottis in Italia non fuerunt laeta, ut plaerunque Deus scelera utriusque partis variis bellorum vicibus punit: tamen non mox finis fuit horum bellorum. Reliquiae crearunt regem Alaricum, qui ductor fuerat exercitus apud Theodosium contra Eugenium. Cum his paciscitur Stillico, ut in Gallias discedant, ubi simulabat se eos Francis oppositurum esse. Discedunt igitur ad Alpes, ibi die Pascatos, cum iussu Stilliconis quidam ex eius ducibus fraude eos adortus esset, Gotti fuerunt victores. Aliquanto post Honorius seu vere seu falso suspicans Stilliconem imperium ad se translaturum esse, iubet eum et filium eius Eucherium interfici.

Cum igitur Italia duce orbata esset, Alaricus omissa Gallia pergit Romam, et circumsessam biennio capit Calendis Aprilis anno decimo octavo Honorii, anno Christi quadringentesimo decimo quarto, anno Romae millesimo centesimo sexagesimo quarto, anno post Radagisi mortem quinto.

Urbs non est deleta, multitudo etiam, quae in Christiana templa confugerat, non interfecta est, sed ex templis et ex aliis thesauris publicis et privatis ingens praeda congesta est, et Placidia Galla filia primi Theodosii, imperatorum Arcadii et Honorii soror capta est et desponsata cognato Alarici Adaulpho: nam Alaricus iam senex erat.

Ut autem reliquam Italiam occuparet et spoliaret Alaricus, duxit exercitum in Campaniam, et ad Siciliam usque accessit, ubi in ultima Italiae ora morbo extinctus est rex Gotticus. Post eum factus est Adaulphus rex, qui exercitum in Italiam reduxit, ubi Placidiae intercessione lenitus non delevit urbem, ut fuerant hortatores Gotti, et pace facta cum Honorio propter affinitatem discessit in Galliam, et inde in Hispaniam, cuius magna pars iam a Suevis, Vandalis et Alanis occupata erat, qui ex Gallia a Constantio pulsi erant. Anno autem tertio post discessum ex Italia Adaulphus in Hispania a suis interfectus est. Adversus hunc misit Honorius ducem Constantium patricium Romanum, qui Galliam Narbonensem et vicinam partem regebat, et foeliciter inde Vandalos expulerat. Hunc iussit repetere Placidiam, spem ei et coniugii et imperii faciens.

Erant autem in Hispania discordiae inter Gottos et Vandalos, et Constantius malebat foedera cum Gottis renovari, ne novum bellum Galliae et Italiae attraheret. Reddit igitur volens Placidiam, quam Honorius dedit Constantio uxorem, et ipsum consortem imperii fecit. Ex his videlicet ex Constantio et Placidia filia Theodosii primi natus est Valentinianus tertius, ultimus imperator Occidentis usque ad Carolum Magnum.

Wallia in Hispania bellum Vandalis infert. Franci procedunt in Belgico, in Italia et Gallia

Narbonensi. Postquam Constantius Caesar factus est, pax fuit. Sed post reditum Placidiae tantum biennio vixit Honorius, et aliquanto ante eam mortuus est Constantius, post quem Galliam rexit Aëtius natus in Mysia, id est, Walachia dux sapiens et fortis. Praefecerat Honorius Africae *Bonifacium* Thracem, ad quem multae sunt Augustini epistolae. Ac fuerunt tunc praecipui gubernatores Occidentis. In Oriente tunc imperator erat Theodosius secundus adolescens Arcadii filius, cui pater tutorem dederat virum excellentem sapientia et virtute *Anthemium*, de quo inquit Graecus historicus: *φρονιμώτατος καὶ ἐδόκει καὶ ἦν.*

Anno mundi quater millesimo trecentesimo septuagesimo quarto.
Anno Romae millesimo centesimo sexagesimo secundo.
Anno Christi quadringentesimo duodecimo.
Anno Honorii decimo quinto.

Theodosius.

Theodosius secundus Arcadii filius natus ex Eudoxia filia seu Gratiani seu Botonis successit mortuo patri natus annos fere novem. Tenuit imperium Orientis a morte patris annos quadraginta duos. Vixit annos quinquaginta unum. Tutorem habuit *Anthemium*, cuius sapientia non tantum publica negocia foeliciter gubernata sunt: sed etiam adolescens ad doctrinas, pietatem et optimos mores assuefactus est, cum plaerique tutores indulgentiores sint principibus. Sed adiutricem habuit Anthemius *Pulcheriam* Theodosii sororem excellentem ingenio, eruditione et pietate, cuius consilio etiam postea regnante Theodosio res maximae gubernatae sunt.

Fuit *Theodosius* princeps eruditus, firmus in doctrina symbolorum, et recte invocans Deum. Ut Gotti tranquilli essent, pacem cum eis fecit, et eorum auxiliis usus est contra Hunnos et Persas. Cum Persas duobus magnis praeliis vicisset, tamen de pace facienda victor legatos ad eos misit, Ita postea Orientem tenuit pacatum, nec in pace voluptatibus se dedidit, sed utiles leges condidit, quarum multae adhuc extant, ut de coniugiis. Et in Ecclesiis concordiam constituit, convocavit piam Synodum Ephesinam, in qua Nestorii impietas damnata est, ut postea dicemus, qui contendebat in Christo non fuisse duas naturas unitas inseparabiliter, sed humanae naturae affuisse *λόγον*, ut caeteris sanctis, Davidi aut Esaiae.

Mos fuit Theodosio mane precationes dicere, et Psalmos canere cum coniuge et sororibus. Habuit autem coniugem *Εὐδοκίαν* filiam Leontii Philosophi Atheniensis, adeo eruditam, ut poëmata scripserit de victoria Arcadii et de victoriis mariti. Ab ipso dicuntur esse congesta *ὁμηρόκεντρα*. Scripsit Theodosius sua manu libros novi Testamenti, quorum aliquam partem quotidie legit. De dogmatibus cum doctissimis viris ita disseruit, ut intelligi posset eum non inferiorem esse eruditione. Bibliothecam Byzantii undique veteribus libris ecclesiasticis et ethnicis coëmptis valde auxit. Talis cum domi esset, tamen et militiae labores patienter tulit. Duces habuit praecipuos Gratianum, Ardaburium, Asperem, Ariobindam, quos fuisse Gottos historiae ipsae narrant, et appellationum sonus ad nostram linguam congruit. Misit Asperem et Gratianum in Africam, sed Gensericus eorum exercitum vicit. Martianum captum dimisit, quia viderat eum inter reliquos captivos dormientem tegi ab aquila. Is postea in imperio successor fuit Theodosii. Placide autem mortuus est Constantinopoli Theodosius secundus, cum vixisset annos quinquaginta unum. Sepultus est in sepulchro Theodosii primi et patris Arcadii. Mortem eius antecessit terraemotus, qui duravit sex menses, concussit Constantinopolin et multa Asiae loca. Dehiscente terra multa oppida absorpta sunt. Mare alibi fugiens hiatu absorptum, alibi in terram effusum multa oppida obruit. Haec prodigia sequentes imperii ruinas et Mahometica initia significaverunt.

Anno mundi quater millesimo trecentesimo nonagesimo secundo.
Anno Romae millesimo centesimo octuagesimo.
Anno Christi quadringentesimo tricesimo.
Anno Theodosii secundi decimo nono.

Mortuo Honorio consortem imperii fecit *Valentinianum tertium* Theodosius secundus, natum ex Constantio et Placidia prima, Honorii sorore. Tenuit imperium Valentinianus tertius annos triginta. Coniugem habuit filiam Theodosii secundi Eudoxiam secundam. Fuit ultimus imperator Occidentis usque ad Carolum Magnum. Etsi interea multi seditiosi nominari imperatores

voluerunt, qui tamen vix exiguam partem Italiae habuerunt. Poenas autem cumularunt et Valentiniani mores, qui moechus, magus, et ducum bene meritorum parricida fuit.

Duo tunc praecipui duces in Occidente fuerunt: *Bonifacius*, quem scribunt Thracem fuisse, qui rexit Africam, et *Aëtius* natus in Walachia, qui rexit Narbonensem Galliam, inter hos cum simultas esset, Bonifacius metu imperatoris dicitur attraxisse Gensericum in Africam. Alii magis significant Gensericum possessione Hispaniae pulsum a Wallia rege Gottico quaesivisse sedes in Africa. Quaecunque causa fuit ingressi in Africam Vandali vicerunt Bonifacium et alios Romanos exercitus, et Carthaginem occuparunt. Anno Theodosii secundi tricesimo quarto, anno Valentiniani tertii decimo septimo, anno Christi quadringentesimo quadragesimo quinto.

Cum autem Gensericus defensor esset Arianae impietatis, magnam crudelitatem in pios exercuit. Metuens igitur odia suorum cum Valentiniano pacem fecit, qui concessit ei partem Africae, quam usque ad Belisarii tempus retinuerunt annos nonaginta sex. Attraxit autem Gensericus Attilam et Hunnos contra Gottos in Hispaniam. Progressus igitur Attila ex Pannonia cum quingentis millibus in Germaniam et Italiam pervenit ad Tolosam usque, ibi Aëtius optimo consilio ad societatem belli adiunxit Francos, quorum rex tunc fuit Meroveus nepos Waramundi, et Gottos, quorum rex fuit Theodericus, qui Walliae successerat. Nunquam duos maiores exercitus inter sese oppositos fuisse scribitur. Pugna facta anno secundo Martiani, anno Valentiniani tertii vicesimo septimo prope Tolosam ab hora nona diei tota nocte usque ad sequentem diem, et trucidata sunt centum et octoginta millia hominum. Attila fractus hac clade et metuens filium Theodorici regis Gottici, reliquias exercitus sui abduxit, Ita victores existimati sunt Aëtius, Franci et Gotti. Et regis Gottici Theoderici interfecti filius Dorismundus ardens iusta ira fugientem Attilam sequendum esse censuit. Etsi autem Aëtius vidit utile esse reliquias exercitus deleri, ne Attila Italiam invaderet: tamen sequi eum noluit, cuius consilii quam habuerit causam non disputo. Fortassis ut sapientes dicunt. Hosti fugienti argenteum pontem faciendum esse, cogitavit non sine maiore periculo rursus dimicaturos se esse, aut Valentinianum propter malos mores odit. Interea enim dum hae res magnae ab Aëtio geruntur, Valentinianus Romae adulteria exercet.

Fuit inter praecipuos viros tunc Romae Maximus, ex eius Maximi stirpe, quem Theodosius ante annos aliquot bello vicit. Huic Maximo cum in ludo annulum detraxisset Valentinianus, mittit eum ad Maximi coniugem, et eam, simulans maritum haec agere, vocat ad coniugem imperatoris. Hac fallacia adductam in aulam Maximi coniugem vi comprimit. De hac iniuria cum apud maritum illa queritur, coepit is et de imperio rapiendo, et de Valentiniano necando cogitare. Alienat eius animum ab Aëtio, quem fingit appetere imperium. Falsa igitur suspicione motus Valentinianus, iubet interfici Aëtium optime meritum, ut Alexander Parmenionem interfecit. Postea cum interrogaret Valentinianus quendam: An existimaret iuste interfectum esse Aëtium? Nescio, inquit ille, an iuste eum interfeceris, hoc scio, te dextram tuam sinistra praecidisse. Nec multo post incitat Maximus duos milites Aëtii, ut Valentinianum imperatorem interficiant. Ita poenas dat libidinum, magiae et necis Aëtii, Valentinianus tertius.

Deinde Maximus rapit imperium, et ducit uxorem Eudoxiam secundam, quae fuerat coniunx Valentiniani tertii. Apud hanc cum iactaret Maximus, se amore ipsius et spe huius coniugii motum interfecisse priorem maritum Valentinianum, irata mulier accersit Gensericum ex Africa Romam, hoc veniente Maximus cum fugere conaretur, interficitur a Romano milite *Urso*. Gensericus Romam ingressus cum ingenti exercitu, flectitur a Leone Episcopo et Eudoxia, ne urbem incendat, dies tamen quatuordecim direptioni et quaerendae praedae tribuit, Eudoxiam avexit cum filia Eudoxia tertia, matrem duxit Gensericus, filio autem dedit filiam Eudoxiam tertiam, ut postea dicetur.

Considerentur autem hic insignia exempla iudicii divini in Valentiniano et Maximo, iuxta regulam: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Tempora etiam conferantur, ut videas, quam brevi spacio poenae aliae alias secutae sunt in imperii ruinis: Bis capta est Roma intra annos quadraginta quatuor. Primum ab Alarico Gottico rege anno Christi quadringentesimo decimo quarto tempore Honorii. Deinde a Genserico rege Vandalico anno quadringentesimo quinquagesimo nono, anno Martiani sexto.

De Ecclesia.

Arcadii tempore fuit Episcopus Constantinopolitanus *Iohannes*, cui nomen *Chrysostomi* tribuerunt, quem antea Presbyterum Antiochenum fuisse scribunt. Huic eloquentia autoritatem et potentiam auxit. Quare multa et in aula egit, et adversus vicinos, quibus praeerat. Fuit autem ingrata eius severitas, quae aliquibus nimia visa est, cum verum sit, in gubernatione iusticiam temperatam ἐπιεικείᾳ dominari debere. Luxum et spectacula quae multa vicia alebant, iuste taxabat, quare in odium multorum, ac praecipue coniugis Arcadii venit Eudoxiae, quae statuam sibi non procul a templo in columna marmorea collocaverat, apud quam histriones et Mimi crebras comoedias exhibebant. Hanc statuam et hos ludos praesertim templo vicinos tolli Chrysostomus voluit. Quamobrem cum Eudoxia ei irascitur, arte res eo deducta est, ut excussus Episcopi dignitate in exilium mitteretur. Ad tales machinationes opus est sycophanta.

Habuerat apud se Chrysostomus hypocritam astutum et facundum *Severianum*, cuius auxit existimationem, quia saepe iubebat eum publice concionari. Sed aulae, spes potentiae et ambitio saepe mutant homines. Hunc Severianum Eudoxia contra Chrysostomum incitat, qui nactus cum alias causas, tum vero et hanc, quod inter Epiphanium et Chrysostomum magna dissensio de libris Origenis orta esset. Adiungit igitur se factioni Episcoporum, qui alioqui Chrysostomum oderant. Cum adiuvaretur ab Eudoxia, perficit, ut Chrysostomus eiiceretur, qui in concione Eudoxiam comparaverat Herodiadi, inchoans concionem: Iam iterum insanit Herodias. Etsi convicium fortassis asperius fuit: tamen reprehensio statuae et ludorum iusta fuit, sed accesserant odia aliorum ex aliis causis.

Caeterum de libris Origenis iustior fuit Epiphanii sententia, qui eos condemnari voluit, quam Chrysostomi, qui condemnationi adversatus est. Improbaverat eos et ante Constantini tempora Methodius, Lyciae Episcopus et deinde Tyri, vir sanctus, qui propter allegorias comparaverat eum Sirenibus. Idque reprehendit, quod intempestivis allegoriis discesserit a nativa sententia in scriptis propheticis et apostolicis, et dogmata quaedam corruperit. Nec dubium est, errores quosdam dogmatum insignes sparsos fuisse in libris Origenis, ut ostendit Epiphanius. Libri autem Origenis, qui nunc extant, partim sunt mutili, partim sunt centones ab aliis assuti, et in his quoque obvia sunt manifesta errata.

Sunt et in Chrysostomo contagia quaedam errorum, quae pius Lector et recte eruditus agnoscere et iudicare potest. Multa tamen, praesertim de moribus, honeste dicit. Cum Episcopi caeteri in Synodo statuere vellent, lapsos post baptismum, et redeuntes ad poenitentiam, semel tantum recipiendos esse: ille contra dixit: Imo millies agens poenitentiam ingredere: χιλιάκις μετανοήσας εἴσελθε. Hanc vocem tunc reprehensam iudico probandam esse, si recte intelligatur, quia fuit opposita errori Novatianorum.

Mortuus est autem Chrysostomus in exilio in Armeniae limite anno ante mortem Arcadii, qui mortuus est anno Christi quadringentesimo duodecimo, biennio ante quam urbs Roma ab Alarico capta est. Vir eloquens fuit, sed scripta magis declamatoria sunt quam διδασκαλικά. Quare interdum extra metas currit, ut in hyperbolis laudum vitae monasticae.

Tempore Theodosii secundi celebres Synodi de his controversiis fuerunt, Pelagiana et Nestoriana, anno Christi quadringentesimo vicesimo primo, anno Theodosii secundi decimo, anno Honorii vicesimo quinto Carthaginensis Synodus, in qua fuerunt Episcopi ducenti decem et septem, inter quos praecipue clarus fuit *Augustinus* egressus annos sexaginta, damnavit Pelagii errores.

Fuit autem Pelagius monachus Romae, qui doctrinam Evangelii de lege, de peccato, de gratia prorsus in pharisaicam seu philosophicam transformavit. Contendit non esse peccatum originis, et homines libero arbitrio posse satisfacere legi Dei: Vocabulo gratiae dixit significari non remissionem peccatorum gratuitam, et donationem Spiritus sancti, sed ipsam doctrinae promulgationem. Satisfieri autem legi Dei externa obedientia: Nec peccata esse pravas inclinationes, et hominem externa disciplina coram Deo iustum esse, etiam sine Spiritu sancto, et mereri remissionem peccatorum et vitam aeternam: Fidem esse noticiam legis et historiae, ut vulgus loquitur, cum de professione utitur vocabulo fidei. Haec cum sint plausibilia rationi, quae disciplinam externam intelligit, summa huius doctrinae omnibus temporibus late vagata est. Apud Iudaeos pharisaica erat, postea Origenica repre-

hensa a Methodio viro sancto. Deinde Pelagiana, nec aliud est doctrinae genus re ipsa in Scoto et Occam et similibus.

Haec collatio utilis est ad iudicanda doctrinarum genera. Opposuit autem refutationes Augustinus, qui affirmat esse peccatum originis, et discernit externam disciplinam ab obedientia interiore. Concedit in homine, etiam non renato, esse libertatem seu facultatem faciendi externa legis opera, sed negat sine Spiritu sancto posse fieri interiora opera, scilicet verum timorem Dei, veram dilectionem Dei, laeticiam acquiescentem in Deo, fiduciam accipientem remissionem peccatorum. Pugnat acerrime, ne vocabulo Gratiae intelligatur doctrina, sed donatio Spiritus sancti. Extabat illis temporibus decretum illud: Impossibile est legem fieri sine gratia, quod prodest notissimum esse, et sic declaratum est, ut complectamur et gratuitam imputationem iusticiae, et donationem Spiritus sancti. Renati faciunt legem per gratiam, id est, placent Deo imputata iusticia propter mediatorem, et simul Spiritus sanctus in eis inchoat fidem et novam obedientiam, quae tamen non satisfacit legi Dei, sed placet propter mediatorem fide.

Sunt autem discernenda tempora librorum Augustini, quia et ipsi accidit in hac causa, ut fuerint *δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι*. Et ipse inquit, se scribendo proficere. Quanquam autem in posterioribus libris alicubi sunt *ἀκυρολογίαι*: tamen certum est reipsa congruere eius sententiam cum nostris Ecclesiis, sed accedat in iudicando dexteritas et candor.

De eadem controversia et alia Synodus Milevitana in Aphrica fecit decreta contra Pelagium. Scripsit autem utraque Synodus ad Innocentium Episcopum Romanum, eumque hortatur, ut et ipse improbet errores natos Romae, nec propagari eos patiatur. Extant Epistolae et Synodorum et Innocentii in libro Epistolarum Augustini. Fugiens igitur Pelagius ex urbe Roma pervagatus est orbem, ut suffragatores quaereret, sicut factionum duces variis modis attrahunt socios. Venit Ierosolymam, ubi Hieronymus ei adhuc vivens adversatus est. Inde in Britanniam discessit, quae iam defecerat a Romano imperio. Quare tutius ibi hospitium habuit.

Haec certamina etiam vivente Pelagio diu duraverunt, quod indicant tot Synodi et scriptorum tempora. Nam Hieronymus decennio ante mortem Augustini decessit. Dixi enim supra, Hieronymum Stridonensem mortuum esse in Bethlehem anno aetatis suae nonagesimo primo, anno Christi quadringentesimo vicesimo.

Extant autem nominatim contra Pelagianos Hieronymi scripta, in quibus haec sunt verba: Tunc iusti sumus, cum nos peccatores esse confitemur: Et iusticia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia consistit.

Augustinus autem mortuus est anno aetatis suae septuagesimo sexto, anno Christi quadringentesimo. Regnantibus Theodosio secundo et Valentiniano tertio, obsidente urbem Hipponem Genserico, ubi Augustinus fuerat Episcopus annos quadraginta, inde usque ab initio Arcadii fere ad finem Theodosii secundi, inter magna certamina. Refutavit enim Manichaeos, Donatistas et Pelagianos, et scriptas refutationes posteritati utiles reliquit.

Mense tertio obsidionis mortuus est, saepe deplorans non solum imperii ruinam, sed multo magis Ecclesiarum dilacerationes, quia Gensericus Arianus erat, et successores magnam saeviciam contra recte sentientes exercuerant. Cum igitur et magnarum calamitatum spectator esset, et praevideret tristiora mala secutura esse, nam post Vandalicorum regum impietatem, deinde statim Africam furores Mahometici oppresserunt, assiduit et ardentibus votis Ecclesiam Deo commendavit.

De Synodo Ephesina.

Non diu post *Augustini* mortem convocata est Synodus *Ephesina* a Theodosio secundo. Expresse enim scribitur, Theodosium literas misisse ad omnes Archiepiscopos, ac praecepisse, ut Ephesum venirent cum Episcopis, si quis non veniret, reum fore. Est autem pronunciatum de controversia a Nestorio mota, qui cum natus esset in Syria, factus est Episcopus Constantinopoli propter facundiam. Aiunt fuisse indoctum, et sprevisse probata veterum scripta, et cum esset iuvenis audax, loquax et gloriae cupidus, accidit quod in versu veteri dicitur: *νέος φιλοδοξῶν πρώϊμος πονηρία.*

Dogma ipsius reipsa hoc fuit: *τὸν λόγον* affuisse homini Christo per assistentiam. Sic enim loquitur, seu societatem, sicut affuit Heliae

et aliis Prophetis, nec fuisse duas naturas in Christo unione hypostatica unitas. Ideo solitus est dicere: Noli gloriari Iudaee, non enim Deum crucifixisti, sed hominem. Hoc cum plausibiliter diceretur, habuit multorum studia. Cumque saniores, qui insidias intelligebant, adversarentur ei, excusabant eum sui, quod certamen inter ipsum et adversarios λογομαχία videretur. Sed reipsa nequaquam fuit λογομαχία. Etiam veteres quidam iudicaverunt eum renovare Iudaicum Samosateni dogma, etiamsi aliquanto aliter pingeret, sicut saepe renovatum est, et existimo eum suas praestigias ad illam metam direxisse.

Ostendunt et decreta contra Nestorium facta, controversiam fuisse de re maxima, non λογομαχίαν. Sic enim loquitur decretum: Si quis in Christo dividens ὑποστάσεις post unionem, et dicens λόγον coniunctum fuisse homini societate seu potestate, non naturali unione, anathema sit. Hinc et doctrina de communicatione idiomatum tradita est. Pugnatum est de his propositionibus loquentibus de Christo: Deus est passus, Deus est crucifixus, ut sciretur hanc personam Christum esse Deum, nec λόγον tantum affuisse ei: ut Eliae aut aliis Prophetis: Nominatur enim figura loquendi communicatio idiomatum, cum proprietas uni naturae conveniens tribuitur personae in concreto, ut significetur in ea persona duas naturas esse unitas unione hypostatica. Vetustas usa est hac similitudine: Sicut anima et corpus sunt unum completum ὑφιστάμενον, ita, ut anima gestet corpus, quod dissolvitur ab anima desertum: Sic λόγος gestat naturam humanam animam et corpus, sed inseparabiliter. Extat haec similitudo apud Athanasium, Cyrillum et Iustinum, qui tamen addit correctionem: τινες μὲν τὴν ἕνωσιν ὥσπερ ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἁρμόδιον γε τὸ παράδειγμα εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα κατά τι γοῦν. Et tamen ut retineatur discrimen naturarum, non dicitur: Divinitas est passa, quia vocabulum in abstracto significat naturam secundum se consideratam, sed concreta significant personam, in qua sunt duae naturae. Et hac doctrina de communicatione idiomatum opus esse intelligi potest ex multis dictis Christi: Antequam Abraham natus est, ego sum. Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Aspicient me quem confixerunt. Talia dicta plurima obvia sunt, quae illustrantur ex doctrina de communicatione idiomatum.

Haec commemoro, ut intelligi possit, Nestorii controversiam non fuisse λογομαχίαν, et si tunc quoque alii aliter iudicaverunt. Synodus Ephesi convenit anno Christi quadringentesimo tricesimo quinto, anno Theodosii secundi vicesimo quarto. Fuit turbulenta. Nam Cyrillus Alexandrinus Episcopus cum suis suffragatoribus damnavit Nestorium. Iohannes Antiochenus et eius suffragatores excusarunt eum, et Cyrillo adversati sunt. Sed Cyrillus rectissime docuit, aliter λόγον in Christo esse, aliter in Helia et in aliis Prophetis. Post discessum, cum Ecclesia Constantinopolitana probaret Cyrilli sententiam, Nestorius in loca barbarica infra Thebas Aegyptias relegatus est, ubi in exilio scribitur mortuus esse, lingua consumpta a vermibus. Existimo ipsum Phthiriasi extinctum esse.

Ante Nestorii certamen accidit Constantinopoli in templo tragicum exemplum, quod tunc quoque multi dixerunt signum esse futuri dissidii. Confugerant in templum aliquot servi, quibus dominus eorum atrocia minatus erat. Cumque iuberentur egredi, gladiis repellebant homines, tandem et interfecto sacerdote et alio vulnerato seipsos ibi interfecerunt. Ea de re citati sunt versus digni memoria:

σημεῖα γὰρ τοιαῦτα γίγνεσθαι φιλεῖ
ὅταν τι ναοῖς ἐγκατασκήψε μίσος.

Fuit Theodosius secundus princeps laude dignus propter pietatem, iusticiam, castitatem et modestiam. Profuit eius gubernatio Ecclesiis, in qua multa recte egit Pulcheriae sororis consilio, et Deus eum contra inimicos Ruffinum, Caïnam, Persas et alios barbaros mirabiliter defendit. Protexit etiam eum adversus Attilam, a quo tamen pacem emit data magna pecunia.

Hoc ipso tempore non multo ante mortem Theodosii mota est primum Eutychis controversia. In hoc postremo actu fuit incautior Theodosius, sed culpam ipse quoque in uxorem Eudoxiam contulit, quae fuerat aequior factioni Eutychis, sicut extremus actus Constantini cum revocavit Arium, fuit infoelix, quem etiam mulier soror Constantini rexerat. Cum autem discordia inter Pulcheriam et Eudoxiam incidisset, cessit Pulcheria, et Eudoxiam incidisset, cessit Pulcheria, et abstinuit a consiliis gubernationis, ideo facilius fuit Eudoxiae tueri et evehere quos volebat.

Indicta est Synodus altera Ephesi infoelix, in qua indices armatis militibus septi fuerunt, et confirmata est Eutychis opinio factione *Dioscori* Episcopi Alexandrini. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus recte sentiens calcibus ex consessu expulsus, et triduo post mortuus est, mortuum etiam Dioscorus pedibus calcavit. Est et *Theodoreto*, cuius extant scripta, adempta dignitas. Denique ita acta sunt omnia, ut haec Synodus sit infamis, et nominuta sit ληστρικὴ, id est, latronum concursus.

Monet igitur exemplum, ut in convocandis Synodis circumspecti sint principes, et quod Theodosio alioqui bono principi haec acta notam asperserunt, simus memores humanae infirmitatis, de qua dictum est: Non est iustus in terra, qui cum bona fecit, non etiam peccet. Item: μόνου θέου γέρας τέλεια ἀρετὴ. Postea Theodosius agnoscens errorem, obiurgavit coniugem, quae simulans votum, profecta est Ierosolymam. Ita post septem annos Pulcheria in aulam revocata est, nec diu post Theodosius vixit, cuius morte et Attilae bellis impedita est cognitio controversiae Eutychis usque ad tertium annum Martiani. Quae fuerint praestigiae Eutychis, tunc exponam, cum de Chalcedonensi Synodo dicetur.

De Cretensi Mose.

In temporibus *Theodosii* extat narratio apud Socratem historicum de Cretensi Mose, quam propter scriptoris gravitatem nolui omittere. Posse enim accidere miras imposturas, etiam nostra aetas vidit in exemplo Monasteriensi, ubi fanatici homines simularunt enthusiasmos, et novum regnum constituere coeperunt: Sicut et olim in oppido Phrygiae Pepuza fanatici homines concurrerunt, et magnam pecuniam praetextu vaticiniorum collegerunt, donec tandem *Montanus* eorum magister sibi laqueo vitam finivit, et alii aliis casibus perierunt.

Talia exempla meminisse utile est, ne praestigiatoribus inexplorato doctrinae genere credatur, et ut precatio sit ardentior, ut Deus regat mentes, ne laqueis Diaboli implicentur, sicut vidimus ipsi ingeniosos homines horribiliter eversos esse in seditione agricolarum et urbe Monasteriensi.

Historia vero Cretensis haec est: Quidam impostor simulavit se esse Mosen, coelo demissum, ut reducat Iudaeos in patriam per mare. Vagatur integro anno per Cretam, et Iudaeis diem constituit. Fingit vaticinia, colligit pecuniam, et tandem die constituto adducit multitudinem ad littus, ubi iubet primos desilire in mare, quorum aliqui cum desiliissent, perierunt. Mox ad eum locum vicini nautae properant, et aliquos recipiunt, et ad multitudinem vociferantur, ne desiliant. Ita multitudo servata est, et impostor se subduxit. Haec fuit occasio multis, ut relicto Iudaismo amplecterentur doctrinam Christi. Cum autem singulis aetatibus aliqui tales sint Cretenses Mosae, qui falso praetextu religionis tumultus excitant, commonefaciat lectores haec historia, ut sint memores dicti: Probate spiritus, an ex Deo sint. Et cogites illud Epicharmi: νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν ἄρθρα ταῦτα φρενῶν.

Anno mundi quater millesimo quadringentesimo decimo sexto.
Anno Romae millesimo ducentesimo quarto.
Anno Christi quadringetesimo quinquagesimo quarto.

Martianus.

Martianus Theodosio secundo in Orientis imperio successit, cum fuisset antea ductor exercitus Theodosii secundi in Africa contra Gensericum, et deinde in Syria contra Persas, non solum propter militiam antecellens autoritate, sed etiam propter iusticiam et pietatem. Cum igitur magna esset autoritas Pulcheriae sororis Theodosii secundi, haec Martianum iam ingressum senectam propter virtutem ad coniugium et ad imperium invitavit, sed hoc pacto, ne eam attingeret, quia iam grandiuscula moritura esset virgo. Tenuit imperium Martianus anno sex et menses sex. Et ut Ecclesiae discordias sedaret, fecit et cum Persis et cum Vandalis in Africa pacem. Nam ibi olim captivus promiserat Genserico, se si Imperator fieret, non illaturum bellum Vandalis. Gensericus enim contemplans captivos, viderat ei dormienti in campo, et in aestu aquilam tegere caput, ne radiis Solis laederetur. Hoc spectaculo delectatus dimisit eum, praesagiens imperatorem fore, et pactus est, ne Vandalis bellum inferret.

Anno secundo Martiani Attila victus est ad Tolosam magno praelio, ut supra diximus. Inde egressus, cum vires in Pannonia reparasset, Italiam invasit capta Aquileia, Mediolanum et

Ticinum diruit, et cum Romam accessurus esset, missi obviam *Leo* Romanus Episcopus, et pars Senatus petiverunt pacem, et supplices oraverunt, ut parceret urbi Romae, quae tot excellentes viros olim genuisset, quorum virtus in toto orbe clara sit. Flectitur praeter omnium opinionem Attila, et exercitum in Pannoniam reducit. Interrogatus causam, cur subito oratione supplicum motus esset, dixit se vidisse senem astantem Leoni Romano Episcopo, specie supra humanam terribili minitantem ei mortem, nisi supplicibus parceret. Ita etiam terribilium tyrannorum impetum saepe Deus frangit. Redit inde in Pannoniam, et ut natura fuit inquieta, minitatur vicinis omnibus. Sed iam fatalis finis instabat tantae saeviciae. Etsi multas habuit coniuges Attila more gentis: tamen iuvenculam ducit, quam nominant Hildico, filiam regis Bactrianorum, in iis nuptiis cum et laboribus certaminum equestrium, et vino et Venere corpus eius inflammatum esset, nocte extinctus est, sanguine copioso in fauces exundante et ex ore erumpente. Tantum enim hic eventus describitur, et epiphonema additur: Iustum fuisse suo sanguine necari, qui tam multum humani sanguinis hauserat, sed aut venae ruptae sunt, aut apoplexia antecessit, cum qua haec effusio sanguinis facile accidere potuit. Nec tantum ipsius mors exemplum est iudicii divini, sed etiam filiorum interitus post ipsum, et regni dissipatio.

Conferri monarchae aliter alii possunt, sed in his tribus haec similia sunt: In Alexandro, Attila et Tamerlane, quod ex paternis regnis angustis progressi, magnos exercitus duxerunt, et magna parte orbis terrarum potiti sunt, quam tamen non diu tenuerunt: et cum essent mortui, regna varie dilacerata sunt, iuxta dictum: summisque negatum est Stare diu. Ac ostendunt haec exempla, non solis humanis consiliis et viribus parari et teneri imperia: sed veram esse Danièlis vocem: Deus transfert et stabilit regna.

De annis Attilae narrationes dissimiles sunt, sed ab expeditione, in qua in Germaniam et Galliam eduxit ex Pannonia quingenta millia hominum usque ad mortem, invenio annos circiter duodecim. Prosper enim scribit Coss. Theodosio et Albino Attilam interfecto fratre Buda solum regno potitum, multarum gentium exercitum duxisse. Hic fuit annus Christi quadringentesimus quadragesimus septimus. Pugna ad Tolosam, in qua victus est ab Aëtio, facta est secundo Martiani anno. Hic fuit annus Christi quadringentesimus quinquagesimus quintus. Consumpti sunt igitur anni circiter sex in vastatione Germaniae et Galliae, quo tempore multi sancti viri et matronae passim interfecti sunt. Captae et dirutae praecipuae urbes, Colonia Agrippina, Tungria, Argentoratum, urbs Rauracorum, Lugdunum, et aliae multae: sed urbs Aurelianensis pietate Episcopi *Anniani* mirabiliter defensa est. Nam cum Attilam frustra precatus esset, ut urbi parceret, postea veniente Aëtio saeva tempestas inter praeliandum magnam multitudinem Hunnorum perdidit, ita reliquit obsidionem Attila. Deinde post pugnam ad Tolosam circiter quadriennium vixit, mortuus est enim vivente Martiano, cui dormienti ea nocte, qua mortuus est Attila, species in somnio ostensa est fracti arcus Attilae. Quanquam igitur regnum tenuit amplissimum: tamen vastationes tantum fecit, nec constituit formam regni, nec uni ex filiis monarchiam tradidit, nec provincias eis distribuit. Fuit igitur tyrannus, et cursus eius Europae fatalis poena fuit, et de filiis accidit quod scriptum est: Semen impiorum peribit. Rursus enim in Pannonia Gotti regnum recuperarunt. Cum enim filii Attilae inter se de successione circiter triennium dissiderent, rex Gepidarum Ardaricus bellum movit adversus Hunnos, et trucidatis triginta millibus Hunnorum, et filio Attilae Ellac maximo natu, potitus est et regno Pannoniae. Alter autem frater Chaba cum parte Hunnorum in veterem patriam discessit. Pars in Pannonia mansit, etsi regnum Gotti tenuerunt annis circiter centum, donec Hunni et Avares Iustiniani imperatoris tempore, tunc effusi sunt in ea loca, quae nunc Bulgari et Walachi tenent, et in vicinam Pannoniam.

Variae mutationes in omnibus regnis acciderunt, ut sunt res humanae instabiles. Et Deus omnium gentium peccata mutationibus imperiorum et vastationibus punit. Sed propter regionis fertilitatem et opportunitatem praecipue in Pannoniam saepe infusae sunt peregrinae gentes. Hoc igitur loco facta insigni mutatione post Attilam aliquid de veteribus appellationibus inserere volui. Notissimum est vocabulum Cethim, unde nomen est μαχέτης, id est, Macedo, et liber Maccabaeorum ait Alexandrum egressum esse ex terra Cethim. Hodieque fluvius dirimens Mace-

doniam et Illyricum nominatur Cethim. Quae autem et ubi sit Macedonia, notum est. Fuerunt autem vicini Macedonum Thucydidis tempore Poeones ad Strymonem, et significatio vocabulorum eadem est. Nam Poeon Graecis idem est, quod Hebraeis Cethim, quod significat percussores. Alii nomen Poeon fecerunt a Paean, quod vetustis est carmen triumphale, aut est nomen patris Philoctetae, qui fuit Herculis comes. Sive igitur a victoriis, sive ab Herculis comite nominati sunt Poeonii, nomen esse antiquissimum testantur Homerus, Euripides et Thucydides. Et quia vox Graeca est, coloniam esse Graecam apparet. Cum vero paulatim a Strymone progressi sunt ad Istrum, deinde nominata est Pannonia voce aliquantulum deflexa a Poeonia. Cumque stirps fuerit Graeca, urbes veteris Pannoniae magis ornatae fuerunt legibus, aedificiis, disciplina, quam aliae vicinae. Post praedicationem Apostolorum cito etiam Ecclesiae ibi constitutae sunt, et studia Graecae linguae ibi floruerunt. Nam Irenaeus Episcopus in Syrmio supplicio affectus est. Fuisse autem Thucydidis tempore Getas vicinos Poeoniis manifestum est, et Alexander cum Getico rege Syrmo bellum gessit, inde Syrmium denominatum esse a Syrmo consentaneum est.

Diu autem Romani Pannonios defenderunt contra vicinos Getas et Dacos, donec tandem Valentis imperatoris tempore Getae victores Pannoniam occuparunt, et eosdem esse Getas et Gottos non dubium est. Vetustior autem sedes Getarum in Asia quae fuerit, ex Herodoto intelligi potest.

Valentiniani III. tempore Attila Hunnos in Pannoniam adduxit, et late regnavit, cui et Gotti parere non recusarunt. Ubi autem veteres Hunni fuerint, ex Plinio intelligi potest, qui collocat eos apud Tocharos, qui Bactrianis vicini fuerunt. Sonus vocabuli certe congruit cum verbo Chana, quod est castra posuit. Inde potest esse Hunni, quasi castra ponentes. Sed tertio anno post Attilae mortem Gotti rursus potiti sunt regno Pannoniae. Nam Gepidae, qui nunc sunt Sepusii, pars fuerunt Gottorum. Fuit autem Ardaricus, qui filium Attilae vicit, rex Gepidarum.

Post annos centum tempore Iustiniani redierunt Hunni, et adiuncti eis fuerunt Avares, qui occuparunt Thraciam et vicinas regiones et Pannoniam. Fuerunt autem Avares Hunnorum vicini, ex ea regione quae hodie retinet nomen Iura ultra Moscoviam. Et nomen Ungari usurpari coepit, compositum ex Hunnis et Iura, sicut apud Iornandem scribitur Hunnivar, quod Hunni et Avares mixti fuerunt.

Etsi autem tunc Longobardi Noricum et vicina loca tenuerunt: tamen inde cito discesserunt, et Ungari possessionem regni tenuerunt inde usque a Iustiniano ad regem Matthiam annos circiter octingentos. Interea magna bella cum Bulgaris, postea cum Longobardis in Italia, deinde cum Germanis post Arnolphum imperatorem tempore Henrici Aucupis, et deinceps gesserunt, sed tamen possessio Pannoniae penes Hungaros mansit, qui recens circiter centum annos Deo iuvante fortiter represserunt Turcos, ac velut murus reliquae Europae adversus eos fuerunt. Quod vero quidam narrant, Carolum potitum esse Pannonia, et coloniam eo deduxisse, inanis fabula est. Sed Teutonicam linguam retinentes ad Carpatum et in vicinia reliquiae sunt Gottorum veterum.

Haec breviter hic recitavi, ut series rerum Pannonicarum aliquo modo in conspectu esset.

Ut autem Ardaricus vicit filium Attilae Ellac: ita circa Budam Wallemir rex Gotticus vicit alium filium Attilae Dincionem. Reliquit autem heredem fratrem Theudomir, cum quo summa concordia vixerat. Is Theudomir pater est Theoderici Veronensis, ut nos nominamus, qui a Zenone in Italiam missus Odoacrum oppressit, et Italiam rexit annos triginta tres.

Quo tempore condita sit urbs Veneta in sinu maris Adriatici.

Gentem Henetam vicinam fuisse Phrygiae manifestum est ex Homero et Apollonio. Ea regio postea dicta est Paphlagonia a Paphlago Phinei filio. Deinde Galatis in ea regione sedes datae sunt, quos in Asiam attraxit *Antiochus* Hierax inter Phrygiam et Chalybes, qui venas ferri et argenti habuerunt, unde nomen fuit Alybe ab Hebraea voce Iobel, quod proprie significat Metallum. Ex voce autem Alybe factum est nomen *Chalybes.*

Mentionem facit Henetorum et Herodotus, sed tunc cum tenuerunt littus maris Adriatici. Consentaneum est autem vetustiorem sedem fuisse quam tenuerunt belli Troiani tempore prope Phrygiam. Ac narrant post bellum Troianum ab Antenore ad sinum maris Adriatici Henetos ductos esse, fortassis idem duxit eos in vicinam Illyriam,

Ptolemeus scribit Henetos esse maximam gentem Sarmatiae. Compleverunt enim magna spacia, quae nunc nominantur Russia et Polonia. Inde et ad littus maris Baltici effusi sunt, unde Ptolemei tempore nomen fuit usitatum sinus Venetici.

Nomen *Heneti* prorsus ut sonat significat Hebraeis vagabundos seu νόμαδας, qui late processerunt. Non poterant autem sine consilio, iusticia et fortitudine tam late dominari et regna constituere. Haec de vetustate et virtute gentis Henetae considerentur.

Cumque linguae discernant gentes, comprehendo appellatione Henetorum nationes, quae linguam retinent, cuius hodie usus est apud Henetos sparsos ad sinum maris Adriatici, qui et nunc appellantur Veneti. Retinent nomen et Heneti in littore Arctoo lingua illa vicina mari Adriatici mentes.

Quanquam autem in dialectis exigua dissimilitudo est: tamen eandem esse originem harum gentium consentaneum est, Illyricae, Polonicae et Boiemicae, et nostrorum Henetorum, et alibi loquentium eadem lingua.

Nominabatur autem olim tota regio in littore sinus Adriatici *Venetia*, videlicet circa Patavium et Vincentiam. Et scribit Polybius, in eo littore aliam esse linguam, quam sit alibi in Italia.

Cum autem *Attila* obsideret Aquileiam, et magnas vastationes in vicinia faceret, multi homines nobiles et honesti sperantes se tutos fore in aquis, occuparunt in vicino mari locum, qui adhuc vocatur Rivus altus et cumulata arena, domos extruxerunt, et urbi nomen *Venetiae* a vicina regione indiderunt.

Inchoatam esse aedificationem scribunt anno Martiani tertio, videlicet anno Christi quadringentesimo septuagesimo sexto. Ac singulari foelicitate urbs adeo crevit, ut multis seculis unica urbium Regina in toto genere humano antecellens caeteris omnibus forma gubernationis optima, excellentia artium, et gloria rerum gestarum.

Anni sunt autem ab inchoatione usque adhunc annum Christi 1559. mille octoginta tres. Tot annis nunquam in externi hostis potestatem venit, etsi multa bella varia fortuna gessit, in quibus saepe victrix multarum insularum et urbium domina facta est.

De Synodo Chalcedonensi.

Anno secundo Martiani Synodus convenit in urbe *Chalcedone*, quae e regione Byzantii sita est, in qua sexcenti et triginta Episcopi fuerunt edicto *Martiani* imperatoris convocati, qui et ipse disputationi interfuit, ne seditiosis tumultibus facultas dicendi sententias impediretur. Et verba Martiani recitantur distinct. 96.: Nos ad confirmandam fidem, non ad ostendendam potentiam exemplo Constantini imperatoris pii Synodo interesse volumus, ut inventa veritate dissidia tollantur.

Dictum est autem supra non multo ante Theodosii secundi mortem convocatam fuisse Synodum alteram ad Ephesum, quae propter necem Flaviani et alias seditiones ibi motas nominatur ληστρικὴ Synodus. Ibi cum Eutychis factio impediret cognitionem, creverunt postea discordiae. Statim igitur Martianus post mortem Theodosii doctrinam Eutychis cognosci voluit, et piam concordiam restitui.

Fuit *Eutyches* monachus Constantinopoli eo tempore, quo fuit ibi Episcopus *Nestorius*, quem cum damnatum esse sciret, quod contenderat λόγον tantum affuisse homini Christo tanquam socium, ut affuit Eliae et aliis sanctis, ipse Eutyches postea ad contrariam hyperbolen delapsus confusionem naturarum finxit: Dixit naturam humanam conversam esse in λόγον. Nec tribuit proprietates suas cuique naturae: sed contendit τὸν λόγον mortuum esse, et naturam humanam esse ipsam τοῦ λόγου naturam. Denique universam doctrinam Ecclesiae de communicatione idiomatum delevit. Extant acta Synodi apud Nicephorum.

Utile est autem piis tenere aliquas illustres refutationes errorum, quae sunt accurate scriptae a Theodoreto, qui cum in Synodo, quae ληστρικὴ nominatur, officio Episcopi iniuste spoliatus esset, nunc in Chalcedonensi restitutus est. Is recte scribit duas in Christo nato ex virgine naturas esse, λόγον, et assumptam naturam humanam, et utranque retinere suam proprietatem, nec faciendam esse confusionem naturarum. Vere natura humana est non spectrum, assumpta a λόγῳ, nec est ipsa natura assumpta τοῦ λόγου, ut et Petrus distinxit naturas 1. Pet. 4.: Cum Christus passus sit pro nobis carne. Et in Actis cap. 2.: Non relicta est anima eius in inferno, nec caro

eius vidit corruptionem. Et Lucae 24.: Spiritus carnem et ossa non habet.

Haec et similia testimonia sint in conspectu, quae perspicue affirmant vere humanam naturam in Christo esse, et simus memores dicti Iohannis in Epistola: Omnis spiritus qui non fatetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est.

Ibi etiam Theodoretus narrat, quomodo vetustas de humana natura locuta sit citata sententia Irenaei: Quiescente *λογῳ* in crucifixione et morte, praesente tamen apud humanam naturam in perferendo et resurgendo, *ἐν τῷ ὑπομένειν καὶ ἀναστῆναι. ἡσυχάζοντος τοῦ λόγου ἐν τῷ σταυροῦσθαι καὶ ἀποθνήσκειν.* Sic et Athanasius loquitur in libro de incarnatione verbi: Cum non esset possibile ipsum mori *λόγον*, quippe immortalem patris filium, corpus quod mori posset accepit.

Sic vetustas locuta est, et tamen retinet hos modos loquendi in concreto de persona: Christus mortuus est. Et de Christo: Deus mortuus est, ut significetur, hanc personam Christum vere Deum esse. Ac Nestorii impietas refutetur, qui fingebat *τὸν λόγον* adesse Christo ut socium, sicut omnibus sanctis adest. Latini nominarunt hanc loquendi formam communicationem idiomatum, de qua Theodoretus ait: *κοινὰ τοῦ προσώπου γέγονε τὰ τῶν φύσεων ἴδια.*

Tandem post longa certamina Martianus perfecit, ut decretum communi consensu plurimorum fieret, in quo primum omnes testati sunt, se amplecti Nicenae Synodi symbolum. Deinde damnata sunt dogmata Nestorii et Eutychis.

Hic labor Martiani etsi multis profuit, tamen non ubique extinxit dissidia, sed in urbe Ierosolyma mulier inquieta Eudoxia vidua, quae fuerat Theodosii secundi uxor, fovebat reliquias factionis Eutychianae.

Aliquanto post cum contra Zenonem imperatorem *Basiliscus* seditionem movisset, ut armaret se multorum Episcoporum favore, publice edictum proposuit, quo Acta Synodi Chalcedonensis prorsus damnavit. Huic edicto subscripserunt Episcopi plures quingentis. Fuit et huic Basilisco incitatrix uxor.

Miror autem rabiem ingeniorum, quod tanta fuit pertinacia in manifesta absurditate, videlicet in hoc prodigioso errore, quod non humana natura, sed divina mortua fuerit.

Ut autem Nestorius tecte Samosateni impietatem restituit: ita suspicor Eutychen idem voluisse, etiamsi aliter pinxit suum dogma. Sed Basiliscus brevi poenas dedit sui furoris. Captus enim a Zenone missus est cum uxore et aliis quibusdam in carcerem, ubi in magno frigore et fame captivi se mutuo complexi, et deplorantes suam calamitatem extincti sunt.

Vandalorum saevicia in Africa.

Cum initia saeviciae Vandalorum in Martiani tempora incidant, breviter hic complectar seriem regni, quod in Africa *Vandali* tenuerunt annos nonaginta quinque. Numerat Plinius Vandalos inter Germanos in littore maris Germanici, ubi nunc Megelburgenses et Pomerani sunt. Non dubito autem Vandalos ex Heneta stirpe esse, sed credibile est, cum vicini crebra inter se bella gesserint Heneti et Germani, usque ad recentia tempora, alias alios victores fuisse, et partem Henetorum linguam et leges Germanicas accepisse. Eam partem existimo Vandalos a Plinio nominari.

Cum autem linguae discernant gentes, facile intelligi potest, aliam esse gentem Henetam, aliam Teutonicam. Et adhuc in eo littore gentes quaedam Heneta lingua loquuntur. Et arbitror non recens in ea loca venisse Henetos, sed olim cum Getis et Dais paulatim progressos esse.

Dion scribit fontes Albis esse in Vandalicis montibus. Diu igitur diversae gentes ibi fuerunt in ea regione, quae habuit Boiemiae nomen. Boii, Marcomani et Heneti. Boii significat advenas. Marcomani limitaneos. Heneti late vagantes.

Gensericus I. Vandalorum Rex.

Anno quadringentesimo tricesimo quarto, cum de Hispaniae possessione inter sese Gotti et Vandali dimicarent, *Gensericus* rex Vandalorum impar Gottis, incitatus a Bonifacio duce Valentiniani adduxit in Africam quinquaginta millia Vandalorum. Et occupata parte Africae concedente Bonifacio deinde Hipponem, Carthaginem et alias vicinas urbes fraude et armis cepit. Vexavit Siciliam. Populatus est urbem Romam et Campaniam Martiani tempore. Post Carthaginem captam tenuit regnum annos triginta septem, vir astutus, intentus in occasiones varias, foedera faciens et violans pro opportunitate. Interdum

victus arte se rursus erexit. Pene Sertorio similis, regnum in aliena terra non magnis copiis adeptus. Addictus Arianis expulit Episcopos recte sentientes.

Honoricus II.

Honoricus successit Genserico anno Christi quadringentesimo sexagesimo sexto. Tenuit regnum annos septem, cuius tempus insigne est ingenti crudelitate regis, fame et pestilentia Africae, et tetro exitu tyranni. Honestas matronas et virgines nudatas suspendit, facibus ussit corpora, praecidit mamillas et brachia nolentibus assentiri Arianae impietati. In ipso supplicio *Dionysia* matrona nobilis filium unicum *Maioricum* raptum ad necem confirmavit inquiens: Memento fili, te in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti baptizatum esse.

Cum talibus suppliciis et exiliis multa millia hominum sustulisset Honoricus, secuta est sterilitas propter siccitatem, in qua et homines et pecudes fame perierunt, et late vagata est pestilentia, in qua et φθειριάσει regis corpus ita putrefactum est, ut alia membra post alia deciderint. Uxor Eudoxia filia imperatoris Valentiniani, mater Hilderici pii regis discessit a marito tanquam voti causa Ierosolymam proficiscens, ubi in lacrymis et precatione vixit.

III. Rex.

Gundamundus natus ex fratre Honorici successit, qui regnum tenuit annos duodecim, exercuit et hic saeviciam adversus recte sentientes.

IV. Rex.

Thrasimundus regnavit annos viginti septem, qui quanquam erat Arianus, tamen saeviciam non exercuit.

V. Rex.

Hildericus natus ex Eudoxia, recte sentiens, restituit Ecclesias in Africa. Tenuit regnum annos septem. Sed per seditionem a Gilimero captus est, et aliquanto post necatus.

VI. Rex.

Gilimer natus ex fratre Honorici, fuit audax et peritus rei militaris, movit seditionem adversus Hildericum, qui Vandali eum oderant dissentientem ab Arianis. Capto igitur Hilderico et filiis, et quibusdam cognatis eius regnum tenuit Gilimer annos quinque. Hildericum etiam postremo anno interfecit. Quia vero Iustiniano cum Hilderico foedus erat, liberare captum studebat. Sed cum Gilimer superbe responderet, et multi in Africa defensionem contra impium et crudelem regem peterent, misit eo Iustinianus ducem Bellisarium excellentem iusticia, scientia rei militaris, fortitudine, beneficentia et modestia. Huic, cum primo praelio vicisset Gilimerum, Carthaginenses ultro urbem patefecerunt. Postea fugientem Gilimerum ex aliis locis in alia et in solitudines coëgit Bellisarius fame, ut sese dederet, et duxit eum captivum Constantinopolin, ubi cum in triumpho Bellisarii supplex ad Iustinianum duceretur, cogitans fortunae vices in hac calamitate, in quam senex inciderat, haec verba edidit: Vanitas vanitatum et omnia vanitas. Ita poenas dedit Gilimer crudelitatis, quam exercuerat adversus Hildericum et multos alios. Et simul cum eo reliquiae Vandalorum in Africa deletae sunt, quam tenuerant Vandali annos nonaginta quinque. Ac rursus Africa Romanorum provincia facta est usque ad Heraclii tempora. Postea eam Saraceni invaserunt.

Fuit autem *Iustinianus* beneficus erga Hilderici filios et nepotes, et eis in Thracia dedit praedia et victum. Sed Gilimerum longius in Galliam relegavit.

Hanc seriem regni Vandalici in Africa breviter hic comprehendere volui, ut tota in conspectu esset, etiamsi posteriora bella ad sequentium imperatorum tempora pertinent.

Anno mundi quater millesimo quadringentesimo vicesimo tertio.
Anno Romae millesimo ducentesimo undecimo.
Anno Christi quadringentesimo sexagesimo primo.

De Leone.

Leo natus in Thracia factus est ex tribuno militari imperator Constantinopoli Senatus et exercitus suffragatione. Coronatus ab Anatolio Patriarcha. Atque hunc primum invenio a Patriarcha coronatum. Nec vero coronatio seu Patriarcha dedit imperium, sed testis fuit eum qui electus erat, Christianum esse, et alienum esse a falsis dogmatibus. Eamque ob causam professio doctrinae ante coronationem petebatur, ut postea

in Anastasii imperatoris coronatione dicetur. Tenuit imperium Leo annos septendecim. Princeps iustus, et eo utilis, quia cum ipse alienus esset a falsis dogmatibus, Ecclesiae minus turbatae sunt, nec Episcopi recte sentientes ex suis sedibus expulsi sunt.

Fuit autem tunc magna potentia duorum principum, qui quanquam Gotti erant et Ariani: tamen inter patricios asciti fuerant, Asparis et Ardaburii, quorum suffragatione praecipue adiutus erat Leo. Sed hi cum postea insidiarentur vitae Leonis, ac dicerent: *φάγωμεν τὸν λέοντα πρὶν αὐτὸν ἡμᾶς ἀριστῆσαι*, iussu Leonis interfecti sunt.

Iam vero in Occidente ruere imperium Romanum coeperat. Franci magnam Germaniae et Galliae partem tenebant. Ostgotti Pannoniam, Westgotti Hispaniam, Gensericus Africam. In Italia multi imperatores creabantur, qui nec diu tenebant imperium, nec exercitus magnos habebant. Cumque verum sit illud Homericum: *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη*, mox post Leonis mortem invasit Italiam Odoacer Rugianus, et crudeliter in ea grassatus est annos quaduordecim, ut postea dicetur.

Voluit autem Deus in Oriente aliquantisper adhuc durare Romani imperii formam, quod complectebatur Thraciam, Macedoniam, Graeciam, Illyricum, minorem Asiam, Syriam et Aegyptum. Fuitque Leonis gubernatio mediocriter tranquilla.

At in Italia interfecto Valentiniano, Maximus ut supra dictum est, invasit imperium, qui fugiens Gensericum captus, discerptus et in Tiberim abiectus est mense imperii secundo.

Post hunc Senatus creavit imperatorem *Avitum*, cum quo Martianus fecit foedus. Nondum finito anno cepit Avitum *Richimer* Gottus apud Placentiam, et deponere eum imperium coëgit. Interea Ravennae *Maioranus*, cuius virtus laudatur, imperator factus est, cumque bellum Vandalis in Africa inferret, tertio imperii anno mortuus est. Successit Ravennae *Severus*, qui Romae tertio imperii anno veneno extinctus est.

Misit igitur Martianus *Anthemium* generum in Italiam, ut imperium Occidentis teneret. Hic collegam fecit generum Richimerum Gottum, qui ut Arianis in urbe Roma traderet Ecclesiam, cum socero id prohibente in ipsa urbe Roma dimicavit, et victor socerum interfecit anno imperii quarto, et bona civium diripuit. Quadragesimo autem die post soceri mortem morbo extinctus est Richimer parricida.

Tales confusiones accidunt ruentibus imperiis. Agnoscamus igitur non durare imperia nisi Deo conservante, et petamus a Deo salutares gubernatores.

Richimero successit *Olybrius*, missus a Leone Romam, quia adfinitas imperatorum ei autoritatem addebat. Habuit enim uxorem Placidiam filiam Valentiniani, sed septimo imperii mense mortuus est.

Post hunc a militibus Ravennae imperator factus est *Glycerius*, cui, cum non totum annum regnasset, eripuit imperium *Iulius* Nepos, et fecit eum Episcopum in Dalmatia. Cum autem Iulius nepos Orestem fecisset magistrum militum, hic *Orestes* instructus exercitu imperatorem fecit Ravennae filium adolescentem, qui nominatur *Augustulus*, ac foedus fecit cum Vandalis in Africa.

Iam autem *Odoacer* Rugianus exercitum in Italiam adduxerat. Ut igitur defenderet Italiam Orestes contra eum, ad Ticinum usque exercitum ducit. Ibi robur Italiae extinctum esse scribitur. Orestes victus fugit in urbem Ticinum, qua expugnata Odoacer Placentiam adduci Orestem iussit, ibique eum spectante exercitu interfecit. Urbes vicinae consternatae deditionem fecerunt. Augustulus fugiens imperio se abdicat, quod circiter annum unum tenuerat, ac deinde in Campania privatus vixit tanquam exulans.

Hic finis fuit imperatorum Italicorum anno Christi quadringentesimo septuagesimo quinto, cum adhuc Leo Constantinopoli viveret.

Odoacer autem Romam ingressus regem se urbis Romae et Italiae nominavit, et triumphans in Capitolium ascendit. Magne caedes et direptiones in urbe Roma et alibi factae sunt. Agrorum tertiam partem suis attribuit, ac regnavit annos quatuordecim. Misit enim *Zeno* Theodoricum Gotticum regem in Italiam tanquam vicarium seu socium, qui duobus magnis praeliis Odoacrem occurrentem vicit, altero ad Aquileiam, altero ad Padum. Victus Odoacer fugit Ravennam, ubi triennio circumsessa urbe multa praelia facta sunt, donec tandem Odoacer a Theodorico Gottico rege interfectus est. Ac respondit eventus voci, quam in Apennino audierat tyrannus Odoacer: Vade pellite, non enim redibis.

Anno mundi quater millesimo quadringentesimo quadragesimo primo.

Anno Romae millesimo ducentesimo vicesimo nono.

Anno Christi quadringentesimo septuagesimo nono.

Zeno gener Leonis regnare coepit. Tenuit imperium annos septendecim. Natus in Cilicia obscuris parentibus, ductor exercitus sub Leone, raro exemplo a filio factus imperator. Nam Leo imperatorem fecerat Leonem Secundum, natum ex Zenone genero et Ariadna, quae fuit filia primi Leonis. Moriturus autem filius imperatorem fecit patrem. Praecipue memorabilia in eius imperio haec acciderunt: Basilisci seditio, Theodorici Gottici regis in Italiam expeditio, et mors ipsius Zenonis.

Primum igitur pauca de Basilisco dicam, qui fuit frater socrus Zenonis. Haec absente Zenone in Cilicia imperium in fratrem transtulit, qui ut confirmaret vires, adiunxit sibi factionem Episcoporum, qui adversabantur Synodo Chalcedonensi, ut saepe religio praetexitur pravis cupiditatibus. Episcopi recte sentientes ex suis sedibus pulsi sunt. Haec cum fiunt, redit Zeno, ac duces Basilisci obviam missi defecerunt ad Zenonem. Quo reverso in urbem Byzantium, Basiliscus fugiens in templum, quod polluerat, inde inductus et captus, et cum uxore in exilium missus, ubi cum frigore et fame morituri essent, complexi se mutuo Basiliscus et uxor, et cognati aliquot, calamitatem suam deploraverunt.

Hic fuit exitus seditiosi hominis, et qui factionem impiam confirmaverat, ut regno potiretur.

Priusquam vero ad Gotticas res in Italia gestas accedo, de morte Zenonis dicam. Scribunt eum crapula extinctum esse. Narrant autem ab uxore temulentum adhuc viventem in sepulchrum inclusum esse atque ita necatum.

Anno mundi quater millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto.

Anno Romae millesimo ducentesimo quadragesimo tertio.

Anno Christi quadringentesimo nonagesimo tertio.

De Theodorico Gottico rege, et Gottorum regno in Italia.

Theodoricus rex Gotticus, qui Pannoniam tenuit, missus a Zenone in Italiam, quam tenuit annos triginta tres. Adolescens fuit obses apud Martianum et Leonem, ubi Romana disciplina institutus est, et postea ad paternum regnum remissus socius Romani imperii fidelis fuit. Consideretur autem quo patre natus sit.

Regnum Pannoniae Gotti tenuerunt ante Attilam, sed Attilae potentiae cedentes, donec is vixit, in servitute fuerunt. Cum autem filii Attilae post eius mortem discordes essent, tres fratres Gottici recuperarunt Pannoniam: *Walamir, Theodmir et Widmir.* Inter hos primus regnavit Walamir maximus natu, cum Attilae filios aliquot praeliis superasset, ipse deinde in praelio, quod cum Suevis fecit, in ea regione, quae nunc est Austria, periit.

Deinde regnavit *Theodmir.* Hic pater Theodorici huius, quem nominamus Veronensem, fuit, et victores Suevos et Alemanos a Pannonia depulit.

Tertius frater *Widmir* duxit exercitum in Italiam, ubi mortuus est. Quia vero Theodoricus absente patre Sarmatas, qui Gottorum et Romanorum terras populati fuerant, repulerat, Zeno imperator eum ad se vocat, et facit eum Patricium et Consulem. Ac misit eum in Italiam contra Odoacrum Rugianum, quem duobus magnis praeliis vicit, et deinde cum Ravennam triennio obsedisset, interfecit. Potitus Italia urbem Romam Senatui regendam commendavit: sui regni arcem Ravennam esse voluit: seditiones Romae ortas propter electionem Pontificum sedavit. Et extat in Graeco scriptore laudatio ingenii et iusticiae eius: *δικαιοσύνης ὑπερφυῶς ἐπεμελήσατο, ξυνέσεωστε καὶ ἀνδρείας εἰς ἀκρὸν ἐλήλυθεν.* Sed postremus eius actus cruentus fuit. Iohannem Romanum Episcopum, quia Arianis templa tradere nolebat, carceri inclusit. Nam et ipse Theodoricus, ut plerique Gotti, Arianus fuit. Hic Iohannes Episcopus in carcere mortuus est.

Cum magna autoritas Romae duorum Senatorum esset, Symmachi et Boëtii, qui gener Symmachi fuit, evocavit eos Ticinum, et diu captivos tenuit, quia aliquibus eius decretis adversati fuerant: Et ut ego existimo, quia impedierant, ne Arianis Ecclesiae traderentur, et bona eorum publicavit, et tandem ipsos interfici iussit. Hanc iniustam crudelitatem haec poena secuta est: non multo post eorum necem, cum coenanti propositum fuisset in mensa grande caput piscis, visus est sibi cernere caput Symmachi horribili rictu, et

flammeis oculis minitantis ipsi. Subito igitur consternatus et tremens iussit se in lectum collocari, et accersito Medico *Elpidio* narravit amicis terribilem illam Symmachi speciem conspectam, et in deploratione sceleris sui paulo post extinctus est.

Gregorius Pontifex scripsit, quendam in solitudine in insulis Aeoliis viventem vidisse deiici Theodoricum in illarum insularum voragines, quae eiiciunt globos flammarum sicut Aetna.

Extant scripta Boëtii de praecipuis disciplinis, ex quibus iudicari potest, fuisse eum omnium Romanorum, quorum reliqua sunt scripta eruditissimum. Ad hoc decus addidit et verae doctrinae de Deo professionem, et utiliter scripsit de discrimine naturae et personae. Et hortandi sunt studiosi, ut eius libros legant. Coniugem eius filiam Symmachi scribit Procopius Totilae tempore inter caeteros mendicos Patricios victum mendicando collegisse. Hunc autem Symmachum Boëtii socerum multo recentiorem esse lector sciat illo superiore Symmacho, qui Theodosii tempore contra Christianos scripsit, et cui respondet Ambrosius.

Habuit autem coniugem Theodoricus filiam regis Francici Ludoici, cuius nomen fuit *Adelheda*, quod aut est ἀλήθεια, aut Germanicum a nobilitate dictum. Sororem habuit Amelfredam, quam regi Vandalorum in Africa despondit. Huius filiam Amelbergam dedit regi Turingorum Hermanfrido. Filia vero Theodorici fuit Amalosuntha. Haec nomina putant alii a coelo dicta esse, quasi Himelfried, Himelschönheit, sed verius est esse a dictione Hamel, quod est agnus seu aries. Id enim nomen fuit familiae Theodorici, quae sic a vellere Iasonis dicta est. Inde enim Gotti ex Colchica in Europam progressi fuerant, ut adhuc in Taurica Chersoneso Gotti sunt nostra lingua loquentes. Erit igitur etymologia Amalosunthae, Amalorum schönheit. Hanc filiam suam Theodoricus despondit Eutarico Widerici Hispanici regis filio, qui etiam ex familia Amalorum fuit. Ex his parentibus Eutarico et Amalosuntha natus est Atalaricus, qui orbatus patre successit Theodorico in regno Italiae, natus annos octo, sed mater excellens prudentia et virtute aliquandiu iuste et foeliciter gubernavit. Decreta extant filii nomine de Ecclesiarum libertate, et canonica Episcoporum electione, et stipendiis docentium in scholis.

Offendit autem Gottorum voluntates duabus rebus: institutione filii, quem literas doceri voluit, et iusticia, qua licentiam ducum et militum cohercebat, ne cives in Italia iniuriis afficerent. Permisit autem mater, ut filio tres ex Gotticis principibus praeficerentur, qui et adolescentem ad militaria exercitia assuefacerent, et consilia publica regerent. Hi plus licentiae in ocio et adolescenti et militibus permiserunt. Sed adolescens dum voluptatibus indulget, mortuus est, postquam annos octo cum matre regnavit. Mater deinde tres illos gubernatores filii interfici curavit, et ut se muniret, Theodatum Gottum sibi ad regni societatem adiunxit, et cum Iustiniano imperatore foedus facit. Praetulit autem caeteris Amalosuntha hunc Theodatum, quod et natus erat ex Amalfreda sorore Theodorici, et rexerat Hetruriam, et existimabatur propter studia doctrinarum, quia Platonicus haberi voluit, fore iustior: sed longe eam fefellit opinio. Nam avaricia generis nobilitatem in eo dedecorabat, et naturae pravitatem in eo non emendaverant literae, iuxta dictum: Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit. Imponebat Italiae iniusta tributa, et multos excutiebat ex facultatibus qualicunque praetextu circumventos calumniis.

Hanc iniusticiam cum reprehenderet Amalosuntha, inclusit eam in carcere. Ibi aliquanto post fraude Theodati interfecta est, qui tamen non multo post ingratitudinis poenas dedit, iuxta dictum: Non recedet malum a domo ingrati.

Theodatus regnavit duos annos post necatam Amalosuntham, avarus, insolens in rebus secundis, in adversis timidus. Cum bellum ei inferret Iustinianus propter necem Amalosunthae, initio trepidus Italiam se ei traditurum esse promisit. Sed cum in Illyrico dissipatus esset Iustiniani exercitus, elatus nova spe legatos Iustiniani retinet inclusos carceri. Ibi vero Iustinianus Belisarium, cuius virtus et foelicitas iam cognita erat multis gentibus, cum et in Oriente Persas vicisset, et recens deletis Vandalis Africam recepisset, misit in Italiam. Hic recuperata Sicilia ingressus Italiam, primum obsedit Neapolin, in qua etsi vi eam ceperat, tamen severe praecepit, ne saevicia exerceretur in cives, eorum coniuges et liberos, iussitque cives domos et res suas tenere. Et quidem hac usus oratione ad milites scribitur: Divinitus se potitum esse urbe, quae putabatur

inexpugnabilis, et Deo hanc gratiam referendam esse, ne quid crudeliter aut libidinose fieret, pepercit et Gottico praesidio, cui concessit, ut fide publica tuto discederet. Interea Romae erat Gottorum rex Theodatus, qui seu metu seu spretus a suis non parabat se adversus peritissimum hostem. Itaque Gotticus exercitus vicinus urbi Romae iratus Theodato creat regem *Vitigem* virum bellicosum, qui foeliciter duxerat exercitum Theodorici tempore. Cognita vovi regis electione ex urbe Roma fugit Theodatus Ravennam concessurus, quem Optares iussu Vitigis fugientem interfecit. Cupidius enim hic Optares mandatis Vitigis paruit, quia coniugem ei ademerat, eamque alteri pecunia corruptus tradiderat. Ita poenas dedit Theodatus cum aliorum scelerum, tum ingratitudinis erga Amalosuntham. Venit Romam Belisarius, et eam magnis operibus muniit.

Vitiges quartus rex Gottorum regnavit annos quinque. Ac belli Gottici epitasis in huius Vitigis, et deinde Totilae tempora incidit, in qua ingens Italiae vastatio facta est. Roma saepe capta est. Mediolanum funditus deletum a Gottis, qui triginta millia civium ibi interfecerunt, Sunt et aliae multae urbes utrinque captae, magni exercitus trucidati, magna multitudo hominum pestilentia et fame absumpta est, matres filiorum carnibus in Liguria pastae scribuntur.

Initium autem belli cum Vitige gesti Romae factum est, quam Vitiges anno integro et diebus novem obsedit. Multa ibi magna praelia facta sunt. In primo autem maxime virtus Belisarii conspecta est. Exercitus Vitigis erat centum et quinquaginta millium Gottorum robore et peritia rei militaris excellentium. Hi cum vidissent Belisarii exercitum, qui egressus erat ad speculanda hostium castra, contempta paucitate praelium cient. Et quia agnoscebatur equus Belisarii gilvus et albo capite, Gotti recte existimantes duce interfecto facilem fore victoriam, sese cohortantur, ut quam plurimi conglobati in unum hunc impetum faciant, continuo clamore hanc vocem sonantes: In Falam, id est, gilvum equum.

Semper autem veteri Laconico more proximos apud se delectos equites habuit Belisarius, excellentes fortitudine, scientia rei militaris, iusticia et fide. Ab his tunc quoque fideliter defensus est, et pugnavit ipse suo loco fortissime, donec in collem intervallo mediocri a castris dissitum evasit, quo Gotti cum iam nox instaret, progredi non sunt ausi. Ita divinitus servatus rediit intra urbis Romae moenia, cum iam periisse diceretur, ac rediens multos dubitantes ad officium revocavit.

Postea durante obsidione, cum saepe tentaretur oppugnatio, et in ipsis moenibus crebra praelia fierent, uno die triginta Gottorum millia perierunt. Ea clade cum fracti essent Gottorum animi, lenta deinde fuit obsidio. Cum vero in urbe ad caeteras miserias fames accessisset, venerunt in suspicionem Senatores quidam Romani, et cum his Pontifex Sylverius, quod de urbe tradenda cum Gottis agerent. Quare Belisarius et Pontificem et alios qui accusati fuerant, in exilium misit, et successorem dedit Sylverio Vigilium, qui fuerat Diaconus. Haec in libro quoque Decretorum, ut nominatur, recitantur, causa 23. quaest. 4. ubi Sylverius narrat se propterea contra Belisarium et Vigilium edidisse fulmen excommunicationis.

Vitiges tandem omissa obsidione Romae cum sexagies septies ibi dimicatum esset, ducit exercitum ad oppugnationem Arimini. Postea obsidionum et deditionum variae vices fuerunt. Mediolanum etiam a Gottis deletum est, magna ibi caede facta. Tandem ad Ravennam Belisarius accessit, ubi granaria conflagraverant. Ibi cum de pacis conditionibus saepe colloquia haberentur, tandem astute Belisarius obtinuit, ut Ravenna dederetur, in qua erat Vitiges, quem captum honorifice custodit.

Etsi autem nondum tota Italia pacata erat, et adhuc multas urbes ad Padum et Athesin Gotti tenebant: tamen quia inclinatio magnae potentiae Gotticae Belisarii consiliis et virtute facta erat, ipse Constantinopolin redit, et eo Vitigem captum abduxit. Revocatum autem scribunt a Iustiniano propter bellum Persicum a Cosroë motum. Sed existimo facilius ex Italia eum discessisse propter Iustiniani suspicionem et caeterorum ducum Iohannis et Narsetis malevolentiam, quorum voluntates ab eo alienatae erant, sicut excellentem virtutem invidia comitatur.

In hunc Vitigem adductum Constantinopolin Iustinianus nihil aspere constituit, quia perfidia suorum captus erat. Ideo propter reverentiam regii nominis fecit eum patricium. Gotti regem crearunt *Ildobadum*, qui cum Vitigis cognatum interfecisset, non diutius anno regnavit. Nam

et ipse in convivio obtruncatus est. Mox et successor eius interfectus est. Ita intra biennium duos reges Gotti interfecerunt.

Cum igitur et Romanis bellis et domesticis discordiis potentia Gottica languefacta esset, rex Gottorum Totila factus est, qui brevi magnam partem Italiae recepit, cum initio exiguas copias haberet, quia Graeci duces et praefecti propter rapacitatem in odio erant, et in gubernatione non erant concordes.

Totila, penultimus rex Gottorum, regnavit annos decem. Res Gotticas singulari virtute et foelicitate rursus erexit, et si tandem ipsius etiam fortuna conversa est, sicut ei Benedictus Abbas praedixit, qui inquit ad eum: Multa mala facies, Romam ingredieris, novem annis regnabis, decimo morieris. Ac flexisse eum Benedicti adhortatio dicitur, ut minus crudelis in victoriis fuerit.

Initio ad Placentiam vicit Romanum exercitum duplo maiorem suo, insigni strategemate. Nam Gotticus exercitus erat tantum quinque millium virorum. Deinde procedens occupavit magnam Italiae partem, et ubicunque cepit nobiles matronas, virgines et pueros, misit inviolatos additis praesidiis ad suos. Itaque propter iusticiam plures ad eum deficiebant. Neapolin fame coëgit ad deditionem, quam cum occupasset, mox frumentum invehi curavit, et praesidium addidit, ne in tanta fame frumentum subito diriperetur, sed ut ordine vendi, et egentibus distribui posset, prohibuit urbis Neapolitanae direptionem, et praesidium Romanum dimisit additis etiam navigiis et viatico.

Cum autem Iustinianus intellexisset Gottos rursus superiores esse in Italia, et iam a Totila Romam obsideri, Belisarium secundo in Italiam mittit, sed neque accedere ad obsessam urbem Belisarius potuit, nec exercitum habuit parem hostibus. Interea dum urbis Romae obsidio fere biennio durat, simul alibi multae urbes iam a Totila, iam a Belisario et ab aliis ducibus occupantur, multi fame et pestilentia, multi in praeliis pereunt, et fit universae Italiae vastatio. Placentia tandem Gottis dedita est, cum praesidium ibi vesci humanis carnibus coepisset. Romae etiam tanta fames fuit, ut pater, qui multos filios habuerat, spectantibus multis sese de ponte in Tybrim praecipitaverit, iubens filios petentes cibum se sequi. Milites igitur Isaurici portam Asinariam Totilae patefecerunt. Gotti ingressi urbem passim obvios interficiunt, fit direptio, et magna pars aedificiorum incendio perit. Iubet Totila et muros dirui. Cumque totam urbem Romam Gotti delere vellent Pelagio Pontifice deprecante, prohibuit Totila caedes et incendia. Etsi fuit ante Roma ab Alarico et Genserico capta et direpta, tamen destructa non fuit, sed in hac tertia occupatione destructa est, sicut praedictum fuit a Sibylla: *ῥώμη μὲν ῥύμη ἔσεται καὶ δῆλος ἄδηλος.*

Admoneant autem nos exempla ruentium imperiorum et magnarum urbium de iudicio Dei. Pleraeque propter idola, tyrannidem et libidines delentur. Romae ad haec scelera accesserat saevicia adversus Christianos inde usque a Nerone. Tandem igitur Italia universa horribiliter vastata est, et in exterarum gentium potestatem venit. Repeto autem et tempora, quibus et antea capta est.

Roma quoties capta sit.

I. Tempore Honorii Alaricus Gottorum rex Romam biennio circumsessam cepit, anno Romae millesimo sexagesimo quarto, anno Christi quadringentesimo decimoquarto.

II. Tempore Martiani Gensericus Vandalus Romam spoliavit abducta inde Eudoxia, quae fuerat coniunx Valentiniani, anno Romae millesimo ducentesimo nono, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo nono.

III. Tempore Iustiniani Totila cepit et destruxit urbem circumsessam circiter biennium, anno Romae millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, anno Christi quingentesimo quadragesimo sexto, ab Augusto anno quingentesimo quarto, anno post destructionem Carthaginis septingentesimo. Quod eo adiicio, quia Scipio incendium Carthaginis aspiciens ac lacrymans dixit: Se cogitare simile fore aliquando excidium Romae. Deinde cum Belisarius, qui Romam destructis muris receperat, discessisset, triennio post destructionem Totila rursus eam cepit, et aliqua ex parte instauravit.

Narsis bella in Italia.

Interfecto autem *Totila* post triennium recepit urbem Romam *Narses* anno Christi quingentesimo quinquagesimo secundo. Post id tempus usque ad *Agilolfum* regem Longobardorum nemo peregrinus urbem Romam obsedit. Has vices simul complecti hic volui, ut cogitari pos-

sit, quantae fuerint calamitates, cum tot obsidiones exiguis intervallis acciderint. Nunc Totilae interitum addo.

Cum Belisarius ex Italia discessisset, cuius fortuna in hac posteriore expeditione non fuit similis priori, Iustinianus summum ducem in Italia esse iussit Narsen, qui pecunia instructus magnum exercitum collegit. Adiunxit sibi etiam Herulorem et Longobardorum auxilia. Cum igitur collecto exercitu Ravennam venisset, mittit legatos ad Totilam pacem certis conditionibus facturus. Totila nullam pacis conditionem audire volens respondet, dimicandum esse armis, et exercitum adversus Narsen ducit usque ad Apeninum. Ibi magno praelio facto Gotti tandem victi, et in fuga dissipati sunt. Totilam insignem equo aureis armis, purpura et proceritate corporis fugientem cum quinque comitibus sequitur vir Gepida *Asbadus*, a quo vulneratus in castra vehitur a quatuor comitibus, ubi paulo post mortuus est. Quintus comes, qui Asbadum, ne sequi posset, repressit et vulneravit, etiam vulnere periit.

Hic exitus est Totilae, qui etiam exemplum est inconstantiae rerum humanarum. Inclinatam potentiam Gotticam, cum haberet exiguas copias foeliciter restituerat. Postea res magnas toto decennio gesserat, tandem spreta pace superatus uno praelio et fugiens interficitur. Reliquiae tamen Gottorum regem faciunt *Teiam*, qui in urbe Ticino erat, ubi sumpta ex veteribus thesauris pecunia, exercitum colligit, et a Francis auxilium petit. Interea Narses ad urbem Romam accedit, eamque vi capit pulso Gottico praesidio.

Teias rex Gottorum ultimus, in Italia interfectus est nondum primo anno regni exacto. Cum enim exercitum duceret in Campaniam, ubi praesidium quod Romae fuerat Cumas se contulerat, idque Narses obsederat, ibi magno praelio Narses ad Nuceriam vicit Gottos. In eo praelio prorsus et vires Gottorum conciderunt, et ipse *Teias* praelians interfectus est. Illi qui Cumis erant, deditionem fecerunt concessa vita. Addita est autem conditio, ut universae Gottorum reliquiae ex Italia discederent.

Hic finis fuit regni Gottorum in Italia, quod ab initio Theodorici Veronensis usque ad mortem Teiae duravit annos fere sexaginta. Fuitque post Amalosunthae mortem continua Italiae vastatio annos fere triginta. Postea Narses rexit Italiam tanquam Proconsul annos sedecim. Deinde Italiam Longobardi et Exarchi lacerarunt, donec Caroli Magni virtute et foelicitate Italiae pax utcunque restituta est.

Considerentur autem in historia Gottica viri praecipui. *Theodoricus* Veronensis fortis et foelix fuit in bellis Italicis et Germanicis, et initio iustus et moderatus in gubernatione. Sed tandem crudeliter interfecit Symmachum et Boëtium, et terribili consternatione extinctus est.

Totila initio foelix, et Benedicti Abbatis adhortatione repressit iracundiam. Postea in rebus secundis factus insolentior periit fugiens.

Iustiniani duces tres fuerunt, sapientes, fortes et foelices: Belisarius, Iohannes et Narses. Clarior est autem caeteris Belisarius, qui Persica bella et Vandalicum in Africa foeliciter gessit. Fuit et prior expeditio Italica contra Vitigem gloriosa, magna parte Italiae recuperata. Posterior vero contra Totilam nequaquam priori par fuit. Iustus fuit erga socios, ac severe cavit, ne frumentum aut aliae res civium et sociorum raperentur. Saepe militibus pauperibus de suo pecuniam largitus est, et ut Medici vulneratis aut alioqui aegrotantibus opem ferrent, diligenter curavit. Cumque eo tempore ducum in imperio Romano praecipuus esset, et caeteros gloria et potentia antecelleret, dignitatem et opes ei Iustinianus eripuit falsis suspicionibus ab eo abalienatus. Haec narrat Zonoras. Alii addunt, oculos ei effossos esse, et mendicasse eum stipem. Tantus igitur vir exemptum est non solum inconstantiae fortunae, sed etiam ingratitudinis aulicae, de qua in Psalm. dicitur: Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, etc.

Et noti sint versus:

Vive tibi quantumque potes praelustria vita
Saevum praelustri fulmen ab arce venit.
Crede mihi bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Narses Eunuchus quaestor primum fuit Iustiniani, sed tanta industria, ut postea summus dux in Italia factus sit, ac describitur his verbis: *Εὔφρων ἐς τὰ μάλιστα καὶ δραστήριος, καὶ δεινὸς ἁρμόσασθαι τῷ παρεμπίπτοντι, καὶ παραστῆσαι οἰόστε ἦν τῷ λόγῳ τὰ βεβουλευμένα.* Cumque

Italiam rexerit sedecim annos, et ex magnis calamitatibus utcunque eam recreaverit, sapientiae et iusticiae signum est illustre. Sed huius etiam potentia suspecta fuit aulae, et post Iustinianum Iustinus successorem ei misit Longinum, sceleratum hominem, et coniunx Iustini iussit Narsen redire ad pensa in gynaeceo, exprobrans ei molliciem, quod Eunuchus esset. Sed ipse respondit, se telam exordiri, quam non posset ipsa superba mulier pertexere. Invitavit enim Longobardos in Italiam, quorum auxilio antea adversus Gottos usus erat. Ac ut tutior esset, non rediit Constantinopolin, sed ut privatus Neapoli vixit, donec ibi mortuus est.

Anno mundi quater millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto.
Anno millesimo ducentesimo quadragesimo quarto.
Anno Christi quadringentesimo nonagesimo quarto.

Anastasius.

Anastasius Dicorus factus est imperator, regnavit annos viginti septem, menses tres. Evexit senem ad imperium anus Ariadne coniunx Zenonis, cum antea fuisset scriba aulicus. Initio favorem populi sibi conciliavit, abolito grandi tributo annuo, seditiones quasdam repressit, et cum Persis inducias fecit, ut postea dicam, nec magnas res bello gessit, Ecclesias valde turbavit. Hunc secundum legimus coronatum a Patriarcha. Sed prius data syngrapha, qua promisit Anastasius, se a Chalcedonensibus decretis non discessurum esse, nec moturum novos tumultus in Ecclesia. Hac syngrapha accepta *Euphemius* Patriarcha, eum coronavit. Sed non multo post Anastasius delirans syngrapham reposcit, et palam defendit Eutychianos et Episcopos ipsis adversantes expulit ex suis Ecclesiis, Euphemium, a quo coronatus fuerat, expulit ex Constantinopoli. Deinde eius successorem Macedonium etiam interfecit. Convocata est ab eo et impia Synodus Sidonia contra *Heliam* Episcopum Armeniae, et alios recte sentientes. Talis erga Ecclesiam fuit.

De bellis haec digna memoria recitantur: Vitalianus mota seditione exercitum contra Anastasium ad Constantinopolin adduxit, ubi navali praelio Marianus dux Anastasii seditiosos vicit. Et scribitur a Proclo Mathematico, naves seditiosorum veteri exemplo Archimedis incensas esse. Facta sunt enim cava specula, a quibus radii Solis accensi vicinas naves inflammarunt. Fuit eo tempore et Persarum rex *Cabades*, id est, gloriosus, cui Persae, quia legem tulerat, ne adulteria sine violentia facta punirentur, regnum ademerunt, eumque in carcerem incluserunt. Cum autem eius coniunx aditum ad eum peteret, tandem custos carceris ea conditione promisit se aditum concessurum esse, si secum concumberet. Illa marito hoc significat, qui spe liberationis iubet uxorem voluntati custodis parere, quod cum faceret, mulier postea familiariter intromissa virum tandem liberavit indutum muliebri veste. Qui cum evasisset, adiutus ab amicis regnum recuperavit, et fratrem, qui biennio regnaverat, interfecit. Cum hoc Cabade diu Anastasius bellum per duces gessit, quod postea Iustini tempore finitum est.

Ideo autem huius Cabadae mentionem hic feci, quia et nostro tempore simili pacto mulier virum liberare conata est. Cum Gonzaga Mediolani Praeses esset, Caroli V. imperatoris tempore, in vicina quadam urbe Praefectus Hispanus virum nobilem coniecerat in carcerem. Uxor captivi magna pecunia redimere maritum conata est. Ea pecunia accepta Hispanus promittit ita se redditurum esse virum, si illa noctem promitteret. Refert mulier postulata Hispani ad maritum, qui assentitur: Illa promittit Hispano. Postridie cum maritum peteret, reddit Hispanus, sed prius interfectum: Illa misera calamitatem et suam et viri exponit Gonzagae Praesidi, qui mox Hispanum prehendi iubet, et primum mulieri omnes facultates Hispani addicit, deinde eum capitali supplicio affici iubet.

Hoc exemplum iusti iudicis memoria dignum est, et poenae ostendunt iram Dei adversus utrunque, et eum qui admisit adulterium, et eum qui fecit.

Recensetur inter calamitates temporum Anastasii et hoc, quod primum tunc nomen Bulgarorum in Thracia et Illyria auditum est, qui tunc Illyriam populati sunt.

Existimatur autem Anastasius fulmine periisse, quia inventus est mortuus, cum vixisset annos octoginta octo, regnasset annos viginti septem et tres menses.

Anno mundi quater millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio.
Anno Romae millesimo ducentesimo septuagesimo primo.
Anno Christi quingentesimo vicesimo primo.

Iustinus.

Iustinus factus est imperator, regnavit annos octo, et menses aliquot, natus obscuro loco in Thracia patre armentario, sed miles factus virtute crevit. Cumque praeesset excubiis Anastasii et autoritate apud milites valeret, dedit ei ingentem pecuniam Anastasio mortuo Eunuchus Amantius, ut militum suffragia emeret cuidam *Theocritiano*, quem Eunuchus imperatorem creari volebat. Prudenter autem Iustinus accepta pecunia sibi militum suffragia emit, et quia virtus eius Senatui probabatur, Senatus et militum consensu Iustinus factus est imperator. Primum ei periculum ab Amantio et Theocritiano fuit, quorum cum deprehendisset insidias, iubet eos interfici. Fuit utilis Orienti. Nam et Chalcedonensem Synodum mox initio imperii se amplecti ostendit, et constanter in ea sententia permansit, et Episcopos qui errores contra receptas Synodos defendebant, remotos ab officiis expulit in exilia. *Severo* Antiocheno Episcopo linguam praecidi iussit, ut blasphemiarum poenas daret. Haec severitas Ecclesiis Orientis profuit.

Cumque et Arianos pelleret, misit ad eum legatos Theodericus Veronensis bellum minitans, nisi desisteret. Hic et Romanum Episcopum Iohannem inclusit carceri, ut supra dictum est, propterea quod Constantinopoli Iustinum coronasset. Ac primum hunc a Romano Episcopo coronatum esse imperatorem legimus. Sed Theodericus, ut supra diximus, post quaedam saeviciae exempla mortuus est. Pax etiam cum Persis a Iustino facta est, quam tamen cito Persae violarunt. Memoria dignum et hoc est, Manichaeos tunc in Persia deletos esse, quod filium regis ad sua deliramenta pertraxerant.

Quia autem Iustinus senex erat, et tandem morbi ad senectam accedebant, vivens quarto mense ante mortem suam imperatorem creavit Iustinianum sororis suae filium praesentibus Epiphanio Patriarcha et praecipuis Senatoribus. Epiphanius Patriarcha Constantinopolitanus et Iustinianum et Theodoram coniugem eius coronavit.

Anno mundi quater millesimo quadringentesimo nonagesimo.
Anno Romae millesimo ducentesimo septuagesimo octavo.
Anno Christi quingentesimo vicesimo octavo.

Iustinianus.

Iustinianus regnare cepit collega Iustini quatuor mensibus. Regnavit annos triginta octo. Natus ex sorore Iustini. Valuit consilio, et fuit eo foelix, quod industrios et foelices duces habuit, per quos in magnis bellis in Asia defendit imperium, alibi recuperavit provincias aliquas amissas. Vituperatur eius avaricia, quod omnes gentes onerarit magnis tributis, quod multos circumventos calumniis excusserit ex facultatibus, quod doctoribus stipendia ademerit. Sed fortassis magnitudo bellorum et aedificationum eum excusat.

Initio Persae repressi sunt per Belisarium, cum quibus cum pax facta esset, Belisarius in Africam missus est, ubi recepta Carthagine, et capto Gilimero rege Vandalico, qui interfici regem Hildericum iusserat, recuperata est Africa, et finis ibi fuit regni Vandalici. Belisarius cum magna gloria domum Constantinopolin rediit, ibi cum Gilimer in triumpho ad Iustinianum supplex duceretur, dixisse Barbarus scribitur haec verba: Vanitas vanitatum et omnia vanitas, fortassis cogitans inconstantiam rerum humanarum, et imperatori significans, ne durior esset in victoria.

Cum autem in recuperatione Africae virtutem et foelicitatem Belisarii conspexisset Iustinianus, mittit eum in Italiam adversus Gottos, cum nono anno regnaret. Suntque res magnae gestae in prima expeditione Belisarii Italica intra annos quinque. Primum recepta Neapolis et caeterae urbes in Campania et Apulia. Interea Gotti rege Theodato, qui Amalasuntham interfecerat, deserto propter avariciam et ignaviam regem Vitigem crearunt, qui Theodatum interfecit. Cumque urbem Romam *Ludero* duci Gottico custodiendam tradidisset, ipse Ravennam adiit, ut exercitu collecto cum Belisario dimicare posset. Cum autem Belisarius ad urbem Romam accessisset, et defensionem desperaret Luderus, qui tantum quatuor millia Gottorum secum habebat, et civium animi ad Belisarium inclinarent, urbs Roma sine praelio patefacta est Belisario. Milites Gottici eodem die egressi sunt alia porta. Lude-

rus dux missus est Constantinopolin. Hanc urbis Romae recuperationem ponit Procopius in annum undecimum Iustiniani, qui est annus Christi quingentesimus tricesimus septimus. Estque sexagesimus annus postquam ab exteris gentibus occupata fuit. Quod plane intelligendum est de Odoacro, qui urbem Romam circiter annum Christi quadringentesimum octuagesimum occupaverat.

Reversus autem Vitiges urbem Romam obsidione cinxit, quae duravit annum integrum et dies novem. Cumque fierent crebrae oppugnationes, magna pars exercitus Gottici ibi periit. Sed dira fame et morbis ubique in tota Italia multi absumebantur, et in quibusdam locis matres filiorum carnibus pastae sunt.

Eodem tempore Gotti Mediolanum funditus deleverunt, interfectis triginta millibus hominum.

Tandem vero relinquit obsidionem urbis Romae Vitiges, cum alibi Ariminum amisisset, et Ravennae metueret. Sequitur ergo Belisarius Vitigem, et inclusum Ravennae obsidet, quem ut Gotti dederent, fraude eos persuasit. Ibi captivum regem Vitigem custodit. Ita valde inclinata potentia Gottica Belisarius redit Constantinopolin regem Vitigem secum adducens, cum in Italia annos quinque in summis difficultatibus res magnas gessisset.

Etsi autem nondum belli Gottici finis fuit: tamen gloria Belisarii magna erat, quod ut antea regem Vandalicum: ita nunc regem Gotticum captivum adduxit, victor duarum bellicosarum gentium Vandalicae et Gotticae. Sed inconstantiam fortunae metuere nos multa exempla et in hac historia docent.

Nullius viri tunc in toto orbe terrarum virtus et gloria maior fuit quam Belisarii. At reditus in Italiam fuit infoelix. Fuerat inclinata Gottorum potentia, sed rursus Totila regnante erecta est. Hoc interfecto intra decennium rursus concidit. Saepe igitur hanc admonitionem cogitemus:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.
Et subito casu quae valuere ruunt.

Urbis Romae calamitates etiam fuisse magnas, cum toties obsideretur et caperetur, necesse est. Post Belisarii abitum anno septimo rursus urbs Roma circiter annum obsessa est a Totila, qui cum eam cepisset, et partem murorum demolitus esset, Belisarius reversus ex Thracia urbem non munitam recipit, nec tamen diu retinet. Cumque ibi Cononem Praefectum reliquisset, milites eum, quod frumentum iniuste vendebat, et inaequaliter dividebat, interfecerunt. Aliquanto post Belisarius revocatus cum fere quinquennio in Italia vagatus esset, rebus multis frustra tentatis sine gloria in Thraciam rediit. Ibi Totila Romam iterum obsidet, et capit anno quarto postquam antea cepit. Nec multo post interfecto Totila Narses eam recipit. Post id tempus non est obsessa usque ad Longobardorum regem Agilolfum.

Narses Persarmenius successor Belisarii foeliciter ex Italia Gottos expulit. Sed postea Longobardos attraxit, ut suo loco dicam. Scribitur autem Belisarium postea dignitate et opibus spoliatum esse a Iustiniano. Id apud Procopium non legitur, qui tamen de Iohanne duce, cuius praecipua fuit potentia post Belisarium, expresse hoc scribit, Iustinianum ei dignitatem et opes eripuisse, eumque diu mendicando victum quaesivisse. Extat apud Suidam huius Iohannis Capadociae Praesidis descriptio: *φύσεως ἰσχυϊ δεινότατος, γνῶναι τὰ δέοντα καὶ λύσιν ἀπόροις εὑρεῖν ἱκανότατος, πονηρότατος δὲ*, etc Annumeretur autem exemplis inconstantiae fortunae aulicae, ut Seianus apud Tiberium, Severianus apud Severum, Eutropius apud Theodosium Secundum.

Etsi autem Iustiniano haec gloriosa fuerunt: expulsio Vandalorum ex Africa, et expulsio Gottorum ex Italia: tamen clades alias in imperio magnas accepit: Hunni vastarunt magnam Thraciae partem, et Pannoniam recuperarunt domitis ibi Gottis. Et quia coniunctae gentes fuerunt Hunni et Avares, nomen Hungari ex utrisque factum est, Hunniari, ut Iornandes scribit.

Tria pacis opera in *Iustiniani* gubernatione principi convenientia, et digna laude sunt: Legum collectio, Synodus quae nominatur quinta *οἰκουμενικὴ*, et aedificationes ad repressiones Barbarorum factae.

De legibus non dubium est, principes debere hoc efficere, ut extet *ius* recte scriptum et certum, quo et regantur homines, et in iudiciis consensus iudicum constituatur. Ideo et in politia Israël ius scriptum fuit divinitus traditum, et collegium interpretum. Fuerunt et Athenis scriptae leges et *νομοφύλακες*, et Romae leges scriptae

fuerunt, et Iurisconsulti, quorum magna fuit autoritas, postquam duodecim tabulae Romanarum legum populo propositae publice fuerunt. Et ut nunc sunt in Academiis studia discentium et docentium leges, et respondentium de iure: ita fuerunt olim Romae, deinde in urbe Beryto, postea Constantinopoli coetus docentium et discentium.

Cumque in Italiam Gotti, deinde Longobardi et Franci patrias leges intulissent, tandem *Lotharius* Saxo imperator admonitus ab *Irnerio* Iuris interprete, qui auditor doctorum in urbe Constantinopoli fuerat, rursus ex bibliothecis proferri libros *Pandectarum* iussit, et enarrari eos libros Bononiae, et iudicari in Italia controversias ex illis Romanis legibus mandavit. Ita vetus Iurisconsultorum doctrina ex Constantinopoli rursus in Italiam illata est.

Etsi autem quidam vituperant Iustinianum, quod ex vetustioribus integris scriptis tantum brevem Epitomen excerpi iusserit: tamen iudico valde benemeritum esse. Nam cum illa vetera volumina propter magnitudinem alioqui peritura fuerint, valde prodest reliquias superesse plenas eruditionis, qua aequalitas alias arithmetica, alias geometrica proportione sapienter quaesita est, et multae demonstrationes traditae sunt. Nec assentior Procopio, qui Tribonianum ait leges venales habuisse, cum quidem ille ipse fateatur eum eruditione excelluisse: φύσεως δυνάμει ἐχρῆτο καὶ παιδείας εἰς ἄκρον ἀφίκετο, αἰμύλος δὲ ἦν καὶ φιλοχρηματίας νόσημα ἐπισκιᾶσαι ἱκανὸς τῆς παιδείας περιουσία.

Saepe autem turbulenti homines excitarunt tumultus non solum contra legum doctrinam, sed etiam contra totum politicum ordinem: sustulerunt distinctionem Dominiorum, instituerunt communicationem facultatum Platonicam, damnarunt Magistratus, iudicia et legitimas poenas.

Tales furores olim sparserunt Carpocrates, Marcion et alii, et adhuc circumferunt nostro tempore Anabaptistae. Carolostadius non volebat videri prorsus abolere leges: sed contendebat oportere iudicia exerceri iuxta forenses leges Moisi.

Haec deliramenta omnia ex his tenebris oriuntur, quod autores eorum et adplausores non intelligunt discrimen iusticiae, de qua proprie concionatur Evangelium et vitae politicae, nec cogitant missum esse filium Dei, ut in corde novam lucem, agnitionem et invocationem veri Dei et iusticiam aeternam restituat, sicut Daniël perspicue inquit: Adducetur iusticia sempiterna. Hanc restituit filius *Dei* in cordibus. Ut autem in diversis regionibus utimur dissimilibus dierum spaciis: ita in politica vita sinit nos in diversis imperiis uti legibus civilibus, quae tamen cum lege naturae congruunt.

Extant autem plurima scripta nostrarum Ecclesiarum, quibus muniuntur pii contra fanaticos et seditiosos furores, et ornatur dignitas politici ordinis et legum.

Id obiter hic commemoro, cum de Iustiniani libris dicendum esset. Quia utile est considerari omnium temporum certamina de legum et ordinis politici dignitate.

Dixi inter insigna facta Iustiniani esse et Synodi convocationem, de qua mox dicemus in Ecclesiae historia, quam attexo caeteris narrationibus. Omitto etiam aedificationum descriptiones, quae legantur apud Procopium. Munivit limites imperii in Oriente et Occidente. Et fit mentio Istri, in cuius ripa multas urbes et arces condidit. Et Traiani pontem refecit in Dacia, quae est Walachia. Suntque verba Procopii de Istro haec: κάτεισι μὲν ἐξ ὁρίων τῶν ἐν κελτοῖς ποταμὸς Ἴστρος. Loquitur enim Herodoti more.

De Ecclesia.

Quinta Synodus οἰκουμενικὴ a Iustiniano Constantinopolin convocata est anno Christi 552. quia et reliquiae Nestorii et Eutychis adhuc turbabant Ecclesias in Oriente, et monachi in Palaestina renovabant Origenica deliramenta. Fingebant omnes animas humanas initio mundi conditas esse ante corpora. Item Diabolos habituros finem poenarum, et salvos futuros esse. Deinde spargebant et alii plures monstrosas opiniones. Repetita est igitur confirmatio symboli Niceni, et condemnatio Samosateni, Arii, Nestorii et Eutychis. Scribit Nicephorus interfuisse huic Synodo Romanum Episcopum *Vigilium.* Retinetur in Graeca Liturgia cantilena, quae continet brevem confessionem contra multos errores. Eam dicunt a Iustiniano post eam Synodum compositam esse. Sed existimo communi deliberatione Synodi et scriptam, et Ecclesiis traditam esse. Verba haec sunt: Unigenite fili et verbum Dei, qui cum immortalis sis, assumpsisti humanam naturam propter nostram salutem ex sancta Dei genitrice, et

sine mutatione naturarum homo factus et crucifixus es *Christe* Deus, mortem morte proculcans et simul glorificaris cum Patre et Spiritu sancto, salva nos. *μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ ἀθάνατος ὑπάρχων, καὶ καταδεξάμενος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκοθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου μαρίας ἀτρέπτως ἐνανθρωπήσας σταυρωθείστε χριστὸς ὁ Θεὸς, θανάτῳ θάνατον πατήσας, συνδοξαζόμενος τῷ πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι σῶσον ἡμᾶς.*

Duravit autem Synodus circiter biennium, ac de Origene magna certamina fuerunt. Agitatae sunt quaestiones: Quid sit Anima hominis? Sit ne ex traduce? An tunc ex nihilo creetur, cum infunditur? Aut an probanda sint Origenis deliramenta, qui dixit simul omnes humanas animas initio conditas esse, easque in coelo lapsas postea in corpora mitti.

Filius Dei perspicue et sine ulla ambiguitate affirmat se corporibus hominum mortuis redditurum esse vitam. Haec sententia firmissima fide amplectenda est, et expectandum iudicium post hanc vitam. Verum de anima separata obscurior est doctrina. Sed tamen haec dicta significant animas hominum spiritus separabiles esse, et vivere separatos: Hodie mecum eris in Paradiso: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, quia animam occidere non possunt: Cupio dissolvi et esse cum Christo. Rom. 8.: Corpus mortuum est propter peccatum. Spiritus autem vivit propter iusticiam: Deus est Deus Abrahae. Vivit igitur Abraham. Haec dicta opponamus iis, qui imaginanter animas humanas esse flammulas, quae nominantur a Medicis spiritus vitales, qui extinguantur sicut in pecudibus.

Quod vero animae hominum non sint creatae initio mundi ante corpora, narratio in Moise ostendit, quae ait prius formatum esse Adae corpus, et deinde in faciem, scilicet iam formatam inspiratum esse vitae spiraculum. Non igitur prius erant conditae animae. Quare et in Psal. 139. qui est confessio de praesentia et opere Dei, in singulorum formatione et vitae conservatione, aliquoties repetita est in signibus verbis haec doctrina, quod in utero formetur homo. Iam si potior pars prius fuisset, non diceretur de toto homine, formari eum in utero, et nominatim inquit: Pinxisti me in inferioribus terrae. Ergo animae non fuerunt prius in coelo, quasi dicat, organis et sensuum diversitate variasti corpus informe. Haec variatio fit per animam. Tunc igitur anima creatur in terra, nec fuit antea in coelo. Eadem sententia extat in Iob cap. 31. sine metaphoris, et si fuissent animae ab initio mundi, quae esset absurditas, nihil eas ex tot seculis meminisse?

Tertia quaestio est: An de novo creentur animae ex nihilo extra corpora, et deinde infundantur corporibus: An vero intra corpora ex traduce fiant? Utrum vero dixeris, non est excludenda Dei praesentia in formatione et vivificatione: sed firmissime statuendum est, formationem et vitam Dei opus esse, sicut totus Psalmus 139. affirmat, nos formari, vivificari et foveri a Deo: Formasti me in utero matris meae. Ac utile est adversus epicureas imaginationes confirmari fidem illustribus testimoniis, qualia haec sunt: Deut. 30.: Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum.

Actor. 17.: In ipso sumus, vivimus et movemur.

Coloss. 1.: Omnia per eum consistunt.

1. Timoth. 8.: Coram Deo qui vivificat omnia.

Psal. 104.: Auferes spiritum eorum, et peribunt, et in pulverem revertentur. Emittes spiritum tuum et recreabuntur, et renovabis faciem terrae.

Psal. 33.: De coelo respicit Dominus, videt omnes filios hominum, format sigillatim corda eorum.

Psal. 99.: Scitote quod Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et non ipsi nos. Nos autem populus eius, et oves pascuae eius.

Iob 14.: Numerus mensium eius apud te est, constituisti terminum ei, quem non praeteribit.

Talibus testimoniis confirmati certo statuamus vitam nobis a Deo dari et conservari, et quotidie ei gratias agamus, agnoscamus conditorem, et petamus, ut nos servet, gubernet et protegat. Haec cogitare utilius est quam profanis disputationibus implicare mentes. Interrogant autem aliqui, qui fiat, ut peccatum sit in animabus, si recens creantur. Ideo concinnius esse dixerunt aliqui dicere, Creari eas in corporibus ex traduce immundo. Servari autem et propagari naturam talem, qualis nunc est, ut qui pedem, quamvis claudum, retinet. Et haec de traduce conveniunt ad dictum: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Sed haec consideranda iis, quorum aetas maturuit, relinquo.

In caeteris controversiis huius Synodi minus est difficultatis. Ideo hic eas non repeto.

Anno mundi quater millesimo quingentesimo vicesimo octavo.
Anno Romae millesimo trecentesimo decimo septimo.
Anno Christi quingentesimo sexagesimo sexto.

Iustinus.

Iustinus Secundus nepos Iustiniani ex filia, imperator factus a Iustiniano vivente, tenuit imperium annos duodecim. Ut imperii initium gratius esset, leniit tributa et usuras, et coniunx Sophia quaedam debita ex suis facultatibus solvit, brevi tamen post nova tributa indicta sunt. Non multa per sese imperator morbis impeditus administravit, bellum cum Persis quadriennio gessit per ducem Martinum, in quo utrinque magnae clades acceptae sunt. Sed cum tandem victi essent Persae, rursus aliquantisper pax facta est. Duae res valde dignae memoria in huius Iustini gubernationem incidunt: Initia *Exarchatus* in Italia, et initia regni Longobardici in Italia. Fuerunt autem *Exarchi* velut Vicarii imperatorum ex Constantinopoli missi. Duravitque eorum gubernatio post Narsen annos centum et sexaginta. Arx autem et sedes Exarchorum Ravenna fuit. Priores bella cum Longobardis infoelicia gesserunt. Postremis varia certamina cum Romanis Pontificibus fuerunt, donec Longobardi urbibus illis, quas Exarchi reliquas tenuerant, potiti sunt, quas tamen relinquere Longobardos *Pipinus* coëgit.

Fuit autem primus Exarchus a Iustino secundo in Italiam missus *Longinus*, cuius mores ita describuntur, ut non sit mirum Graecos in maius odium venisse. Dicitur aluisse γυναικοιέρακας, qui vi et fraudibus alienas coniuges et nobilium filias ad ipsum pertraherent. Prius autem res Longobardicae breviter recitandae sunt, postea series Exarchorum addenda erit, ita magis perspicua erit narratio.

De Longobardis.

Omitto fabulosas ineptorum narrationes, quae Longobardos ex insulis Arctois educunt, et sequor Strabonis ac Ptolemaei descriptiones, qui Longobardos et Senonas in ripis Albis collocant, et diserte inquit Ptolemeus, Longobardorum sedem ad medium Albis esse, qui tractus nunc ad Dioeceses Meideburgensem et Halberstatensem pertinet. E regione fuisse Senonas in eo tractu, qui nunc vetus Marchia appellatur etiam ex utroque scriptore intelligi potest. Nec limites immotos constituo. Interdum longius hae bellicosae gentes progressae sunt, interdum regressae, ut fortuna bellorum erat. Ex hac sua patria Longobardi in illis terribilibus gentium migrationibus accesserunt cum familiis suis ad eam Pannoniae oram, quae Italiae propior est, ubi manserunt annos quadraginta duos. Ac inde ab eis auxilia adversus Gottos in Italiam Narses accersivit. Gottis ex Italia expulsis aliquanto post Longobardi sive a Narse invitati, ut aliqui narrant, sive quod magis credibile est, conspectis antea pulcherrimis Italiae urbibus et splendore, ultro Italiam ingressi sunt anno Christi quingentesimo sexagesimo octavo, cum imperator esset Iustinus Secundus. Tenuerunt regnum in ea Italiae parte, quae est inter Alpes et Apeninum annos ducentos et quatuor, unde adhuc ea pars nomen habet Longobardiae, ac in Italica expeditione mixtos fuisse Longobardis Saxones et Suevos, id est Pomeranos, historia ostendit. Vastationem Italiae denunciaverunt multa prodigia: Conspectae sunt igneae acies in aëre dimicantes: Sanguis ex terra et parietibus scaturiens, et alia multa, ut semper magnae calamitates prodigiis denunciantur. Nomen a longis cuspidibus vel bipennibus deducere concinnius est, quam a barbis.

Primus rex Longobardorum in Italia fuit *Alboinus*, regnavit annos quatuor. Initio occupavit Vincentiam et Veronam. Deinde ad Mediolanum accessit, quod suadente Honorato Episcopo deditionem fecit. Nam et propter famem obsidio tolerari non poterat. Ticinum quod a Longino praesidio munitum fuerat, triennio obsedit, quod cum tandem cepisset, rediens Veronam in convivio, iussit afferri poculum factum ex cranio Cunimundi, quem occiderat, et coëgit coniugem filiam Cunimundi ex cranio patris sui bibere. Illa tunc dissimulato dolore, postea hortatur Helmechildum nobilem Longobardum, ut Alboinum interficiat, et promittit ei regnum. Helmechildus dormientem Alboinum interfecit, deinde coactus fugere cum Rosimunda coniuge Alboini accessit Ravennam ad Longinum, ubi cum aliquandiu fuissent, Longinus novas spes

concepit potiturum se et muliere Rosimunda et Longobardorum societate, quam adeptus velit se nominare regem Italiae, persuadet mulieri, ut venenum det Helmechildo, eique promittit coniugium. Illa praebet marito egredienti ex balneo venenum, quod eum avide hausisset, veneni vim sentiens cogit Rosimundam reliquum haurire, quae simul cum Helmechildo extincta est.

In hac brevi historia multa sunt insignia exempla, singuli suorum scelerum poenas dederunt: Rex Alboinus, mulier perfidiosa, et minister mulieris perfidiosae. Haec fuerunt initia regni Longobardici in Italia.

Secundus rex Longobardorum *Clephes* regnavit annum unum et sex menses, statim post interfectum Alboinum electus, pulsa coniuge Alboini. Multa Italiae oppida occupavit, sed cum in subditos et domesticos crudelis esset, interfectus est a viro praecipuae nobilitatis, qui in eius familia fuit. Post eius mortem interregnum fuit annos decem, in quo triginta duces aliquandiu mediocri concordia non solum eam Italiae partem rexerunt, quae prius a duobus regibus occupata fuit, sed progressi etiam in Umbriam, Picenum et Campaniam multa oppida occuparunt, et direptiones magnas sacrarum et prophanarum rerum fecerunt, propter quas nominati sunt veteri exemplo *Triginta Tyranni.* Nec diu fuit inter eos concordia, sicut dicitur: *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.* Defecit ad Longinum Exarchum unus ex triginta Suevus nomine Dotrula cum oppidis quae tenuit, qui vicinum unum ex triginta Feroaldum cepit, et occidit profligato exercitu.

In hac historia nominatim fit *Saxonum* mentio, qui cum fuissent in Longobardorum exercitu, aegre ferentes eorum dominationem redierunt in patriam adiuti a rege Francico *Sigeberto*, et non sine magnis praeliis veterem patriam recuperaverunt. Quia Suevi, id est, Pomerani in ea loca transierant. Ideo Longobardi bellum Galliae vicinae Narbonensi intulerunt. In his difficultatibus cum viderent duces uno gubernatore opus esse, rursus creaverunt regem.

Tertius rex Longobardorum *Autharus* filius Clephis, regnavit annos sex, mitior patre, et iustior in gubernatione, conditis legibus inter suos latrocinia prohibuit. Cumque recuperato Brixello Dotrulam Suevum expulisset, fugientem Ravennam, inducias fecit cum Exarcho Smaragdo: pacem etiam fecit cum rege Francico: coniugem duxit filiam regis Bavarorum Garibaldi Theudelindam celebratam a Gregorio magno, quae cum pie agnosceret et coleret Dominum nostrum Iesum Christum, viro ad iusticiam et pacis studium hortatrix fuit. Sed non diuturna fuit haec Longobardorum tranquillitas. Nam Autharus veneno extinctus esse Ticini scribitur.

Quartus rex Longobardorum *Egilolphus* cognatus Authari, regnavit annos viginti, cum dux Taurinensis esset, delectus est a Theudelinda ad coniugium et regnum, quia tanta fuit Theudelindae virtus, ut Longobardi dubitantes, quem eligerent, arbitrio viduae permitterent electionem. Haec Egilolpho et coniugium et regnum obtulit, et nati sunt ex eis Adoaldus, qui postea in regno successit, et Gutbirga.

Initio Egilolphus pacem cum Francis fecit, qui et captivos reddiderunt. Mox et in suo regno duces rebelles compescuit. Fecit et cum Exarcho inducias. Ecclesiis adempta restitui curavit: abolevit barbaricas superstitiones, quas antea Longobardi ex patriis moribus retinuerant, et Christianam doctrinam docere curavit, qualem Gregorius Romanus Episcopus praescribebat.

Cum autem Exarchus Callinicus Parmam cepisset, et inde filiam Egilolphi natam in priore coniugio, et eius maritum abduxisset, irritatus tanta iniuria, et liberaturus filiam et generum Egilolphus bellum adversus Exarchum movit, et primum ad urbem Patavium accessit, in quam cum faces multas iaculatus esset, magna parte aedificiorum incendio consumpta, facta est deditio. Quod reliquum fuit urbis dimissis civibus combustum est anno centesimo et octogesimo, postquam ab Attila fuerat deleta. Rursus igitur magna multitudo inde migrans auxit Venetam urbem. Postea Cremonam delevit. Mantua deditione servata est, sed nudata moenibus, Deinde totius Italiae imperium sperans exercitum ad urbem Romam adduxit, quam integrum annum perpetua obsidione fatigavit, sed tandem propter malas tempestates et luem ubique grassantem abduxit exercitum, deprecatione etiam Gregorii Episcopi Romani motus, qui perfecerat, ut Smaragdus Exarchus restitueret et filiam et generum et urbem Parmam. Domum rediens despondit filio uxorem filiam regis Francici, et pacem cum Phoca imperatore facit, qua constituta aliquanto post mortuus est.

Quintus rex Longobardorum filius Egilolphi *Adoaldus*, qui regnavit cum matre Theudelinda, quae et propter filii adolescentiam et propter alias causas bella moveri voluit, sed mortua ea Adoaldo Longobardi, pertaesi eius ignaviam, regnum ademerunt.

Sextus Longobardorum rex *Arioaldus*.

Septimus Longobardorum rex *Rotharis*. Leges condidit Longobardis, et vicit Exarchum Theodorum trucidatis octo millibus, et urbes aliquot regno Longobardorum adiecit.

Octavus rex Longobardorum *Radoaldus* interfectus in adulterio.

Nonus rex Longobardorum *Aribertus* filius fratris Theudelindae. Huic duo filii successerunt, Godebertus regnans Ticini, et Bertarius Mediolani regnans: orta autem inter adolescentes fratres discordia, Godebertus accersit Grimoaldum ducem Beneventanum, ut haberet auxilia contra fratrem. Grimoaldus veniens Ticinum interfecit Godebertum et eius filium, et sese regem Longobardorum fecit. Bertarius fugit primum ad Chaganum regem Hunnorum, postea ad regem Francicum Dagobertum, et abfuit exul donec regnavit *Grimoaldus decimus* rex annus novem, qui cum rupta vena sanguinis fluxu mortuus esset, rediit *Bertarius*, quem regem *undecimum* numero, cuius iusticia et pietas laudantur. Sed mox post eum novae discordiae inter successores ortae sunt. Cum regnasset annos octo Bertarius, successit filius eius.

Duodecimus rex Longobardorum *Cunibertus* Bertarii filius pulsus regno ab Alachiso duce Tridentino, quem ipse servaverat, cum pater Bertarius eum interfecturus esset. Sed cum Alachisus crudelitatem in sacerdotes exerceret, reducitur Cunibertus, et cum praelio Alachisum vicisset, caput et pedes ei praecidit. Moriens Cunibertus reliquit parvum filium Lutbertum, quem Asprando duci commendavit. Sed *Reginbertus* Taurinensium dux bellum puero et Asprando infert, et victor se regem facit. Huic *tredecimo* regi, qui iniuste regnum occupaverat, quod non diutius uno anno tenuit, successit filius *Aribertus* secundus.

Quartus decimus rex Longobardorum *Aribertus* secundus, qui, quanquam regnum a patre iniuste occupatum armis retinuit annos duodecim: tamen tandem poenas dedit, et simul regnum et vitam amisit. Reducturi erant legitimum haeredem Lutbertum duces Asprandus et Rhotaris, et cum magnum praelium ad Ticinum factum esset, Lutbertus regni haeres captus est, et aliquanto post interfectus. Fugiens in Bavariam Asprandus ibi annos novem exulat. Inde adiutus a Ditberto Bavarico duce redit in Longobardiam, et magno praelio vincit tyrannum Aribertum, qui in fuga in Ticino periit.

Quintus decimus rex *Asprandus* reversus ex Bavaria tenuit regnum tres menses, princeps iustus, et qui in tutela fidem praestiterat, reliquit successorem Lutbrandum filium, qui caeteris regibus Longobardorum omnibus antecelluit.

Sedecimus rex Longobardorum *Lutbrandus*, regnavit annos viginti duos. Initia gloriosa habuit. Movet bellum adversus Exarchum, ut defenderet Episcopos, quos Graeci propter *εἰκονομαχίαν* spoliabant. Cum Ravennam obsidione frustra aliquandiu fatigasset, duxit exercitum in Tusciam, ubi Clusium vi captum crudeliter diripuit. Auxilia ad urbem Romam Pontifici misit, quae Exarchum eo venientem repulerunt. Postea Bononiam, Forum Livii, Auximum et alias quasdam urbes occupavit. Pace deinde facta cum Exarcho Erithio, impetravit a Romano Pontifice, ut Exarchum liberaret excommunicatione. Misit auxilia Carolo Martello gerenti difficile bellum cum Saracenis, quorum trecenta millia in Galliam infusa fuerant. Ut autem sunt mutabiles sociorum animi, praesertim Romanorum Pontificum, cum Lutbrandus Spoletum capit, ut cognatos rebelles ad officium revocet, Pontifex Romanus addit exercitum duci Spoletano contra Lutbrandum, ubi etsi pars copiarum Lutbrandi trucidata est: tamen singulari pugna Rachisii ducis Foroiuliensis victus est Spoletanus. Iratus igitur Lutbrandus Romano Pontifici Romam duxit exercitum, eamque obsidione cingit, ibi Pontifex, quia nec poterat a Leone imperatore auxilium sperare, et magna tunc autoritas erat Caroli Martelli, petit a Carolo Martello, ut vel autoritate vel armis perficiat, ut Lutbrandus ab urbe Roma discedat, et Ecclesiae Romanae adempta restituat.

Recens Carolus Martellus profligato Saracenico exercitu trecentorum millium ingenti terrore Galliam et Italiam liberaverat, et amicicia erat summa inter hos duos principes Carolum Martellum et Lutbrandum, quorum virtus tanta fuit, ut longe antecellerent omnibus regibus et principibus eius aetatis. Impetrat igitur Carolus Martel-

lus non minis, sed pro ipsorum amicicia petens amanter, ut propter Ecclesiae reverentiam Pontifici et urbi parceret. Hac amicissimi et praestantissimi principis oratione motus Lutbrandus discedit ab urbe Roma, sed Ravennam obsidere rursus incipit, quo cum ad eum Romanus Pontifex accessisset solvit obsidionem. Redeuntem ad Padum sequitur Pontifex, quo reverenter excepto et audito universae Italiae pax restituta est, nec multo post Lutbrandus ex hac vita placida morte decessit.

Septimus decimus rex Longobardorum *Hildebrandus* regnavit sex menses, filius fratris Lutbrandi. Die coronationis egredienti ex templo, et ritu gentis hastam gerenti sederat in ea Cuculus, id existimatum est esse infaustum omen. Nec multo post regnum ei ademptum est.

Octavus decimus rex Longobardorum *Rachisius*, dux Foroiuliensis, qui singulari pugna Spoletanum, ut supra dictum est, vicerat, regnavit annos quatuor. Pacem a Lutbrando factam cum Romano Pontifice et Ravennatibus initio confirmavit. Sed postremo anno Perusiam cepit, quo cum ad eum Zacharias Romanus Pontifex venisset, persuasit ei, non solum ut bellum finiret, sed etiam ut relicto regno pietatis studio monasticae vitae se dederet.

Nonus decimus rex Longobardorum *Astulfus* Rachisii frater, regnavit annos octo, tyrannus crudelis et timidus, Ravennam occupavit, et oppida quaedam Romanae sedi ademit. Et quia processurus erat ad urbem Romam, Stephanus Pontifex frustra petito auxilio a Constantino imperatore discessit in Galliam, petiturus ut rex Francicus Pipinus tyrannum reprimeret. Quanquam Pipino oblata erat occasio regni Longobardici occupandi: tamen sine cupiditate tantum publicae paci consuluit bis ingressus Italiam. In prima expeditione Astulfus cum in faucibus Alpium infoeliciter pugnasset, fugit in urbem Ticinum, ibi metuens obsidionem, promisit pacem, et dedit obsides. Redit igitur Pipinus in Galliam sperans Italiam periculo liberatam esse. At Astulfus post abitum Pipini contra pacta ad urbem Romam accedit, facit magnas vastationes, et suburbana incendit. Rursus opem implorat Pontifex a Pipino, qui rediens non contentus promissis, cogit Astulfum relinquere Ravennam et alias Italiae urbes, quas partim Pontifex, partim Exarchi tenuerant. Nec tamen ei regnum Longobardicum ademit.

Haec moderatio excellentibus monarchis congruit, qui cum iusta et necessaria bella gesserunt, ostendunt se magis publicae saluti consulere, non hoc agere ut privatam potentiam augeant, ut cum Romani Graeciae integram libertatem reddiderunt, et repressione Macedonum contenti, non occuparunt eorum regnum. Astulfus post factam pacem res novas moliens apoplexia in venatione extinctus est.

Ultimus rex *Longobardorum* fuit *Desiderius*, dux Etruriae, tenuit regnum annos octodecim. Contra pacis conditiones Pipino promissas occupavit Ravennam et alia vicina oppida. Fecit Episcopum Ravennatem contra Canones, qui antea non fuerat in ecclesiastico ordine. Cumque reprehensus ab Adriano Episcopo Romano exercitum Romam duceret, et Adrianus a Carolo rege Francico auxilium peteret, regressus Desiderius venienti Carolo exercitum in faucibus Alpium opposuit. Sed victus Ticinum fugit, ubi decem mensium obsidione et fame coactus fecit deditionem. Interea Mediolanum et Veronam exercitus Caroli occupavit. Quia vero pacta Longobardi toties antea violaverant, severius egit Carolus quam antea Pipinus, ut scriptum est: Propter iniusticiam transferuntur regna. Carolus in sua potestate regnum Longobardorum retinuit, et Francicos praesides eis dedit. Regem Desiderium captivum relegavit Leodium. Filius Desiderii Adelgisus ad Graecum imperatorem fugiens patricius Constantinopoli factus est. Postea cum a Graecis instructus exercitu regnum paternum recuperare conaretur, a Francis captus et interfectus est.

Hic finis fuit regni Longobardici in Italia, quod ab Alboino usque ad huius Desiderii deditionem annos ducentos et quatuor duraverat. Praecipua virtus fuit Egilolphi, Theudolindae Bavaricae, Cuniberti, Lutbrandi. Caeteri crudeles, et quidam sanguine cognatorum polluti fuerant, quorum poenae testimonia sunt irae divinae, quae etiam posteritatem hoc monent, quod dicitur in rota clamare Ixion: Discite iusticiam moniti, et non temnere divos. Incidit hic finis regni Longobardici in annum postquam natus est Christus ex virgine septingentesimum septuagesimum tertium.

Carolus Romam profectus honorifice a Romano Pontifice exceptus est, et factus patricius Romanus. Iuravit Francos perpetuo amicos fore

Romanae sedi et populo Romano. Nondum tamen imperator factus est. Sed haec initia fuerunt potentiae Francorum in Italia, quae diu profuit ad Italiae pacem.

De Exarchis.

Recitabo et continua serie *Exarchos*, qui fuerunt Vicarii imperatorum Graecorum, et partem Italiae rexerunt. Fuitque arx eorum seu aulae domicilium *Ravenna.* Incidit eorum initium in Longobardici regni initium. Sed citius aliquanto desiit Exarchatus quam regnum Longobardicum, videlicet cum Pipinus in Italiam contra Astulfum vocatus est.

Anni tribuuntur Exarchis centum et septuaginta quinque. Vocabulum non a sex urbibus dictum est. Sed *Ἔξαρχος* est eximius seu praecipuus Princeps. Horum tempore fuit eo inquietior Italia, quia cum Longobardos Exarchi irritarent, quibus non erant pares, et suos spoliarent, magnae vastationes et direptiones fiebant, magnos etiam tumultus contra Romanos Pontifices propter *εἰκονομαχίαν* et alias iniustas causas excitarunt. Saepe enim Pontifices impediebant expilationes: ac Mauricii imperatoris tempore scribit Gregorius Romanus Episcopus, qui primus sic nominatus est: Malicia Exarchi adversus nos gladios Longobardorum vicit, qui nos rapinis et fallaciis perdit. Cum igitur in odio essent Graeci propter rapinas, libidines et dissensiones de religione, et assidua bella in Italia essent, nihil mirum fuit a Francis peti defensionem, quorum iusticia, fortitudo, modestia et pietas tunc cognitae erant. Nec facile in eadem familia continuos quatuor tales principes invenire possimus, quales fuerunt Carolus Martellus, Pipinus, Carolus Magnus et Ludovicus Pius, ac Deus donec vult gentes aliquas servare deletis tyrannis, transfert imperia ad iustiores, et natura fit, ut a iustioribus praesertim vicinis defensio petatur.

Primus Exarchus ab imperatore Iustino Secundo, postquam Narses mortuus fuit, in Italiam missus est *Longinus*, cuius nulla virtus celebratur, raptus virginum et matronarum narrantur, ad quos sceleratos ministros habuit, qui nominati sunt *γυναικοιέρακες*.

Secundus fuit Mauricii imperatoris tempore *Smaragdus*, qui nactus occasionem gerendi aliquid contra Longobardos, ex domestica eorum discordia, Dotrulam Suevum, qui ab eis defecerat, contra eos armavit. Is Veroaldum ducem Longobardicum cepit et interfecit. Recepit et oppida quaedam Smaragdus. Sed rursus pulso Dotrula Smaragdus cum rege Longobardico inducias fecit.

Tertius fuit nomine *Romanus* a Mauricio imperatore successor missus Smaragdo turbavit inducias, et aliquot oppida recepit. Sed cum Romae aliquandiu grassatus esset expilationibus et rapinis, non multo post Ravennae mortuus est.

Quartus dictus est *Callinicus*, qui fortem et iustum regem Egilolphum irritavit capta Parma et abductis filia Egilolphi et genero. Moto igitur bello non solum Callinicum reprimit, sed etiam oppida quaedam recipit, et iratus exercitum ad urbem Romam obsidendam ducit. In hoc tanto Italiae incendio Callinicus Ravennae moritur. Rursus igitur Smaragdus a Mauricio in Italiam missus est.

Quintus Exarchus *Smaragdus* iterum. Huius tempore Egilolphus cum Romam obsidione integri anni fatigasset, Cremonam vi captam prorsus delevit. Deinde Mantuam deditione cepit. Cum igitur Smaragdus videret suas vires nequaquam pares esse Longobardicis, pacem fecit cum Egilolpho, quem et coniunx Theudelinda et Gregorius Pontifex ad pacem flectebant. Suntque redditi captivi gener Egilolphi et eius filia cum honorifico comitatu dimissi.

Sextus Iohannes Lamigius Thrax a Phoca missus adduxit magnum agmen mulierum et spadonum. Congruit hic proverbium de similitudine domini et ministri. Quales dominae tales catellae. Miserat Phocas non meliorem vicarium, quam erat ipse. Ravennates igitur agre ferentes imperia Thracum, Spadonum et mulierum, et rapinas ac libidines, trucidarunt Lamigium et familiam.

Septimus Eleutherius ab Heraclio missus, initio foeliciter oppressit Neapoli seditiosos, quorum dux nominatur Iohannes: deinde facta pace cum Longobardis in annos decem, quia Egilolpho mortuo mater Theudelinda propter filii adolescentiam pacis cupida erat. Eleutherius videns Italiam tranquillam esse sese regem Italiae nominat. Sed cum Romam exercitum ducit, a suis militibus interfectus est, et caput missum est Constantinopolin ad Heraclium imperatorem.

Octavus Isaacius ab Heraclio missus, pacem cum Longobardis factam confirmavit, et decem annos addi voluit ad conditiones pacis. Romam autem veniens, ut electionem Romani Episcopi Severini confirmaret, pecuniam quae in Lateranensi templo reposita erat, rapuit, et parte distributa militibus, reliquum avexit Ravennam. Ad hoc sacrilegium usus fuerat ministro, cui nomen fuit Mauricius Carthularius, quem Romae praefectum urbis fecit. Hic ut Isaacium excuteret, criminatus est eum palam apud iudices Romanos et praesidium, velle eum Eleutherii exemplo regio nomine in Italia dominari, et iam contra eum in oppidis aliquot praesidia collocavit. Re cognita Isaacius mittit exercitum adversus eum iam desertus a suis, cum in templum fugisset, inde extractus est et securi percussus, caput hastae infixum diu Ravennae in circo pependit. Nec diu post Isaacius subita morte extinctus est. Hae tragoediae ostendunt, quales et mores et gubernationes Exarchorum fuerint.

Nonus Theodorus Calliopa missus ab Heraclio Longobardis bellum intulit, qui amplius viginti annis quieverant, sed magno praelio ad Mutinam victus est a Rothari. Post eam victoriam Rotharis occupavit Liguriam.

Decimus Olympius missus a Constantino mandata Romam attulit, ut Episcopus Romanus errorum Monotheletarum amplecteretur. Cumque Martinus Romanus Episcopus refragaretur, percussorem in templum misit, qui interfecturus Martinum subito coecus factus est, quo miraculo motus Olympius Romano Episcopo adeo amicus factus est, ut et Ravennatem Episcopum coëgerit se Romano subiicere, cum antea voluerit par esse Deinde Romanus Episcopus hortator fuit Olympio, ut a Sicilia Saracenos depelleret. Quod cum fecisset, ibi morbo extinctus est.

Undecimus Theodorus Calliopa iterum Romae Lateranensem Basilicam ingressus tanquam salutaturus Martinum Episcopum, vi eum coepit, et captum misit Constantinopolin, unde in Chersonesum deportatus est, ubi exulans aliquanto post mortuus est.

Duodecimus Iohannes Platina missus a Iustiniano Secundo, cum Romae dissensio esset de electione Pontificis, venit eo pecunia corruptus, ut Paschalem crearet Romanum Episcopum, quod tamen perficere non potuit. Quia Paschalis damnatus est, quod magicas imposturas exercuisset, qui et in monasterium inclusus est, ubi dolore animi extinctus est. Rediit Iohannes Ravennam spoliatis Romae templis.

Tertius decimus Theophylacius missus ab Apsimaro, prius ex Sicilia Romam venit, quam accessit Ravennam. Cumque direptiones et caedes metuerentur, praesidia quae Romae et Ravennae erant se contra eum coniunxerunt. Sed Romanus Episcopus, cum inter Exarchum et exercitum velut arbiter esset, persuasit eis, ne inter se dimicarent, et ut Ravennam sine latrociniis discederent.

Quartus decimus Paulus a Leone Tertio missus Gregorium Tertium Romanum Episcopum capere iussus fuerat, quod Leoni tertio propter εἰκονομαχίαν tributa negari iusserat, sed a Romanis cum filio interfectus est.

Ultimus Exarchus *Eurychus* a Leone Tertio missus cum literis Romanos cives contra Gregorium incitaret, edidit contra eum Gregorius fulmen excommunicationis. Aliquanto post Astulfus rex Longobardorum Ravennam cepit. Contra hunc Stephanus Romanus Episcopus accersivit Pipinum, quo tempore finis fuit et nominis et gubernationis Exarchorum, cui tribuuntur anni centum septuaginta quinque.

Feci continuos catalogos regum Longobardicorum et Exarchorum, ut mores et exitus principum in uno loco propositi magis conspici possint. Nunc ad imperatores redeo.

Anno mundi quater millesimo quingentesimo tricesimo nono.

Anno Romae millesimo trecentesimo vicesimo septimo.

Anno Christi quingentesimo septuagesimo septimo.

De Tiberio.

Tiberius Constantinus ascitus ad imperium a Iustino adhuc vivente propter eximias virtutes, quae in eo in gubernatione aulae conspectae erant. Tenuit imperium annos septem. Coronatus est a Patriarcha Eutychio cum coniuge Anastasia. Mansit constans in professione piarum Synodorum, nec permisit turbari Ecclesias. Fuit iustus in gubernatione, placidus, et sine πολυπραγμο-

σύνῃ, sine avaricia. Nova quaedam tributa abolevit. Adeo multa distribuit ad alendas pauperes familias, ut a Sophia Iustini vidua reprehenderetur. Sed Deus vicissim ei et opes auxit, et victorias egregias donavit. Dum enim auream crucem marmori insertam in terra levari iubet, nolens eam pedibus calcari, magnos thesauros sub ea reperit. Pervenerunt ad eum et thesauri, quos Narses ex Italia miserat. Cum Longobardis pacem fecit. Contra Persas misit ducem Mauricium Cappadocem, qui foeliciter victis Persis Mesopotamiam recepit. Captivos vestitos Tiberius in Persiam remisit. Mauricio reverso dedit filiam Constantinam uxorem, eumque vivens imperatorem fecit laudatum oratione sua apud exercitum. Sic cum relinqueret successorem generum iudicio delectum, aliquanto post morbo ex hac mortali vita placide decessit.

Anno mundi quater millesimo quingentesimo quadragesimo sexto.

Anno Romae millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

Anno Christi quingentesimo octuagesimo quarto.

Mauricius Cappadox.

Mauricius Cappadox gener Tiberii successit socero tenuit imperium annos viginti, coronatus a Patriarcha Iohanne Ieiunatore. Fuit scriba Iustini Secundi, ac propter industriam consilio Sophiae factus est comes Praetorianorum. Deinde Tiberius eum praefecit exercitui misso contra Persas. Initia habuit gloriosa: Tiberii tempore vicerat Persas suo ductu. Deinde cum esset imperator, misit contra eos ducem Philippicum, cui nupta erat Gordia soror Mauricii. Etsi autem variae vices erant in eo bello, et crebrae exercituum seditiones: tamen Romani tandem fuerunt victores propter discordias Persarum, qui suo regi Orimasda oculos effoderunt, quem et filius Cosroës postea occidi iussit. Propter id parricidium cum Cosroës ad Romanos confugisset, in his discordiis Persae victi sunt. Et quia rex Cosroës ad Romanos fugerat, sapienter Mauricius pacem hac occasione fecit: restituit Cosroën in regnum, limitibus imperiorum distinctis, et pace utrinque promissa, quae duravit usque ad Phocae initium. Translatum est igitur bellum in Europam, et exercitus ex Syria revocati sunt ad reprimendum regem Avarum Caganum. Sed ante huius novi belli initium domesticas res constituit: filium Theodosium imperatorem creat, quem et Patriarcha Iohannes Ieiunator in Paschate coronavit, ac filia Germani Patricii nata ex sorore coniugis Mauricii Theodosio desponsata est. Hactenus foelix et gloriosa fuit Mauricii gubernatio, sequens tempus non solum exemplum est instabilitatis fortunae, sed etiam in principe pio conversionis seu poenitentiae maxime dignum consideratione. Apparet autem in illa indulgentia fortunae mores factos esse asperiores, cum initio fuisset iustus, et ut scriptor Graecus inquit: *συγκεράσας τὴν σεμνότητα καὶ πραότητα ἐλεύθερος τῆς ὑπερογίας.* Postea iracundior factus est et suspicax, et magis contempsit suos et alienos.

Eodem tempore bellum intulit duabus gentibus bellicosis, Longobardis in Italia et Ungaris. Etsi autem Longobardi propter suas discordias quaedam oppida amiserunt: tamen non sunt domiti, et Italiam Exarchi, ut supra dictum est, non leviter afflixerunt. Bellum Ungaricum atrocius fuit. Rex Avarum seu Hungarorum *Caganus* nominatus, cuius magna fuit potentia et magnus usus militiae. Nam in Asia bellum antea cum Turcis gesserat, quorum nomen Mauricii tempore primum in historia legitur, de quibus postea in rebus Saracenicis dicemus. Hic Caganus occupato Sirmio processit ad Anchialum, quae aut Varna est, aut oppidum vicinum Varnae. Inde Mauricius progressus obviam hosti recepit Anchialum, et rediens Constantinopolin fecit ducem exercitus Priscum, qui post aliquot praelia inducias cum Cagano fecit misso oratore, qui hac narratione regem ferocius respondentem flexit: Dixit olim Aegyptium regem Sesostrin vehi solitum in aureo curru, qui a quatuor regibus domitis trahebatur. Cum autem unus ex illis regibus saepe respiciens rotam intueretur, interrogat Sesostris: cur toties respiciat? Intuens inquit rotae volubilitatem, in qua cito ea quae summa fuerant, fiunt ima: cogito de nostra fortuna. Hac admonitione motus Sesostris factus est modestior, et reges liberavit. Delectatus hac narratione Caganus fecit inducias, quae tamen brevi post violatae sunt, et duces Mauricii trucidarunt triginta millia Avarum, Sclavorum et Gepidarum, et ceperunt tredecim millia hominum, quos Mauricius ad Caganum remisit. Deinde Caganus cepit duo-

decim millia Romanorum militum, seu ducis Commentioli Thracis perfidia, seu alio casu. In ea vero expeditione Caganus templa deleverat, et ossa martyrum ex monumentis eiecerat. Secuta igitur pestilentia, in qua septem filios uno die Caganus amisit, domum redire properat. Quare ostendit posse redimi et captivos, pro singulis unum aureum petit. Negat Mauricius seu avaricia, ut scribitur, seu pertinacia se redempturum esse captivos. Iratus igitur Caganus omnes trucidari iussit. Horum interitus cum magnum dolorem multis afferret, ortae sunt in reliquis exercitibus seditiones, praesertim quia et Petrus frater Mauricii dux stipendia indigne pendebat, et in tantum odium venit Mauricius, ut in die natali Christi ingrediens in templum pene lapidibus obrutus sit. Nec tantum benevolentiam populi in adversa fortuna amisit, sed etiam virtus languefacta est, et multi errores consiliorum secuti sunt, sicut dicitur: Aeger animus semper errat. Philippicum ducem, cui nupta erat Mauricii soror, inclusit in carcerem, falso suspicans eum regnum appetere. Germanus cui nupta erat soror uxoris Mauricii, cum eum prehensurus esset, fugit in templum: filius Theodosius, cui Germani filia nupta erat, caesus est fustibus, quia pater suspicabatur eum adiuvare consilia socer contra ipsum.

Talia exempla nos de infirmitate humana commonefaciant, quae ostendunt non solum fortunam mutari, sed quod multo tristius est, in magnis viris extingui sapientiam et virtutem.

Auxerunt consternationes Mauricii et prodigia et somnia: Conspectus est cometa Xiphias: Accurrit monachus quidam stricto gladio ad statuam imperatoris, clamitans, imperatorem ferro periturum esse: Ipse somniavit, se tradi iugulandum suo militi *Phocae.* Quare Philippicum ex carcere eductum interrogat, qualis sit Phocas? Respondet, centurionem ambitiosum esse, sed timidum. Addit igitur Mauricius hoc vetus dictum: Si timidus est, homicida est, ut vetustas dixit: *πᾶν δειλὸν φονικόν.*

Cumque varii essent in urbe et in castris tumultus, milites ad Istrum Centurionem Phocam virum Thracium sublatum in clypeum iubent imperatorem a toto exercitu nominari. Hic cum turbae militaris acclamationibus nominatus esset imperator, properat Constantinopolin, ubi eum in suburbano coronat Patriarcha *Cyriacus*, ingressum in urbem populus recipit. Et quia ad Chalcedonem Mauricius aegrotus cum coniuge et parvis filiis et filiabus fugerat, sequi eum Phocas Tyrannus iussit. Suntque in portu spectante Phoca primum duo iuniores filii Mauricii necati, deinde tres filiae, post has mater Constantina filia boni principis Tiberii. Spectaverat Mauricius filiorum et filiarum neces mirando silentio, sed cum videt sanctam coniugem etiam feriri, hanc edidit confessionem suorum delictorum: *Iustus es Domine, et rectum est iudicium tuum.* Postea et ipsi Mauricio caput praecisum est. Cadavera in littore abiecta sunt, ut a populo conspicerentur, quae deinde ab eunucho quodam in templo sepulta sunt. Filius Theodosius praemissus erat a patre, ut ad Persas fugeret, hunc quoque ex fuga retractum Phocas trucidari iussit. Mox interfecti sunt et Germanus socer Theodosii, et filia eius, Theodosii coniunx. Ab his decem cognatis corporibus initium horrendae saeviciae factum est, quae postea latius grassata est in amicos Mauricii. Haec tanta ruina nobilissimae familiae digna est consideratione.

Etsi fuit in Mauricio virtus: tamen vel iracundia vel pertinacia peccavit, cum exercitum non redemit, et accesserunt alia peccata communia humanae infirmitati. Poena igitur ipsius nos de ira Dei admoneat, ut simus modesti, et vivamus in timore Dei et in invocatione.

Simul autem et magnitudo poenitentiae consideretur, quam optarim magis perspicue descriptam esse pluribus testimoniis invocationis Dei recitatis. Sed haec expressa confessio in tanto dolore: Iustus es Domine etc., similis est confessioni Daniëlis: *Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei* etc. Significat non defuisse veram fidem et invocationem. Adiungamus ergo hoc insigne exemplum ad haec dicta: Humiliamini sub potenti manu Dei.

Item: Vivo ego, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Item: Gratia exuberat supra delictum.

Item: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Nec vero multo post et Phocas et illi scelerati exercitus puniti sunt, ut mox dicetur.

Anno mundi quater millesimo trecentesimo sexagesimo sexto.
Anno Romae millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto.
Anno Christi sexcentesimo quarto.

Phocas.

Phocas ignobilis Centurio Thracius per seditionem creatus imperator. Occiso Mauricio tenuit imperium annos septem, coronatus in suburbano Constantinopolis a Patriarcha Cyriaco. Cum Mauricium interfici iussit, mox crudelitatem in eius amicos exercuit. Postea toto imperii tempore ut homo ignobilis iniuste nactus potentiam tantum ea ad privatam nequiciam et crudelitatem usus, deditus luxui et libidinibus rapuit aliorum coniuges, multos innocentes interfecit, exhausit provincias tributis. Domi igitur temulentia et stupris retentus sinebat imperium alibi a Persis, alibi ab Hunnis et Cagano vastari, ac sceleratus exercitus, qui conspersus fuit sanguine Mauricii mox in Oriente poenas dedit. Victor enim Cosroës duobus magnis praeliis trucidata magna multitudine reliquos abduxit captivos. Eripuit Romanis Ierosolymam, et inter thesauros crucem avexit, et magnam Christianorum multitudinem occidit. Occupavit Syriam, et multas provincias populatus est.

Cum igitur tyrannus Phocas in odio esset, non solum populi, sed etiam principum, coniungunt se *Priscus*, qui Mauricii tempore inter praecipuos duces fuerat, et tunc Phocae gener factus erat, et *Heraclianus* Africae praeses, et *Photius* cuius uxorem Phocas rapuerat, resque ita instruitur, ut eodem tempore *Priscus* Thracium exercitum, et Heraclianus Africanum ad Constantinopolin adducant, et Photius cum parte militum Regiam occupet. Quanquam autem Praetoriani arcere venientes conati sunt: tamen Africanus exercitus trucidatis paucis temulentos illos dissipavit, et urbem ingressus est. Photius occupata Regia cepit Phocam, et ad Heraclium filium Heracliani ducem Africani exercitus adducit. Ibi milites adducto Phocae brachia et pedes mutilarunt. Scribunt et execta esse pudenda, postea caput praecisum est.

Hic fuit exitus tyranni, qui antea imperatorem suum Mauricium interfecerat, et postea multa scelera addidit. Agnoscatur ergo et in hoc exemplo ira Dei, denunciata in his regulis: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit. Item: Omnis anima, quae fecerit has abominationes, eradicabitur.

Laudat Phocam Gregorius Romanus Pontifex odio Mauricii, et deinde Romani Episcopi Phocae tyranni decreto freti praetulerunt se caeteris Episcopis. Quia hic fortassis ut Romam haberet minus contumacem, iussit Romanum Episcopum superiorem Constantinopolitano et caeteris omnibus dici et haberi. Qua de re et antea rixae motae fuerant, cum Constantinopolitanus se *οἰκουμενικὸν* nominaret, quem reprehendens Gregorius inquit: O tempora o mores, ardet undique bellis orbis terrarum, trucidantur ab idolorum cultoribus Christiani: delentur a barbaris urbes et templa, et tamen sacerdotes velut insultantes publicis calamitatibus vanitatis nomina usurpant, et profanis titulis se ostentant.

Anno mundi quater millesimo trecentesimo septuagesimo tertio.
Anno Romae millesimo trecentesimo sexagesimo tertio.
Anno Christi sexcentesimo duodecimo.

Heraclius.

Heraclius Heracliani praesidis Africae filius natus in familia patricia, cum occisus esset Phocas, mox consensu Senatus et exercituum imperator factus est. Tenuit imperium annos triginta. Eodem die et coronatus est a Patriarcha *Sergio*, et duxit uxorem Fabiam Eudoxiam, quae simul coronata est. Duabus rebus maximis insignis est ipsius gubernatio, quarum altera foelix fuit, repressio Cosroae Persici regis, altera calamitosa universo generi humano, videlicet initia sectae et regni Mahometici.

De his ordine dicendum est: Heraclius pace facta cum Cagano per legatos etiam pacem petivit a Cosroë, qui iam et Ierosolymam populatus erat, et Syriam occupaverat, et nonaginta millia Christianorum trucidaverat, quo tempore Iudaei multos Christianos emerant, ut eos interficerent. Respondit autem Cosroës, se non depositurum esse arma, donec perfecisset, ut Deus Persicus coloretur, abolita invocatione eius Dei, qui diceretur crucifixus esse. Auxerant superbiam Cosroae priores successus Phocae tempore, et magnae difficultates erant Heraclii etiam propter ducum perfidiam. Sed eo alacrius hosti occurrit, quia non imperii causa tantum, sed multo magis pro-

pter defensionem Ecclesiarum et Christianae doctrinae dimicandum esse intelligebat. Erectus igitur spe auxilii divini exercitum in Syriam ad Azotum ducit. Inde cum Cosroës fugeret, ter dimicat Heraclius cum Cosroae exercitibus, quibus profligatis domestica calamitate Cosroës oppressus est, ut insigni exemplo eius superbia et blasphemiae punirentur.

Cum filium secundum *Mardasen* neglecto primo filio *Siroë* successorem in regno Persico constituisset, cepit patrem *Cosroën* maior natu filius, et trucidato fratre Mardasa spectante patre, deinde et patrem interficit. Hoc modo regnum adeptus Siroës ut securior esset, pacem cum Heraclio fecit, redditis captivis, inter quos erat *Zacharias* Patriarcha Ierosolymorum, et reddita cruce. Vicissim Heraclius restituit captivos, et Syriam et Ierosolymam recipit. Duravit hoc ingens bellum annos sex. Reversus Heraclius Byzantium ingressus est, sedens in curru sine ornamentis triumphalibus, tenens crucem in manibus, ac filio Dei palam gratias agens pro victoria, cuius recordatio ut celebraretur, feriae exaltatae crucis institutae sunt. Ac profecto poena blasphemiarum Cosroë, ut Sennacherib, Antiochi, Nicanoris et similium memoria digna est.

De Mahometi secta et regno.

Ingens et horrenda mutatio generis humani, et quidem celeriter facta est sparso dogmate *Mahometi*, quod primum amplexi sunt *Arabes*, qui nunquam legitimis imperiis paruerunt. Sed vel domi latrocinia exercuerunt, vel suo arbitrio foris, alii apud alios mercede militarunt. Huic genti cupidae libertatis et militiae, legem accommodatam ad amplificationem libertatis et potentiae Mahometus scripsit.

In Arabia natum esse Mahometum plurimi tradunt, ac primum sibi adiunxisse Saracenicum exercitum, unde postea Saracenici regni appellatio facta est, de quo cum dicturi simus, prius quae fuerit gens Saracenica, et ubi fuerit, expono.

Ex Moise notum est posteros Ismaëlis, qui ex *Agar* natus est, tenuisse Arabiam, inde Agra urbs nominata est ab Agar matre Ismaëlis, et gens Agraei, qui in primo lib. Paralip. cap. 5. nominantur Agareni, ubi et limites vicini Galaad monstrantur. Nomen idem Agareni extat in Psal. 82.

In ea regione, in qua fuisse Agarenos certum est, collocat Ptolemaeus Saracenos, et nomen Saracenorum extat in historia Zenobiae in victoriis Aureliani. Existimo autem ipsam gentem Agarenam maluisse nominari Saracenam a Sara, quia gloriosius erat dici ortos a Sara libera, quam ab ancilla Agar. Ipse Mahometus etiam postea gloriosi nominis mentione confirmavit exercitum, vociferans pertinere ad eos promissionem regni mundi, Abrahae posteris traditam, quia essent filii Sarae, sicut praetextu religionis saepe homines incitantur.

Militaverat autem exercitus Saracenicus apud Heraclium contra Persas. Et quia stipendia non dabantur, defecit ab Heraclio. Aiunt et contumelia irritatos esse, cum Heraclii Quaestores dixissent, se vix posse Romano et Graeco militi stipendia dare, nec tantum se habere pecuniae, ut huic canum turbae satisfacerent. Usitata sunt autem alioqui Arabicae genti latrocinia, quare exercitus Saracenicus qui defecerat, diripit oppida Damasco vicina. Multi inopes etiam a Mahometo adiuti, qui ducta uxore ditissima facile perfecit largitionibus, ut milites eum audirent, suasit ut ducem crearent, et ut firmior esset consensus, tollerent religionum dissidia, eligerent doctrinae genus utile concordiae. Ipse doctrinae formam proposuit, addidit se habere colloquia coelestia et enthusiasmos, ut augeret autoritatem. Creatus igitur dux paulatim initia regni confirmavit in vicinia Damasci annos novem.

Initium regni Mahometi collocatur in annum Christi sexcentesimum vicesimum tertium.

Successit ei *Amiras* gener, qui Damascum cepit, et regni caput constituit. Deinde capit Gazam et Ierosolymam obsessam biennio.

Ahumar tertius rex magna Syriae parte domita occupat Aegyptum.

Muhavias quartus Rex Caesaream Palaestinae septenni obsidione capit, et victo Cosroae filio *Orimasda* Persiam regno Saracenico addidit et ei legem Mahometicam imposuit. Ita intra annos triginta Saraceni potiti Arabia, Palaestina, Phoenice, Syria, Aegypto et Persia magnam potentiam adepti sunt. Postea Africam totam occuparunt, et paulatim in Asiam processerunt, ac late cum imperio legem Mahometicam propagaverunt.

Etsi autem inter ipsos quoque seditiones et regnorum divisiones secutae sunt, ut in aliis regnis: tamen Saracenorum principes Sultani praecipuam potentiam in Syria, Aegypto, Africa, et

magna parte Asiae retinuerunt circiter quadringentos annos, donec rex Saracenicus, qui Persiam tenuit, contra Babylonicum Turcos attraxit, qui paulatim accepta lege Mohometica excusserunt ex regno Persico regem Saracenicum tempore Constantini Monomachi, seu Conradi Franci, non multo ante Gotfridi expeditionem susceptam ad Palaestinam. Ac de Turcis eo loco plura dicemus. quos etiam veteribus temporibus nec ignotam nec exiguam gentem fuisse apparet ex Plinio, qui Turcos nominat tanquam vicinos Tyssagetis, et sunt apud Herodotum in Melpomene, Tyssagetis vicini *Ἰύρκαι*, quod est aut Turcae aut Iura.

Consentaneum est autem gentem Turcicam significari appellationibus *Gog* et *Magog*, quos Ezechiël ait gentem septentrionalem esse Cap. 18 et 19.

Apparet et Daniëlem de Saracenico regno loqui, cum praedicit quartae monarchiae distractionem, postquam tale regnum venturum esse inquit, quod et novam doctrinam contumeliosam contra Deum propagabit, et bella geret adversus Sanctos. Id perspicue congruit ad regnum Saracenicum, in quo doctrina expresse contraria Evangelio traditur, quae ut invitaret animos militares, astute laxat in privatis moribus licentiam, et in publica consociatione beneficentiam, concordiam et decus militiae confirmat. Et quia sciebat dissidia oriri de difficilibus articulis, qui non iudicantur ratione, removit doctrinam de tribus Personis divinitatis, et contendit tantum unicam personam esse Deum. Negat in Christo duas esse naturas.

Haec avide accipiebant Iudaei, et plurimi qui Samosatenica contagia in illis locis habebant, sicut et narratur in *Alcorano* scribendo *Sergium* monachum, et alios quosdam haereticos et Iudaeos adhibitos esse, quorum deliberatione popularia dogmata electa sint, et res ostendit haec duo astute confusa esse, enthusiasmorum simulationes, et dogmata popularia, sicut fit ab Anabaptistis.

Deinde taxavit Mahometus Evangelium, quod prohibeat vindictam, et non cogat gladio populos ad obedientiam. Ut igitur legem suam armaret Mahometus, dicit imperium suae genti, quia sit orta a Sara, promissum esse, et id armis occupandum esse, et cogendas esse omnes gentes, ut aut legi Mahometicae obediant, aut vivant oppressi servitute. Haec enim verba leguntur in verbis excerptis ex Alcorano: *ὅτι οὐκ ἦλθε διὰ θαυμάτων ἀλλὰ διὰ ξίφους δοῦναι τὸν νόμον, καὶ τοῖς μὴ πειθομένοις αὐτῷ θάνατος ἔσται ἢ τιμωρία ἢ φόρους δοῦναι.*

Ordinat igitur militares gradus, et attribuit ducibus et militibus certa stipendia ex pensionibus publicis, quas non licet ad alios usus transferre. Deinde seditiosos, desertores et taxantes aliquid in Alcorano iubet interfici, ut legitur in excerptis: *εἰ τὶς λόγον ἀπορίας εἴποι εἰς τὸ κόῤῥαν παρευθὺς θανάτῳ τελευτήσει.*

Ut autem et illecebras addat, concedit *πολυγαμίαν*, et sinit fieri divortia privato arbitrio sine cognitione Iudicum, et sine manifesta causa. Deinde ut sit occasio beneficentiae, quae prodest ad concordiam, non solum iubet largiri pauperibus, sed etiam pro delictis ordinat mulctas dandas pauperibus. Ita remissionem peccatorum transfert in satisfactionem: et si quis fecit stuprum aut adulterium, aut iuravit falso, dives vestiat decem inopes, aut redimat precio captivum. Inops vestiat duos pauperes. Homicidia et furta punit sicut lex Mosi. Ita duo praecepta utilitatis causa utcunque retinet: Non occides, et: Non furtum facies.

Deinde ut distinctionem suae multitudinis a caeteris gentibus faceret, et aliqua religionis species esset, ceremonias addidit, sed paucas, quia turba militaris non patitur multa talia vincula.

Retinuit circumcisionem, ut confirmaret persuasionem de regno promisso posteritati Sarae. Instituit diem festum, qui nobis est sextus dies hebdomadae: iubet quotidie dici precationem quinquies: concedit vesci omnium quadrupedum, volucrum et piscium carnibus, excepta suilla carne: servantibus hanc legem promittit victorias et opes in hac vita, et post hanc vitam in Paradiso, ut ipse nominat delicias et gaudia sine fine, ac certo beatos fore affirmat omnes fortiter praeliantes in acie.

Has leges cum turba militaris libenter acciperet, cito crevit multitudo, et victoriae legis autoritatem auxerunt. Est autem forma propemodum Laconicae similis, praecipue ad militiam directa.

Scripserunt refutationes Graeci, quas inspicere utile est, in quibus hoc recte dicitur.

Nullam doctrinam de Deo posteriorem Apostolis, quibus filius Dei resusciatione mortuorum

testimonium dedit, dissentientem ab Evangelio, veram esse.

Manifestum est autem Mahometi doctrinam plus quingentis annis posteriorem esse apostolica, et ab apostolica dissentire.

Non est igitur vera.

Huic Argumento et hoc addatur:

Impossibile est esse Ecclesiam Dei coetum ex professo reiicientem scripta prophetica et apostolica.

Mahometistae ex professo reiiciunt scripta prophetica et apostolica.

Non igitur sunt Ecclesia Dei.

Hanc confirmationem toto pectore teneamus, et primum nobis praemonitionem Daniëlis proponamus, qui ait: Hoc cornu venturum inclinata monarchia, potentius caeteris regnis, habiturum oculos, et sermonem grandiloquum, et sermones contra verum Deum locuturum esse, et bellum gesturum contra Sanctos, et habiturum victorias.

Haec omnia congruunt ad Saracenicum regnum, quod ortum est initio tribus cornibus a Romana monarchia avulsis Syria, Aegypto et Africa. Oculi vero significant legem astute cogitatam, et os loquens contra verum Deum significat blasphemias contra filium Dei.

Hac praedictione Daniëlis commonefacti postea videamus, ubi et quomodo dissentiat Mahometi doctrina a scriptis propheticis et apostolicis, qua in consideratione necesse est discerni legem et Evangelium, et usum legis, qui proprius est ministerii Ecclesiae, et usum politicum. Quanquam enim politica quaedam in lege Mahometi plausibilia sunt, sicut Daniël ait, Hoc cornu oculos habere: tamen sciamus totam legem Mahometi tantum esse politicam formam, pene Laconicam. Interea vero deleri a Mahometo propriam Evangelii vocem de filio Dei, neque quis sit, neque cur missus sit, recte dicit. Hae igitur Regulae firmissime teneantur:

Qui non honorat filium, non honorat patrem.

Haec est vita aeterna, ut agnoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum esse *Christum.*

1. Iohan. 2.: Omnis negans filium neque patrem habet.

Iohan. 14.: Nemo venit ad patrem nisi per filium.

Iohan. 3.: Qui non credit iam iudicatus est, quia non credit in unigenitum filium Dei.

Item: Qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

1. Corinth. 3.: Fundamentum aliud poni non potest praeter id quod positum est, quod est *Christus Iesus.*

His perspicuis et firmis testimoniis muniti execremur Mahometum, qui primum negat in Christo esse duas naturas, negat haec dicta: Mundus per ipsum factus est: Antequam Abraham natus est, ego sum. Deinde de causis missionis audacissime negat Christum missum esse, ut eius mors sit precium pro peccatis nostris, ut propter eum dentur remissio peccatorum, imputatio iusticiae, Spiritus sanctus, et haereditas vitae aeternae. Negat per eum et propter eum fieri resuscitationem mortuorum. Negat hanc vocem Prophetarum et Apostolorum: Ponet animam suam hostiam pro peccato, Sanguis Christi purificat nos ab omni peccato, Iustificamur fide gratis per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem posuit pro nobis propiciatorem. Tantum dicit Christum fuisse legislatorem, et quidem inermem et inutilem imperiis.

Cum igitur Mahometus manifeste blasphemus sit, doctrinam de persona Christi, et de officiis corrumpens, et palam contradicat Prophetis et Apostolis, confirmemus nos regulis supra recitatis ex Prophetis et Apostolis: Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet.

Haec cogitantes etiam quotidie seiungamus invocationem nostram a colluvie Mahometica, et Deo gratias agamus, quod nos Ecclesiae suae inseruit. Quanquam enim ingens multitudo est et potentia gentium in maxima parte generis humani, quae Mahometi blasphemias amplectuntur: tamen firmissime statuamus, impossibile esse, tales esse Ecclesiam Dei, qui ex professo reiiciunt scripta prophetica et apostolica, et negant Christum esse redemptorem. Deinde fingunt se suis eleemosynis et labore militiae mereri remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Haec refutatio Mahometi sumpta ex Evangelio est illustris. Alii legalia quaedam taxant, sed deletio Evangelii est longe maius scelus. Postea et legalia aspiciantur.

Semper confusiones libidinum sunt signa impietatis. Mahometus reipsa delet coniugium, concedens divortia pro cuiusque arbitrio, etiamsi nullae probabiles causae sint. Nam ducere et abiicere cum libet, reipsa est vulgaris scortatio. Dis-

sentiunt etiam a doctrina divina prohibitio vini et suillae carnis.

Nec disputandum est, Quare sinat Deus tantam multitudinem tam horribiliter decipi et perire? et quare blasphemos occupare summa imperia sinat? Sed dolendum est potius tantam esse potentiam Diabolorum, et tantam miseriam et maliciam generis humani.

Tradidit Deus illustribus testimoniis scripta prophetica et apostolica. Haec nota sunt et amplecti ea omnes debebant. Sed multi volentes aspernantur. Quare impietas et ingratitudo puniuntur coecitate et furoribus. Deinde intuentes tam tristia exempla exitii maximae partis generis humani, firmius amplectamur doctrinam propheticam et apostolicam, et simus memores dicti aeterni patris: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Et assidua invocatione filii Dei nos doceri, gubernari et confirmari petamus. Ipse nos ad sese vocat, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Quod vero summa imperia Mahometici diu tenuerunt, consolemur nos doctrina Evangelii, quae ostendit Ecclesiam subiectam esse cruci, et non esse parem multitudini impiorum, iuxta dictum Prophetae: Reliqui mihi populum pauperem in terra, invocantem nomen meum. Et tamen erigamus nos articulo fidei: Credo esse Ecclesiam catholicam, qui affirmat esse aliquem mediocrem coetum placentem Deo, et discamus, qui sit, et ubi sit ille coetus, et nos in eum includamus, iuxta dictum: Plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri florebunt.

Forma etiam invocationis nostrae discernat nos a Mahometicis et aliis impiis, et sit commonefactio de naturis in Christo, et propriis eius beneficiis ac laeti verum Deum invocemus fiducia Domini nostri *Iesu Christi*, et nos ab omnibus hostibus Christi seiungamus.

Intueamur etiam mente patefactiones Dei, hunc verum Deum certis testimoniis patefactum alloquentes, sicut primum praeceptum dicit: Ego sum Dominus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, et adiungantur dicta de filio: Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum. In hac cogitatione et gratias agamus Deo, quod nos verae Ecclesiae cives fecit. Hac igitur forma utor:

Omnipotens, aeterne, vive et vere Deus, aeterne et unice pater Domini nostri Iesu Christi, qui una cum filio tuo coaeterno Iesu Christo et Spiritu tuo sancto creasti coelum et terram, et homines et alias creaturas, sapiens, bone, verax, caste, iuste, iudex, liberrime, et misericors, diligens et exaudiens nos, qui dixisti: Vivo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, Confiteor tibi me miserum peccatorem esse, et doleo quod offendi te, ac supplex oro, ut miserearis mei, remittas mihi omnia peccata mea, et me iustifices et salves per et propter filium tuum Dominum nostrum *Iesum Christum*, quem voluisti pro nobis esse victimam, *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην*, miranda sapientia et immensa bonitate, et sanctifica me Spiritu tuo sancto, vivo, casto et veraci, Collige inter nos Ecclesiam, et eam guberna, Da Ecclesiae politias honestas et tranquillas, da nobis victum, vires corporis, rege studia doctrinarum, et fac me vas misericordiae, nec sim vas irae. Mitiga poenas publicas et privatas propter filium tuum Dominum nostrum *Iesum Christum πρεσβεύοντα ὑπὲρ ἡμῶν*, et propter tuam gloriam, ut te in tota aeternitate celebremus, et tibi gratias agamus, Amen. Credo *Domine*, opem fer imbecillitati meae. Sicut dixit Dominus noster *Iesus Christus*: Petite et accipietis.

Haec inserui historiae, quia series rerum gestarum simul commonefactio est de doctrinis.

Porro in historia Heraclii consideranda est et incesti coniugii poena. Prior coniunx Heraclii fuit *Fabia* Eudoxia, ex qua natus est filius, qui nominatus est *Constantinus* iunior, cuius posteri aliquot retinuerunt imperium, quanquam noverca ipsum veneno necavit, ut imperium ad filium natum in coniugio incesto transferret. Nam Heraclius post mortem Fabiae duxit fratris filiam *Martinam*, ex qua natus est *Heraclionas*. Hunc ut faceret imperatorem mater, veneno tollit Constantinum, sexto mense postquam patri Heraclio successerat. Adiuvit haec consilia *Pyrrhus* Patriarcha, qui oderat Constantinum recte sentientem. Tenuerunt imperium Martina et filius Heraclionas non toto biennio. Nam Senatus eos cepit, et matri linguam praecidit, ne oratione populum concitaret. Filio nares praecisae sunt, et missi in exilium in Cappadociam ibi in carcere mortui sunt. Pyrrhus Patriarcha ex fuga retractus interfectus est.

Hae poenae sequutae sunt incestum coniugium, parricidium et impietatem.

Anno mundi quater millesimo sexcentesimo quinto.
Anno Romae millesimo trecentesimo nonagesimo sexto.
Anno Christi sexcentesimo quadragesimo quarto.

Constans.

Constans filius Constantini iunioris, nepos Heraclii, pulsa Martina incesta cum filio, a Senatu factus imperator. Tenuit imperium annos viginti septem, infoelix adversus Saracenos. Domi fratrem Theodosium interfecit, et favens Monotheletis, pios aliquot taxantes errorem occidit. Ipsius mandato Theodorus Calliopa Exarchus fraude cepit Martinum Romanum Episcopum, vinctumque Constantinopolin misit, ubi Constans eum in Thraciam Chersonesum inclusit, in qua Martinus fame et squalore carceris aliquanto post extinctus est.

Adeo autem creverant res Saracenicae ab initio regni Mahometici, quod collocatur in annum Christi sexcentesimum vicesimum tertium, annum Heraclii decimum tertium, usque ad hunc annum Christi sexcentesimum quinquagesimum quintum, annum Constantis decimum tertium, ut iam classe ex Phoenicia missa Asiae littora popularentur. Constans anno decimo tertio sui imperii scribitur magno praelio in Lycia a Saracenico duce Muthavia victus esse. Tunc et Rhodum Saraceni spoliarunt, ubi quae de Colosso Solis narrantur, omitto, quia Plinius scribit, multo ante fuisse eversum terraemotu, sed praedae magnitudo ex toto littore dedit occasionem illi fabulae. Constans tandem et in Italiam venit, ubi victus a Longobardis cum eis inducias fecit, spoliataque urbe Roma in Siciliam rediit, ubi infoelix imperator perfusus fervente aqua in balneo strangulatus est.

Anno mundi quater millesimo sexcentesimo tricesimo secundo.
Anno Romae millesimo quadringentesimo vicesimo tertio.
Anno Christi sexcentesimo septuagesimo.

Constantinus.

Constantinus Barbatus seu Pogonatus coepit regnare cum pater eum ante Italicam expeditionem consortem imperii fecisset, et coronari iussisset. Regnavit annos decem et septem, foelicior patre. Saracenica classis tunc ad Byzantium usque accessit, unde repulsa Cyzicum occupavit. Cumque toto septennio in eo loco commoraretur, saepe dimicatum est ad Byzantium, donec tandem Architecti Callinici arte ignes sub aqua facti naves Saracenicas incenderunt, qua re magna multitudine deleta, reliqui fugere coacti sunt. Ad Maleam ubi contrarii flatus saepe efficiunt turbines, reliquae Saracenorum naves partim illisae sunt scopulis, partim demersae in mare. Cum igitur circiter triginta millia Saracenorum periissent, dux Muthavia pacem a Romanis petit. Facta est igitur pax in annos triginta. Post hoc bellum nova gens Arctoa *Bulgari* ad Mysiam inferiorem, quae non procul a Byzantio abest, accesserunt, primumque tunc celebrari nomen Bulgarorum coepit, quos existimo dictos esse a Bolga fluvio, cuius fontes sunt non procul a Livonia in paludibus Moscoviae. Adeo autem crescit fluens versus Orientem, ut viginti quinque navigabilibus ostiis influat in mare Caspium. Cum autem Bulgari Romanum exercitum vicissent, imperator pacem cum eis fecit, deditque eis sedem in Mysia inferiore, quae nunc quoque Bulgaria dicitur.

Anno duodecimo huius Constantini Barbati, videlicet anno Christi sexcentesimo octuagesimo primo, Synodus *οἰκουμενική* ab imperatore convocata est Byzantium, quae nominatur sexta, in qua de contagiis Samosateni disputatum est. Erant enim qui contendebant in Christo tantum esse unicam voluntatem, qui ideo Monotheletae nominati sunt. Hi tecte significabant hoc quoque: se sentire unicam tantum esse in Christo naturam. Huius Synodi mentionem rursus faciam, cum infra de Ecclesia eius temporis dicam. Decessit placide Constantinus imperator, facta pace in imperio Orientis et in Ecclesia.

Anno mundi quater millesimo sexcentesimo quadragesimo nono
Anno Romae millesimo quadringentesimo quadragesimo.
Anno Christi sexcentesimo octuagesimo septimo.

Iustinianus.

Iustinianus filius Barbati factus imperator a patre. Tenuit imperium annos decem ante exilium, deinde restitutus regnavit annos sex. Fuit ultimus stirpis Heraclii, inquietus, crudelis et in-

foelix. Ac multarum ei calamitatum causae fuerunt duo eius domestici assentatores et sycophantae qui nimiam potentiam sibi sumpserunt, ut apud Theodosium iuniorem Eutropius, quem Gorgonem cognominarunt. Horum sycophantarum alter fuerat monachus nomine *Theodosius*, cui cum summam autoritatem tribueret, nominavit eum Generalem: alter *Stephanus* nominatur Sacellarius, qui rexit consilia de religione, etiam matrem imperatoris verberare ausus est. Hi duo adsentatores crudelitatem in duces exercebant: *Leontium* ducem biennio in carcere retinuerunt, qui cum evasisset ex carcere adiuvante Patriarcha, factus est imperator. Hic Iustiniano nares praecidit, eumque Chersonem relegavit, cum annos decem imperium tenuisset. Duos sycophantas aulicos Theodosium et Stephanum funibus ad pedes alligatis per urbem traxit, postea combussit. Hic exitus aulicorum sycophantarum fuit non mitior quam Seiani apud Tiberium, apud Severum Plautiani, apud Theodosium iuniorem Eutropii. Nec diutius triennio Leontius imperium tenuit. Nam *Tiberius Apsimarus*, qui rediens cum exercitu ex Africa pulsus a Saracenis, metuens Leontium, a suo exercitu dictus est Imperator. Hic Leontium truncatis naribus in monasterium inclusit. Contra Saracenos in Syriam misit fratrem Heraclium, qui aliquantisper eos repressit. Tenuit imperium annos septem. Rediit autem Iustinianus adiutus a Bulgaris, qui Leontium et Apsimarum per forum vinctos duci iussit, et prostratis coram ipso colla calcavit, deinde eis capita praecidit, Callinico Patriarchae oculos effodit, Heraclium fratrem Apsimari suspensum strangulavit. Cum autem adversus Chersonem classem misisset, exercitus *Philippicum Bardanem* imperatorem fecit, qui properans ad Constantinopolin Iustinianum et filium eius Tiberium abstractos ab ara occidit. Ita tres imperatores exiguis intervallis occisi sunt.

Anno mundi quater millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto.
Anno Romae millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto.
Anno Christi septingentesimo decimo tertio.

Philippicus Bardanes.

Philippicus Bardanes factus imperator ab exercitu, qui a Iustiniano defecerat. Tenuit imperium annos duos, delevit imagines in templis. Sextae Synodi decreta oppugnavit, et Monotheletas rursus defendit, sed Artemii secretarii consiliis oculis privatus in carcerem coniectus est.

Anno mundi quater millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo.
Anno Romae millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo.
Anno Christi septingentesimo decimo quinto.

Artemius.

Artemius, qui nominatur *Anastasius* Secundus. Tenuit imperium annum unum, et tres menses, vir eruditus. Fuerat enim inter secretarios praecipuus, cumque amans esset concordiae in Ecclesia, repressit eos, qui sextam Synodum oppugnabant, sed in bello infoelix fuit, quia exercitus corrupti seditionibus proximorum imperatorum, cum licentiam frenari aegre ferrent, *Theodosium Adramittenum* imperatorem fecit, qui pulso Artemio et in monasterium incluso tenuit imperium non amplius uno anno, idque volens cessit *Leoni Isauro*, sed Artemius post annos aliquot collecto ex Bulgaris exercitu recuperare imperium conatus est, verum proditus Leoni interfectus est.

Anno mundi quater millesimo sexcentesimo octuagesimo.
Anno Romae millesimo quadringentesimo septuagesimo primo.
Anno Christi septingentesimo decimo octavo.

Leo Tertius.

Leo Tertius hoc nomine, *Isaurus Conon* antea nominatus, rexerat Alanos. Postea ab Artemio contra Saracenos missus, cum audivisset contra Artemium factum imperatorem Theodosium, ipse tanquam defensurus Artemium redit Nicomediam, et capto filio Theodosii paciscitur cum patre, ut imperio cedat. Ita Leo Isaurus sibi duces et exercitus omnes iurare iubet. Tenuit imperium annos viginti quinque.

Dignissima vero consideratione sunt huius Leonis Isauri tempore bella Saracenica, quae legentes tempora considerent quam celeriter potentia Saracenica creverit, et quam triste exemplum sit, tot gentes fascinatas a Diabolis subita amentia deficere a filio Dei. Clare enim in hac histo-

ria conspicitur verum esse versum Sophoclis: ταχεῖα πειθὼ τῶν κακῶν ὁδηπορεῖ.

Agnoscamus autem et divinitus depulsos esse a Gallia Saracenos pulcherrimis victoriis *Caroli Martelli* ducis Brabantiae, qui fuit avus Caroli *Magni imperatoris.* Ac tempora primum conferantur. Mahomet coepit regnare anno sexcentesimo vicesimo tertio Christi. Ab hoc anno usque ad initium Leonis Isauri, videlicet usque annum Christi septingentesimum decimum octavum sunt anni centum et quinque. Intra hoc spacium Mahomet et successores eius, qui Saraceni et Agareni nominantur, potiti sunt Arabia, Palaestina, Syria, Persia, Aegypto, Africa, traiecerunt et ex Africa in Hispaniam, quam cum decem annos tenuissent in Galliam usque ad Turonum trecenta et septuaginta millia Saracenorum infusa sunt. Alibi vero progressi in minorem Asiam obsederunt regnante Constantino Barbato Byzantium circiter annum sexcentesimum septuagesimum quartum, unde repulsi redeunt cum maiore classe sub Leone Isauro post annos circiter quadraginta, videlicet Leonis Isauri initio. Tunc rursus biennio Constantinopolin obsident duce Masgada, sed rursus singulari ope divina repulsus est. Nam Saracenicus exercitus fame et pestilentia periit: naves fulminibus submersae sunt, aliquae ignibus arte sub aqua factis incensae sunt. Ita rursus aliquantisper Saraceni repressi sunt, ne Asia minore et Byzantio potirentur.

Sed maiora bella duo in Gallia mota sunt. Primum enim in Galliam rex *Abidiramus* duxit multitudinem Saracenorum, cuius numerus traditur fuisse triginta millia hominum. Hunc *Eudo* Westgottus Aquitaniae Dominus contra Francos attraxerat. Iamque Burdegalam Saraceni vi captam diripuerant, et usque ad Turonum magna multitudine Christianorum trucidata pervenerant. Erant in summo periculo Gallia et Italia. Relictis igitur bellis Saxonicis et Frisiacis Carolus Martellus dux Brabantiae robur regni Francici ducit contra Saracenos. Clam etiam ab Eudone petit, ne Christianum nomen in Europa deleri sinat, eumque monet, ut relicta societate Saracenorum coniungeret se cum Francico exercitu. Praelio igitur facto, Deo iuvante vincit Caroli Martelli exercitus, et tota illa multitudo Saracenorum trucidatur, periit in acie rex Abidiramus. Hac tanta clade accepta Saraceni tamen nondum quieverunt. Nam aliquanto post rursus ex Hispania duo ingentes exercitus Saracenici in Galliam effusi sunt, freti societate Westgottorum in Aquitania et Narbonensi Gallia. Rex Saracenorum Athinius cum magna classe Galliam Narbonensem invasit, et Avinionem subita vi cepit, eamque belli arcem fecit. Hanc obsidione cinctam rursum Carolus Martellus magna cum difficultate expugnatam recipit, et Saracenos magno numero trucidato expellit. Rex Athinius cum parte copiarum in naves fugiens, Narbonem delatus est. Hanc urbem cum obsideret Carolus Martellus, alter rex Saracenorum Amorraeus, ut circumsessis opem ferret, ex Hispania venit. Properat Carolus, ne hostium exercitus coniungantur, et in valle Carbona ad fluvium Birram cum Saracenis dimicat, ibi inter primos occiso Amorraeo acies perculsa morte regis fugere coepit, exercitus partim in flumine submersus est, partim trucidatus. Cognita Amorraei clade Athinius ex Narbone cum suo exercitu fugit, et praeda ex insulis Liguriae vicinis avecta in Hispaniam rediit. Narbonam Carolus, ne Westgotti inde nova bella molirentur, delevit. Repressi his cladibus Saraceni, qui se Gallia et Italia potituros esse speraverant, deinde semper intra Pyrenaeos montes se continuerunt. Nec existimo bellum utilius et difficilius post id tempus ullum gestum esse. Quia non solum Galliae vastatio, sed etiam propagatio Mahometicae impietatis in reliquam Europam prohibita est. Quid est autem melius quam simul et tot civium corpora et familias defendere, et in praesentia et ad posteritatem manifestas blasphemias depellere.

Hae sunt iustae et magnae causae, cur viri fortes arma induant, ut in symbolo Hispanicus rex *Alphonsus* avem Pelecanum sibi pectus fodientem, et sanguine suo pullos alentem pinxit, et adscripsit: *Pro lege et pro grege*, significans has duas esse iustas bellorum causas: depulsionem latrociniorum a corporibus, et depulsionem blasphemiarum. Profuit autem etiam haec victoria in Hispania, quia reliquiae Christianae ex gente Gottica retinuerant loca horridiora vicina Pyrenaeis montibus, Cantabriam et Asturiam. Inde progressae paulatim domitis Saracenis recuperaverunt Hispaniam. Ex illis Gotticis reliquiis orta est stirps proximorum regum Hispanicorum, ex quibus materna origo est *Carolo* imperatori.

Agnoscamus igitur Dei beneficia, et ei gratias agamus subinde restituendi mediocrem statum, sicut tunc *Carolum Martellum* ad iusta bella excitavit, et consilia et dextram eius rexit. Fuitque propter has victorias mediocris pax Europae annos circiter centum, regnantibus Pipino, Carolo Magno, et Ludovico Pio. Horum etiam principum virtutem celebremus, qui fuerunt organa Dei, et non contumaciter ei repugnarunt, sicut faciunt tyranni, qui volentes iusticiae suas cupiditates anteferunt.

Ut autem, quis fuerit *Carolus Martellus*, consideretur, sciendum est in historia Francica Maiores Domus nominari, qui fuerunt post reges summi gubernatores aulae vel regni, ut nos dicimus Hoffmeister, illi dixerunt Haußmeier, quod Latini scribae interpretati sunt, maiorem Domus. Hunc gradum dignitatis regi proximum tenuit Martellus, cum esset dux Brabantiae. Iuvenem noverca Woltruda mortuo Pipino patre carceri inclusit in Colonia Agrippina, inde tamen divinitus evasit. Recuperata dignitate paterna compescuit Frisios. Deinde in Aquitania vicit Eudonem. Postea Francici principes regnum ei obtulerunt, quod recipere noluit contentus paterna dignitate. Deinde Saracenos infusos in Galliam magnis praeliis delevit, in quibus auxilia habuit regis Longobardorum Lutbrandi, Landfridi ducis Alemanorum, et Odillonis ducis Bavariae.

Ex tot gentium fortissimarum auxiliis aestimari potest magnum Europae periculum a Saracenis fuisse, singulari etiam sapientia tot gentes coniunctas esse ad tanti belli societatem, in quo recte de Martello dici potest, ut de Themistocle dictum est: Victos esse ab eo Persas fortitudine, socios vero lenitate. *τοὺς μὲν πολεμίους ἀνδρεία, τούςδε συμμάχους εὐγνωμοσύνῃ νικηθῆναι.* Tanta igitur eius autoritas fuit, ut cum Lutbrandus rex Longobardorum urbem Romam obsideret, et Romanus Episcopus auxilium peteret, Carolus Martellus tantum legatione missa perfecerit, ut Longobardus ab urbe Roma discederet, ac cum Episcopo Romano pacem faceret. Tenuit paternam dignitatem annos viginti sex. Decessit anno Christi septuagesimo quadragesimo primo, undecimo Calendas Novembris, non multo ante mortem imperatoris Leonis Isauri. Sepultus est autem inter reges Francicos in aede Dionysii, et sepulchro additum est hoc Epitaphium:

Ille Brabantinus Dux primus in orbe triumphans
Malleus in mundo specialis Christicolarum:
Dux Dominusque Ducum, Regum quoque Rex fore spernit,
Non vult regnare, sed Regibus imperat ipse.

Haec de Saracenis et de Caroli Martelli victoriis, et excellenti virtute nolui omittere, quia harum tantarum rerum consideratio propter multas gravissimas causas utilissima est. Nunc ad Leonis Isauri postremum actum accedo.

Cum repulsis a Byzantio Saracenis *Leo Isaurus* aliquid ocii nactus esset, edictum proponit, quo iubet deleri imagines in templis, inde nominatus est *εἰκονόμαχος*. Omitto fabulas, quae narrant eum a Iudaeis incitatum esse. Haec res adeo ingrata fuit Romano Episcopo Gregorio Tertio, ut fulmen excommunicationis contra Leonem Isaurum propter *εἰκονομαχίαν* ediderit, prohibuerit etiam in Italia tributa ei solvi.

Haec initia fuerunt coniunctionum et foederum Pontificiorum cum Francis. Erant alioqui magno in odio Graeci imperatores, et Exarchi magnam crudelitatem in Italia exercebant. Florebant autem *Franci* non solum potentia, sed etiam fama iusticiae et pietatis. Ideo defensio ab eis postea aliquoties petita est, sicut usitatum est contra tyrannos vicinam defensionem quaerere, et scriptum est: Propter iniusticiam regna transferuntur. Tunc vero et praetextus religionis accessit, quod Leo Isaurus et deinde filius imagines et statuas delebant.

Anno mundi quater millesimo septingentesimo et quarto.
Anno Romae millesimo quadringentesimo vicesimo quinto.
Anno Christi septingentesimo quadragesimo secundo.

Constantinus.[1]

Constantinus Copronymus filius Leonis Isauri, vivo patre coronatus est a Patriarcha, cui nomen fuit *Germanus.* Tenuit imperium annos triginta quinque. Nominatus Copronymus, quod infans in sacro baptismi ritu in aquam baptismi stercus ex ventre eiecit. In delendis imaginibus templorum vehementior fuit patre, ideo contra eum factus est imperator consensu Patriarchae et nobilitatis *Artabasdus*, quem praelio victum post biennium Copronymus cepit, et ipsi et duobus

eius filiis oculos effodit. Patriarcham verberari iussit, et impositum asino conversa facie ad caudam, quam manibus teneret, circumvehit. Cum Bulgaris varia gessit bella. Tandem postquam variam crudelitatem exercuit, morbo mortuus est. Ipsius tempore desiit Exarchatus in Italia, et Pipinus filius Caroli Martelli cum fuisset Maior domus annos decem, consensu Procerum factus est rex Francorum anno Christi septingentesima quinquagesimo primo. Scribitur Romani Pontificis Zachariae autoritate proceres iuramento liberatos coëgisse Hildericum, ut regium nomen deponeret. Hilderico in monasterium incluso Pipinum Bonifacius Suessione coronavit. Deinde Pipinus bis in Italiam vocatus est contra Longobardorum regem Astulfum. In utraque expeditione modestia Pipini vere heroica fuit, quam fortassis eo maiore cura praestitit, quia fuit educatus apud regem Lutbrandum. Ideo sic consuluit paci, ut regnum Longobardorum non deleverit, ac ne quidem vestigium in Italia occupaverit. In priore expeditione cum Astulfum Ticini circumsessum coëgisset promittere pacem, datis obsidibus, hac pactione contentus mox in patriam rediit. Sed Astulfi ferocia magis irritata quam repressa fuit. Post abitum Pipini Astulfus contra pacta maius bellum movet, ducit exercitum ad urbem Romam, et obsidet eam tres menses. Cum autem Pipinus rediisset in Italiam, relinquit obsidionem Romae Astulfus metuens regno Longobardico. Hic magis conspicitur modestia Pipini: tantum priores conditiones pacis servari postulat, iubet contentum esse paterno regno, et abstinere ab urbe Roma et a reliqua Italia. Nec verbis contentus est Pipinus, ut antea, sed manet in Italia, donec praesidia Astulfus ex urbibus Ravenna et aliis deducit.

Fabula vero de donatione quam a Pipino factam esse aliqui narrant, manifeste refutatur ex Ludovici Pii historia, qui distinxit Italiae urbes, quas vellet esse imperatoris. Reddidisse Pontifici eas, quas ei Longobardi ademerant, consentaneum est. Fortassis et in Latio aliquas addidit, caeteras voluit esse liberas.

Cum discessisset ex Italia Pipinus, ducit exercitum contra Saxones et Bavaros. Rex Bavaricus Tassilo sine dimicatione rediit in gratiam cum Pipino, qui iussit eum retinere regnum. Erat enim sororis Pipini filius. Sicut in Italia ostendit reges decere iusticiam et modestiam: ita et in Germania modestiae exemplum ostendit. Saxonibus acie victis etiam ita pax data est, ut suo contenti nihil adimerent regno Francico, et suis legibus viverent, tantum quotannis adducerent ad regem Francicum trecentos bellatores equos.

A Pipino etiam scribunt summum Iudicium in Gallia, quod *Parlamentum* nominant, Lutetiae initio constitutum esse, quod sapientia iudicum, ordine cognitionis, severitate executionis longe antecellit omnibus iudiciis in genere humano. Haec vere heroica sunt, iusta bella gerere, et in victoria iusticiam et modestiam retinere, et legitima iudicia profutura toti posteritati constituere. Haec praecipua sunt, quae in Occidente Copronymi tempore acta sunt. Interea in Oriente ex Portis Caspiis effusi Turcae in Colchicam et Armeniam irruperunt, ubi et cum Saracenis praeliati sunt. Hanc fuisse causam existimo, cur Saraceni adversus Copronymum nihil memorabile egerint. Etsi autem Mauricii tempore bella gesserunt Turcae contra Persas: tamen quia tunc a Persis repressi sunt, ea eruptio minus celebris est quam haec secunda, in qua primum Saracenica arma experti sunt, quae in tempora Copronymi et Pipini incidunt. Sunt autem montes Caspii vicini Iberiae, ubi nunc quoque sunt uberes venae metallicae. Quare dictos esse existimo quasi argenteos, quia Keseph argentum significat. Quando autem Turcae Saracenis eripuerint imperium Asiae, postea dicemus.

Anno mundi quater millesimo septingentesimo tricesimo nono.

Anno Romae millesimo quingentesimo tricesimo.

Anno Christi septingentesimo septuagesimo septimo.

Leo Quartus.

Leo Quartus Copronymi filius patri successit. Tenuit imperium annos quinque. Coronatus a Patriarcha vivo patre, qui ei despondit coniugem *Irenen* Atheniensem. Patrem imitatus est in delendis imaginibus. Exercitum in Syriam misit, qui magis irritavit Saracenos quam repressit. Nam aliquanto post Irene pacem cum Saracenis fecit promisso tributo. Filium puerum coronari a Patriarcha curavit, nec multo post febre pater extinctus est.

Anno mundi quater millesimo septingentesimo quadragesimo quarto.

Anno Romae millesimo quingentesimo tricesimo quinto.

Anno Christi septingentesimo octuagesimo secundo.

Irene.

Irene cum filio adulescentulo simul regnat annos decem. Postea domesticae discordiae varias confusiones pepererunt. Sed haec prima gubernatio Irenes fuit tranquillior. Anno igitur septimo Synodus οἰκουμενικὴ Niceae congregata est, quae nominatur *Septima*, in qua decretum factum est de restituendis imaginibus. Nec ea res sine magno tumultu acta est. Cum Episcopi et Doctores in templo Byzantii consedissent ad dicendas sententias, magna multitudo irrumpens dissipavit eos armis, quia nolebat statuas et imagines restitui, ne impii cultus et invocationes statuarum aut hominum confirmarentur.

Erat autem Eunuchus Irenes *Aëtius*, qui praecipua consilia aulae regebat, et hoc agebat, ut Irene nuberet suo cognato praesidi Thraciae. Suasit igitur, ut ad comprimendam seditionem praeses ille cum suo exercitu accerseretur. Hoc vocato civibus arma adempta sunt, et multi impositi in naves passim in insulas missi sunt. Deinde Synodus translata Niceam ex sententia Romani Episcopi decretum condidit, ut statuae et imagines restituerentur. Postea cum filius Constantinus natus annos viginti regere imperium suis consiliis vellet, et quosdam matri addictos removeret, ipsa cum suis sollicitavit partem exercituum, ut iurarent se filium non admissuros esse ad imperium, sed Armeniaci exercitus rem iniustam detestantes filio iuraverunt, quorum exemplum deinceps et caeteri omnes secuti sunt. Nec tamen finis fuit insidiarum. Cum annos septem regnasset Constantinus, mater nacta occasionem, quod filius uxorem dimiserat, et in monasterium incluserat, et aliam duxerat, mittit certos homines, qui filium caperent. Hi capto effoderunt oculos, qua ex re post paucos dies dolore extinctus est. Irene postquam filius oppressus est, regnavit sola tantum tres annos. Intra hoc triennium cum Graeci non solum despecti essent propter muliebre imperium, sed etiam invisi propter multorum temporum tragica exempla, et propter recentem matris crudelitatem erga filium, et ipsius patruos, et Italia defensione indigeret contra Longobardos et seditiones. Nam et Romae Pontifex per seditionem captus et verberatus fuit, accersitus est *Carolus* propter iusticiam et caeteras virtutes, praesertim cum et antea iusticiam et modestiam Caroli Martelli et Pipini Italia experta esset. Ita cum nomine imperatoris gubernatio Italiae ad Carolum Magnum translata est. Fuitque pulchra coniunctio Italiae, Galliae et Germaniae. Omissis igitur Graecis imperatoribus, quorum plerique fuerunt tyranni, et postremi tandem domesticis discordiis Turcas attraxerunt, breviter recitabo res gestas nostrorum imperatorum, quorum initia laeta fuerunt, et Italiae et Germaniae salutaria. Postea discordiis Pontificum et Imperatorum huius imperii potentia et autoritas languefacta est.

Ecclesiastica eius temporis.

Imperatorum Mauricii et Phocae tempore fuit Gregorius Romanus Episcopus, primus eius nominis, qui ut vir Romanus, politica negocia multa egit, sed duas res in Ecclesia perniciosas auxit: Invocationem hominum mortuorum, et sacrificia pro mortuis, quae duae res horribiliter nocuerunt Ecclesiae, ut alibi copiose exponitur.

In Heraclii tempora, ut supra dixi, incidunt initia horrendae blasphemiae Mahometicae, et regni Saracenici, quod eas blasphemias multiplici crudelitate propagavit.

Post Heraclium Constantinus Quintus natus ex Constante filio Constantini, filii Heraclii, Synodum vocavit Byzantium, quae nominatur Sexta Synodus οἰκουμενικὴ, in qua damnati sunt, qui contendebant tantum unicam in Christo voluntatem esse: unde et μονοθεληταὶ nuncupati sunt. Quomodo pinxerint errorem non scribitur, sed contagia Samosateni aut Nestorii fuisse existimo, de quibus supra dictum est.

Sciant autem studiosi de hac quaestione in Petri Longobardi commentariis lib. 3. distinctione decima septima disputari, ubi consideratio horum quatuor graduum in Christo utilis est, videlicet adpetitionum cibi et potus, affectuum qui sunt proprii nervorum, ut dolorum in laceratione corporis, deinde adfectuum cordis. Tertius gradus est voluntatis quae est propria naturae humanae.

Hos gradus in *Christo* esse manifesta testimonia ostendunt, sed sunt ordinati omnes, et

sine peccato, nec ruunt extra legem Dei. Sitio, inquit, quod primi gradus est. Secundi gradus sunt dolores in laceratione corporis. Nec enim imaginandum est, Christum fuisse scopulum, cum quidem ipse dicat: Tristis est anima mea usque ad mortem. Et nervi ordine naturae sentiebant destructionem. Sic et cor ordine naturae sine peccato sentiebat destructionem.

Hi dolores nervorum et cordis aliquomodo ad animam quoque penetrant, sicut dicit: Non sicut ego volo. Nec sunt peccata, sed tantum cruciatus patientis Christi, sicut ipsa mors, et concurrebant ad nervorum et cordis sensum alii dolores in Christo, qui animam feriebant, sensus irae Dei adversus peccata generis humani, iuxta dictum: Iniquitates eorum ipse portabat. Interea tamen voluntas humana in anima Christi retinet firmitatem propositi, et se ad obedientiam offert. Non ut ego volo, sed ut tu vis. Ita manet harmonia et congruentia cum Deo. Testimonium vero de voluntate, quae est propria divinae naturae in Christo, firmum est: Nemo novit patrem, nisi filius, et cui vult revelare filius. *ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι.* Id velle est naturae divinae, quae cum patre et eligit Ecclesiam, et est in ea efficax. Diligenter autem et ob hanc causam id dictum considerandum est, quia refutat Samosatenum, et testatur *τὸν λόγον* esse *ὑφιστάμενον.*

Haec breviter attigi, ut considerent studiosi disputationem illius temporis res gravissimas complexam esse, quas cogitare ad agnitionem et invocationem Christi utile est, et alit eruditionem haec consideratio.

Tempore Irenes Synodus quae nominatur Septima *οἰκουμενικὴ*, in urbem Niceam translata est, quae decretum fecit de statuis et imaginibus restituendis. De qua controversia non addo disputationem. Sed manifestum est cultum idolorum cumulatum esse statuis.

Fuit Pipini temporibus in Germania Bonifacius, cuius Epistolae extant, quae ostendit eum in Turingia et vicinis locis multos Ecclesiarum abusus emendare conatum esse: Queritur crebra esse adulteria sacerdotum, et poenam sancit deprehenso, carcerem unius anni. Prohibuit et ethnica sacrificia, ut ipse nominat, quae dicebant se sanctis facere. Existimo barbarica convivia fuisse. Prohibuit et Magica, quorum ubique apud Ethnicos magnus usus fuit. Scribit ad Anglicum regem, quem obiurgat propter adulteria. Gentem Saxonicam etiam antequam audivit doctrinam Ecclesiae, adeo detestatam esse stupra et adulteria, ut strupratas et adulteras strangulatas deinde cremaverint. Ac supra rogos suspensos et ustulatos esse stupratores et moechos, donec morerentur. Haec severitas in poenis stupri et adulterii digna memoria est, et optandum est, ut commonefacti magistratus hoc exemplo, hac ipsa in re sint severiores, sicut Deus praecipit, qui leges castitatis tradidit, et earum legum contemptum horribiliter punit, ut poena Davidis et alia exempla omnium temporum ostendunt. Tandem Bonifacium a Frysiis occisum esse scribitur. Corpus doctrinae ipsius integrum non extat, sed consentaneum est Gregorii doctrinam et exempla secutum esse. Precor autem filium Dei, ut semper Ecclesiam in his regionibus colligat, et ipse eam gubernet et protegat, Amen.

HALIS
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.